THE
PENNSYLVANIA
STATE UNIVERSITY
LIBRARY

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

SEU

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM, SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD ÆTATEM INNOCENTII III (ANN. 1216) PRO LATINIS ET AD PHOTII TEMPORA (ANN. 863) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA ET AMPLIUS,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA ;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA ;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS AUCTA ;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA ;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA ;

OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA ;

LUCENTIS ET AMPLIUS INDICIBUS LOCUPLETATA ; SED PRÆSERTIM DUOBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, ABSQUE ULLA EXCEPTIONE, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR ; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES GRÆCA

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ GRÆCÆ A S. BARNABA AD PHOTIUM,

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIÆ, IN DUAS PARTES DIVIDITUR, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA ; LATINA, JAM INTEGRE EXARATA, VIGINTI ET DUCENTIS VOLUMINIBUS MOLE SUA STAT, CENTUMQUE ET MILLE FRANCIS VENIT. GRÆCA DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM CUM VERSIONE LATINA LATERALIS COMPLECTITUR, ET FORSAN CENTUM VOLUMINUM EXCEDET NUMERUM. POSTERIOR AUTEM VERSIONEM LATINAM TANTUM EXHIBET IDEOQUE INTRA QUINQUAGINTA CIRCITER VOLUMINA RETINEBITUR, UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE MERE LATINUM QUINQUE FRANCIS SOLUMMODO EMITUR : UTROBIQUE VERO, UT PRETII HUJUS BENEFICIO FRUATUR EMPTOR, COLLECTIONEM INTEGRAM SIVE GRÆCAM SIVE LATINAM COMPARET NECESSE ERIT ; SECUS ENIM, CUJUSQUE VOLUMINIS AMPLITUDINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRETIA ÆQUABUNT.

PATROLOGIÆ GRÆCÆ TOMUS VII. PARS SECUNDA.

SANCTUS IRENÆUS, EPISCOPUS LUGDUNENSIS ET MARTYR.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE.

1857

Digitized by Google

Digitized by Google

SÆCULUM II.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΕΙΡΗΝΑΙΟΥ

ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΛΟΥΓΔΟΥΝΟΥ ΚΑΙ ΜΑΡΤΥΡΟΣ

ΕΛΕΓΧΟΥ ΚΑΙ ΑΝΑΤΡΟΠΗΣ ΤΗΣ ΨΕΥΔΩΝΥΜΟΥ ΓΝΩΣΕΩΣ

ΒΙΒΛΙΑ ΠΕΝΤΕ.

—

SANCTI IRENÆI

EPISCOPI LUGDUNENSIS ET MARTYRIS

DETECTIONIS ET EVERSIONIS FALSO COGNOMINATÆ AGNITIONIS

SEU

CONTRA HÆRESES

LIBRI QUINQUE.

POST FRANCISCI FEUARDENTII ET JOANNIS ERNESTI GRABII RECENSIONEM CASTIGATI DENUO AD MSS. CODICES ROMANOS, GALLICANOS ET ANGLICANOS, NECNON AD ANTIQUIORES EDITIONES, ET A MULTIS, QUIBUS SCATEBANT, MENDIS EXPURGATI; AUCTI NOVIS FRAGMENTIS; OBSERVATIONIBUS AC NOTIS COPIOSISSIMISQUE GLOSSARIIS ET INDICIBUS ILLUSTRATI ET LOCUPLETATI; QUIBUS OMNIBUS PRÆMITTUNTUR TRES DISSERTATIONES IN QUIBUS HÆRESES AB IRENÆO MEMORATÆ ET LOCI DIFFICILES EXPLICANTUR, EJUSQUE VITÆ AC GESTORUM HISTORIA DISCUTITUR;

STUDIO ET LABORE

DOMNI RENATI MASSUETI

PRESBYTERI ET MONACHI BENEDICTINI E CONGREGATIONE S. MAURI.

ACCURANTE ET RECOGNOSCENTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORUM.

VENIT 12 FRANCIS GALLICIS.

—

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

—

1857

458926

Digitized by Google

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO VII CONTINENTUR.

S. IRENÆUS LUGDUNENSIS EPISCOPUS.

Prolegomena. *Col.* 9
Adversus hæreses libri quinque. 433
Fragmenta deperditorum operum S. Irenæi. 1225
Appendix ad Irenæi libros contra hæreses, continens Gnosticorum quorum meminit S. martyr fragmenta. 1263
Præfationes, prolegomena, notæ et observationes eorum omnium qui novas Irenæi editiones aut publicaverunt aut illustrarunt. 1321

Ex Typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

ANALYSIS LIBRI QUINTI.

280 Ab hujus libri exordio Irenæus se hæreses omnes, præcipue tamen Valentinianam, ipsis Christi verbis, atque epistolis apostolorum deinceps impugnaturum declarat; redditque rationem cur huic posteriori libro manum censuerit admovendam. Principio itaque pro certo ponit Christum, qui solus sanguine suo nos redemit, eumdem solum ea docere nos potuisse, quæ sui sunt Patris. Quapropter erroris reos agit Valentinianos, qui Christum simulatum; et Ebionæos, qui eum purum hominem esse nugabantur [44]. Priores autem non minoris in eo arguit temeritatis, quod et mundum non a Deo, sed a Demiurgo creatum dicerent, futuramque negarent humani corporis resurrectionem. Eam vero validissimis deinde probat rationibus, petitis ex vera ac reali Christi corporis ac sanguinis in eucharistiæ sacramento præsentia, potentia Dei, et Scripturæ sacræ auctoritate [45]. Nec levioris sane ponderis sunt ea, quæ ex Apostolo depromit argumenta. Primum siquidem homo, juxta illius sententiam, eo quo creatus est modo, integer debet spiritu, anima, et corpore *sine querela in adventum Domini servari* [46]. Præterea sicut Christus a mortuis resurrexit, ita mortua suscitabit corpora hominum [47]. Denique sacra Spiritus sancti, quæ in hoc mundo accipimus, dona certum sunt futuræ hæreditatis, resurrectionis et immortalitatis nostræ pignus [48].

Quia vero præcipua erroris fundamenta in his posita erant Apostoli verbis : *Caro et sanguis regnum Dei hæreditare non possunt* [49]; nihil iis nisi prava carnis opera ab Apostolo describi clarissime demonstrat. Qua quidem soluta difficultate, aliis resurrectionem asserit rationum momentis, ac præcipue mortuorum a Christo suscitatorum exemplo, et Isaiæ, atque Apostoli auctoritate, et testimoniis [50].

Ad refellenda alia Valentinianæ hæreseos capita inde transit; ac probat mundum ab æterno creatum Patre, a quo et ipse homo, non ex aliena quadam, secundum Valentini ineptias, et fluida substantia, sed ex eadem nostra conditus est terra, qua Christus litos sanavit cæci nati oculos [51]. Exinde vero ad præcipuum erroris caput reversus, non alium quam Christi Patrem, Deum creatorem esse ex ipsiusmet Christi passione, miraculis, et condonandorum peccatorum potestate liquido conficit [52]. Idem insuper ex primis evincit Joannis in suo Evangelio verbis. Ex iis autem scite colligit, a divino Verbo, quando ex Virgine caro factum est, damna omnia, quæ Eva hominibus intulerat, fuisse plane resarcita [53].

Omnes postmodum, quos confutaverat errores, summatim recenset, eosque episcopis, apostolorum successoribus, demonstrat esse posteriores [54]. Cæterum cum perpetuæ sint hæreticorum inter se et secum pugnantium dissensiones, atque una semper sit, ac fuerit Ecclesiæ catholicæ, per mundum universum dispersæ, fides et doctrina; ad eam, iis relictis, confugiendum, et Christo obediendum esse concludit [55].

Christus vero, subdit auctor noster, triplici in diabolum, qui ipsum ausus fuerat tripliciter tentare, et

[44] Cap. 1. [45] Cap. 2 et seqq. [46] Cap. 6. [47] Cap. 7. [48] Cap. 8. [49] Cap. 9 et seqq. [50] Cap. 12 et seqq. [51] Cap. 15 et seqq. [52] Cap. 17. [53] Cap. 18. [54] Cap. 19. [55] Cap. 20.

(93) *Et eodem Deo. Et eodem* deest in Eras., Gall., Merc. 1. Sed *Deo* desideratur in Arund.

(94) *Confutati.* Feuard., *confutari.*

(95) *In sequenti.* Eras., Gall. et Feuard., *consequenti.* Sed Clarom., Voss., Arund. et Feuardent. in marg. melius, *in sequenti;* quæ divisim lego.

(96) *Misit, et salutem .... donat.* Ita quoad priC mam vocem Claromont., Voss. et Merc. 1, quoad cæteras, Feuard. in marg., Clarom. et Voss. In editt., *miserit, et salutem ... donans;* nisi quod Grab., Eras. et Gall. omittunt *et* ante *salutem.*

(97) *Beati apostoli.* Editt., *beati Pauli apostoli.*

(98) *Et eversionis .... agnitionis.* Hæc non agnoscit cod. Clarom.

Digitized by Google

reipsa Adamum vicerat, reportata victoria, patefecit a Patre rerum omnium creatore se vere fuisse missum. Diabolus econtrario se non solum ab initio, et in tribus his tentationibus mendacem probavit : sed in fine etiam mundi rursus tunc probaturus est, cum sub Antichristo homines in sui pertrahet adorationem [86].

Ibi autem de Antichristi nomine, origine, regno, diuturnitate fuse disserit. Nonnulla quoque ibidem miscet adversus Marcionem, Valentinianos, aliosque, qui et mundi creatorem non agnoscebant, et prophetas a vero Deo missos esse inficiabantur. Hos porro organa vocat Satanæ, qui Deo male precari nunquam ausus fuit, nisi post Christi adventum, cum de æterna damnatione sua certior factus est. Posthæc de his quæ, Antichristo exstincto, eventura sunt, et de millenario Christi post mundi consummationem in terra regnantis imperio plura disputat. Inde tandem Valentinianorum errorem, quo sectatores suos, statim atque mortui fuerint, supra cœlos ad Patrem, vel Matrem ascendere somniabant, funditus evertit [87].

LIBER QUINTUS.

291 PRÆFATIO.

Traductis, dilectissime (99), omnibus hæreticis in quatuor libris, qui sunt tibi (1) ante hunc a nobis editi, et doctrinis ipsorum manifestatis; eversis quoque his, qui irreligiosas adinvenerunt sententias, aliquid quidem ex propria uniuscujusque illorum doctrina, quam in suis conscriptis reliquerunt; aliquid autem (2) ex ratione (3), universis ostensionibus procedente; et veritate ostensa, et manifestato præconio Ecclesiæ, quod prophetæ quidem præconaverunt (4), quemadmodum demonstravimus, perfecit autem Christus, Apostoli vero tradiderunt, a quibus Ecclesia accipiens, per universum mundum sola bene custodiens, tradidit filiis suis; quæstionibusque omnibus solutis, quæ ab hæreticis nobis proponuntur (5); et apostolorum doctrina explanata, et manifestatis pluribus, quæ (6) a Domino per parabolas, et dicta sunt, et facta : in hoc libro quinto, operis universi, quod est de traductione (7), et eversione falso cognominatæ agnitionis, ex reliquis doctrinæ (8) Domini nostri, et ex apostolicis epistolis, conabimur ostensiones facere, quemadmodum postulasti a nobis, obedientibus tuo præcepto (quoniam et in administratione sermonis positi sumus), et omnimodo elaborantibus (9), secundum nostram virtutem, plurima tibi quidem in subsidium præstare adversum A contradictiones hæreticorum, errantes autem retrahere, et convertere ad Ecclesiam Dei; neophytorum quoque sensum confirmare, ut stabilem custodiant fidem, quam bene custoditam ab Ecclesia acceperunt, ut nullo modo transvertantur ab his, qui male docere eos, et abducere a veritate conantur. Oportebit (10) et te, et omnes lecturos (11) hanc scripturam, impensius legere ea quæ a nobis prædicta sunt, ut et argumenta ipsa scias, adversus quæ contradictiones facimus. Sic enim et legitime eis contradices, et de præparato accipies adversus eos contradictiones, 292 illorum quidem sententias per cœlestem fidem, velut stercora, abjiciens; solum autem verum et firmum magistrum sequens, Verbum Dei, Jesum Christum Dominum B nostrum : qui propter immensam suam dilectionem factus est quod sumus nos, uti nos perficeret esse quod est ipse.

CAPUT PRIMUM.

Solus Christus divina nos docere, ac redimere potuit, idemque ut nos repararet, non opinione, sed reipsa, Spiritus sancti operatione ex Maria Virgine carnem assumpsit; adversus Valentini et Ebionis vanitates.

1. Non enim aliter nos discere poteramus quæ sunt Dei, nisi magister noster, verbum exsistens, homo factus fuisset. Neque enim alius poterat enarrare nobis quæ sunt Patris, nisi proprium

[86] Cap. 21 et seqq. [87] Cap. 25 et seqq.

(99) *Dilectissime.* Ita Clarom. et Voss.; cæteri, *diligentissime.* C

(1) *Tibi.* Deest in Arund.

(2) *Aliquid quidem... aliquid autem.* Græco more pro *partim quidem... partim autem.*

(3) *Ex ratione.* Sic vetus Feuard. cod., et Clarom. Alii vel pro *ex* habent *et*, vel utrumque jungunt.

(4) *Præconaverunt.* Eras., Gall. et Feuard., *præconizaverunt.*

(5) *Proponuntur.* Alias, *proponebantur.*

(6) *Quæ.* In Feuard. marg. et Voss., *quemadmodum.*

(7) *Libro quinto operis universi, quod est de traductione.* Hæc in omnibus exemplaribus manifesta scribarum incuria sic male translocata : *libro quinto, qui est de traductione operis universi, et eversione :* emendo ex loco omnino parallelo, initio præfationis libri quarti, ubi similia hæc leguntur : *Hunc quartum librum transmittens tibi, operis, quod est de detectione et eversione*, etc. Cum igitur eadem prorsus in utroque loco verba legantur, perperam inversum posteriorum ordinem, ex prioribus restituendum mihi putavi.

(8) *Et reliquis doctrinæ.* Ita Clarom. et Arund., quibus quoad vocem *doctrinæ* (in genitivo) consentiunt Voss. et Merc. 1. In editt., *et* (Grab. *ex*) *reliquis doctrinis.*

(9) *Elaborantibus.* Sic omnes mss. At editt., *elaboramus.*

(10) *Oportebit.* Clarom., *oportebat.*

(11) *Et te et omnes lecturos.* Ita Clarom. At vetus Feuard. cod. cum om. Anglic., *et te et omnes lectores.* Editt. vero, *autem te, omnesque lecturos.*

Digitized by Google

ipsius Verbum. « Quis enim » alius « cognovit sensum Domini? aut quis » alius « ejus consiliarius factus est [22]? » Neque rursus nos aliter discere poteramus, nisi magistrum nostrum videntes, et per auditum nostrum vocem ejus percipientes; uti imitatores quidem operum, factores autem sermonum ejus facti, communionem habeamus cum ipso; a perfecto, et eo qui est ante omnem conditionem, augmentum accipientes. Qui nunc nuper facti sumus, a solo optimo et bono, et ab eo qui habet donationem incorruptibilitatis, in eam, quæ est ad eum, similitudinem facti, prædestinati quidem ut essemus, qui nondum eramus, secundum præscientiam Patris, facti autem initium facturæ, accepimus (12) in præcognitis temporibus secundum ministrationem Verbi, qui est perfectus in omnibus (13); quoniam Verbum potens, et homo verus, sanguine suo rationabiliter redimens nos, redemptionem semetipsum dedit pro his, qui in captivitatem ducti sunt. Et quoniam injuste dominabatur nobis apostasia; et cum natura essemus Dei omnipotentis, alienavit nos contra naturam, suos proprios faciens discipulos; potens in omnibus Dei Verbum, et non deficiens in sua justitia, juste etiam adversus ipsam conversus est apostasiam, ea quæ sunt sua redimens ab ea (14); non cum vi, quemadmodum illa initio dominabatur nostri, ea quæ non erant sua insatiabiliter rapiens; sed secundum suadelam, quemadmodum decebat Deum suadentem, et non vim inferentem, accipere quæ vellet: ut neque quod est justum confringeretur, neque antiqua plasmatio Dei (15) deperiret.

Τῷ ἰδίῳ οὖν αἵματι (16) λυτρωσαμένου ἡμᾶς τοῦ Κυρίου, καὶ δόντος τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ψυχῶν, καὶ τὴν σάρκα τὴν ἑαυτοῦ ἀντὶ τῶν ἡμετέρων σαρκῶν,

Suo igitur sanguine redimente nos Domino, et dante animam suam pro nostra anima (17), et carnem suam pro nostris carnibus,

et effundente Spiritum Patris in adunitionem et communionem Dei et hominis (18), ad homines quidem deponente Deum per Spiritum, ad Deum autem rursus imponente hominem per suam incarnationem, et firme et vere in adventu suo donante nobis incorruptelam, per communionem quæ est ad eum (19); perierunt omnes hæreticorum doctrinæ.

2. Vani enim sunt qui putative dicunt eum apparuisse.

[22] Rom. XI, 34.

(12) *Accepimus.* Eras., Gall. et Feuard. male, *accipiemus.*

(13) *Omnibus.* In Feuard. marg. et Voss., *hominibus.*

(14) *Ab ea.* Gallas. et Feuard. edit., *ab eo.*

(15) *Dei.* Deest in Voss.

(16) *Τῷ ἰδίῳ οὖν αἵματι.* Hæc, et quæ mox sequuntur, Græca allegavit Theodoretus, priora quidem dial. 3, pag. 155, posteriora dial. 2, pag. 87.

A Οὐ γὰρ δοκήσει ταῦτα, ἀλλ' ἐν ὑποστάσει ἀληθείας ἐγίνετο. Εἰ δὲ μὴ ὢν ἄνθρωπος, ἐφαίνετο ἄνθρωπος, οὔτε ὃ ἦν ἐπ' ἀληθείας, ἔμεινε, Πνεῦμα Θεοῦ, ἐπεὶ ἀόρατον τὸ Πνεῦμα· οὔτε ἀλήθειά τις ἦν ἐν αὐτῷ, οὐ γὰρ ἦν ἐκεῖνα ἅπερ ἐφαίνετο. Προείπομεν δὲ, ὅτι Ἀβραὰμ, καὶ οἱ λοιποὶ προφῆται προφητικῶς αὐτὸν ἔβλεπον, τὸ μέλλον ἔσεσθαι δι' ὄψεως προφητεύοντες. Εἰ οὖν καὶ νῦν τοιοῦτος ἐφάνη, μὴ ὢν ὅπερ ἐφαίνετο, προφητική τις ὀπτασία γέγονε τοῖς ἀνθρώποις, καὶ δεῖ καὶ ἄλλην ἐκδέχεσθαι παρουσίαν αὐτοῦ, ἐν ᾗ τοιοῦτος ἔσται, οἷος νῦν ὁρᾶται προφητικῶς. Ἀπεδείξαμεν δὲ, ὅτι τὸ αὐτό ἐστι, δοκήσει λέγειν πεφηνέναι, καὶ οὐδὲν ἐκ τῆς Μαρίας εἰληφέναι. Οὐδὲ γὰρ ἦν ἀληθῶς σάρκα καὶ αἷμα ἐσχηκὼς, δι' ὧν ἡμᾶς ἐξηγοράσατο, εἰ μὴ τὴν ἀρχαίαν πλάσιν τοῦ Ἀδὰμ εἰς ἑαυτὸν ἀνεκεφαλαιώσατο. Μάταιοι οὖν οἱ ἀπὸ Βαλεντίνου, τοῦτο δογματίζοντες, ἵνα ἐκβάλωσι τὴν ζωὴν τῆς σαρκός.

Non enim putative hæc, sed in substantia veritatis fiebant. Si autem, cum homo non esset, apparebat homo; neque, quod erat vere, perseveravit, Spiritus Dei, quoniam invisibilis est Spiritus: neque veritas quædam (20) erat in eo; non enim illud erat quod videbatur. Prædiximus autem, quoniam Abraham et reliqui prophetæ prophetice videbant eum; id, quod futurum erat (21), per visionem prophetantes. Si igitur et nunc talis apparuit, non exsistens quod videbatur, quædam prophetica visio facta est hominibus, et oportet alium exspectare adventum ejus, in quo talis erit, qualis nunc visus est prophetice. Ostendimus autem, quoniam idem est, putative dicere eum visum, et nihil ex Maria accepisse. Neque enim esset vere sanguinem et carnem habens, per quam (22) nos redemit, nisi antiquam plasmationem Adæ in semetipsum recapitulasset. Vani igitur qui a Valentino sunt, hoc dogmatizantes, uti excludant salutem carnis, et reprobent plasmationem Dei.

B

C

293 3. Vani autem et Ebionæi, unitionem Dei et hominis per fidem non recipientes in suam animam, sed in veteri generationis perseverantes fermento; neque intelligere volentes, quoniam D Spiritus sanctus advenit in Mariam, et virtus Altissimi obumbravit eam; quapropter et quod generatum est, sanctum est, et filius Altissimi Dei Patris (23) omnium, qui operatus est incarnationem ejus, et novam ostendit generationem; uti quemadmodum per priorem generationem mortem

(17) *Pro nostra anima.* Græc., *pro nostris animabus.*

(18) *Hominis.* Al. *hominum.*

(19) *Ad eum.* Edit., *ad Deum.*

(20) *Veritas quædam.* Pro *veritas ulla.*

(21) *Futurum erat.* Clarom. et Ottobon., *futurus erat*; quod mallem, nisi repugnaret textus Græcus.

(22) *Per quam.* Græc., *per quæ.*

(23) *Dei Patris.* Vox *Dei* desideratur in Voss.

Digitized by Google

hæreditavimus, sic per generationem hanc hæreditaremus vitam. Reprobant itaque hi commistionem vini cœlestis, et solum aquam sæcularem (24) volunt esse, non recipientes Deum ad commistionem suam; perseverantes (25) autem in eo qui victus est, Adam, et projectus est de paradiso : non contemplantes, quoniam, quemadmodum ab initio plasmationis nostræ in Adam ea quæ fuit a Deo aspiratio (26) vitæ, unita plasmati, animavit hominem, et animal rationale ostendit, sic in fine Verbum Patris, et Spiritus Dei, adunitus antiquæ substantiæ plasmationis Adæ, viventem et perfectum effecit hominem, capientem perfectum Patrem; ut quemadmodum in animali omnes mortui sumus, sic in spiritali omnes vivificemur. Non enim effugit aliquando Adam manus Dei (27), ad quas Pater loquens, dicit : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram [29]. » Et propter hoc in fine non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex placito Patris manus ejus vivum perfecerunt hominem, uti fiat Adam secundum imaginem et similitudinem Dei.

A

B

CAPUT II.

Christus non venit in aliena, cum sua nos gratia visitavit, et carni nostræ contulit capacem esse salutis, verum pro nobis sanguinem fundendo, veramque carnem suam nobis in eucharistia exhibendo.

1. Vani autem et qui in aliena dicunt Deum venisse, velut aliena concupiscentem, uti eum hominem qui ab altero factus esset, exhiberet ei Deo, qui neque fecisset, neque condidisset, sed et qui desolatus esset ab initio a propria hominum fabricatione. Non ergo justus adventus ejus, qui secundum eos venit in aliena; neque vere redemit nos sanguine suo, si non vere homo factus est (28), restaurans suo plasmati, quod dictum est in principio, factum esse hominem secundum imaginem et similitudinem Dei, non aliena in dolo diripiens, sed sua propria juste et benigne assumens; quantum attinet quidem ad apostasiam, juste suo sanguine redimens nos ab ea; quantum autem ad nos, qui redempti sumus, benigne. Nihil enim illi ante dedimus, neque desiderat aliquid a nobis, quasi indigens; nos autem indigemus ejus, quæ est ad eum, communionis; et propterea benigne effudit semetipsum (29), ut nos colligeret in sinum (30) Patris.

2. Vani autem omnimodo, qui universam dispositionem Dei contemnunt, et carnis salutem negant, et regenerationem ejus spernunt, dicentes non eam capacem esse incorruptibilitatis. Si autem non salvetur hæc (31), videlicet nec Dominus sanguine suo redemit nos; neque calix eucharistiæ communicatio sanguinis ejus est neque panis quem frangimus, communicatio corporis ejus est. Sanguis enim non est, nisi a venis et carnibus, et a reliqua

[29] Gen. I, 26.

(24) *Solam aquam sæcularem.* Ita Voss. et Clarom., nisi quod in hoc incuria scribæ (quod sæpe solet) omissis abbreviationis notis super *a*, legatur, *sola aqua sæcularem.* In editt., *sola aqua sæcularis.* Reliquos codd. Anglicanos corruptos esse monet Grabius.

(25) *Perseverantes.* Editt., *perseverant.*

(26) *Aspiratio.* In Arund., *spiratio;* in editt. et Merc. 2, *inspiratio.*

(27) *Manus Dei.* Id est *Filium et Spiritum sanctum*, ut ipsemet Irenæus explicat sup. lib. IV, cap. 20 et hujus lib. cap. 6, n. 1.

(28) *Factus est. Factus esset* in Feuard. marg. et Voss.

(29) *Effudit semetipsum.* E sinu videlicet Patris in mundum, ut recte notat Grabius.

(30) *Sinum.* Eras. et Gall., *sinu.*

(31) *Si autem non salvetur hæc.* Ita antiquiores et melioris notæ codd. tres, scilicet vetus Feuard., Clarom. et Voss. Alii omnes habent, *sic autem secundum hæc;* nisi quod Ottobonianus interserat *nos* ante *secundum.* Sed, quidquid dicat clariss. Grabius, prior lectio præferenda. Duo enim in hoc capite probanda sibi suscipit Irenæus contra hæreticos; alterum, Christum *vere redemisse nos sanguine suo,* ac proinde *vere hominem factum esse;* alterum, resurrecturam esse carnem nostram, *eamque capacem esse incorruptibilitatis.* Utrumque vero demonstrat, prius quidem sigillatim ex Apostoli verbis; tum utrumque simul ex communi et recepta, non apud omnes catholicos modo, sed et apud eos, quos incessebat, hæreticos, sententia, eucharistiam verum esse ac substantiale Christi corpus, verum ac substantialem ipsius sanguinem: necdum enim nata, quæ posterius ævum finxit, vana illa figurarum ac merorum signorum commenta. Si enim, ait auctor noster, nec resurrectura sit caro, nec Dominus sanguine suo nos redemerit; hinc consequitur, *neque calicem eucharistiæ communicationem sanguinis ejus esse, neque panem quem frangimus, communicationem corporis ejus esse.* Sanguis siquidem esse non potest, nisi a venis et carnibus, et a reliqua humana substantia. Si ergo vera non fuerit Christi viventis humana substantia, nec vero ac substantiali sanguine nos redemerit, sed vanam carnis aut sanguinis imaginem oculis ac sensibus objecerit; nec verum ac substantiale corpus, verum ac substantialem sanguinem in eucharistia porrigere nobis potest. Atqui tamen in eucharistia vero ac substantiali Christi corpore ac sanguine refici nos ac potari, Christo ipso docente ac confirmante, constat; his corpora nostra nutriuntur, augentur ac consistunt : membra quippe Christi cum simus, idcirco noluit esse sui sanguinis expertia. Qui ergo corpora ipsiusmet vitæ, Christi videlicet, carne ac sanguine nutrita, ejusque membra, æternum dissolvi possunt, nec in suo tempore resurgere? Et qui etiam Christus vana carnis umbra hominum sensus ludificari, evanidoque sanguinis phantasmate, Patri moriens redemptionis nostræ pretium persolvere potuit, cujus veram ac substantialem carnem, verum ac substantialem sanguinem exhibet eucharistiæ sacramentum; et cujus membra sumus nos veri homines, quibus vitam et motum impertit sanguis ejus eucharisticus? Hæc Irenæi argumentatio est : qua lectionis nostræ veritas confirmatur. Molestissima quidem Calvinianis hæc argumentatio; unde nihil mirum si vires omnes colligat nuperus Irenæi editor, omnemque industriam atque operam huc conferat, ut vim illius infringat. Sed vanos Anglorum proselyti conatus in dissert. 3 nostra refutavimus, ubi luce clarius ostendimus, nisi ita argumentetur SS. antistes, omnium insulsissimam argumentationem ejus esse, eaque non modo non labefactari, sed imo confirmari hæreticorum, quos refellebat, sententiam.

C

D

Digitized by Google

quæ est secundum hominem substantia, qua vere (32) factum est (33) Verbum Dei. Sanguine suo redemit nos, quemadmodum et Apostolus ejus ait : « In quo habemus redemptionem, per sanguinem ejus, remissionem peccatorum [60]. »

Ἐπειδὴ μέλη (34) αὐτοῦ ἐσμεν, καὶ διὰ τῆς κτίσεως τρεφόμεθα, τὴν δὲ κτίσιν ἡμῖν αὐτὸς παρέχει, τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλων, καὶ βρέχων, καθὼς βούλεται, τὸ ἀπὸ τῆς κτίσεως ποτήριον (35), αἷμα ἴδιον ὡμολόγησε, ἐξ οὗ τὸ ἡμέτερον δεύει αἷμα (37), καὶ τὸν ἀπὸ τῆς κτίσεως ἄρτον, ἴδιον σῶμα διεβεβαιώσατο, ἀφ' οὗ τὰ ἡμέτερα αὔξει σώματα.

294 Et quoniam membra ejus sumus, et per creaturam nutrimur ; creaturam autem ipse nobis præstat, solem suum oriri faciens, et pluens quemadmodum vult [61] ; eum calicem, qui est creatura (36), suum sanguinem qui effusus est (38), ex quo auget (39) nostrum sanguinem ; et eum panem, qui est a creatura, suum corpus confirmavit, ex quo nostra auget corpora.

3. Ὅταν οὖν καὶ τὸ κεκραμένον ποτήριον, καὶ ὁ γεγονὼς ἄρτος ἐπιδέχεται τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ γίνεται ἡ εὐχαριστία σῶμα Χριστοῦ, ἐκ τούτων δὲ αὔξει (42) καὶ συνίστα-

3. Quando ergo et mistus calix, et factus (40) panis percipit verbum Dei, et fit eucharistia sanguinis et corporis (41) Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostræ substantia ; quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quæ est vita (43) æterna, quæ sanguine et corpore Christi nutritur, et membrum ejus est (44)? Quemadmodum et beatus Apostolus ait in ea, quæ est ad Ephesios, Epistola : « Quoniam membra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus [62] : » non de spirituali aliquo et invisibili homine dicens hæc : « Spiritus enim neque ossa, neque carnes (43) habet [63] ; » sed de ea dispositione, quæ est secundum verum (49) hominem, quæ ex carnibus, et nervis et ossibus consistit : quæ de calice, qui est sanguis ejus, nutritur, et de pane, quod est corpus

[60] Coloss. I, 14. [61] Matth. V, 45. [62] Ephes. V, 30. [63] Luc. XXIV, 39.

(32) *Qua vere.* Claromont., Voss. et Merc. 2, *quam vere ;* sed male. Legendum esse *qua*, quod hic accipitur pro *quæ*, ostendit contextus series : adeo ut sensus sit, Verbum Dei vere factum esse humanam substantiam.

(33) *Factum est. Est* addidi ex veteri Feuard. cod., Clarom. et Voss. Unde et textum aliter atque in editt. distinxi. Scilicet ab his verbis, *sanguine suo redemit nos*, novam periodum incepi ; quod clarius est. Hoc enim prius argumentationis Irenæi membrum, quod ex Apostoli verbis probat. Tum ad alterum transit.

(34) *Ἐπειδὴ μέλη.* Hæc et sequentium duorum capitum Græca verba, ex ms. Joannis Damasceni *Parallelorum* codice excerpta edidit Halloixius in *Vita Irenæi*, pag. 488 et seqq.

(35) *Τὸ ἀπὸ τῆς κτίσεως ποτήριον.* Hæc usque ad finem verborum Pauli, ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ, quæ alia *Parallelorum* Damasceni parte rursum allegata sunt, itidem descripsit modo laudatus Halloixius pag. 501, ex quo loco priorem supplevit partim, partim emendavit clariss. Grabius, ut ex sequentibus adnotationibus patebit.

(36) *Qui est creatura.* Ex Græco legendum, *qui est a creatura ;* ut mox de pane legitur.

(37) *Ἐξ οὗ τὸ ἡμέτερον δεύει αἷμα.* Hæc in priori Damasceni loco omissa, ex posteriori restituta sunt.

(38) *Qui effusus est.* Legendum ex Græco, *confessus est ;* quod etiam confirmat locus parallelus lib. IV, cap. 17, n. 5 in fine : *Eum qui ex creatura panis est, accepit, et gratias egit, dicens : Hoc est corpus meum. Et calicem similiter qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est.* Eadem fere leguntur ejusdem libri cap. 33, n. 2. Attamen cum ea verba, *qui effusus est*, incommodum hic non pariant sensum, nihil immutandum esse duxi.

(39) *Auget.* Græc., *perfundit.*

(40) *Factus.* Gallasii, Grynæi, et Feuard. editt. cum Fischero episcopo Roffensi, et Œcolampadio lib. IV *De eucharistia*, cap. 23, habent *fractus.* Sed repugnant omnes mss. codd. et textus Græcus.

(41) *Sanguinis et corporis.* Ex Græco legendum, *sanguis et corpus.*

(42) *Ἐκ τούτων δὲ αὔξει.* Ita Halloixius pag. 501, ex posteriori citatione Damasceni lit. Θ, tit. 8, melius quam pag. 488, ex priori Damasceni loco : Ἐκ τούτου τε.

(43) *Quæ est vita.* Sic recte cod. Clarom. suffragante textu Græco. Reliqui perperam, *qui est vita.*

(44) *Et membrum ejus est. Et* addidi ex Græco. Hoc enim necessarium ad complementum sensus.

(45) *Ἐν τῇ πρὸς Ἐφεσίους ἐπιστολῇ.* Hæc priori loco apud Damascenum in *Parallelis* omissa, ex posteriori citatione pag. 504 addita sunt.

(46) *Τοῦ σώματος.* Adde ex veteri versione et Biblico textu, αὐτοῦ, et in posteriori *Parallelorum* Damasceni loco expunge apud Halloixium pag. 504, καὶ τοῦ αἵματος.

(47) *Ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων.* Scienter adnotat clariss. Grabius, hæc, cum utraque citatio, et vetus etiam Irenæi interpretatio agnoscat, plurimum inde confirmari ; ideoque merito rejiciendam esse adnotationem Grotii ad Ephes. V, 30, suspicantis, verba ista, quod in ms. Alexandrino haud extent, a quopiam ad marginem ascripta, in textum apostolicum irrepsisse. Imo potius, inquit vir doctissimus, in dicto codice et versione Æthiopica, occasione recurrentis vocis αὐτοῦ, omissa videntur.

(48) *Carnes.* Græc., *carnem.*

(49) *Verum.* Deest in Eras. et Gall.

Digitized by Google

αὐτοῦ, αὔξεται. Καὶ ὄντερ τρόπον τὸ ξύλον τῆς ἀμπέλου κλιθὲν εἰς τὴν γῆν τῷ ἰδίῳ καιρῷ ἐκαρποφόρησε, καὶ ὁ κόκκος τοῦ σίτου πεσὼν εἰς τὴν γῆν, καὶ διαλυθείς, πολλοστὸς ἐγέρθη διὰ τοῦ Πνεύματος τοῦ Θεοῦ, τοῦ συνέχοντος τὰ πάντα· ἔπειτα δὲ διὰ τῆς σοφίας τοῦ Θεοῦ εἰς χρῆσιν ἐλθόντα ἀνθρώποις, καὶ προσλαμβανόμενα τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, εὐχαριστία γίνεται, ὅπερ ἐστὶ σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ· οὕτω καὶ τὰ ἡμέτερα σώματα ἐξ αὐτῆς τρεφόμενα, καὶ τεθέντα εἰς τὴν γῆν, καὶ διαλυθέντα ἐν αὐτῇ, ἀναστήσεται ἐν τῷ ἰδίῳ καιρῷ, τοῦ Λόγου τοῦ Θεοῦ τὴν ἔγερσιν αὐτοῖς χαριζομένου εἰς δόξαν Θεοῦ καὶ Πατρός (55)· ὃς ὄντως (57) τῷ θνητῷ τὴν ἀθανασίαν περιποιεῖ, καὶ τῷ φθαρτῷ τὴν ἀφθαρσίαν προχαρίζεται (58), ὅτι δύναμις τοῦ Θεοῦ ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται· ἵνα μὴ ὡς ἐξ ἡμῶν αὐτῶν ἔχοντες τὴν ζωὴν, φυσηθῶμεν καὶ ἀπαρθῶμέν (59) ποτε κατὰ τοῦ Θεοῦ, ἀχάριστον ἔννοιαν ἀναλαβόντες· πεῖρα δὲ μαθόντες, ὅτι ἐκ τῆς ἐκείνου ὑπεροχῆς, οὐκ ἐκ τῆς ἡμετέρας φύσεως, τὴν εἰς ἀεὶ παραμονὴν ἔχομεν, μήτε τῆς περὶ Θεὸν δόξης, ὡς ἔστιν, ἀστοχήσωμεν, μήτε

(50) ejus, augetur. Et quemadmodum lignum vitis depositum in terram (51) suo fructificat tempore, et granum tritici decidens in terram, et dissolutum, multiplex surgit per Spiritum Dei, qui continet omnia : quæ deinde per sapientiam (52) in usum hominis (53) veniunt, et percipientia verbum Dei eucharistia fiunt (54), quod est corpus et sanguis Christi : sic et nostra corpora ex ea nutrita, et reposita in terram, et resoluta in ea, resurgent in suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris; qui huic mortali immortalitatem circumdat, et corruptibili incorruptelam gratuito donat, quoniam virtus Dei (56) in infirmitate perficitur; ut non quasi ex nobisipsis habentes vitam, inflemur aliquando et extollamur adversus Deum, ingratam mentem accipientes; experimento autem discentes, quoniam ex illius magnitudine, et non ex nostra natura, habemus in æternum perseverantiam, neque ab ea quæ est circa Deum gloria, sicuti est, frustremur aliquando, neque nostram naturam ignoremus; sed

τὴν ἡμετέραν φύσιν ἀγνοήσωμεν· ἀλλ' ἴδωμεν, τί ὁ Θεὸς δύναται, καὶ τί ἄνθρωπος εὐεργετεῖται· καὶ μὴ σφαλῶμέν ποτε τῆς ἀληθοῦς περὶ τῶν ὄντων, ὡς ἔστιν, ὑπολήψεως, τουτέστι, Θεοῦ τε καὶ ἀνθρώπων (60). Μήτε γε, καθὼς προείπομεν, καὶ διὰ τοῦτο ἠνέσχετο ὁ Θεὸς τὴν εἰς τὴν γῆν ἡμῶν ἀνάλυσιν· ὅπως παντοίως παιδευθέντες, ἐν πᾶσιν εἰς τὸ μέλλον ὦμεν ἀκριβεῖς, μήτε Θεὸν, μήτε ἑαυτοὺς ἀγνοοῦντες;

ut sciamus et quid Deus potest, et quid homo beneficii accipit : et non erremus aliquando a vera comprehensione eorum quæ sunt, et quemadmodum sunt, id est Dei et hominis. Et nunquid forte, quemadmodum prædiximus, propter hoc passus est Deus fieri in nobis resolutionem; ut per omnia eruditi, in omnibus (61) simus diligentes, neque Deum, neque nosmetipsos ignorantes?

CAPUT III.

In infirmitate carnis humanæ elucet virtus et gloria Dei, qui corpus nostrum resurrectionis et immortalitatis particeps efficiet, cum illud ex limo terræ formaverit : ipsique ævo sempiterno frui concedet, cui exiguam et communem hanc vitam largitur.

1. Σαφέστατα δὲ Παῦλος ἀπέδειξεν, ὅτι παρεδόθη τῇ ἑαυτοῦ ἀσθενείᾳ ὁ ἄνθρωπος, ἵνα μὴ ἐπαρθεὶς ἀστοχήσῃ τῆς ἀληθείας,..... εἰπών·.....

1. Manifestissime autem Apostolus ostendit, quoniam traditus est suæ infirmitati homo, ne elatus aliquando excideret a veritate, in secunda, quæ est ad Corinthios, dicens : « Et ut sublimitate revelationum non superextollar, datus est mihi stimulus carnis, angelus Satanæ, uti me colaphizet. Et super hæc (62) ter Dominum rogavi, ut absistat a me; et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.

Ἥδιστα οὖν μᾶλλον καυχήσομαι ἐπὶ ταῖς ἀσθενείαις, ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ ἡ δύναμις τοῦ Χριστοῦ.

Libenter ergo magis (63) gloriabor in infirmitatibus (64), ut inhabitet in me virtus Christi [66]. »

Quid ergo? dicet (65) enim aliquis, voluit ergo Dominus Apostolum suum sic colaphizari, et talem sustinere infirmitatem? Etiam, dicit verbum. Virtus enim in infirmitate perficitur, meliorem efficiens hunc, qui per suam infirmitatem cognoscit

[66] II Cor. XII, 7 et seqq.

(50) *Quod est corpus.* Sic Clarom., Voss., Arund., Merc. 1, et textus Græcus. Alii, *qui est*, etc.

(51) *In terram.* Ita vetus Feuard., cod. Clarom. et Voss. juxta Græcum. Cæteri, *in terra.*

(52) *Sapientiam. Dei* adde ex Græco.

(53) *Hominis.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Cæteri, *hominibus.* In Græc., *hominum.*

(54) *Fiunt.* Ita Vatican. cod. teste L. Latinio p. 184, juxta Græcum, melius quam alii, *fiant.*

(55) *Θεοῦ καὶ Πατρός.* Καὶ nec legit vetus interpres, nec legendum videtur.

(56) *Virtus Dei.* Vocem *Dei* male omisit Feuard.

(57) *Ὄντως.* Τούτῳ legit interpres.

(58) *Προχαρίζεται.* Legendum cum interprete προῖκα χαρίζεται, jam adnotavit doctissimus Cotelerius ad tom. III *Monument. Eccles. Græcæ*, col. 643.

(59) *Ἀπαρθῶμεν.* Leg. ἐπαρθῶμεν.

(60) *Ἀνθρώπων.* Lege cum interprete ἀνθρώπου.

(61) *In omnibus. In futurum* addit textus Græcus.

(62) *Super hæc.* Sic Clarom., Voss. et Feuard. in marg. Alii cum nostris N. Testam. codd., *super hoc.*

(63) *Ergo magis.* Ita juxta Græcum ac Italicam versionem Clarom., Voss., Arund. et Feuard. in marg. Alii, *enim magis.*

(64) *Infirmitatibus. Meis*, quod additum legitur in edit. et in nostris N. Test. codd., expunxi auctoritate codd. Clarom. et Merc. quia nec in Græco Irenæi legitur.

(65) *Dicet.* Al., *dicit.*

Digitized by Google

virtutem Dei. Quemadmodum enim didicisset homo, quoniam ipse quidem infirmus et natura mortalis, Deus autem immortalis et potens, nisi id quod est in utroque, didicisset experimento? Suam enim infirmitatem discere (66) per sustinentiam, nihil est malum : magis autem et bonum est non aberrare in natura sua. Extolli autem adversus Deum, et præsumptionem suæ gloriæ assumere, ingratum reddens hominem, multum mali inferebat ei) : ut nec veritatem simul et dilectionem auferret ab eo, et eam quæ est ad eum qui fecit eum. Utrorumque autem experientia vera (67), quæ est de Deo et homine, agnitionem indidit ei; et auxit ejus erga Deum dilectionem. Ubi autem augmentum est dilectionis, ibi major gloria Dei virtute (68) perficitur his qui diligunt eum.

2. Refutant igitur potentiam Dei, et non contemplantur quod est verbum (69), qui infirmitatem intuentur carnis, virtutem autem ejus qui suscitat (70) eam a mortuis, non contemplantur.

Εἰ γὰρ τὸ θνητὸν οὐ ζωοποιεῖ, καὶ τὸ φθαρτὸν μὴ ἀνάγει εἰς ἀφθαρσίαν, οὐκ ἔστι δυνατὸς ὁ Θεός. Ἀλλ' ὅτι δυνατός ἐστιν ἐν τοῖς τοιούτοις πᾶσιν, ἐκ τῆς ἀρχῆς ἡμῶν συννοεῖν ὀφείλομεν· ὅτι λαβὼν ὁ Θεὸς χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς, ἐποίησεν ἄνθρωπον. Καίπερ πολλῷ δυσκολώτερον καὶ ἀπιστότερον ἦν, ἐκ μὴ ὄντων ὀστέων τε, καὶ νεύρων, ... καὶ τῆς λοιπῆς τῆς

Si enim mortale non vivificat, et corruptibile non revocat ad incorruptelam, jam non potens est Deus. Sed quoniam potens est in his omnibus, de initio nostro contemplari debemus : quoniam sumpsit Deus limum de terra, et formavit hominem. Et quidem multo difficilius et incredibilius est, ex non exsistentibus ossibus, et nervis, et ve-

κατὰ τὸν ἄνθρωπον οἰκονομίας, ποιῆσαι εἰς τὸ εἶναι, καὶ ἔμψυχον, καὶ λογικὸν ἀπεργάσασθαι ζῶον, ἢ τὸ γεγονὸς, ἔπειτα ἀναλυθὲν εἰς τὴν γῆν, ... αὖθις ἀποκαταστῆσαι, εἰς ἐκεῖνα χωρῆσαν, ὅθεν τὴν ἀρχὴν μηδέπω γεγονὸς ἐγεγόνει ὁ ἄνθρωπος. Ὁ γὰρ τὴν ἀρχὴν οὐκ ὄντας ποιήσας, ὁπότε ἠθελε, πολλῷ μᾶλλον τοὺς ἤδη γεγονότας αὖθις ἀποκαταστήσει θελήσας εἰς τὴν ἐπ' αὐτοῦ (71) διδομένην ζωήν. Εὑρεθήσεται δὲ καὶ δεκτικὴ ἅμα καὶ χωρητικὴ ἡ σὰρξ τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως· εἰ γὰρ τὴν ἀρχὴν (72) ἀπεδέξατο τὴν τέχνην τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸ μέν τι ἐγένετο ὀφθαλμὸς τοῦ ὁρᾷν, τὸ δὲ οὖς ἀκούειν· ..... καὶ ἄλλο ἄλλου (73). Τί γάρ; Οὐκ ἔστιν ἀριθμὸν εἰπεῖν πάσης τῆς κατὰ τὸν ἄνθρωπον μελοποιΐας, ἧτις οὐκ ἄνευ σοφίας πολλῆς ἐγένετο. Τὰ δὲ τέχνης καὶ σοφίας μετέχοντα Θεοῦ, μετέχει καὶ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. Ῥιτus transitoria; aliud vero inviscera (80) diversa; aliud sanguis, copulatio animæ et corpo-

nis, et reliqua dispositione, quæ est secundum hominem, facere ad hoc ut sit, et 296 quidem animalem et rationabilem facere hominem (74); quam quod factum est, et deinde resolutum (75) est in terram, propter causas quas prædiximus, rursus redintegrare, licet in illa cesserit, unde et initio nondum factus, factus est homo. Qui enim initio eum, qui non erat (76), fecit ut esset, quando voluit; multo magis eos, qui jam fuerunt, rursus restituet volens in eam quæ ab eo datur vitam. Invenietur autem perceptrix et capax caro virtutis Dei, quæ ab initio percepit artem Dei. Et aliud quidem factum est (77) oculus videns, aliud auris audiens (78), aliud manus palpans et operans, aliud nervi undique condensi (79) et continentes membra, aliud arteriæ et venæ, sanguinis et spi-

(66) *Discere.* Sic Clarom., Merc. 2 et Grab. Reliqui minus recte, *dicere.*

(67) *Ut nec veritatem simul et dilectionem auferret ab eo, et eam quæ est ad eum qui fecit eum. Utrorumque experientia vera*, etc. Sic vetus Feuard. codd., Claromont. et om. Anglic., cujus lectionis sensum haud intelligentes editores omnes, hanc confluxerunt : *Ut veritatem simul et dilectionem auferret ab eo eam quæ est ad Deum qui fecit eum. Utrorumque autem experientia veram.* Priorem autem, quam genuinam esse probat mss. omnium consensus, facile assequeris, si hanc jungas cum ista periodo præcedenti: *Quemadmodum enim didicisset homo.... didicisset experimento?* cætera proinde intermedia parenthesi includas. Sensus erit, hominem propriam infirmitatem, Deique potestatem expertum esse ; *ut nec veritatem simul et dilectionem auferret ab eo* (id est *a se*, sic enim ea pronomina promiscue usurpat interpres), *et eam* (scilicet *dilectionem*) *quæ est ad eum*, etc., *non auferret.* Uno verbo, id sibi vult auctor, necesse fuisse, ut homo Dei potentiam et immortalitatem, ac propriam infirmitatem experimento disceret : ut hinc suæ sortis oblitus non efferretur, illinc vero infirmitate sua depressus animum non desponderet, nec dilectionem, quam Deo et sibi debet unusquisque, utrique denegaret.

(68) *Gloria Dei virtute. Dei* construe cum *virtute.*

(69) *Verbum.* Ita Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Quod cæteri minus intelligentes commutaverunt in *verum. Verbum* autem illud ad id refertur, quod antea dixit : *Etiam, dicit verbum.* Scilicet D. Pauli sententia est, ad quam non attendere dicit eos, *qui infirmitatem intuentur carnis*, etc.

(70) *Suscitat.* In Feuard. marg. et Voss., *suscitet.*

(71) Ἐπ' αὐτοῦ. Leg. cum interprete, ἀπ' αὐτοῦ.

(72) *Εἰ γὰρ τὴν ἀρχὴν.* Leg. ἢ τὴν ἀρχήν.

(73) *Καὶ ἄλλο ἄλλου.* Hæc ostendunt Damascenum brevitati studentem plura consulto prætermisisse.

(74) *Hominem.* In Græco, *animal.*

(75) *Resolutum.* Al., *solutum.*

(76) *Eum qui non erat*, etc. Græca sonant : *eos qui non erant, fecit quando voluit.*

(77) *Factum est.* Sic Eras., Gall, Clarom., Arund., et Merc. 2. Cæteri, *factus est.* At *factum* magis placet, quia *membrum* subintelligo.

(78) *Oculus videns... auris audiens.* Græc., *oculus ad videndum... auris ad audiendum.*

(79) *Condensi.* Grab. ex Arund., *contensi.* Sed ea recentioris cujuspiam emendatio esse videtur, cui displicuit vox *condensi*, cujus tamen rectus est sensus. Nam in Græco scriptum fuisse conjicio, δασέα, *frequentes, conferti*, etc.

(80) *Inviscera.* Sic una voce scriptum videtur in Clarom. melius quam in aliis, *in viscera.* Barbara quidem est, sed barbaro interpreti condonanda.

Digitized by Google

ris. Quid enim? Nòn est numerum dicere universæ fabricationis, quæ est secundum membra hominis, quæ non alias (81) facta est, sed ex magna sapientia Dei. Quæ autem sapientiam participant Domini (82), participant et virtutem ejus.

3. Οὐκ ἄρα οὖν ἄμοιρος ἡ σὰρξ τεχνικῆς σοφίας καὶ δυνάμεως Θεοῦ. Ἀλλ' εἰ ἡ δύναμις αὐτοῦ, ἥτις ἐστὶ ζωῆς παρεκτική, ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται, τουτέστιν, ἐν σαρκί· εἰπάτωσαν ἡμῖν οἱ λέγοντες μὴ εἶναι δεκτικὴν τὴν σάρκα τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ δεδομένης ζωῆς, πότερον ζῶντες νῦν, καὶ μετέχοντες τῆς ζωῆς λέγουσι ταῦτα, ἢ τὸ καθόλου ζωῆς μετέχοντες μηδὲν, νεκροὺς δὲ αὐτοὺς τῷ παρόντι ὁμολογοῦσιν; ἀλλ' εἰ μὲν εἰσὶ νεκροὶ, πῶς καὶ κινοῦνται, καὶ λέγουσι, καὶ τὰ λοιπὰ ποιοῦσιν, ἅπερ οὐχὶ νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων ἔργα; Εἰ δὲ ζῶσι νῦν, καὶ ὅλον σῶμα αὐτῶν μετέχει τῆς ζωῆς, πῶς τολμῶσι λέγειν μὴ εἶναι τὴν σάρκα δεκτικὴν τε καὶ μετοχικὴν τῆς ζωῆς, ὁμολογοῦντες ἔχειν ζωὴν ἐν τῷ παρόντι; Ὅμοιον εἴ τις σπογγίαν ὕδατος πλήρη κρατῶν, ἢ λαμπάδα φωτὸς (86), μὴ δύνασθαι λέγει μετέχειν τοῦ ὕδατος ἐπὶ τῆς σπογγίας, μηδὲ τὴν λαμπάδα τοῦ πυρός. Τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ οὗτοι

3. Non igitur exsors est caro sapientiæ et virtutis Dei (83). Nam virtus ejus quæ vitam præstat (84), in infirmitate perficitur, id est in carne. Dicant autem nobis, qui dicunt non esse capacem carnem illius vitæ quæ datur a Deo, utrum viventes nunc, et participantes vitam dicunt hæc; an in totum vitæ quidem habentes nihil, mortuos autem semetipsos in præsenti confitebuntur? Et si quidem mortui, quomodo et moventur, et loquuntur, et reliqua faciunt, quæ non mortuorum, sed vivorum sunt opera? Si autem vivunt nunc, et totum illorum corpus participat vitæ, quomodo audent dicere non esse carnem participatricem (85) vitæ, confitentes habere se vitam in præsenti? Simile est quemadmodum si quis spongiam aquæ plenam tenens, vel faculam ignis, non posse participare aquæ dicat spongiam, neque faculam igni. Eo

ζῆν λέγοντες καὶ βαστάζειν ζωὴν ἐν τοῖς ἰδίοις μέλεσιν, ἔπειτα ἑαυτοῖς ἐναντιούμενοι, τὰ μέλη αὐτῶν ἐπιδεκτικὰ μὴ λέγουσι τῆς ζωῆς. Εἰ δὲ τὸ πρόσκαιρον τοῦ ζῆν, πολλῷ ἀσθενέστερον ἐκείνης τῆς αἰωνίας ζωῆς, ὅμως τοιοῦτον δύναται, ὥστε ζωοποιεῖν ἡμῶν τὰ θνητὰ μέλη· ἡ τούτου δραστικωτέρα αἰώνιος ζωὴ τί ὅτι οὐ ζωοποιεῖ τὴν σάρκα, τὴν ἤδη μεμελετηκυῖαν καὶ εἰθισμένην βαστάζειν τὴν ζωήν; Ὅτι γὰρ ἐπιδεκτικὴ ζωῆς ἐστιν ἡ σὰρξ, ἐκ τοῦ ζῆν δέδεικνυται· ζῇ δέ, ἐφ' ὅσον αὐτὴν ὁ Θεὸς λέγει ζῆν. Ὅτι δὲ καὶ ὁ Θεὸς δυνατὸς παρέχειν αὐτῇ τὴν ζωὴν, δῆλον. Ἐκείνου γὰρ παρέχοντος ἡμῖν τὴν ζωὴν, καὶ τοῦ Θεοῦ οὖν δυνατοῦ ὄντος ζωοποιεῖν τὸ πλάσμα τοῦ ἑαυτοῦ, καὶ τῆς σαρκὸς δυναμένης ζωοποιεῖσθαι, τί λοιπὸν τὸ κωλύον αὐτὴν μετέχειν τῆς ἀφθαρσίας, ἥτις ἐστὶ μακαρία καὶ ἀτελεύτητος ζωὴ ὑπὸ Θεοῦ δεδομένη;

modo (87) et hi vivere se dicentes, et portare vitam dicentes (88), et in suis membris exsultantes (89), postea sibimetipsis contrarii existentes, dicunt non esse membra ipsorum percapabilia (90) vitæ. Si autem hæc, quæ est temporalis vita, cum sit multo infirmior quam illa æterna vita, tamen tantum potens est, ut vivificet nostra membra mortalia; cur illa, quæ est æterna vita (91), non vivificabit eam carnem, quæ jam meditata (92) et assueta sit portare vitam? Quoniam autem participatrix vitæ sit caro, ex hoc quod vivat (93), ostenditur: **297** vivit enim, in quantum eam Deus vult vivere. Quoniam autem et Deus potens est præstare ei vitam, manifestum est. Illo enim præstante (94) vitam nobis, vivimus (95). Et Dominus itaque cum sit potens vivificare plasma suum, et caro cum possit vivificari; quid superest quod prohibeat eam percipere incorruptelam, quæ est longa (96) et sine fine a Deo attributa vita?

CAPUT IV.

Falluntur qui, præter mundi fabricatorem, alterum Deum Patrem confingunt; quem infirmum et inutilem, aut malignum et invidum esse necesse

(81) *Non alias.* Ita Feuard. in marg., Clarom. et Voss. melius quam alii, *non ex alia.* Sed ex Græco reponendum esset, *non sine magna sapientia facta est.*

(82) *Quæ autem sapientiam participant Domini.* Sic iterum Clarom. et vetus Feuard. cod. melius et Græco propius quam cæteri, *quæ autem sapientia participant Deum.* Nam Græca sonant, *quæ autem artem et sapientiam Dei participant.*

(83) *Virtutis Dei.* Vocem *Dei* ex Voss. et Arund. bene restituit Grabius.

(84) *Nam virtus ejus quæ vitam præstat.* Græc., *sed si virtus ejus, quæ vitam præstat.*

(85) *Carnem participatricem.* Græc., *carnem capacem et participatricem.*

(86) *Λαμπάδα φωτός.* Legit interpres λαμπάδα πυρός.

(87) *Eo modo.* Arund. et Grab., *eodem modo.*

(88) *Et portare vitam dicentes.* Hæc desunt in Eras. et Gall.

(89) *Et in suis membris exsultantes. Et* atque *exsultantes* non agnoscit textus Græcus, et abesse mallem a Latino.

(90) *Percapabilia.* In Arund. (quem sequi Grabio placuit) ex emendatione, ut puto, recentioris cujuspiam, *participabilia.*

(91) *Cur illa, quæ est æterna vita.* Græc., *cur ea efficacior æterna vita.*

(92) *Meditata.* I. e. *exercita, exercitata.*

(93) *Ex hoc quod vivat.* Sic cod. Clarom. et Grab., quibus quoad particulam *ex* consentiunt Arund. et Voss., quoad verbum *vivat*, Merc. 2. Cæteri, *ad hoc quod vivet.*

(94) *Ei vitam... præstante.* Septem has voces ab Eras., Gallas. et Feuard. prætermissas agnoscunt codd. Clarom., vetus Feuard. et Voss., nisi quod vitiose *rei* pro *ei* in duobus posterioribus sit scriptum.

(95) *Nobis, vivimus.* Sic vetus Feuard. cod., et Clarom. Cæteri omnes perperam, *nobis qui vivimus.* In Græco tamen verbum ζῶμεν omisit Damascenus, vel scriba.

(96) *Longa.* Græc., *felix.* Sed male legit interpres, μακρά.

Digitized by Google

est, si corporibus nostris vitam æternam præstare vel non possit, vel nolit.

1. Latent autem semetipsos (97), qui alterum affingunt Patrem, præter Demiurgum, et bonum eum vocant; infirmum, et inutilem, et negligentem inferentes eum; ut non dicamus, quoniam lividum et invidum, in eo quod dicant non vivificari ab eo nostra corpora. Cum enim dicant ea quæ omnibus sunt manifesta, quoniam perseverant immortalia, utputa spiritus et anima, et quæ sunt talia (98), quoniam vivificantur a Patre; aliud autem (99) quod non alias vivificatur, nisi illi Deus præstet, vita derelinqui (1) : aut impotentem et infirmum ostendit Patrem ipsorum, aut invidum et lividum. Demiurgo enim et hic vivificante mortalia corpora nostra, et resurrectionem eis per prophetas promittente, quemadmodum ostendimus; quis potentior, et fortior, et vere bonus (2) ostenditur? utrum Demiurgus, qui totum vivificat hominem; an falso cognominatus ipsorum Pater? Qui ea quidem (3) quæ sunt natura immortalia, quibus a sua natura adest vivere, fingit se vivificare; quibus autem opus est ab eo adjutorium ut vivant, non vivificans illa benigne (4), sed relinquens illa negligenter in mortem. Utrum ergo et his vitam Pater ipsorum, cum possit (5) præstare, non præstat, an cum non possit? Si quidem cum non possit, jam non potens est, neque perfectus super Demiurgum : Demiurgus enim præstat, quemadmodum adest videre, quod ille non potest præstare. Si autem cum possit præstare, non præstat; jam non bonus ostenditur, sed invidus et malignus Pater.

2. Si autem et causam aliquam dixerint, per quam (6) non vivificat corpora Pater ipsorum; ipsam causam majorem necesse est apparere quam Patrem, obtinentem (7) benignitatem ejus; et infirmabitur benignitas ejus, propter causam eam quæ ab ipsis dicitur. Quoniam autem possunt corpora percipere vitam, omnibus videre est. Vivunt enim in quantum ea Deus vult vivere; et jam non possunt dicere, quod minime valeant vitam capere. Si igitur propter necessitatem et causam aliam quamdam non vivificantur, quæ possunt (8) participare vitam; erit necessitati et causæ serviens Pater ipsorum, et non jam liber (9) et suæ potestatis in sententia (10).

298 CAPUT V.

Priscorum vita longæva, Eliæ et Enoch cum propriis corporibus translatio, una cum Jonæ, Ananiæ, Azariæ et Misaelis in summis periculis conservatione, evidenter ostendunt, Deum excitare posse corpora nostra ad vitam æternam.

1. Quoniam autem multo tempore perseverant (11) corpora, in quantum placuit Deo bene habere; legant Scripturas, et invenient eos qui ante nos fuerunt, septingentos, et octingentos, et nongentos annos supergressos : et consequebantur corpora ipsorum longinquitatem dierum, et participabant vitam, in quantum ea Deus vivere volebat.

..... Τί δὲ καὶ περὶ ἐκείνων (12) λέγομεν; Ὅπουγε (13) Ἐνὼχ εὐαρεστήσας τῷ Θεῷ, ἐν σώματι μετετέθη, τὴν μετάθεσιν τῶν δικαίων προμηνύων. Καὶ Ἠλίας ὡς ἦν ἐν τῇ τοῦ πλάσματος ὑποστάσει, ἀνελήφθη, τὴν ἀνάληψιν τῶν πνευματικῶν προφητεύων· καὶ οὐδὲν ἐνεπόδισεν αὐτοῖς τὸ σῶμα πρὸς τὴν μετάθεσιν καὶ ἀνάληψιν. Δι' ὧν γὰρ χειρῶν ἐπλάσθησαν τὴν ἀρχήν, διὰ τούτων τὴν μετάθεσιν καὶ ἀνάληψιν ἐλάμβανον. Εἰθισμέναι γὰρ ἦσαν ἐν τῷ Ἀδὰμ αἱ χεῖρες τοῦ Θεοῦ ῥυθμίζειν, καὶ κρατεῖν, καὶ βαστάζειν (14) τὸ ἴδιον πλάσμα,

Quid autem de illis dicamus (15)? Quandoquidem (16) Enoch placens Deo, in quo placuit corpore (17) translatus est [a], translationem justorum præmonstrans. Et Elias, sicut erat in plasmatis substantia, assumptus est [b], assumptionem patrum (18) prophetans : et nihil impediit (19) eos corpus in translationem et assumptionem (20) eorum. Per illas enim manus, per quas in initio plasmati sunt, per ipsas assumptionem et translationem acceperunt. Assuetæ enim erant in Adam manus Dei coaptare, et te-

[a] Gen v, 24. [b] IV Reg. II, 11.

(97) *Latent autem semetipsos.* Id est *fallunt autem semetipsos;* Græce, λανθάνουσι δὲ ἑαυτούς.

(98) *Sunt talia.* Al., *sunt alia.*

(99) *Aliud autem.* Al., *illud autem.*

(1) *Vita derelinqui.* Sic recte codd. Claromont. et Voss. ac Grab. Reliqui perperam, *vitam; de reliquo.*

(2) *Vere bonus. Vere melior* ponere debuisset interp.

(3) *Ea quidem.* Al., *equidem.*

(4) *Illa benigne.* Sic pro *ille benigne* reposui ex Clarom.

(5) *Cum possit... cum non possit.* Ita Clarom. Alii inverso ordine, *cum non possit... cum possit.*

(6) *Per quam.* Pro *propter quam.*

(7) *Obtinentem.* Id est *superantem;* Græce, ἐπικρατοῦντα.

(8) *Quæ possunt.* In Feuardent. marg., Claromont. et Voss., *qui possunt.*

(9) *Non jam liber.* Al., *non liber.*

(10) *In sententia.* Arund. et Grab., *in sua sententia.*

(11) *Perseverant.* Edit., *perseverabant.*

(12) *Τί δὲ καὶ περὶ ἐκείνων.* Græca hæc bis in Joan. Damasceni *Parallelis* exstant. Ea cum cod. 26 Barocc. in bibliotheca Bodleiana contulit clariss. Grab. In illo quippe, fol. 150, habetur fragmentum Irenæi ab ultimis capitis 3 verbis incipiens, et eadem hujus capitis parte cum Damasceno finiens.

(13) *Ὅπουγε.* In Damasc. *Parall.* ὅπου γάρ, vel ὁπότε.

(14) *Καὶ βαστάζειν.* Duas has voces, quæ in utraque Damasceni citatione juxta Halloixii edit. desunt, ex cod. Barocc. restituit Grabius.

(15) *Dicamus.* Al., *dicemus.*

(16) *Quandoquidem.* Al., *quoniam quidem.*

(17) *In quo placuit corpore.* In Græco simpliciter, *in corpore.*

(18) *Patrum.* In Græco non *Patrum*, sed *spiritualium* legitur.

(19) *Impediit.* Alii minus recte, *impedit.*

(20) *Translationem et assumptionem.* Sic Græcis stricte inhærentes codd. Clarom. et Voss. Cæteri, *translatione et assumptione.*

Digitized by Google

καὶ φέρειν, καὶ τιθέναι ὅπου αὗται βούλονται. Ποῦ οὖν ἐτέθη ὁ πρῶτος ἄνθρωπος; ἐν τῷ παραδείσῳ δηλονότι, καθὼς γέγραπται (21)..... ..... Καὶ ἐκεῖθεν ἐξεβλήθη εἰς τόνδε τὸν κόσμον, παρακούσας (22). Διὸ καὶ λέγουσιν οἱ πρεσβύτεροι, τῶν ἀποστόλων μαθηταί, τοὺς μετατεθέντας ἐκεῖσε μετατεθῆναι (δικαίοις γὰρ ἀνθρώποις, καὶ πνευματοφόροις ἡτοιμάσθη ὁ παράδεισος, ἐν ᾧ καὶ Παῦλος ἀπόστολος εἰσκομισθεὶς ἤκουσεν ἄῤῥητα ῥήματα, ὡς πρὸς ἡμᾶς ἐν τῷ παρόντι), κἀκεῖ μένειν τοὺς μετατεθέντας ἕως συντελείας, προοιμαζομένους τὴν ἀφθαρσίαν.

nere, et bajulare suum plasma, et ferre, et ponere ubi ipsæ vellent. Ubi ergo primus positus est homo? scilicet in paradiso, quemadmodum Scriptura dicit : « Et plantavit Deus paradisum in Eden contra orientem, et posuit ibi hominem quem plasmavit [67]. » Et inde projectus est in hunc mundum, non obediens. Quapropter dicunt presbyteri, qui sunt apostolorum discipuli, eos qui translati sunt, illuc translatos esse (justis enim hominibus, et Spiritum habentibus præparatus est paradisus, in quem et Paulus apostolus asportatus audivit sermones inenarrabiles, quantum ad nos in præsenti [68]); et ibi manere eos qui translati sunt usque ad consummationem, coauspicantes incorruptelam.

2. Εἰ δέ τις ἀδύνατον ὑπολάβοι χρόνοις τε τοσούτοις ὑπομένειν τοὺς ἀνθρώπους, καὶ τὸν Ἠλίαν μὴ ἔνσαρκον ἀναληφθῆναι, δεδαπανῆσθαι δὲ τὴν σάρκα αὐτοῦ ἐν τῷ πυρίνῳ ἅρματι· ἐννοησάτω, ὅτι Ἰωνᾶς ἐν τῷ βυθῷ ῥιφείς,..... σῶος πάλιν ἐξεπτύσθη τῇ γῇ (23), κελεύσει Θεοῦ. Ἀνανίας τε καὶ Ἀζαρίας, καὶ Μισαὴλ, εἰς κάμινον ἐμβληθέντες πυρὸς ἐπταπλασίως ἐκκαιομένης (24), οὔτε ἐβλάβησάν τι, οὔτε ὀσμὴ πυρὸς εὑρήθη ἐν αὐτοῖς. Ἡ οὖν

2. Si autem quis impossibile æstimet tantis temporibus permanere homines, et Eliam non in carne (25) assumptum, consumptam autem carnem ejus in igneo curru; intendat, quoniam Jonas quidem in profundum projectus est, et in ventrem ceti absorptus, salvus iterum exsputus est terræ jussu Dei [69]. Ananias etiam, et Azarias et Mizael missi in caminum ignis septuplum exardentem, neque nociti sunt aliquid, neque odor ignis inventus est in

A συμπαροῦσα αὐτοῖς τοῦ Θεοῦ χεὶρ, καὶ παράξοξα, καὶ ἀδύνατα τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων, εἰς αὐτοὺς ἐπιτελέσασα (27)· τί οὖν θαυμαστὸν, εἰ καὶ ἐν τοῖς μετατεθεῖσιν ἀπείργασται παράδοξον, ὑπουργοῦσα τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρός..... Οὔτε οὖν φύσις τινὸς τῶν γεγονότων, οὔτε μὴν ἀσθένεια σαρκὸς ὑπερισχύει τῆς βουλῆς τοῦ Θεοῦ (29). Οὐ γὰρ ὁ Θεὸς τοῖς γεγονόσιν, ἀλλὰ τὰ γεγονότα ὑποτέτακται τῷ Θεῷ, καὶ τὰ πάντα (30) ἐξυπηρετεῖ τῷ βουλήματι αὐτοῦ.

eis [70]. Quæ igitur adfuit illis manus Dei, et inopinata, et impossibilia naturæ hominis (26) in eis perficiens; quid mirum, si in his qui translati sunt, effecit aliquid inopinatum, deserviens voluntati Patris (28)? **299** Hic est autem Filius Dei, quemadmodum Scriptura ait dixisse Nabuchodonosor regem : « Nonne tres viros misimus in caminum? et ecce, ego video quatuor deambulantes in medio ignis, et quartus similis est Filio Dei [71]. » Neque igitur natura alicujus eorum quæ facta sunt, neque infirmitas carnis fortior erit super voluntatem Dei. Non enim Deus his quæ facta sunt, sed ea quæ facta sunt, subjecta sunt Deo : et omnia serviunt voluntati ejus.

Quapropter et Dominus ait : « Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum [72]. » Quemadmodum igitur his qui nunc sunt hominibus, ignorantibus dispositionem Dei, incredibile et impossibile videtur (31), tantos annos aliquem hominem posse vivere; et vixerunt hi qui ante nos fuerunt, et vivunt qui translati sunt, ad exemplum futuræ (32) longitudinis dierum; et de ventre ceti, et de camino ignis salvos exisse, et tamen exierunt, educti velut manu Dei, ad ostensionem virtutis ejus : sic et nunc, quamvis quidam ignorantes virtutem et promissionem Dei, contradicant suæ saluti, impossibile existimantes posse Deum suscitantem corpora in sempiternum perseverationem eis donare; non tamen incredulitas talium evacuabit (33) fidem Dei.

CAPUT VI.

Integrum et perfectum hominem, corpore et anima constantem et conjunctum, salvum faciet Deus, cum eum Verbum assumpserit, et donis Spiritus sancti ornaverit, cujus corpora nostra templa sunt et dicuntur.

1. Glorificabitur autem Deus in suo plasmate,

[67] Gen. II, 8. [68] II Cor. XII, 4. [69] Jon. I et II. [70] Dan. III, 19 et seqq. [71] Ibid., 91, 92. [72] Luc. XVIII, 27.

(21) *Γέγραπται.* Geneseos verba describere Damasceno non placuit.

(22) *Παρακούσας.* Θεῷ additum in 1 Damasc. citatione et Barocc.

(23) *Γῇ.* Hæc vox in 2 Damasc. citatione omissa est.

(24) *Ἐκκαιομένης.* Leg. cum interp. ἐκκαιομένην. At inter hanc vocem et particulam οὔτε in 1 Damasc. citatione et cod. Barocc. hæc sunt inserta : ἔμειναν ἄφθαρτοι καί, quæ vetus interpres legisse non videtur.

(25) *Non in carne.* Negationem, quæ in mss. omnibus ac Græco textu legitur, male omiserunt Gall. et Feuard.

(26) *Hominis.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Cæteri cum Græco, *hominum.*

(27) *Τῶν ἀνθρώπων εἰς αὐτοὺς ἐπιτελέσασα.* In 2 Damasc. citatione deest τῶν ἀνθρώπων, ac ἑαυτοὺς ἀπετέλεσε vitiose legitur.

(28) *Voluntati Patris.* Græc., *voluntati Dei et Patris.*

(29) *Τῆς βουλῆς τοῦ Θεοῦ.* Damasc. 2, τὴν δύναμιν καὶ τὴν βούλησιν τοῦ Θεοῦ.

(30) *Τὰ πάντα.* Damasc. 2, κατὰ πάντα.

(31) *Videtur.* Eras. et Gall., *videretur.*

(32) *Futuræ.* Deest in Eras. et Gall.

(33) *Evacuabit.* Al., *evacuavit.*

Digitized by Google

conforme illud et consequens (34) suo puero adaptans. Per manus enim Patris, id est per Filium et Spiritum fit homo secundum similitudinem Dei, sed non pars hominis. Anima autem et spiritus pars hominis esse possunt, homo autem nequaquam: perfectus autem homo, commistio et adunitio est animæ assumentis Spiritum Patris, et admista ei carni (35), quæ est plasmata secundum imaginem Dei. Propter quod et Apostolus ait: « Sapientiam loquimur inter perfectos [73]; » perfectos dicens eos qui perceperunt Spiritum Dei, et omnibus linguis loquuntur per Spiritum Dei, quemadmodum et ipse loquebatur.

Καθὼς καὶ πολλῶν (36) ἀκούομεν ἀδελφῶν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, προφητικὰ χαρίσματα ἐχόντων, καὶ παντοδαπαῖς λαλούντων διὰ τοῦ Πνεύματος γλώσσαις, καὶ τὰ κρύφια τῶν ἀνθρώπων εἰς φανερὸν ἀγόντων ἐπὶ τῷ συμφέροντι, καὶ τὰ μυστήρια τοῦ Θεοῦ ἐκδιηγουμένων·

Quemadmodum et multos audivimus fratres in Ecclesia, prophetica habentes charismata, et per Spiritum universis linguis loquentes, et absconsa hominum in manifestum producentes ad utilitatem, et mysteria Dei enarrantes,

quos et spirituales Apostolus vocat: secundum participationem Spiritus exsistentes spirituales, sed non secundum defraudationem et interceptionem carnis, et nude hoc ipsum solum (37). Si enim substantiam tollat aliquis carnis, id est plasmatis, et nude ipsum (38) solum spiritum intelligat, jam non spiritualis homo est, quod est tale, sed spiritus hominis aut Spiritus Dei. Cum autem Spiritus hic commistus animæ unitur plasmati; propter effusionem Spiritus, spiritualis et perfectus homo factus est: et hic est qui secundum imaginem et similitudinem factus est Dei. Si autem defuerit animæ Spiritus, animalis est vere, qui est talis, et carnalis derelictus imperfectus erit; imaginem quidem habens in plasmate (39), similitudinem vero non assumens per Spiritum. Sicut autem hic imperfectus est; sic iterum si quis tollat imaginem, et spernat plasma, jam non hominem intelligere potest, sed aut partem aliquam hominis, quemadmodum prædiximus, vel aliud aliquid præter hominem. Neque enim plasmatio carnis ipsa secundum se homo perfectus est; sed corpus hominis, et pars hominis. Neque enim et anima ipsa secundum se homo; sed anima hominis, et pars hominis. Neque Spiritus homo: Spiritus enim, et non homo vocatur. Commistio autem et unitio horum omnium, perfectum hominem efficit (40). Et propter hoc Apostolus seipsum exponens, explanavit perfectum et spiritualem salutis hominem (41), in prima Epistola ad **300** Thessalonicenses dicens sic (42): « Deus autem pacis sanctificet vos perfectos, et integer (42*) vester spiritus, et anima, et corpus sine querela in adventum (43) Domini Jesu Christi servetur [74]. » Et quam utique causam habebat his tribus, id est animæ, et corpori, et spiritui, integram et perfectam perseverationem precari in adventum Domini, nisi redintegrationem et adunitionem trium, et unam (44) et eamdem ipsorum scilebat salutem? Propter quod et perfectos ait eos, qui tria sine querela exhibent Domino. Perfecti igitur, qui et Spiritum in se perseverantem habuerint (45) Dei, et animas et corpora sine querela servaverint; Dei (46), id est illam quæ ad Deum est fidem servantes, et eam quæ ad proximum est justitiam custodientes.

2. Unde et templum Dei plasma esse ait: « Ne-

[73] I Cor. II, 6. [74] I Thessal. v, 23.

(34) *Consequens.* Id est *affine.*

(35) *Admista ei carni.* In Eras., Gall. et Merc. 2, *admista in carne;* sed male; nam illud *admista* refertur ad commistionem spiritus et animæ, ut paulo post explicatur.

(36) *Καθὼς καὶ πολλῶν.* Græca hæc allegavit Eusebius lib. v *Hist.*, cap. 7.

(37) *Et nude hoc ipsum solum.* Id est *et non nude secundum Spiritum solum.* Ubi adverte, interpretem attendentem ad genus Græcæ vocis πνεῦμα, scripsisse *hoc* pro *hunc.*

(38) *Nude ipsum.* Sic ex Clarom. posui pro *nude idipsum.*

(39) *Imaginem quidem habens in plasmate,* etc. Hic distinguit auctor inter imaginem et similitudinem Dei. Imaginem ponit in plasmate, similitudinem vero per Spiritum, quem Deus inspirat homini, dari dicit. Quæ et aliorum veterum sententia fuit. Clemens Alexandr. in secundo *Strom.*, pag. 180, edit. Comel., ex aliquorum sententia refert, τὸ μὲν κατ' εἰκόνα εὐθέως κατὰ τὴν γένεσιν εἰληφέναι τὸν ἄνθρωπον· τὸ καθ' ὁμοίωσιν δέ, ὕστερον κατὰ τὴν τελείωσιν μέλλειν ἀπολαμβάνειν. *Id quod est ad imaginem, statim in ipsa generatione hominem accepisse: ut autem ad similitudinem sit, postea in consummatione esse capturum.* Volunt scilicet, similitudinem perfectum esse animi corporisque statum, omnium virtutum ac bonorum possessione cumulatum, qui nos Deo quam proximos reddit. Sic passim in natura imaginem; similitudinem in virtute reponunt alii, ut Philastrius cap. 85, auctor libelli *De dignitate conditionis humanæ*, cap. 2 et 3; Paulinus Nolanus epist. 2, etc.

(40) *Perfectum hominem efficit.* In genere morali videlicet, non in naturali. Neque enim, puto, existimabit quisquam, eam esse Irenæi mentem, Spiritum sanctum, seu Spiritum Dei esse partem hominis *essentialem*, et ad naturalem ejus perfectionem requiri. Id tantum vult, hominem, ut sit perfectus in genere morali, et Christianus vere spiritalis, Spiritum sanctum in se inhabitantem habere debere; secus animalem futurum, et Christianum imperfectum. Quod sequentia satis explicant. Vide dissert. 3, § 10.

(41) *Spiritualem salutis hominem.* Ita Clarom., Ottobon., Arundel., Merc. 2 et Grab. Cæteri male, *spiritalem salutem hominis.*

(42) *Dicens sic.* Eras., Gall. et Feuard. omittunt *sic.*

(42*) *Et integer.* Sic omnes mss. juxta Græcum Apostoli textum. At Eras., Gall. et Feuard. cum Vulgata, *ut integer.*

(43) *In adventum.* Soli Merc. 2 cum Grab. habent, *in adventu;* Clarom. vero non hic modo, sed et paulo post, *adventum.*

(44) *Et unam.* Alii male omittunt *et.*

(45) *Habuerint.* Ita ex Clarom. posui pro *habent*, vel *habuerunt*, ut in aliis legitur.

(46) *Dei.* Deest in Eras., Gall. et Clarom.

Digitized by Google

scitis, dicens, quoniam templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.[75]; » manifeste corpus templum dicens, in quo habitat Spiritus. Quemadmodum et Dominus de se (47) ait: « Solvite hoc templum, et in tribus diebus suscitabo (48) illud. Hoc autem, inquit, dicebat de corpore suo [76]. » Et non tantum templum, sed et templum Christi scit corpora nostra; Corinthiis dicens sic: « Nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis [77]? » Non de alio quodam homine spiritali dicens hæc; non enim ille complectitur meretricem: sed corpus nostrum (id est caro quæ cum sanctimonia perseverat et munditia), membra dixit esse Christi; quando autem complectitur meretricem, membra fieri meretricis. Et propter hoc dixit: « Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus [78]. » Templum igitur Dei, in quo Spiritus inhabitat Patris, et membra Christi non participare salutem, sed in perditionem redigi dicere, quomodo non maximæ est blasphemiæ? Quoniam (49) autem corpora nostra, non ex sua substantia, sed ex Dei virtute suscitantur, Corinthiis dicit: « Corpus autem non fornicationi, sed Domino: et Dominus corpori. Deus autem (50) et Dominum suscitavit, et nos suscitabit per virtutem suam [79]. »

CAPUT VII.

Quia Christus in carne nostra resurrexit, consequitur nos in eadem resurrecturos; cum etiam resurrectio nobis promissa ad spiritus naturaliter immortales referri non debeat, sed ad corpora ex se mortalia.

1. Quomodo igitur Christus in carnis substantia surrexit, et ostendit discipulis figuras (51) clavorum, et apertionem lateris [80] (hæc autem sunt indicia carnis ejus, quæ resurrexit a mortuis): sic « et nos, » inquit, « suscitabit per virtutem suam [81]. » Et iterum ad Romanos ait: « Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra [82]. » Quæ sunt ergo mortalia corpora? Nunquidnam animæ? Sed incorporales (52) animæ, quantum ad comparationem mortalium corporum. « Insufflavit » enim « in faciem hominis » Deus « flatum vitæ, et factus est homo (53) in animam viventem [83]: » flatus autem vitæ incorporalis. Sed ne mortalem quidem possunt dicere (54) ipsum flatum vitæ existentem. Et propter hoc David ait: « Et anima mea illi vivet [84]; » tanquam immortali substantia (55) ejus existente. Sed neque spiritum possunt dicere mortale corpus. Quid igitur superest dicere mortale corpus, nisi plasma, id est caro, de qua et sermo est (56), quoniam vivificabit (57) eam Deus? Hæc enim est quæ moritur, et solvitur; sed non anima, neque spiritus. Mori enim est vitalem amittere habilitatem, et sine spiramine in posterum, et inanimalem, et immemorabilem (58) fieri, et deperire in illa, ex quibus et initium substantiæ habuit. Hoc autem neque animæ evenit, flatus est enim vitæ; neque spiritus, incompositus est enim et simplex spiritus, qui resolvi non potest, et ipse vita est eorum qui percipiunt illum. Superest igitur ut circa carnem mors ostendatur: quæ posteaquam exierit anima, sine spiratione et inanimal (59) efficitur, et paulatim resolvitur in terram ex qua sumpta est. Hæc igitur mortalis. Hæc autem de qua et dicit: « Vivificabit et mortalia corpora vestra [85] (60). » Et propter hoc ait de ea in prima ad Corinthios: « Sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget (61) in incorruptione, [86] (62). » Etenim « in, ait, quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur [87]. »

2. Quid est autem quod ut granum tritici seminatur, **201** et putret in terra, nisi corpora quæ in terra ponuntur, in qua et semina jactantur? Et propter hoc dixit: « Seminatur in ignobilitate, surget in gloria [88] (63). » Quid enim ignobilius carne mortua? Vel quid iterum gloriosius surgente ea, et percipiente incorruptelam? « Seminatur in infirmitate, surget in virtute [89]: » in infirmitate quidem sua, quoniam cum sit terra, in terram vadit; virtute autem Dei, qui eam suscitat a mortuis.

[75] I Cor. III, 16. [76] Joan. II, 19, 21. [77] I Cor. VI, 15. [78] I Cor. III, 17. [79] I Cor. VI, 13, 14. [80] Joan. XX, 20 et seqq. [81] I Cor. VI, 14. [82] Rom. VIII, 11. [83] Gen. II, 7. [84] Psal. XXI, 31. [85] Rom. VIII, 11. [86] I Cor. XV, 42. [87] Ibid., 36. [88] Ibid., 43. [89] Ibid.

(47) *De se.* Editt., *de eo,*

(48) *Suscitabo.* Editt. cum Merc. 2, *excitabo.*

(49) *Quoniam.* Al., *quomodo.*

(50) *Autem.* *Qui* perperam, et contra mss. omnium fidem addunt Eras., Gall. et Feuard.

(51) *Figuras.* Sic Clarom., Feuard. in marg. et Voss. In Eras. et Gall., *fixuram;* quod quidem melius, si bonorum codd. auctoritate niteretur. In cæteris, *figuram.*

(52) *Incorporales.* Ita Clarom., Ottobon., Arund. et Merc. 2, melius quam alii, *incorruptibiles.*

(53) *Factus est homo.* Vocem *homo* male et contra omnium mss. ac sacri textus fidem omittunt Eras., Gall. et Feuard.

(54) *Dicere. Hominem* post *dicere* perperam addunt Eras., Gall. et Feuard. quia in nullo nostrorum mss. exstat, et sensum pervertit.

(55) *Substantia. Una* post *substantia* merito omittunt Clarom., Voss. et Grab.

(56) *De quâ et sermo est. Ei* quod addunt editt. expunxi auctoritate veteris Feuard. cod. et Voss.

(57) *Vivificabit.* Vetus Feuard. cod., Clarom. et Voss., *vivificavit.* Sed frequens in mss. futurorum et præteritorum commutatio.

(58) *Immemorabilem.* Ita Feuard. in marg. et Voss., quod quia minus placuit cæteris recentioribus scribis, commutarunt in *immobilem.* Porro *immemorabilem fieri* dixit Irenæus, pro *ex hominum memoria deleri;* quod mortuis contigit.

(59) *Inanimal.* Sic Clarom. melius, ni fallor, quam cæteri, *inanimale.*

(60) *Vestra.* Sic Clarom., Arund. et Grab. Cæteri male *nostra.*

(61) *Surget.* Solus Arund. cum Grab. *surgit.*

(62) *In incorruptione.* Ita Clarom., Arund. et Grabius melius quam alii, *in incorruptionem.*

(63) *Surget in gloria. Surget* pro *surgit* posui ex Clarom., quia paulo post in eodem cod. et in

Digitized by Google

« Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale [60] (64). » Indubitate docuit, quoniam neque de anima, neque de spiritu sermo est ei, sed de mortificatis corporibus. Hæc sunt enim corpora animalia, id est participantia animæ; quam cum amiserint, mortificantur: deinde per Spiritum surgentia, fiunt corpora spiritualia, uti per Spiritum semper permanentem (65) habeant vitam. « Nunc enim, inquit, ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus: tunc autem facie ad faciem [61] (66). » Hoc est quod et a Petro dictum est: « Quem cum non videritis, diligitis; in quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autem exsultabitis gaudio inenarrabili [62]. » Facies enim nostra videbit faciem Dei vivi (67), et gaudebit gaudio inenarrabili; videlicet enim nunc videat gaudium.

CAPUT VIII.

Dona Spiritus sancti, quæ recipimus, præparant nos ad incorruptelam, spiritualesque reddunt, et a carnalibus discernunt: qui mundis et immundis animalibus in lege significantur.

1. Nunc autem partem aliquam a Spiritu ejus (68) sumimus, ad perfectionem et præparationem incorruptelæ, paulatim assuescentes capere et portare Deum: quod et pignus dixit Apostolus (hoc est pars (69) ejus honoris qui a Deo nobis promissus est), in Epistola quæ ad Ephesios est, dicens: « In quo et vos, audito verbo veritatis, Evangelio salutis vestræ, in quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ [63] (70). » Sic ergo (71) pignus hoc habitans in nobis jam spirituales efficit (72), et absorbetur mortale ab immortalitate: « Vos enim, ait, non estis in carne, sed in Spiritu, si quidem Spiritus Dei habitat in vobis [64]. » Hoc autem non secundum jacturam carnis, sed secundum communionem Spiritus fit. Non enim erant sine carne, quibus scribebat; sed qui assumpserant (73) Spiritum Dei, « in quo clamamus: Abba, Pater [65]. » Si igitur nunc pignus habentes clamamus, « Abba, Pater; » quid fiet quando resurgentes, facie ad faciem videbimus eum; quando omnia membra affluenter exsultationis hymnum protulerint, glorificantis eum, qui suscitaverit ea ex mortuis, et æternam vitam donaverit? Si enim pignus complectens hominem in semetipsum, jam facit dicere, « Abba, Pater, » quid faciet universa Spiritus gratia, quæ hominibus dabitur a Deo? Similes (74) nos ei efficiet, et perficiet voluntate Patris; efficiet enim hominem secundum imaginem et similitudinem Dei.

2. Qui ergo pignus Spiritus habent et non concupiscentiis carnis (75) serviunt, sed subjiciunt semetipsos Spiritui, ac rationabiliter conversantur in omnibus; juste Apostolus spirituales vocat, quoniam Spiritus Dei habitat in ipsis. Incorporales autem spiritus non erunt homines spirituales; sed substantia nostra, id est, animæ et carnis adunatio (76) assumens Spiritum Dei, spiritualem hominem perficit (77). Eos autem qui abjiciunt quidem Spiritus consilium, carnis autem voluptatibus serviunt, et irrationabiliter vivunt, et ineffrenati (79) dejiciuntur in sua desideria, quippe nullam habentes aspirationem divini Spiritus, sed porcorum et canum more vivunt; hos juste Apostolus carnales vocat, quoniam nihil aliud quam carnalia sentiunt.

Τοὺς δὲ ἀχαλιναγωγήτους (78) φησὶ, καὶ καταφερομένους εἰς τὰς ἑαυτῶν ἐπιθυμίας, μηδεμίαν ἔχοντας ἐπιθυμίαν (80) θείου Πνεύματος,..... δικαίως ὁ Ἀπόστολος σαρκικοὺς καλεῖ. . . . . .

Et prophetæ autem propter hanc eamdem causam irrationabilibus animalibus assimilant eos, propter irrationalem conversationem ipsorum, dicentes: « Equi furentes ad feminas facti sunt, unusquisque ipsorum hinniens ad uxorem proximi sui [66]. » Et rursus: « Homo cum in honore esset, assimilatus

[60] I Cor. xv, 44. [61] I Cor. xiii, 9, 12. [62] I Petr. i, 8. [63] Ephes. i, 13 et seqq. [64] Rom. viii, 9. [65] Ibid., 15. [66] Jerem. v, 8.

Feuard. marg. iterum legitur, *surget corpus spirituale.*

(64) *Surget corpus spirituale. Et* ante *surget* omisi auctoritate Clarom., Arund. et Merc. 1.

(65) *Permanentem.* Al., *manentem.*

(66) *Facie ad faciem.* Clarom. cum Vulgata Italica, *faciem ad faciem;* quod et iterum habet cap. sequenti paulo post init.

(67) *Dei vivi.* In Clarom. et Arund. *Domini*, sine *vivi.*

(68) *Partem aliquam a Spiritu ejus.* Sic cod. Clarom. In Feuardent. marg., *partem aliquam e Spiritu ejus.* In aliis, *partem aliquam Spiritus ejus.* Sed prior lectio ad Irenæi scopum magis quadrare videtur. Allegato enim Apostoli testimonio: *nunc enim ex parte cognoscimus*, etc., subnectit. *nunc autem partem aliquam*, scilicet Dei cognitionis, ejusque donorum, *a Spiritu ejus*, seu per Spiritum ejus, qui habitat in nobis, *sumimus*, etc.

(69) *Hoc est pars.* Sic omnes mss. nostri, eadem prorsus ratione atque constructione, qua sub finem cap. 6 legitur, *id est caro.* At edit: habent: *hoc est, partem.*

(70) *Νομίσμα.* Eras., Gall. et Feuard. perperam, *nostræ.*

(71) *Sic ergo.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Grab. Reliqui male, *si ergo.*

(72) *Efficit.* Al. *effecit.*

(73) *Qui assumpserant. Qui* omittitur in Arund.

(74) *Similes. Cum* huic voci præfixum in edit. Feuardent. et Oxon. omitto cum Eras., Gall., Clarom., Arund. et Merc. 2. Hinc enim clarior et melior fit sensus.

(75) *Concupiscentiis carnis.* Clarom., *concupiscentes carni.*

(76) *Adunatio.* Edit., *adunitio.*

(77) *Perficit.* Gall. et Feuard. vitiose, *perfecit.*

(78) *Τοὺς δὲ ἀχαλιναγωγήτους.* Græca hæc Irenæi verba allegavit Basilius lib. *De spiritu S.*, cap. 29, ita præfatus: Εἰρηναῖος δὲ ἐκεῖνος, ὁ ἐγγὺς τῶν ἀποστόλων γενόμενος, πῶς ἐμνήσθη τοῦ Πνεύματος ἐν τῷ πρὸς τὰς αἱρέσεις λόγῳ, ἀκούσωμεν. *Irenæus autem ille, qui vicinus fuit apostolorum temporibus, quomodo mentionem Spiritus faciat, audiamus.* Ex Basilio autem transcripsit Euthymius part. II *Panopl.*, cap. 29.

(79) *Ineffrenati.* Edit., *effrenati.*

(80) *Ἐπιθυμίαν.* Leg. cum interp. ἐπίνοιαν.

Digitized by Google

est jumentis [97]. » Hoc quia secundum suam causam assimilatur (81) jumentis, irrationabilem æmulans vitam (82). Sed et nos in consuetudine hujusmodi homines jumenta et pecora irrationabilia dicimus.

3. Prædixit autem figuraliter omnia hæc lex, de animalibus delineans hominem; quæcunque, **302** inquit (83), duplicem ungulam habent et ruminant, munda enuntians; quæcunque autem aut utrumque, vel alterum horum non habent, velut immunda segregans [98]. Qui sunt ergo mundi? Qui in Patrem et Filium per fidem iter firmiter faciunt; hæc est enim firmitas eorum, qui duplicis sunt ungulæ (84) : et eloquia Dei meditantur die ac nocte, uti operibus bonis adornentur; hæc est enim ruminantium virtus. Immunda autem, quæ neque duplicem ungulam habent, neque ruminant, hoc est, qui neque in Deum fidem habent, neque eloquia ejus meditantur ; hæc autem ethnicorum est abominatio. Quæ autem ruminant quidem, non habent autem ungulam duplicem, et ipsa immunda ; hæc Judæorum est imaginalis descriptio, qui quidem eloquia Dei in ore habent (85), stabilitatem autem radicis suæ non infigunt in Patre et in Filio : propter hoc autem et lubricum est genus ipsorum. Etenim quæ sunt unius ungulæ animalia facile labuntur; firmiora autem sunt quæ duplicem ungulam habent, succedentibus invicem ungulis fissis secundum iter, et altera ungula subbajulant (86) aliam. Immunda autem similiter, quæ duplicem quidem ungulam habent, non autem ruminant ; hæc est autem omnium videlicet hæreticorum ostensio, et eorum qui non meditantur eloquia Dei, neque operibus justitiæ adornantur, quibus et Dominus ait : « Quid mihi dicitis : Domine, Domine, et non facitis quæ dico vobis [99] ? » Qui enim sunt tales, in Patrem quidem et Filium dicunt se credere, nunquam autem meditantur eloquia Dei, quemadmodum oportet, neque justitiæ operibus sunt adornati; sed, quemadmodum prædiximus, porcorum et canum assumpserunt vitam, immunditiæ, et gulæ, et reliquæ incuriæ semetipsos tradentes. Juste igitur tales omnes, qui propter suam incredulitatem et luxuriam non adi-

piscuntur divinum Spiritum, et variis characteribus ejiciunt se vivificans Verbum (87), et in suis concupiscentiis irrationabiliter ambulant. Apostolus quidem « carnales » et « animales » vocavit [1]; prophetæ autem jumenta et feras dixerunt; consuetudo autem pecora et irrationabilia (88) interpretata est; lex autem immundos enuntiavit.

CAPUT IX.

Quomodo intelligendus sit locus Apostoli, quo hæretici abutebantur : « Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt. »

1. Hoc autem est quod et in aliis ab Apostolo dicitur : « Quoniam caro et sanguis regnum Dei hæreditare non possunt [2]. » Id est quod ab omnibus (89) hæreticis profertur in amentiam suam, ex quo et nos retardare, et ostendere (90) conantur, non salvari plasmationem Dei ; non conspicientes quia sunt tria, ex quibus, quemadmodum ostendimus, perfectus homo constat, carne, anima et spiritu : et altero quidem salvante et figurante (91), qui est spiritus; altero quod unitur et formatur, quod est caro ; id vero quod inter hæc est duo, quod est anima (92); quæ aliquando quidem subsequens spiritum, elevatur ab eo ; aliquando autem consentiens carni, decidit in terrenas concupiscentias. Quotquot ergo id quod salvat et format, et unitatem (93) non habent, hi consequenter erunt et vocabuntur caro et sanguis ; quippe qui non habent Spiritum Dei in se. Propter hoc autem et mortui tales dicti sunt a Domino : « Sinite enim, » inquit, « mortuos sepelire mortuos suos [3] ; » quoniam non habent spiritum qui vivificet (94) hominem.

2. Quotquot autem timent Deum, et credunt in adventum Filii ejus, et per fidem constituunt in cordibus suis Spiritum Dei, hi tales juste homines dicentur, et mundi, et spirituales, et viventes Deo : quia habent spiritum Patris, qui emundat hominem et sublevat in vitam Dei. Sicut enim « caro infirma, » sic « spiritus promptus » a Domino testimonium accepit [4]. Hic est potens perficere quæcunque in promptu habet. Si igitur hoc, quod est promptum spiritus, admisceat aliquis velut stimulum infirmitati carnis, necesse est omnimodo, ut id quod

[97] Psal. XLVIII, 23. [98] Levit. XI, 2 ; Deuter. XIV 3 et seqq. [99] Luc. VI, 46. [1] I Cor. II, 14; III, 1 et seqq. [2] I Cor. XV, 50. [3] Luc. IX, 60. [4] Matth. XXVI, 41.

(81) *Assimilatur.* Al., *assimilatus est.*

(82) *Æmulans vitam.* In Feuard. marg. et Voss., *hanc amans vitam.*

(83) *Quæcunque, inquit.* Ita Clarom., Voss. et Arund. Cæteri omiserunt, *inquit.* At Merc. 2 pro *inquit*, habent *enim.*

(84) *Qui duplicis sunt ungulæ.* Al., *quæ duplici sunt ungula.*

(85) *In ore habent.* Ottobon. et Merc. 2, *in ore habentes.*

(86) *Subbajulant.* Sic Clarom., Arund. et Merc. 1, Reliqui, *subbajulat.*

(87) *Se vivificans Verbum.* Sic omnes editi. cum Arundel., Ottobon. et altero Merc. cod. At vetus Feuard., cod. Clarom., Voss. et Merc. 1, *se vivificantes Verbum;* procul dubio incuria scribarum pro *se vivificantem Verbum.*

(88) *Irrationabilia.* Sic pro *irrationabiles* ex Clarom. posui.

(89) *Ab omnibus.* Sic Clarom., cæteri *ab hominibus.*

(90) *Ex quo... ostendere.* Septem has voces, expunctis *et quæ*, restituit Feuard. Nostri quoque codd. hic non sunt integri. In Arundel. enim et Merc. 2 desunt illa : *ex quo et nos retardare;* in Claromont. vero ista duntaxat, *et nos retardare;* in Voss. denique, *et ostendere.*

(91) *Et figurante.* Pro *et formante.*

(92) *Quod est anima.* Sic omnes mss. Editores vero omiserunt *quod*, haud advertentes, *id vero quod*, etc., referri ad *non conspicientes.*

(93) *Et unitatem.* Sic solus Clarom., pro quo Voss. habet *tenuitatem.* In reliquis, *in vitam.* Sed genuinam esse nostram lectionem non dubitabit quisquis ad hæc attenderit, quæ paulo ante præcedunt : *altero quod unitur et formatur, quod est caro.*

(94) *Qui vivificet.* Al., *vivificantem.*

Digitized by Google

est forte, superet infirmum, ita ut absorbeatur infirmitas carnis a fortitudine spiritus : et esse eum qui sit talis, non jam carnalem, sed spiritualem, propter spiritus communionem. Sic igitur martyres testantur (95) et contemnunt mortem, non secundum infirmitatem carnis, sed secundum quod promptus est spiritus. Infirmitas enim carnis absorpta, potentem ostendit spiritum; spiritus autem rursus absorbens infirmitatem, hæreditate possidet carnem in se : et ex utrisque factus est vivens homo; vivens quidem propter participationem spiritus, homo autem propter substantiam carnis.

A μὴ δύνασθαι τὴν σάρκα καθ' ἑαυτὴν ἐν τῷ αἵματι (4) βασιλείαν κληρονομῆσαι Θεοῦ.

sanguinem regnum Dei possidere.

4. Εἰ γὰρ δεῖ τ' ἀληθὲς εἰπεῖν, οὐ κληρονομεῖ, ἀλλὰ κληρονομεῖται ἡ σάρξ. . . . . ,

4. Si enim oportet verum dicere, non possidet, sed possidetur caro; sicut et Dominus ait : « Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram [7]; » quasi hæreditate possideatur terra in regno, unde et substantia carnis nostræ est : et ideo mundum templum esse vult (5), ut delectetur Spiritus Dei in eo, quemadmodum sponsus ad sponsam.

5. Igitur caro sine Spiritu Dei mortua est, non habens vitam, regnum Dei possidere non potest : sanguis irrationalis, velut aqua effusa in terram. Et propter hoc ait : « Qualis terrenus, tales terreni [8] (96). » Ubi autem spiritus Patris, ibi homo vivens, sanguis rationalis ad ultionem (97) a Deo custoditus, caro a spiritu possessa, oblita 303 quidem sui, qualitatem autem Spiritus assumens, conformis facta Verbo Dei (98). Et propterea ait : « Sicut portavimus imaginem ejus qui de terra est, portemus (99) et imaginem ejus qui de cœlo est [9]. » Quid est ergo terrenum? Plasma. Quid autem cœleste? Spiritus. Sicut igitur, ait, sine Spiritu cœlesti conversati sumus aliquando in vetustate carnis, non obedientes Deo : sic nunc accipientes Spiritum, in novitate vitæ ambulemus, obedientes Deo.

B . . . Ὡς οὖν ἡ νύμφη γαμῆσαι οὐ δύναται, γαμηθῆναι δὲ δύναται, ὅταν ἔλθῃ, καὶ παραλήψηται αὐτὴν ὁ νυμφίος· οὕτω καὶ ἡ σὰρξ καθ' ἑαυτὴν βασιλείαν Θεοῦ κληρονομῆσαι οὐ δύναται, κληρονομηθῆναι δὲ εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ (8) δύναται. Κληρονομεῖ γὰρ ὁ ζῶν τὰ τοῦ τετελευτηκότος· καὶ ἕτερον μέν ἐστι τὸ κληρονομεῖν, ἕτερον δὲ κληρονομεῖσθαι. Ὁ μὲν γὰρ ἀφῃρεῖται, καὶ κυριεύει, καὶ διατίθησι τὰ κληρονομούμενα, ᾗ ἂν αὐτὸς βουληθῇ· τὰ δὲ ὑποτέτακται, καὶ ὑπακούει, καὶ κυριεύεται ὑπὸ τοῦ κληρονομοῦντος. Τί οὖν ἐστι τὸ ζῶν; Τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ. Τίνα δὲ τὰ ὑπάρχοντα τοῦ τετελευτηκότος; Τὰ μέλη τοῦ ἀνθρώπου, τὰ φθειρόμενα

Sicut igitur sponsa assumere sponsum non potest, assumi autem a sponso potest, cum venerit et acceperit eam (6) sponsus : sic et caro hæc secundum seipsam, id est sola (7), regnum Dei hæreditate possidere non potest; hæreditate autem possideri in regno a Spiritu potest. Hæreditate enim possidet qui vivit ea quæ sunt mortui (9): et aliud quidem est hæreditate possidere, aliud autem hæreditate possideri. Ille enim dominatur, et præest, et disponit ea quæ hæreditate possidet, quemadmodum ipse velit; illa vero subjecta sunt, et obediunt, et dominantur ab eo, et sub dominio sunt ejus (10) qui possidet. Quid igitur est quod vivit? scilicet

Ἐπεὶ ἄνευ Πνεύματος (1) Θεοῦ σωθῆναι οὐ δυνάμεθα, προτρεπόμενος ἡμᾶς ὁ Ἀπόστολος, διὰ τῆς πίστεως, καὶ τῆς ἁγνῆς ἀναστροφῆς συντηρεῖν τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ, ἵνα μὴ ἄμοιροι (2) τοῦ Θεοῦ Πνεύματος (3) γενόμενοι ἀποτύχωμεν τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ἐβόησε

C Quoniam igitur sine Spiritu Dei salvari non possumus, adhortatur Apostolus nos, per fidem et castam conversationem conservare Spiritum Dei, ut non sine participatione sancti Spiritus facti amittamus regnum cœlorum : et clamavit, non posse carnem solam et

[7] I Cor. xv, 48. [8] Ibid., 49. [9] Matth. v, 5.

(95) *Martyres testantur.* Ludit auctor in Græcis D verbis μάρτυρες μαρτυροῦσι.

(96) *Tales terreni.* Sic Clarom. et Voss.; alii, *tales et terreni.*

(97) *Ad ultionem.* Clarom., *in ultionem.* Porro verborum sensus est : *sanguis rationalis a Deo custoditus*, ut illius effusionem ab impiis factam ulciscatur. Confer infra cap. 14, num. 1.

(98) *Facta Verbo Dei.* Eras., Gall. et Feuard. male, *facta est Verbo Dei.*

(99) *Portemus.* Sic antiqua versio Italica et plures mss. Græci, ac in primis Alexandr., in quibus legitur φορέσωμεν. At editi codd. habent φορέσομεν, *portabimus.*

(1) *Ἐπεὶ ἄνευ Πνεύματος.* Hæc e ms. cod. Clarom. Damasceni *Parallelorum* excripta Halloixius edidit in *Vita S. Irenæi.*

(2) *Ἵνα μὴ ἄμοιροι... κληρονομῆσαι.* Hæc etiam, pauculis quibusdam immutatis, allegat Basilius lib. *De Spiritu sancto*, cap. 29.

(3) *Τοῦ Θεοῦ Πνεύματος.* Basilius habet, Θείου Πνεύματος; ex quo vocem Πνεύματος a Damasceni scriba omissam, ab Irenæi interprete certissime lectam, restitui.

(4) *Ἐν τῷ αἵματι.* Legit interp. καὶ τὸ αἷμα.

(5) *Mundum templum esse vult.* Id est, vult mundam esse carnem nostram, quam templum esse Spiritus sancti dicit Apostolus.

(6) *Venerit et acceperit eam.* Claromont. et Voss., *venerit accipere eam.* Sed nihil immutare libuit, quia vulgata lectio Græco propior est.

(7) *Id est sola.* Hæc expl.cationis gratia a quopiam addita videntur.

(8) *Εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ.* Legit interp. ἐν τῇ βασιλείᾳ ὑπὸ τοῦ Πνεύματος.

(9) *Qui vivit, ea quæ sunt mortui.* Sic juxta Græcum Claromont., Arund., Merc. 2 et Grab. Cæteri male *qui vivificat ea quæ sunt mortua.*

(10) *Et dominantur ab eo, et sub dominio sunt ejus.* Recte notat clariss. Grabius, cum in Græco uni-

Digitized by Google

ἐν τῇ γῇ ταύτῃ. Ταῦτα δὲ κληρονομεῖται ὑπὸ τοῦ Πνεύματος, μεταφερόμενα εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

Spiritus Dei. Quæ sunt autem, quæ sunt mortui (11)? Scilicet membra hominis, quæ et corrumpuntur in terra. Hæc autem possidentur a Spiritu, translata in regnum cœlorum. Propter hoc autem et Christus mortuus est, uti testamentum Evangelii apertum, et universo mundo lectum, primum quidem liberos faceret servos suos; post deinde hæredes eos constitueret eorum quæ essent ejus, hæreditate possidente Spiritu, quemadmodum demonstravimus. Hæreditate enim possidet ille qui vivit, hæreditate autem acquiritur caro. Ut non, amittentes eum qui nos possidet Spiritum, amittamus vitam, adhortans nos Apostolus ad Spiritus communicationem, secundum rationem quæ prædicta sunt, dixit : « Quoniam caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt [9]. » Velut si dicat : Nolite errare; quoniam nisi Verbum Dei inhabitaverit, et Spiritus Patris fuerit in vobis, vane autem (12), et prout evenit, conversati fueritis, quasi hoc tantum (13), caro et sanguis existentes, regnum Dei possidere non poteritis.

A raverint in eo quod fuerunt ante, magis carnis esse volentes quam spiritus, justissime in ejusmodi dicitur, « quoniam caro et sanguis regnum Dei non possident [11] : » tanquam si quis dicat, quoniam oleaster non assumitur in paradisum Dei. Mirabiliter igitur Apostolus naturam ostendit nostram, et universam dispositionem Dei, in eo sermone qui est de carne, et sanguine, et oleastro. Quemadmodum enim oliva neglecta, tempore quodam (17) in desertum relicta, et silvestria fructificans, secundum se oleaster fit; vel rursum oleaster diligentiam percipiens, et inserta, in pristinam naturæ recurrit (18) fructificationem : sic et homines in negligentia constituti, et concupiscentias carnis tanquam silvestria fructificantes, secundum suam B causam infructuosi justitiæ constituuntur. In eo enim quod dormiunt (19) homines, inseminat inimicus materiam zizaniæ [10]; et propter hoc Dominus discipulis suis vigilare præcepit [12]. Et rursus qui infructuosi sunt a justitia, et velut sentibus obvoluti homines, si diligentiam percipiant; et velut insertionem accipientes verbum Dei, in pristinam veniunt hominis naturam, eam quæ secundum imaginem et similitudinem facta est (20) Dei.

304 CAPUT X.

Superiora probat similitudine ducta ab oleastro, cujus qualitas tantum, non natura per insitionem mutatur; ostendit quoque hominem sine Spiritu, nec fructus edere, nec regnum Dei possidere posse.

2. Sed quemadmodum oleaster inserta, substantiam quidem ligni non amittit, qualitatem autem fructus immutat, et aliud percipit vocabulum, jam non oleaster, sed fructifera oliva exsistens edicitur (21) : sic et homo per fidem insertus, et assumens Spiritum Dei, substantiam quidem carnis non C amittit, qualitatem autem fructus operum immutat, et aliud accipit vocabulum, significans illam quæ in melius est transmutationem; jam non caro et sanguis, sed homo spiritalis exsistens edicitur. Quemadmodum autem rursus oleaster, si non percipiat (22) insertionem, perseverat inutilis suo domino per suam silvestrem qualitatem, et quasi infructuosum lignum exciditur, et in ignem mittitur; sic et homo non assumens per fidem spiritus insertionem, perseverat hoc esse quod erat ante : caro et sanguis exsistens (23), regnum Dei hæredi-

3. Hoc ideo, uti non gratificantes carni, respuamus insertionem spiritus : « Tu autem oleaster, ait, cum esses, insertus es in bonam olivam, et socius pinguedinis olivæ factus es [9]. » Quemadmodum igitur oleaster inserta (14) si permanserit (15) in eo, quod ante fuerit, oleaster, « exciditur, et in ignem mittitur [10]; » si autem tenuerit insertionem, et transmutetur in bonam olivam, oliva fit (16) fructifera, quasi in paradiso regis plantata : sic et homines, si quilibet per fidem processerint in melius, et assumpserint Spiritum Dei, et illius fructificationem germinaverint; erunt spirituales, tanquam in paradiso Dei plantati. Si autem respuerint spiritum, et perseve-

[9] I Cor. xv, 50. [9] Rom. xi, 17, 24. [10] Matth. viii, 19. [11] I Cor. xv, 50. [12] Matth. xiii, 25. [13] Matth. xxiv 42; xxv, 13.

cum tantum verbum χωρεύεται legatur, videri sane posteriora, *et sub dominio sunt ejus*, a recentiori accessisse manu, quæ emendare voluit priora barbare prolata.

(11) *Quæ sunt autem, quæ sunt mortui?* Ita cod. Claromont. juxta Græcum. In veteri Feuard. cod. et Voss., *qui sunt autem, qui sunt mortui*. In aliis : *quæ sunt autem, quæ sunt mortua*.

(12) *Vane autem*. Supple, *si vane autem*.

(13) *Hoc tantum*. In Eras. et Gall. deest *hoc*.

(14) *Inserta*. Solus Feuard. tam hic, quam postea bis, *insertus*.

(15) *Permanserit*. Clarom., Arund. et Merc. 2, *perseveraverit*.

(16) *Oliva fit*. Ita Clarom. et Voss. In aliis desideratur *oliva*.

(17) *Tempore quodam*. Arundel. et Merc. 2, quos Grabio sequi placuit, *perperam, tempore, quoniam*.

(18) *Resurrit*. Clarom., *recumbit*.

(19) *In eo enim... dormiunt*. Al., *in eo autem... dormiant*. Sed melius scripsisset interpres : *dum enim dormiunt*.

(20) *Quæ... facta est*. Ita Clarom., cui quoad *facta est*, consentit Feuard. in marg. Cæteri minus recte: *qua... factus est*.

(21) *Edicitur*. Sic pro *et dicitur* posui ex Clarom., ex quo occasionem sumpsi idem verbum paulo post in applicatione comparationis restituendi; haud dubitans, quin *et dicitur* illuc scribæ negligentia irrepserit, pro *edicitur*, cum maxime præpositionem *e* verbis prælixam sæpe mutet in *et* : ut *et nuntiat* pro *enuntiat*.

(22) *Percipiat*. Eras., Gall. et Feuard., *participat*.

(23) *Et sanguis exsistens, regnum Dei hæreditate possidere non potest*. Sic Clarom. et vetus Feuardent. cod. Alii : *et sanguis regnum Dei non possidens*.

Digitized by Google

tate possidere non potest. Bene igitur Apostolus ait : « Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt [15]; » et : « Qui in carne sunt, Deo placere non possunt [16]; » non substantiam rejiciens carnis, sed infusionem spiritus attrahens. Et propter hoc ait : « Oportet mortale istud induere immortalitatem ; et corruptibile hoc induere incorruptelam [16]. » Et iterum ait : « Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, si quidem Spiritus Dei habitat in vobis [17]. » Manifestius autem illud adhuc ostendit, dicens : « Corpus quidem mortuum propter peccatum, spiritus autem vita (24) propter justitiam. Si autem spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis ; qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis [18]. » Et rursus in ea Epistola quæ est ad Romanos ait : « Si enim secundum carnem vivitis, incipietis mori [19](25): » non conversationem quæ est in carne repellens ab eis ; etenim ipse in carne cum esset, scribebat eis : sed concupiscentias abscindens carnis, eas quæ mortificant hominem. Et propter hoc intulit : « Si autem spiritu opera carnis mortificatis (26), vivetis. Quicunque enim ducuntur Spiritu Dei, hi sunt filii Dei [20]. »

305 CAPUT XI.

De carnalium et spiritualium operibus, ablutioneque spirituali non ad corporum substantiam, sed pristinæ vitæ conversationem referenda.

1. Et ipsas autem operas manifestavit, quas dicit carnales, quæ sint, prævidens calumniam infidelium ; et ipse semetipsum exponens, ne relinqueretur quæstio his, qui infideliter retractant (27) de eo, in ea Epistola quæ est ad Galatas, sic dicens : « Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt adulteria, fornicationes, immunditia, luxuria, idololatria, veneficia, inimicitiæ, contentiones, zeli, iræ (28), æmulationes, animositates, irritationes, dissensiones (29), hæreses, invidiæ (30), ebrietates, comessationes, et his similia ; quæ prædico vobis, quemadmodum et prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt [21]. » Manifestius prædicans his qui audiunt, quid est : « Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt. » Qui enim illa agunt, vere secundum carnem ambulantes, vivere Deo non possunt. Et iterum spiritualis actus intulit vivificantes hominem, id est insertionem spiritus, sic dicens : « Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas, fides, lenitas, continentia, castitas (31) : adversus hæc non est lex [22]. » Sicut igitur qui in melius profecerit, et fructum operatus fuerit spiritus, omnimodo salvatur propter spiritus communionem ; sic et is qui remanserit in prædictis carnis operationibus, carnalis vere deputatus, eo quod non assumat Spiritum Dei, regnum non poterit possidere cœlorum. Quemadmodum rursus ipse Apostolus testificatur : « An nescitis, dicens Corinthiis, quoniam injusti regnum Dei non hæreditabunt ? Nolite errare, ait, neque fornicarii, neque idololatræ, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc, ait, quidem fuistis ; sed ablati estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis (32) in nomine Domini Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri [23]. » Manifestissime ostendit, per quem perit homo, si perseveraverit secundum carnem vivere ; et per quæ rursus salvatur. Ea autem quæ salvant, ait esse nomen Domini nostri Jesu Christi, et Spiritum Dei nostri.

2. Quoniam igitur isthic numeravit eas, quæ sunt sine spiritu, carnis operationes, quæ sunt mortiferæ ; consequenter his quæ prædicta sunt ab eo, in fine Epistolæ ad summam exclamavit : « Sicut portavimus imaginem ejus qui de limo est (33),

[15] I Cor. xv, 50. [16] Rom. viii, 8. [16] I Cor. xv, 53. [17] Rom. viii, 9. [18] Ibid., 10 et seqq. [19] Ibid., 13. [20] Ibid., 14. [21] Gal. v, 19. [22] Ibid., 22. [23] I Cor. vi, 9 et seqq.

(24) *Spiritus autem vita.* Communis editio, ait Feuardentius, habet : *Spiritus vivit.* At Græcam Pauli lectionem sequitur Irenæus : habet enim ζωή, non ζῆ. Atque ex Latinis sic legunt, ex veteri versione Italica, Augustinus in psal. LXXV, et lib. XXIV *cont. Faustum.*, cap. 2; Ambrosiaster, Hilarius in lib. VIII *De Trinit.*; ex Græcis Athanasius in lib. *ad Serap.*, Theophylactus in *Comment.*, ut loquatur Apostolus de Spiritu sancto, qui per se vita est, eamque aliis elargitur.

(25) *Incipietis mori.* Græce, μέλλετε ἀποθνήσκειν; *futurum est ut moriamini, morituri estis.*

(26) *Mortificatis.* Ita Clarom., Arundel., Merc. 2 et Grab. Cæteri ex Vulgata Latina, *mortificaveritis.*

(27) *Retractant.* Sic Clarom., Voss., Arund. melius quam alii, *tractant.* Est autem hic idem quod (non *reluctantur*, ἀντιβάλλουσι, ut vult Grab. sed) *dubitant*, *ambigunt*, *vacillant*, *disputant.* Nam in Gloss. vet. *retractas*, διαλογίζῃ, ἀναβάλλῃ ; *retractat*, διστάζει, παραιτεῖται.

(28) *Iræ.* Sic Voss. et Grab. melius quam alii, *ira* ; nam vetus Italica, quam hic sequitur interp., habet *iræ.*

(29) *Irritationes*, *dissensiones.* Ita vetus Italica. At Clarom., *irrationales dissensiones.*

(30) *Invidiæ.* Omittuntur *homicidia*, Græce φόνοι, non modo ab Irenæo, sed et a Clemente Alexandr. lib. IV *Stromat.*, pag. 498, Cypriano, aliisque Patribus Latinis. Forte quod, ut recte conjicit clarissimus Grab., ob similitudinem vocum φθόνοι et φόνοι, altera harum in quibusdam codd. per negligentiam scribarum jam olim excidisset.

(31) *Castitas.* Hanc vocem non agnoscunt editi D. Pauli codices. At in nostro veteri Paulino codice distincte legitur, ἐγκράτεια, ἁγνεία, et in Latina ejusdem versione, *continentia castitatis.*

(32) *Sed justificati estis.* Has voces perperam et contra mss. fidem omittunt hic ac paulo post Eras. et Gall.

(33) *Ejus qui de limo est.* Ita periphrastice (Feuardent. observatio est) reddit vocem χοϊκοῦ. Quem sequitur Cyprianus lib. *De hab. virg.*, lib. II, *Ad. Jud.*, cap. 10, et lib. III, cap. 11; Tertullianus lib. *De carne Christi* legit, *de terræ limo.* Alias frequenter vocem Græcam conservat.

Digitized by Google

portemus (34) et imaginem ejus qui de cœlis est. Hoc enim dico, fratres, quoniam caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt [24]. » Hoc autem quod ait : « Sicut portavimus imaginem ejus qui de limo est ; » simile illi dicto est : « Et hæc quidem fuistis ; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. » Quando igitur portavimus imaginem ejus qui est de limo ? Scilicet quando hæ, quæ prædictæ sunt, carnis operationes perficiebantur in nobis. Quando autem iterum imaginem cœlestis ? Scilicet quando ait : « Abluti estis » credentes « in nomine Domini, » et accipientes ejus Spiritum. Abluti autem sumus non substantiam corporis, neque imaginem plasmatis, sed pristinam vanitatis conversationem. In quibus igitur periebamus membris, operantes ea quæ sunt corruptelæ ; in iisdem ipsis vivificamur, operantes ea quæ sunt spiritus.

CAPUT XII.

De differentia mortis et vitæ, afflatus vitæ et spiritus vivificantis ; et quomodo eadem substantia carnis, quæ mortua est, reviviscit.

1. Ὡς γὰρ φθορᾶς (35) ἐπιδεκτικὴ ἡ σὰρξ, οὕτω καὶ ἀφθαρσίας· καὶ ὡς θανάτου, οὕτω καὶ ζωῆς.... καὶ ἀμφότερα οὐ μένει κατὰ τὸ αὐτό, ἀλλ' ἐξωθεῖται τὸ ἕτερον ὑπὸ τοῦ ἑτέρου, καὶ παρόντος τοῦ ἑτέρου ἀναιρεῖται τὸ ἕτερον. Εἰ οὖν ὁ θάνατος ἐπικρατήσας τοῦ ἀνθρώπου ἔξωσεν αὐτοῦ τὴν ζωήν, καὶ νεκρὸν ἀπέδειξε· πολλῷ μᾶλλον ἡ ζωὴ ἐπικρατήσασα αὐτοῦ ἀπωθεῖται τὸν θάνατον, καὶ ζῶντα τὸν ἄνθρωπον καταστήσει τῷ Θεῷ· εἰ γὰρ ὁ θάνατος ἐνεκροποίησε... τὸν ἄνθρωπον, καθὼς φησιν Ἡσαΐας ὁ προφήτης· « Κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας. » Καὶ πάλιν· « Ἀφεῖλεν ὁ Θεὸς πᾶν δάκρυον ἀπὸ παντὸς προσώπου. »

1. Quemadmodum enim corruptelæ est capax caro, sic et incorruptelæ : et quemadmodum mortis, sic et vitæ. [25] Hæc autem invicem cedunt, et utraque non permanent in idipsum, sed expellitur alteram ab altero, et præsente altero, interit alterum. Si igitur mors possidens hominem expulit ab eo vitam, et mortuum ostendit ; multo magis vita possidens hominem expellit mortem, et viventem hominem **306** restituet Deo. Si enim mors mortificavit, quare vita adveniens non vivificavit (36) hominem ? quemadmodum Isaias propheta (37) ait : « Devoravit mors potens (38). » Et rursus : « Deus abstulit omnem lacrymam ab omni facie [26]. » Explosa (39) est autem pristina vita, quoniam non per spiritum, sed per afflatum fuerat data.

2. Ἕτερόν ἐστι (40) πνοὴ ζωῆς, ἡ καὶ ψυχικὸν ἀπεργαζομένη τὸν ἄνθρωπον· καὶ ἕτερον πνεῦμα ζωοποιοῦν, τὸ καὶ πνευματικὸν αὐτὸν ἀποτελοῦν. Καὶ διὰ τοῦτο Ἡσαΐας φησίν· « Οὕτω λέγει Κύριος ὁ ποιήσας τὸν οὐρανὸν, καὶ στερεώσας αὐτὸν, ὁ πήξας τὴν γῆν, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ· καὶ διδοὺς πνοὴν τῷ λαῷ τῷ ἐπ' αὐτῆς, καὶ πνεῦμα τοῖς πατοῦσιν αὐτήν· » τὴν μὲν πνοὴν παντὶ κοινῶς τῷ ἐπὶ γῆς λαῷ φήσας δεδόσθαι· τὸ δὲ πνεῦμα ἰδίως καταπατοῦσι τὰς γεώδεις ἐπιθυμίας. Διὸ καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς Ἡσαΐας διαστέλλων τὰ προειρημένα φησί· « Πνεῦμα γὰρ παρ' ἐμοῦ ἐξελεύσεται, καὶ πνοὴν πᾶσαν ἐγὼ ἐποίησα. » Τὸ πνεῦμα ἰδίως ἐπὶ τοῦ Θεοῦ τάξας τοῦ ἐκχέοντος αὐτὸ.... διὰ τῆς υἱοθεσίας ἐπὶ τὴν ἀνθρωπότητα· τὴν δὲ πνοὴν κοινῶς ἐπὶ τῆς κτίσεως, καὶ ποίημα ἀναγορεύσας αὐτήν. Ἕτερον δέ ἐστι τὸ ποιηθὲν τοῦ ποιήσαντος. Ἡ οὖν πνοὴ πρόσκαιρος, τὸ δὲ πνεῦμα ἀένναον. Καὶ ἡ μὲν πνοὴ

2. Aliud enim est afflatus vitæ, qui et animalem efficit hominem ; et aliud spiritus vivificans, qui et spiritalem efficit eum. Et propter hoc Isaias ait : « Sic dicit Dominus, qui fecit cœlum et fixit (41) illud, qui firmavit terram, et quæ in ea sunt ; et dedit afflatum populo, qui super eam est ; et spiritum his qui calcant illam [27] ; » afflatum quidem communiter omni qui super terram est populo dicens datum : spiritum autem proprie his, qui inculcant (42) terrenas concupiscentias. Propter quod rursus ipse Isaias distinguens quæ prædicta sunt, ait : « Spiritus enim a me exiet, et afflatum (43) omnem ego feci [28]. » Spiritum quidem proprie in Deo deputans, quem in novissimis temporibus effudit (44) per adoptionem filiorum in genus humanum : afflatum autem communiter in conditionem et facturam (45) ostendens illum. Aliud

[24] I Cor. xv, 49, 50. [25] Cap. XII. [26] Isa. xxv, 8. [27] Isa. xlii, 5. [28] Isa. lvii, 16.

(34) *Portemus. Ita* additum in Eras., Gallas. et Fenard. ante *portemus* omittunt Clarom., Voss., Arundel. et Merc. 1 ; omisit et Irenæus supra cap. 9.

(35) *Ὡς γὰρ φθορᾶς.* Hæc Græca usque ad ista Isaiæ verba, ἀπὸ παντὸς προσώπου, iterum ex Damasceni *Parallelis*, descripta publicavit Halloixius in *Vita Irenæi*, pag. 494.

(36) *Vivificavit.* Sic omnes mss. Editi vero, *vivificat.* Mallem *vivificabit.*

(37) *Propheta.* Hæc vox ex mss. Clarom., Voss. et Græco addita.

(38) *Potens.* Clarom., *potentes.*

(39) *Explosa.* Al., *expulsa.*

(40) *Ἕτερόν ἐστι.* Hæc usque ad οὐδέποτε καταλείπει αὐτόν, ex Catena in Genesim a Jacobo Sirmondo descripta edidit Halloixius in *Vita Irenæi*, pag. 503. Prior periodus Græce quoque eodem modo allegata est ab Augustino Steucho Eugubino in *Cosmopoia* ad cap. II Geneseos. Ista vero : τὴν μὲν πνοὴν usque ad τὰς γεώδεις ἐπιθυμίας, exstant in Catena ms. 1892, bibliothecæ Regiæ, in Isaiam.

(41) *Fixit.* Ita Claromont., Arund. et Grab., juxta Græcum στερεώσας. Reliqui, *finxit.*

(42) *Inculcant.* Si omnes mss. Id vero editores male commutarunt in *conculcant.* Nam in Gloss. vet., καταπατῶ, redditur, *inculco, proculco, conculco.*

(43) *Afflatum.* Alii, *flatum.*

(44) *Effudit.* Clarom., *effundet.*

(45) *In conditionem et facturam.* Sic recte juxta Græcum solus Clarom. Cæteri omnes perperam, *in conditione et factura.* Porro *conditio* hic, ut et alibi sæpe, accipitur pro *re creata.*

Digitized by Google

ἀκμάσασα πρὸς βραχύ, καὶ καιρῷ τινι παραμείνασα, μετὰ τοῦτο πορεύεται, ἄπνουν καταλιποῦσα ἐκεῖνο, περὶ ὃ ἦν τὸ πρότερον· τὸ δὲ (46) περιλαβὸν ἔνδοθεν καὶ ἔξωθεν τὸν ἄνθρωπον, ἅτε ἀεὶ παραμόνιμον, οὐδέποτε καταλείπει αὐτόν..... autem est quod factum est, ab eo qui fecit. Afflatus igitur temporalis; spiritus autem sempiternus. Et afflatus quidem auctus ad modicum, et tempore aliquo manens, deinde abit (47), sine spiramento relinquens illud in quo fuit ante. Spiritus autem circumdans intus et foris hominem, quippe semper perseverans, nunquam relinquens eum. « Sed non primo quod (49) spiritale est, » ait Apostolus (hoc tanquam ad nos homines dicens), « sed primo quod (50) animale, deinde quod spiritale [29] (51), » secundum rationem. Oportuerat enim (52) primo plasmari hominem, et plasmatum accipere animam; deinde sic communionem Spiritus recipere. Quapropter et « primus Adam factus est » a Domino « in animam viventem, secundus Adam (53) in spiritum vivificantem [30]. »

Ὡς οὖν (48) ὁ εἰς ψυχὴν ζῶσαν γεγονὼς, βίψας ἐπὶ τὸ χεῖρον, ἀπώλεσε τὴν ζωήν· οὕτω πάλιν ὁ αὐτὸς ἐκεῖνος ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπανελθών, καὶ προσλαβόμενος τὸ ζωοποιοῦν πνεῦμα, εὑρήσει τὴν ζωήν.

Sicut igitur qui in animam viventem factus est, divertens in pejus, perdidit vitam; sic rursus idem ipse in melius recurrens, assumens vivificantem spiritum, inveniet vitam.

3. Οὐ γὰρ ἄλλο τὸ ἀποθνῆσκον, καὶ ἄλλο τὸ ζωποιούμενον· ὡς οὐδὲ ἄλλο τὸ ἀπολωλὸς, καὶ ἄλλο τὸ ἀνευρισκόμενον, ἀλλ' ἐκεῖνο τὸ ἀπολωλὸς πρόβατον ἦλθεν ὁ Κύριος ἀναζητῶν. Τί οὖν ἦν τὸ ἀποθνῆσκον; Πάντως ἡ τῆς σαρκὸς ὑπόστασις, καὶ ἡ ἐπολαβοῦσα (56) τὴν πνοὴν τῆς ζωῆς, καὶ ἄπνους καὶ νεκρὰ γενομένη.

3. Non enim aliud est quod moritur, et aliud quod vivificatur (54); quemadmodum neque aliud quod perit, et aliud quod invenitur; sed illam ipsam quæ perierat ovem invenit (55) Dominus exquirens. Quid ergo erat quod moriebatur? Utique carnis substantia, quæ amiserat afflatum vitæ, et sine spiramento et mortua facta (57). Hanc itaque Dominus venit vivificaturus; uti quemadmodum in Adam omnes morimur, quoniam **307** animales, in Christum vivamus (58), quoniam spirituales, deponentes non plasma Dei, sed concupiscentias carnis, et assumentes Spiritum sanctum, sicut

Ταύτην οὖν ὁ Κύριος ἦλθε ζωοποιῶν· ἵνα ὡς ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκομεν, ὅτι ψυχικοὶ, ἐν τῷ Χριστῷ ζήσωμεν, ὅτι πνευματικοὶ, ἀποθέμενοι οὐ τὸ πλάσμα τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς σαρκὸς, καὶ προσλαβόντες τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον.

Apostolus in Epistola quæ est ad Colossenses ait: « Mortificate itaque membra vestra quæ sunt super terram [31]. » Quæ sunt autem hæc, ipse exposuit: « Fornicationem, immunditiam, passionem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est idololatria. » Horum depositionem Apostolus præconatur, et eos qui talia operantur (59), velut carnem et sanguinem tantum exsistentes, non posse ait regnum cœlorum possidere. Anima enim ipsorum declinans in pejus, et in terrenas concupiscentias descendens, ejusdem cujus et illa sunt, participavit appellationis: quæ deponere nos jubens, ait rursus in eadem Epistola: « Exspoliantes vos veterem hominem cum operibus ejus [32] (60). » Hoc autem dicebat, non veterem amovens plasmationem: alioquin oportebat nosmetipsos interficientes, separari ab ea quæ est isthic conversatione.

4. Sed et ipse Apostolus, ille exsistens qui in vulva plasmatus erat, et de utero exierat, scribebat nobis: « Et vivere in carne fructus operis est [33] (61); » confessus est in ea, quæ est ad Philippenses (62), Epistola dicens: « Fructus autem » operis « Spiritus, » est carnis salus. Quis enim alius apparens fructus ejus est, qui non apparet Spiritus, quam maturam efficere carnem et capacem incorruptelæ? « Si igitur vivere in carne, hic mihi fructus operis est, » non utique substantiam contemnebat carnis; in eo quod dixerat: « Spoliantes vos veterem hominem cum operibus ejus; » sed spoliationem pristinæ nostræ conversationis manifestavit, eam quæ veterascit et corrumpitur: et propter hoc intulit:

[29] I Cor. xv, 46. [30] Ibid., 45. [31] Coloss. III, 5. [32] Ibid., 9. [33] Philip. I, 22.

(46) *Τὸ δέ.* Πνεῦμα adde vel saltem subintellige, ex Latina interpretatione.

(47) *Abit.* Feuard., *abiit;* sed Eras. et Gall. pejus, *obiit.*

(48) *Ὡς οὖν.* Græca hæc iterum ex Damasceni *Parallelis* excerpta vulgavit Halloixius in *Vita Irenæi* loco ante citato.

(49) *Primo quod.* Eras. et Gall. pro *quod* habent *quidem.* Feuardentius vero utrumque retinuit.

(50) *Primo quod.* Eras., Gall. et Feuard. vitiose, *primo quidem.*

(51) *Animale... spiritale. Est* post utramque vocem expunxi auctoritate Clarom. et apostolici textus. Favent etiam quod posterius, Voss. et Merc. 2.

(52) *Oportuerat enim.* Al., *oportuerat autem.*

(53) *Secundus Adam.* Ita Clarom. juxta apost. textum. Cæteri, *secundus autem.*

(54) *Quod vivificatur.* Sic omnes mss. cum Græco textu. At Eras., Gall. et Feuard. perperam, *quo* pro *quod.*

(55) *Invenit.* Ex Græco legendum *venit.*

(56) *Ἀπολαβοῦσα.* Legendum esse ἀποβαλοῦσα satis monet tum Latina versio, tum contextus sermonis.

(57) *Et mortua facta.* Sic Claromont., Voss. et Grab. Cæteri male, *mortua facta est.*

(58) *In Christum vivamus.* Sic ex Feuard. marg. et Clarom. juxta Græcum restituo, pro *in Spiritu vivamus.*

(59) *Operantur.* Al., *perpetrant.*

(60) *Operibus ejus.* In Arund. ex Vulgata nostra versione, *actibus suis.*

(61) *Fructus operis est.* Ita Clarom., quod malim quam *fructus operis esse,* ut Feuard. et Grab. posuerunt.

(62) *In ea quæ est ad Philippenses,* etc. Memoria lapsus Irenæus Epistolam ad Philippenses citat, pro

Digitized by Google

« Et induentes novum hominem, eum qui renovatur in agnitionem (63), secundum imaginem ejus qui creavit eum [34]. » In eo ergo quod ait : « Qui renovatur in agnitionem, » demonstrabat quoniam ipse ille qui ignorantiæ (64) erat ante homo, id est ignorans Deum, per eam quæ in eum est agnitionem renovatur. Agnitio enim Dei renovat hominem. Et in eo quod dicit : « Secundum imaginem conditoris, » recapitulationem manifestavit ejus hominis, qui in initio secundum imaginem factus est Dei.

5. Quoniam autem idem ipse erat Apostolus, qui ex utero generatus fuerat, hoc est antiqua carnis substantia, ipse in ea Epistola quæ est ad Galatas, dixit : « Cum autem placuit Deo, qui me ex utero matris meæ segregavit, et vocavit per gratiam suam, revelare Filium suum in me, ut evangelizarem eum in gentibus [35] : » non alius erat qui natus fuerat ex utero, sicut prædiximus, et alius qui evangelizabat Filium Dei; sed idem ille qui ante ignorabat et persequebatur Ecclesiam, revelatione ei de cœlo facta, et colloquente cum eo Domino, quemadmodum in tertio libro ostendimus [36], evangelizabat Filium Dei Christum Jesum, qui sub Pontio Pilato crucifixus est, præterita ignorantia exterminata a posteriore agnitione : quemadmodum cæci, quos curavit Dominus, cæcitatem quidem amiserunt, perfectam autem receperunt substantiam oculorum, et iisdem ipsis quibus ante non videbant oculis, recipiebant visionem, caligine a visione (65) tantum exterminata, servata autem substantia oculorum; ut per quos non viderant oculos, per eos rursus videntes, gratias agerent ei, qui rursus visum eis redintegravit; et qui aridam curavit manum [37] (66), et omnes omnino quos curavit, non ea, quæ ab initio ex utero edita fuerant, membra mutaverunt; sed eadem ipsa salva recipiebant.

6. Fabricator enim universorum Dei Verbum, qui et ab initio plasmavit hominem, a malitia inveniens labefactatum suum plasma omni modo curavit : hoc quidem et secundum unumquodque membrum, sicut et in suo plasmate est; hoc autem (67) et in semel (68) totum sanum et integrum redintegravit hominem, perfectum eum sibi præparans ad resurrectionem. Et quam enim causam habebat carnis membra curare, et restituere in pristinum characterem si non habebant salvari, quæ ab illo curata fuerant? Si enim temporalis erat ab eo utilitas, nihil grande præstitit his qui ab eo curati sunt. Aut quomodo dicunt non esse capacem carnem vitæ, quæ est ab eo, quæ percepit curationem ab eo? Vita enim per curationem, incorruptela autem per vitam efficitur. Qui igitur curationem confert, hic et vitam; et qui vitam, hic et incorruptela circumdat plasma suum (69).

308 CAPUT XIII.

Maximum specimen resurrectionis habemus in mortuis a Christo suscitatis; cordaque nostra capacia esse vitæ æternæ eo ostenduntur, quod nunc Spiritum Dei recipiant.

1. Dicant enim nobis hi qui contraria dicunt, id est, qui contradicunt suæ saluti : summi sacerdotis (70) mortua filia, et viduæ filius qui circa portam mortuus efferebatur, et Lazarus qui in monumento quartam habebat diem [38], in quibus resurrexerint corporibus? In iisdem ipsis scilicet, in quibus et mortui fuerant. Si enim non in iisdem ipsis, videlicet nec iidem ipsi qui mortui erant, resurrexerunt. Sed enim « apprehendit (71), ait, Dominus manum mortui, et dixit ei : Juvenis, tibi dico, surge : et sedit mortuus, et jussit ei dari (72) manducare, et dedit eum matri suæ. » Et Lazarum « vocavit voce magna, dicens : Lazare, veni foras : et exivit, inquit, mortuus, colligatus pedes et manus institis [39]. » Hoc symbolum ejus hominis, qui illigatus fuerat in peccatis. Et propter hoc ait Dominus : « Solvite illum, et dimittite (73) abire. » Sicut igitur qui curati sunt, in his quæ ante passa fuerant membra, curati sunt; et mortui in iisdem surrexerunt corporibus, membris et corporibus ipsorum percipientibus curationem, et eam vitam quæ dabatur a Domino, per temporalia præformante æterna, et ostendente quoniam ipse est qui et curationem plasmati suo, et vitam præstare potest, uti ejus de resurrectione quoque credatur sermo : sic et in fine « in novissima tuba [40] » clamante Domino, resurrecturi sunt mortui, quemadmodum ipse ait : « Veniet hora, in qua omnes mortui, qui in monu-

[34] Coloss. III, 10. [35] Galat. I, 15, 16. [36] Cap. 12, n. 10 et cap. 15. [37] Luc. VI, 6 et seqq. [38] Marc. V, 22; Luc. VII, 12; Joan. XI, 39. [39] Marc. V, 41, 43; Luc. VIII, 14, 15; Joan. XI, 43, 44. [40] 1 Cor. XV, 52.

Epistola ad Galatas. Quæ enim sequuntur verba : *Fructus autem operis spiritus, est carnis salus*, licet non ipsas Apostoli voces Galat. V, 22, exhibeant, sensum tamen exprimunt, in quem easdem explicat auctor noster cap. præced., n. 1. Frustra igitur ad participium, *dicens*, revocanda esse vult Grabius, quæ paulo post sequuntur, Apostoli verba : *Si igitur vivere in carne*, etc., quæ illinc male translocata esse contendit. Neque enim ea ab illo loco amoveri sinit quod mox sequitur : *Non utique substantiam*, etc., ut alia taceam.

(63) *In agnitionem.* Sic Græca exemplaria. Sed Vulgata Latina addit, *Dei.*

(64) *Ignorantiæ.* Ita omnes mss. Sed editi. Eras., Gellas. et Feuard. perperam, *ignorans.*

(65) *Caligine a visione.* In Clarom. recentior manus scripsit, *ea igine visionis.*

(66) *Qui aridam curavit manum.* Intellige, ut recte notat Grab., *cujus arida manus curata est.*

(67) *Hoc quidem ... hoc autem.* Græco more pro, *modo quidem, modo autem.*

(68) *Et in semel.* Pro *simul;* al., *et semel.*

(69) *Incorruptela circumdat plasma suum.* Ita Clarom. ubi tamen *suo* vitiose scriptum. Cæteri, *incorruptelam circumdat plasmati suo.*

(70) *Summi sacerdotis. Archisynagogum, principem Synagogæ*, vel simpliciter *principem* dicunt evangelistæ, non summum sacerdotem.

(71) *Apprehendit.* Quæ a Christo gesta dictaque sunt, dum puellam et adolescentem suscitavit a mortuis, simul commiscet Irenæus.

(72) *Dari.* Sic Clarom. juxta edita N. Testam. exemplaria. Alii, *dare.*

(73) *Dimittite. Eum* perperam addunt Eras., Gall. et Feuard.

Digitized by Google

mentis sunt, audient vocem Filii hominis, et exient, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ : et qui mala operati sunt (74), in resurrectionem judicii [61]. »

2. Μάταιοι οὖν (75) ὄντως καὶ ἄθλιοι, οἱ τὰ οὕτως ἐκδηλα καὶ φανερὰ μὴ θέλοντες συνορᾷν, ἀλλὰ φεύγοντες τὸ φῶς τῆς ἀληθείας, οἱ κατὰ τὸν τραγικὸν Οἰδίποδα ἑαυτοὺς τυφλώττοντες. Καὶ ὥσπερ ἀπάλαιστροι προσφιλονεικοῦντες ἑτέρους, ἔν τι μέρος τοῦ σώματος ἁπρὶξ κρατήσαντες, δι' ἐκείνου, οὗ κρατοῦσι, πίπτουσι, καὶ πίπτοντες οἴονται νικᾷν, διὰ τὸ φιλεριστικῶς ἔχεσθαι ἐκείνου, οὗ τὴν ἀρχὴν ἐδράξαντο μέλους, πρὸς δὲ τὸ πεπτωκέναι καταγέλαστοι γίνονται· οὕτω γὰρ καὶ αἱρετικοὶ τό· « Σὰρξ καὶ αἷμα βασιλείαν Θεοῦ κληρονομῆσαι οὐ δύνανται, » δύο λέξεις ἅραντες ἀπὸ Παύλου, οὔτε τοῦ ἀποστόλου κατεῖδον οὔτε τὴν δύναμιν τῶν λεγομένων προερευνήσαντες, ψιλὰς δὲ ἑαυτοῖς μόνον τὰς λέξεις ἀπαρτίζοντες, περὶ αὐτὰς ἀποθνήσκουσι, τὴν ἅπασαν οἰκονομίαν, τὸ ὅσον ἐφ' ἑαυτοῖς, ἀνατρέποντες τοῦ Θεοῦ.

2. Vani igitur et vere infelices, qui sic manifesta et clara nolunt conspicere, sed fugiunt lumen veritatis, secundum tragicum Œdipodem (76) semetipsos excæcantes. Et quemadmodum in palæstra insueti concertantes aliis, unam quamlibet partem corporis totis complectentes manibus, per illud quod detinent, cadent (77), et cadentes putant se vincere, eo quod contentiose teneant illud quod primum apprehenderunt membrum, super hoc autem, quod ceciderunt, et derisui (78) habentur : sic autem et hæretici : « Caro et sanguis (79) regnum Dei possidere non possunt [62], » duas dictiones tollentes a Paulo, neque sensum Apostoli perspexerunt, neque virtutem dictionum scrutati sunt; nude autem ipsas dictiones tenentes, circa eas moriuntur, universam dispositionem Dei, quantum in ipsis est, evertentes.

3. Sic enim (80) proprie de carne hoc dictum dicent, et non de carnalibus operationibus, quemadmodum demonstravimus, ipsum sibi contraria Apostolum dicentem ostendentes (81). Ait enim statim in eadem Epistola demonstrative de carne sic dicens: « Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, aculeus tuus? Ubi est, mors, victoria tua [63]? » Hæc autem juste dicentur tunc, quando mortalis hæc et corruptibilis caro, circa quam et mors est, quæ et quodam dominio mortis pressa est, in vitam conscendens, induerit incorruptelam et immortalitatem. Tunc enim vere erit victa mors, quando ea quæ continetur ab ea caro, exierit de dominio ejus. Et rursus ad Philippenses ait : « Nostra autem conversatio in cœlis est, unde et Salvatorem exspectamus Dominum Jesum, qui transfigurabit (82) corpus humilitatis nostræ conforme corpori (83) gloriæ suæ, ita ut possit secundum operationem virtutis suæ [64] (84). » Quod igitur est humilitatis corpus, quod transfigurabit Dominus conformatum corpori gloriæ suæ? Manifestum est quoniam corpus quod est caro, quod [illegible] et humiliatur (85) cadens in terram.

Μετασχηματισμὸς (86) δὲ αὐτῆς, ὅτι· θνητὴ καὶ φθαρτὴ οὖσα, ἀθάνατος καὶ ἄφθαρτος γίνεται, οὐκ ἐξ ἰδίας ὑποστάσεως, ἀλλὰ κατὰ τὴν τοῦ Κυρίου ἐνέργειαν, τὸ δύνασθαι αὐτὸν τῷ θνητῷ τὴν ἀθανασίαν, καὶ τῷ φθαρτῷ περιποιήσασθαι τὴν ἀφθαρσίαν. Καὶ διὰ τοῦτο φησίν· « Ἵνα καταπο-

Transfiguratio autem ejus, quoniam cum sit mortalis et corruptibilis, immortalis fit et incorruptibilis; non secundum propriam substantiam, sed secundum Domini operationem, qui potest mortali immortalitatem, et corruptibili circumdare incorruptibilitatem. Et propter hoc ait

[61] Joan. v, 28, 29. [62] I Cor. xv, 50. [63] Ibid., 53. [64] Philip. III, 20, 21.

(74) *Operati sunt.* Deest in Eras., Gall. et Merc. 2.

(75) *Μάταιοι οὖν.* Hæc iterum e Damasceni *Parallelis* excerpta edidit Halloixius in *Vita Irenæi*, pag. 496.

(76) *Secundum tragicum Œdipodem*, etc. Respicit ad ea quæ de Œdipode narrat nuntius apud Sophoclem, in *Œdipode tyranno*, his verbis:

Ἀποσπάσας γὰρ εἱμάτων χρυσηλάτους
Περόνας ἀπ' αὐτῆς, αἷσιν ἐξεστέλλετο,
Ἄρας ἔπαισεν ἄρθρα τῶν αὑτοῦ κύκλων,
Αὐδῶν τοιαῦθ', ὡς οὐκέτ' οὖσ' ὄψοιτό νιν,
Οὐδ' οἳ ἔπασχεν, οὐδ' ὁποῖ' ἔδρα κακά·
Ἀλλ' ἐν σκότῳ τὸ λοιπὸν οὓς μὲν οὐκ ἔδει
Ὄψεσθ', οὓς δ' ἔχρῃζεν οὐ γνώσοιτο.

Nam cum avulsisset a vestibus aureas
Fibulas, quibus illa ornata erat,
Tollens ipse sibi oculos eruere cœpit,
Hæc dicens, se non amplius intueri illam (matrem)
[*posse*,
Neque mala sua, nec scelera quæ perpetrasset :
Sed in tenebris deinceps agentem, neque quos fas
[*non fuerat*
Visurum esse, neque quos necesse foret agnituram.

(77) *Cadent.* Editi., *caduni.*

(78) *Derisui.* In Feuard. marg. et Voss., *derisi.*

(79) *Caro et sanguis.* Supple ex Græco, *illud* (scilicet dictum), *caro et sanguis.*

(80) *Sic enim.* Ita Clarom. et Voss. melius quam cæteri, *si enim.*

(81) *Contraria ... ostendentes.* Eras., Gall. et Feuardent., *contrarium ... ostendet.*

(82) *Transfigurabit.* Sic solus Claromont. Cæteri omnes mss. cum Eras. et Gall. habent, *transfiguravit.* Jam quidem Feuard. restituerat *transfigurabit*, sed solius Apostoli auctoritate, ut ipse fatetur.

(83) *Conforme corpori.* Clarom. et Voss. cum versione Italica, *conforme corporis.* Sed cum paulo post iterum legatur in omnibus codd. *conformatum corpori*, sic et hic *corpori* legendum puto.

(84) *Ita ut possit secundum operationem virtutis suæ.* Hæc neque cum Græco Apostoli textu, neque cum Italica versione, neque cum Vulgata nostra consentiunt.

(85) *Quod et humiliatur.* Voss. et Grab., *quapropter quod.*

(86) *Μετασχηματισμός.* Hæc rursus ex Damasceni *Parallelis* edidit Halloixius in *Vita Irenæi*, pag. 495.

Digitized by Google

θῇ τὸ θνητὸν ὑπὸ τῆς ζωῆς. Ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο Θεὸς, ὁ καὶ δοὺς ἡμῖν ἀρραβῶνα τοῦ πνεύματος· » φανερώτατα περὶ τῆς σαρκὸς ταῦτα λέγων· οὔτε γὰρ ἡ ψυχὴ θνητὸν, οὔτε τὸ πνεῦμα. Καταπίνεται γὰρ τὸ θνητὸν ὑπὸ τῆς ζωῆς, ὅτι μηκέτι (88) σὰρξ νεκρὰ, ἀλλὰ ζῶσα, καὶ ἄφθαρτος μένει, ὑμνοῦσα τὸν εἰς αὐτὸ τοῦτο κατεργασάμενον ἡμᾶς Θεόν.

in secunda ad Corinthios: « Ut absorbeatur mortale a vita. Qui autem perficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus [48]; » manifestissime hoc de carne dicens: nec enim anima mortalis (86*), neque spiritus. Absorbetur autem mortale a vita (87), quando et caro jam non mortua (89), sed viva et incorrupta perseveraverit, hymnum dicens Deo, qui in hoc ipsum perficit nos. Ut ergo in hoc perficiamur, bene Corinthiis ait: « Glorificate Deum in corpore vestro [49]. » Deus incorruptibilitatis est effector.

4. Quoniam autem non de alio quodam corpore, sed de corpore carnis dicit hæc, manifeste et indubitate, et sine ulla ambiguitate Corinthiis ait: « Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut vita Jesu Christi in corpore nostro manifestetur. Semper enim qui vivimus, in mortem tradimur per Jesum, ut et vita Jesu manifestetur in carne mortali nostra [50]. » Et quoniam spiritus complectitur carnem, in eadem Epistola ait: « Quoniam estis epistola Christi, ministrata a nobis, inscripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus [51]. » Si ergo nunc corda carnalia capacia Spiritus fiunt; quid mirum si in resurrectione eam, quæ a Spiritu datur, capiunt vitam? De qua resurrectione Apostolus in ea, quæ est ad Philippenses, ait: « Conformis morti (90) ejus, si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est a mortuis [52]. » In qua igitur alia mortali carne intelligi potest vita manifestari (91), nisi in hac substantia, quæ et mortificatur propter eam, quæ est ad Deum, A confessionem? Quemadmodum ipse dixit: « Si secundum hominem cum bestiis Ephesi pugnavi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt [53]? Si enim mortui non resurgunt (92), neque Christus resurrexit; si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides vestra. Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testificamur (93), quod suscitavit Christum, quem non suscitavit. Si enim mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est fides vestra: quoniam adhuc estis in peccatis vestris. Ergo et qui dormierunt, in Christo, perierunt. Si in vita hac in Christo sperantes sumus tantum, miserabiliores omnibus sumus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit a B mortuis, primitiæ dormientium: quoniam enim per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum [54]. »

5. In his igitur omnibus, quemadmodum prædiximus, aut contraria sentientem sibimetipsi Apostolum dicent, quantum ad illud, « Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt [55]: » aut iterum malignas et extortas cogentur omnium dictorum facere expositiones, ad transvertendam et immutandam sententiam dictorum. Quid enim dicere habebunt sanum, si conabuntur aliter interpretari hoc quod scribit: « Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam, et mortale hoc induere immortalitatem [56]; » et: « Ut vita Jesu manifestetur in carne mortali nostra [57]; » et reliC qua omnia, in quibus Apostolus manifeste et claro resurrectionem et incorruptelam carnis prædicat? Cogentur itaque hæc tanta male interpretari, qui unum nolunt bene intelligere.

310 CAPUT XIV.

Nisi caro servanda esset, carnem ejusdem substantiæ cum nostra Verbum non assumpsisset; quapropter nec per ipsum essemus reconciliati.

1. Quoniam autem non adversus ipsam substantiam carnis et sanguinis dixit Apostolus, non possidere (94) regnum Dei, ubique idem Apostolus in

[48] II Cor. v, 4, 5. [49] I Cor. vi, 20. [50] II Cor. iv, 10, 11. [51] II Cor. iii, 3. [52] Philip. iii, 10, 11. [53] I Cor. xv, 32. [54] Ibid., 15 et seqq. [55] Ibid., 50. [56] Ibid., 53. [57] II Cor. iv, 11.

(86*) *Mortalis.* Ita Fenard. in marg., Clarom., Voss. et Grabius. Cæteri perperam, *immortalis.*

(87) *Absorbetur autem mortale a vita.* Sic solus Claromont. juxta Græcum. Reliqui corrupte: *absorbetur a mortali vita.*

(88) Ὅτι μηκέτι. Legit interp. ὅτε.

(89) *Jam non mortua. Jam* addo ex Claromont. suffragante Græco textu.

(90) *Conformis morti.* Hic mss. omnes corrupti sunt. In Clarom. legitur, *cui honoratus morti;* in Arund. ac Merc. 2, *cooperatus mortis;* et in Voss. *pejus, commemoratur.* Suspicio animum subit, interpretem, vel priores librarios ex vitiosa Scripturæ versione scripsisse, *cooneratus morti:* nam ita habet vetus noster San Germanensis, et Regius D. Pauli Epistolarum codex. Huic vero spuriæ versioni occasionem dedisse videtur vox συμμορφιζόμενος, quam pro συμμορφούμενος habent quidam codices, et Alexandrinus. Nam pro συμμορφιζόμενος imprudens quispiam male legens, vel scribens συμφορτιζόμενος, verterit, aut vertendi occasionem præbuerit, *cooneratus.* Quam vocem haud intelligentes (nec certe culpa eorum erat) Irenæi scribæ, tam misere deformarunt. Sic conjicio; sed quidquid sit de conjectura, vera Pauli, imo et Irenæi lectio est, *conformis,* vel *conformatus.* D

(91) *Potest vita manifestari,* etc. Hæc sequentia omnia, usque ad tertiam periodum capitis sequentis, *sed quoniam ab initio vocalis est,* supina scribæ negligentia omissa sunt in cod. Clarom.

(92) *Resurgunt. Resurgent* in Arund. et Merc. 1.

(93) *Testificamur.* Solus Arundel. quem sequitur Grab. habet, *testificati sumus;* quam quidem veram esse D. Pauli lectionem puto. Sed cum huic repugnent alia Irenæi exemplaria, *testificamur* retinendum esse duxi.

(94). *Possidere. Eam* addunt Ottob., Arund., Merc. 2 et Grab.

Digitized by Google

Domino Jesu Christo (95) usus est carnis et sanguinis nomine; aliquid quidem (96), uti hominem ejus statueret (etenim ipse (97) semetipsum Filium dicebat hominis); aliquid autem, uti salutem carnis nostræ confirmaret. Si enim non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset. Et si non haberet sanguis justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus. Sed quoniam ab initio vocalis est sanguis, Deus ad Cain dixit, cum occidisset fratrem suum : « Vox sanguinis fratris tui clamat ad me [55]. » Et quoniam haberet exquiri sanguis ipsorum, dixit ad eos qui circa Noe (98) erant : « Etenim vestrum sanguinem (99) animarum vestrarum exquiram illum de manu omnium bestiarum. » Et iterum : « Qui effundet sanguinem hominis, pro sanguine (1) ejus effundetur [56]. » Similiter autem et Dominus his, qui habebant ejus sanguinem effundere, dicebat : « Exquiretur omnis sanguis justus, qui effunditur super terram, a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare; etiam dico vobis, venient omnia ista super generationem istam [57]. » Recapitulationem effusionis sanguinis ab initio omnium justorum et prophetarum, in semetipsum futuram judicans, et exquisitionem sanguinis ipsorum per semetipsum. Non autem exquireretur hoc, nisi et salvari haberet; nec in semetipsum recapitulatus esset hæc Dominus, nisi et ipse caro et sanguis secundum principalem (2) plasmationem factus fuisset, salvans in semetipso in fine illud, quod perierat in principio in Adam.

2. Si autem ob aliam quamdam dispositionem Dominus incarnatus est, et ex altera substantia carnem attulit, non ergo in semetipsum recapitulatus est se hominem (3); adhuc etiam nec caro quidem dici potest. Caro enim vere primæ plasmationis e limo facta est successio (4). Si autem ex alia substantia habere eum oportuit materiam, ab initio ex altera substantia Pater (5) operatus fuisset fieri conspersionem ejus (6). Nunc autem quod fuit, qui perierat, homo, hoc salutare factum est Verbum; per semetipsum eam, quæ esset ad eum, communionem, et exquisitionem salutis ejus efficiens. Quod autem perierat (7), sanguinem et carnem habebat. Limum enim de terra accipiens Dominus, plasmavit hominem; et propter hunc omnis dispositio adventus Domini. Habuit ergo et ipse carnem et sanguinem; non alteram quamdam, sed illam principalem Patris plasmationem in se recapitulans, exquirens id quod perierat. Et propter hoc Apostolus in Epistola quæ est ad Colossenses ait : « Et vos cum essetis aliquando alienati, et inimici cogitationi ejus (8) in operibus malis, nunc autem reconciliati (9) in corpore carnis ejus, per mortem ejus, exhibere vos sanctos, et castos, et sine crimine (10) in conspectu ejus [58]. In corpore, ait, reconciliati carnis ejus; » hoc quoniam (11) justa caro reconciliavit eam carnem, quæ in peccato detinebatur, et in amicitiam adduxit Deo.

3. Si quis igitur secundum hoc alteram dicit Domini carnem a nostra carne, quoniam illa quidem non peccavit, neque inventus est dolus in anima ejus, nos autem peccatores, recte dicit. Si autem alteram substantiam carnis Domino affingit, jam non constabit (12) illi reconciliationis sermo. Reconciliatur enim illud, quod fuit aliquando in inimicitia (13). Si autem ex altera substantia carnem attulit Dominus, jam non illud reconciliatum est Deo,

[55] Genes. IV, 10. [56] Gen. IX, 5, 6. [57] Luc. XI, 50; Matth. XXIII, 35. [58] Coloss. I, 21, 22.

(95) *In Domino Jesu Christo.* Id est, ut recte explicat Grab., ubi *de Domino Jesu Christo verba fecit.*

(96) *Aliquid quidem .. aliquid autem.* Græco more pro, *partim quidem... partim autem.*

(97) *Ipse.* Hæc vox addita fuit ex Arund. et Merc. 2.

(98) *Circa Noe.* Arund., *in arca Noe.*

(99) *Vestrum sanguinem.* Sic Clarom. et Voss. Juxta Græcum τῶν Ο'. Cæteri omittunt *vestrum.*

(1) *Pro sanguine. Sanguis pro sanguine* est in Eras., Gall. et Feuard.; sed vocem *sanguis* merito omittunt Clarom., Voss. et Grab., quia nec in nostris τῶν Ο' editt. legitur, excepta Complutensi in qua habetur : ἀντὶ τοῦ αἵματος ἀνθρώπου, τὸ αὐτοῦ ἐκχυθήσεται. De variis hujus Scripturæ loci lectionibus consulesis doctissimum Cotelerium in notis ad lib. II *Constitut. apost.*, cap. 42.

(2) *Secundum principalem.* Non spernenda doctissimi Grabii conjectura, interpretem hic et paulo post, ἀρχαίαν, *primævam*, male vertisse, *principalem* : quippe mox mentio facta *primæ plasmationis.*

(3) *Se hominem. Se* bene addidit Feuard. ex vet. cod., suffragantibus Clarom. et Voss., perperam vero expunxit Grab., nam de humana natura, quam assumpsit Dominus, sermo est.

(4) *Facta est successio.* Ita vetus Feuardent. cod. cui consentiunt, quoad vocem *facta*, Clarom. et om. Anglic. At in editt. omnib., *fama successio.*

(5) *Ex altera substantia Pater.* Sic Clarom., Voss. et Grab. Reliqui corrupte, *ex altera substantiæ parte*, vel *partes.*

(6) *Conspersionem ejus. Conspersionem*, Græce φύραμα, pro *massa* dixit interpres; quomodo Vulgatus Bibliorum interp. eamdem Græcam vocem reddidit I Cor. VII, *ut sitis nova conspersio.*

(7) *Perierat.* Feuard. in marg. et Clarom., *peribat.*

(8) *Inimici cogitationi ejus.* Alii, *inimici cogitationis ejus.* Porro vox *ejus*, quam hic habent omnes Irenæi codd., ex versione Italica addita videtur. Nam eam vocem neque Græcus apost. textus, neque Vulgata nostra agnoscunt; et τῇ διανοίᾳ, *sensu*, non ad Deum, sed ad ipsos Colossenses referunt, ut sensus sit : *inimici sensu vestro*, seu *cogitatione in operibus malis.* Observandum tamen, quod in vetustissimo nostro cod. San-Germanensi non τῇ διανοίᾳ, ut habent omnes alii, sed τῆς διανοίας exaratum legatur.

(9) *Reconciliati.* Sic Italica versio. Nostra cum Græco *reconciliavit.*

(10) *Castos et sine crimine.* Græc., ἀμώμους καὶ ἀνεγκλήτους; quæ Vulgatus interpr. reddidit *immaculatos et irreprehensibiles.*

(11) *Hoc quoniam.* Alii, *id est, quia.*

(12) *Jam non constabit.* Feuard. in marg. et Voss., *inanis constabit.*

(13) *In inimicitia. In* addimus ex Clarom., Voss. et Merc. 2.

Digitized by Google

quod per transgressionem factum fuerat inimicum. Nunc autem per eam, quæ est ad se, communicationem, reconciliavit Dominus hominem Deo Patri; reconcilians nos sibi per corpus carnis suæ, et sanguine suo redimens nos, quemadmodum Apostolus Ephesiis ait : « In quo habuimus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum [59]. » Et rursus eisdem : « Vos, inquit, qui aliquando eratis longe, facti estis juxta, in sanguine Christi [60]. » Et iterum : « Inimicitias in carne sua, legem præceptorum decretis evacuans [61]. » Et in omni autem Epistola manifeste testificatur Apostolus, quoniam 311 per carnem Domini nostri et sanguinem ejus nos salvati sumus.

4. Si igitur caro et sanguis sunt, quæ faciunt nobis vitam, non proprie de carne dictum est et sanguine, non posse ea possidere regnum Dei; sed de prædictis carnalibus actibus, qui ad peccatum transvertentes hominem, privant eum vita. Et propter hoc in Epistola quæ est ad Romanos ait : « Non ergo regnet peccatum in corpore mortali vestro ad obediendum ei; neque exhibeatis membra vestra arma injustitiæ peccato; sed exhibete vosmetipsos Deo, velut a mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo [62]. » Quibus igitur membris serviebamus peccato, et fructificabamus morti, iisdem ipsis membris servire nos vult justitiæ, ut fructificemus vitæ [63]. Memor igitur, dilectissime, quoniam carne Domini nostri redemptus es, et sanguine ejus redhibitus, « et tenens caput, ex quo universum corpus » Ecclesiæ « compaginatum augescit [64], » hoc est, carnalem adventum Filii Dei, et Deum confitens, et hominem ejus (14) firmiter excipiens, utens etiam his ostensionibus, quæ sunt ex Scripturis, facile evertis, quemadmodum demonstravimus, omnes eas, quæ postea affictæ sunt, hæreticorum sententias.

CAPUT XV.

Testimoniis Isaiæ et Ezechielis probat resurrectionem, eumdemque Deum nos resuscitaturum esse, qui creavit.

1. Quoniam autem is qui ab initio condidit hominem, post resolutionem ejus in terram promisit ei secundam generationem, Isaias quidem sic ait : « Resurgent mortui, et surgent qui in monumentis (15), et lætabuntur qui sunt in terra. Ros enim qui a te est, sanitas est eis [65]: » Et iterum : « Ego vos advocabo, et in Jerusalem advocabimini, et vi debitis, et gratulabitur cor vestrum, et ossa vestra quasi herba orientur, et cognoscetur manus Domini his qui colunt eum [66]. » Et Ezechiel autem sic (16) : « Et facta est super me manus Domini, et eduxit (17) me in spiritu Dominus, et posuit me in medio campi, et hic erat plenus ossibus, et circumduxit me super ea in circuitum in gyro (18), et ecce multa super faciem campi arida valde. Et dixit ad me : Fili hominis, si vivunt ossa hæc? Et dixi : Domine, tu scis, qui fecisti (19) hæc. Et dixit ad me : Prophetare super ossa hæc, et dices eis : Ossa arida, audite sermonem Domini. Hæc dicit Dominus ossibus his : Ecce ego superduco super vos spiritum vitæ, et dabo super vos nervos, et reduco super vos carnem, et extendam super vos cutem, et dabo spiritum meum in vos, et vivetis, et cognoscetis quia ego sum Dominus. Et prophetavi, sicut præcepit mihi Dominus. Et factum est cum prophetarem, et ecce terræ motus, et adducebantur ossa unumquodque ad compaginem suam; et vidi, et ecce super ea (20) nervi et carnes nascebantur, et ascendebant super ea cutes desuper, et spiritus non erat in eis. Et dixit ad me : Ad spiritum propheta, fili hominis, et dic spiritui : Hæc dicit Dominus : A quatuor spiritibus veni, et insuffla in mortuos istos, et vivant. Et prophetavi, quemadmodum præcepit mihi Dominus, et intravit in eos spiritus, et vixerunt, et steterunt supra pedes suos collectio multa valde [67]. » Et rursus ipse ait : « Hæc dicit Dominus : Ecce ego aperiam monumenta vestra, et educam vos de monumentis vestris, et inducam vos in terram Israel, et cognoscetis quia ego sum Dominus, cum aperiam ego sepulcra vestra, ut reducam (21) de sepulcris populum meum, et dabo spiritum meum in vos, et vivetis, et ponam vos in terram vestram, et cognoscetis quia ego Dominus (22). Locutus sum, et faciam, dicit (23) Dominus [68]. » Demiurgo itaque et hic vivificante corpora nostra (24) mortua, quemadmodum videre adest, et resurrectionem eis repromittente, et de sepulcris et monumentis suscitationem, et incorruptelam donante : « Secundum enim lignum vitæ, ait, dies ipsorum erunt [69]; » hic solus Deus ostenditur, qui hæc facit, et ipse bonus Pater, benigne vitam donans his, qui ex se non habeant vitam.

[59] Ephes. I, 7. [60] Ibid., 11, 13. [61] Ibid., 14, 15. [62] Coloss. II, 19. [63] Isa. XXVI, 19. [64] Isa. LXVI, 13, 14. [65] Rom. VI, 12, 13. [66] Ibid., 21, 22; VII, 5, 6. [67] Ezech. XXXVII, 1 et seqq. [68] Ibid., 12 et seqq. [69] Isa. LXV, 22.

(14) *Hominem ejus.* Sic Feuard. in marg., Claromont. et Voss., melius quam alii, *hominem eum.*

(15) *Monumentis. Sunt,* quod addunt editt., expunxi auctoritate Claromont. et Voss., quia nec in LXX exprimitur, licet subintelligatur.

(16) *Ezechiel autem sic.* Editt. addunt *ait* ante *sic.*

(17) *Eduxit.* Ita cod. Voss. et Grab. juxta LXX, ἐξήγαγε. Cæteri, *duxit.*

(18) *In circuitum in gyro.* Erasm., Gallas., Arundel. et Merc., omissis *in circuitum*, habent *in gyrum.*

(19) *Qui fecisti.* Has voces non agnoscunt nostri τῶν Ο' codd.

(20) *Super ea.* Clarom., Voss. et Merc. 1, *super eam.* Sed repugnant LXX.

(21) *Ut reducam.* Ita Clarom., Arund., Merc. 2 et Grab. juxta LXX, cæteri, *et reducam.*

(22) *Quia ego Dominus.* Clarom., *quoniam ego sum Dominus.*

(23) *Dicit.* Al., *dixit.*

(24) *Corpora nostra.* Sic Clarom. et Arund.; alii, *vestra.*

Digitized by Google

2. Et propter hoc manifestissime Dominus ostendit se, et Patrem quidem suis discipulis; ne scilicet quærerent alterum Deum, præter eum qui plasmaverit hominem, et afflatum vitæ donaverit ei; neque in tantam insaniam procederent, uti super Demiurgum alterum affingerent Patrem. Et ideo reliquos quidem omnes, quibuscunque propter transgressionem eorum eveniebant languores, curabat sermone; quibus et dicebat: « Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat [76]; » manifestans quoniam propter inobedientiæ peccatum subsecuti sunt languores hominibus. Ei autem qui cæcus fuerat a nativitate, jam non per sermonem, sed per operationem præstitit visum; non vane, neque prout evenit hoc faciens, sed ut ostenderet manum Dei, eam quæ ab initio plasmavit hominem. Et propterea interrogantibus eum discipulis, qua ex causa cæcus natus esset, utrumne sua, an parentum culpa? ait: « Nec hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur (25) opera Dei in ipso [71]. » Opera autem Dei plasmatio est hominis. Hanc enim (26) per operationem (27) fecit, quemadmodum Scriptura ait: « Et sumpsit Dominus limum de terra, et plasmavit hominem [72]. » Quapropter et Dominus exspuit in terram, et **312** fecit lutum, et superlinivit illud oculis; ostendens antiquam plasmationem quemadmodum facta est, et manum Dei manifestans his qui intelligere possint (28), per quam e limo plasmatus est homo. Quod enim in ventre plasmare (29) prætermisit artifex Verbum, hoc in manifesto adimplevit; uti manifestarentur opera Dei in ipso, nec jam alteram requireremus manum, per quam plasmatus est homo, neque alterum Patrem; scientes quoniam quæ plasmavit nos initio, et plasmat in ventre manus Dei, hæc in novissimis temporibus perditos exquisivit nos, suam lucrifaciens, et super humeros assumens ovem perditam, et cum gratulatione in cohortem restituens vitæ.

3. Quoniam autem (30) in ventre plasmat nos Verbum Dei, ait Jeremiæ: « Priusquam plasmarem te in utero, novi te, et priusquam exires (31) de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus posui te [73] (32). Sed et Paulus similiter ait: « Quando autem complacuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, uti evangelizarem eum in gentibus [74]. » Cum ergo in ventre a Verbo plasmemur, idipsum Verbum ei, qui a nativitate cæcus fuerat, formavit visionem; eum, qui in abscondito plasmator noster est, in manifesto ostendens, quoniam ipsum Verbum manifestum hominibus factum fuerat; et antiquam plasmationem Adæ disserens, et quomodo factus est, et per quam plasmatus est manum, ex parte totum ostendens. Qui enim visionem formavit Dominus, hic est qui universum hominem formavit (33), voluntati Patris deserviens. Et quoniam in illa plasmatione, quæ secundum Adam fuit (34), in transgressione factus homo (35) indigebat lavacro regenerationis; postquam linivit lutum super oculos ejus, dixit ei: « Vade in Siloam, et lavare [75]; » simul et plasmationem, et eam quæ est per lavacrum regenerationem restituens ei. Et propter hoc lotus venit videns, ut et suum cognosceret plasmatorem, et disceret homo eum qui donavit ei vitam.

4. Excidunt itaque et hi qui a Valentino sunt, dicentes, non ex hac terra plasmatum esse hominem, sed a fluida materia et effusa. Ex qua enim terra Dominus (36) ei formavit oculos, ex hac manifestum est quoniam et ab initio plasmatus est homo. Non enim consequens erat, aliunde quidem oculos, aliunde autem reliquum corpus plasmatum esse: quemadmodum nec consequens est, alterum quidem corpus, alterum vero plasmasse oculos. Sed idem ipse qui ab initio plasmavit Adam, cum quo et loquebatur Pater: « Faciamus hominem secundum imaginem et similitudinem nostram [76]; » in novissimis temporibus semetipsum manifestans hominibus, ei qui ab Adam cæcus erat, formavit visionem. Et propter hoc Scriptura significans quod futurum erat, ait, abscondito Adam propter inobedientiam, Dominum venisse vespere ad eum, et evocasse eum, et dixisse ei: « Ubi es [77]? » Hoc est, quoniam in novissimis temporibus idipsum venit Verbum Dei advocare hominem, recommemorans eum (37) opera sua, in quibus degens absconditus fuerat Domino. Quemadmodum enim tunc ad Adam vespere locutus est exquirens illum Deus; sic in novissimis temporibus per eamdem vocem visitavit exquirens genus ejus.

[76] Joan. v, 14. [71] Joan. ix, 3. [72] Gen. ii, 7. [73] Jerem. i, 5. [74] Galat. i, 15, 16. [75] Joan. ix, 7. [76] Genes. i, 26. [77] Genes. iii, 9.

(25) *Manifestentur.* Eras. et Gallas., *manifestatentur.*

(26) *Hanc enim.* Scil. *plasmationem.*

(27) *Per operationem.* Sic Clarom., Voss. et Grab., cæteri male omittunt *per.*

(28) *Manifestans ... possint.* Al., *ostendens .... possunt.*

(29) *Quod enim in ventre plasmare.* Ita recte Claromont. et vet. Feuard. cod. cum edit. Oxon. In reliquis exemplaribus perperam: *quod enim in veteri plasmate*, vel, *invenit replasmare.* Nam de oculis sermo est, quibus ab utero matris orbatus fuerat cæcus natus; *quos proinde in ventre plasmare prætermiserat artifex Verbum;* quod et sequentia satis declarant.

(30) *Quoniam autem.* Al., *qui autem.*

(31) *Exires.* Editt., *progredereris.*

(32) *Posui te.* Eras., Gallas. et Feuard., *dedi te.*

(33) *Formavit.* Editt., *plasmavit.*

(34) *Secundum Adam fuit.* Ita Feuard. in marg., Clarom. et Voss.; alii male, *secundum hominem fuit.*

(35) *Factus homo.* Eras., Gallas. et Feuard. perperam, *factus est homo.*

(36) *Dominus.* Ita Clarom. et Voss. et Grab., melius quam alii, *Deus;* quia de Jesu Christo hic agitur.

(37) *Recommemorans eum.* (Id est, in mentem ei revocans.) Ita Clarom. melius quam alii, *recommemorans in eo.*

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Cum in terram corpora nostra revertantur, sequitur ea inde substantiam habere. Item Verbi adventu clarius in nobis imago Dei apparuit.

1. Et quoniam ex hac quæ secundum nos est terra, plasmatio fuit Adæ, Scriptura dicit dixisse Deum ei : « In sudore vultus tui manducabis panem tuum, quoadusque convertaris in terram, ex qua sumptus es [78]. » Si igitur in aliquam alteram terram revertuntur post mortem corpora nostra, consequens est ea inde et substantiam habere. Si vero in hanc ipsam, manifestum est, quoniam, et ex hac plasma eis factum est (38); quomodo et Dominus fecit manifestum, ex hac eadem oculos (39) formans. Et manu itaque vere liquido (40) ostensa Dei, per quam plasmatus est quidem Adam, plasmati autem sumus et nos; et cum sit unus et idem Pater, cujus vox ab initio usque ad finem adest plasmati suo; et substantia plasmatis nostri per Evangelium ostensa manifeste (41), jam non oportet quærere alium Patrem præter hunc; neque aliam substantiam plasmationis nostræ, præter prædictam et ostensam a Domino; neque alteram manum Dei præter hanc, quæ ab initio usque in finem format nos, et coaptat in vitam, et adest plasmati suo, et perficit illud secundum imaginem et similitudinem Dei (42).

2. Tunc autem hoc Verbum ostensum est, quando homo Verbum Dei factum est, semetipsum homini, et hominem sibimetipsi assimilans, ut per eam quæ est ad Filium similitudinem, **313** pretiosus homo fiat Patri.

Ἐν τοῖς πρόσθεν χρόνοις (43) ἐλέγετο μὲν κατ' εἰκόνα Θεοῦ γεγονέναι τὸν ἄνθρωπον, οὐκ ἐδείκνυτο δέ. Ἔτι γὰρ ἀόρατος ἦν ὁ Λόγος, οὗ κατ' εἰκόνα ὁ ἄνθρωπος ἐγεγόνει. Διὰ τοῦτο δὴ καὶ τὴν ὁμοίωσιν ῥᾳδίως ἀπέβαλεν. Ὅτε δὲ σὰρξ ἐγένετο ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ, τὰ ἀμφότερα ἐπεκύρωσε· καὶ γὰρ (καὶ) τὴν εἰκόνα ἔδειξεν ἀληθῶς, αὐτὸς τοῦτο γενόμενος, ὅπερ ἦν ἡ εἰκὼν αὐτοῦ· καὶ τὴν ὁμοίωσιν βεβαίως κατέστησε, συνεξομοιώσας τὸν ἄνθρωπον τῷ ἀοράτῳ Πατρί. . . . . .

In præteritis enim temporibus, dicebatur quidem secundum imaginem Dei factum esse hominem, non autem ostendebatur. Adhuc enim invisibile erat Verbum, cujus secundum imaginem homo factus fuerat (44). Propter hoc autem et similitudinem facile amisit. Quando autem caro Verbum Dei factum est, utraque confirmavit; et imaginem enim ostendit veram (45), ipse hoc fiens, quod erat imago ejus; et similitudinem firmans (46) restituit, consimilem faciens hominem invisibili Patri per visibile Verbum.

3. Et non solum autem per ea quæ prædicta sunt, et Patrem, et semetipsum manifestavit Dominus, sed etiam per ipsam passionem. Dissolvens enim eam, quæ ab initio in ligno facta fuerat, hominis inobedientiam, « obediens factus est usque ad mortem, mortem autem crucis [79]; » eam quæ in ligno facta fuerat inobedientiam, per eam quæ in ligno fuerat obedientiam sanans. Non autem per eandem venisset exsolvere eam, quæ fuerat erga plasmatorem nostrum inobedientiam, si alterum annuntiabat Patrem. Quoniam autem per hæc, per quæ non audivimus Deum (47), et non credidimus ejus verbo, per hæc eadem obedientiam introduxit, et eam quæ esset erga verbum ejus assensionem (48), per quæ (49) manifeste ipsum ostendit Deum, quem

Ἐν μὲν γὰρ τῷ πρώτῳ (50) Ἀδὰμ προσεκόψαμεν, μὴ ποιήσαντες αὐτοῦ τὴν ἐντολήν· ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ Ἀδὰμ ἀποκατηλλάγημεν, ὑπήκοοι μέχρι θανάτου γενόμενοι. Οὐδὲ γὰρ ἄλλῳ τινὶ ἤμεν ὀφειλέται, ἀλλ' ἢ ἐκείνῳ, οὗ καὶ τὴν ἐντολὴν παρέβημεν ἀπ' ἀρχῆς.

in primo quidem Adam offendimus, non facientes ejus præceptum; in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti. Neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi, cujus et præceptum transgressi fueramus ab initio.

CAPUT XVII.

Deus et Dominus, Pater et creator universorum,

[78] Genes. III, 19. [79] Philip. II.

(38) *Plasma eis factum est.* Ita Clarom.; cæteri omnes: *plasmatio ei facta est;* vitiose quidem quoad vocem *ei;* de corporibus enim, non de Adamo sermo est.

(39) *Oculos. Ei* perperam additum a Feuardent. expunxi auctoritate Eras., Gallas., Clarom., Arund. et Merc. 2.

(40) *Vere liquido.* Sic Claromont., Voss. et Grab. Cætera exemplaria corrupta sunt : nam pro *vere liquido* Eras. et Gallas. editt. habent, *reliqua;* Merc. 2 codd., *reliqua vel;* ms. Arund., *reliqua vere;* denique Feuard. edit., *reliqua vere aliquando.*

(41) *Substantia ... ostensa manifeste.* Sic iterum Clarom. In Voss. et Grab., *substantia ... ostensa est manifeste:* ubi male additum verbum *est.* Cæteri pejus, *substantiam ... ostendens manifeste.*

(42) *Similitudinem Dei.* Eras., Gallas. et Feuard. vitiose, et repugnantibus omnibus fere mss., *similitudinem suam Dei.*

(43) *Ἐν τοῖς πρόσθεν χρόνοις.* Hæc ex Damasceni *Parallelis* vulgavit Halloixius in *Vita Irenæi,* pag. 480.

(44) *Factus fuerat. Factus* deest in Eras. et Gallas.

(45) *Veram.* In Græco *vere.*

(46) *Firmans.* Græc., *firmiter.*

(47) *Audivimus Deum.* Sic vetus Feuard.cod., Voss. et Claromont.; cæteri, *obedivimus Deo.*

(48) *Assensionem.* Eras., Gallas., Feuard., Arundel. et Merc. 2 perperam, *ostensionem.*

(49) *Per quæ.* Feuard. in marg. et Voss., *per quem.* Mallem *perquam,* una voce. At *per quæ,* saltem accipias necesse est pro *per hæc,* ne suspensus maneat sensus.

(50) *Ἐν μὲν γὰρ τῷ πρώτῳ.* Ultima hujus et prima sequentis capitis verba iterum e Damasceni *Parallelis* eruit modo laudatus Halloixius.

Digitized by Google

unicus et solus est, qui nos in Christo dilexit, præcepta dedit, et remisit nobis peccata; cujus Filium et Verbum sese Christus probavit, cum peccata condonaret.

1. Ἔστι δὲ οὗτος ὁ Δημιουργὸς, ὁ κατὰ μὲν τὴν ἀγάπην Πατὴρ, κατὰ δὲ τὴν δύναμιν Κύριος, κατὰ δὲ τὴν σοφίαν ποιητὴς καὶ πλάστης ἡμῶν.

1. Est autem hic Demiurgus, qui secundùm dilectionem quidem, Pater est; secundum autem virtutem, Dominus; secundum autem sapientiam, factor et plasmator noster: cujus et præceptum transgredientes, inimici facti sumus ejus. Et propter hoc in novissimis temporibus, in amicitiam restituit nos Dominus per suam incarnationem, « mediator Dei et hominum [80] » factus; propitians quidem pro nobis Patrem, in quem peccaveramus, et nostram inobedientiam per suam obedientiam consolatus; nobis autem donans eam, quæ est ad factorem nostrum, conversationem et subjectionem. Quapropter et in oratione dicere nos docuit: « Et remitte nobis debita nostra [81]; » utique quoniam hic est Pater noster, cujus eramus debitores, transgressi ejus præceptum. Quis autem est hic? Utrumne incognitus aliquis, et nulli nunquam (51) præceptum dans Pater? An vero qui a Scripturis prædicatur Deus, cui et debitores eramus, transgressi ejus præceptum? Datum est autem præceptum homini per Verbum: « Audivit enim Adam, ait, vocem Domini Dei [82]. » Bene igitur Verbum ejus ad hominem dicit: « Remittuntur tibi peccata [83]; » idem ille, in quem peccaveramus in initio, remissionem peccatorum in fine donans. Aut si alterius quidem transgressi sumus præceptum, alius autem erat qui dixit: « Remittuntur tibi peccata tua; » neque bonus, neque verax, neque justus est hujusmodi. Quomodo enim bonus, qui non ex suis donat? Aut quomodo justus, qui aliena rapit? Quomodo autem vere (52) remissa sunt peccata, nisi ille ipse, in quem peccavimus, donavit remissionem, « per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos [84] » per Filium suum?

2. Quapropter et curato paralytico, « Videntes, inquit, populi clarificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus [85]. » Quem igitur Deum clarificaverunt circumstantes populi? Nunquidnam ab hæreticis inventum, incognitum Patrem? Et quomodo eum, qui initio tunc (53) non cognoscebatur ab eis, glorificabant? Manifestum est ergo, quoniam eum, qui a lege et 314 prophetis (54) prædicatus est Deus, glorificabant Israelitæ, qui et est Pater Domini nostri: et propter hoc docebat homines in sensu (55) per ea signa, quæ faciebat, dare gloriam Deo. Si autem ab altero quidem Patre ipse venisset, alterum autem Patrem glorificabant homines videntes ejus virtutes; ingratos eos in eum Patrem, qui miserat curationem, efficiebat. Sed quoniam ab eo, qui est (56) Deus, unigenitus Filius venerat ad salutem hominum, et incredulos per eas quas faciebat virtutes, provocabat dare gloriam Patri; et non recipientibus adventum Filii ejus, et propter hoc non credentibus, quæ ab eo fiebat remissioni, Pharisæis dicebat: « Ut sciatis quoniam potestatem habet Filius hominis remittere peccata [86]; » et hoc cum dixisset, jussit paralyticum hominem tollere grabatum, super quem jacebat (57), et ire in domum suam: per hoc quod efficit (58), confundens incredulos, et significans quoniam ipse est vox Dei, per quam accepit homo præcepta, quæ supergressus est, et factus est peccator; ex peccatis enim paralysis subsecuta est.

3. Peccata igitur remittens, hominem quidem curavit, semetipsum autem manifeste ostendit quis esset. Si enim nemo potest remittere peccata, nisi solus Deus; remittebat autem hæc Dominus, et curabat homines: manifestum, quoniam ipse erat Verbum Dei, Filius hominis factus, a Patre potestatem remissionis peccatorum accipiens, quoniam homo, et quoniam Deus (59): ut quomodo (60) homo compassus est nobis, tanquam Deus misereatur nostri, et remittat nobis debita nostra, quæ factori nostro debemus Deo. Et propter hoc David prædixit: « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus homo, cui non imputavit Dominus peccatum [87], » eam, quæ per adventum ejus est, remissionem præmonstrans, per quam « delevit chirographum » debiti nostri (61), « et affixit illud cruci [88]: » uti quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus nostri debiti remissionem.

4. Hoc et per alios quidem multos, jam autem et

[80] I Tim. II, 5. [81] Matth. VI, 12. [82] Gen. III, 8, 10. [83] Matth. IX, 2. [84] Luc. I, 78. [85] Matth. IX, 8. [86] Matth. IX, 6. [87] Psal. XXXI, 1, 2. [88] Coloss. II, 14.

(51) *Nulli nunquam.* In Arund., *nulli, inquam*, quæ recentioris cujuspiam emendatio esse videtur, cui displicuit duplex negatio, Græcorum more.

(52) *Vere.* Eras., Gallas. et Feuard., *recte*, quod minus placet.

(53) *Initio tunc.* Ita Clarom.; in Voss., *initio tum;* in vet. Feuard. cod., *initio tamen;* in reliquis, *in totum.*

(54) *A lege et prophetis.* Sic omnes fere mss. At Eras., Gallas. et Feuard., *in lege a prophetis.*

(55) *In sensu.* Id est, ut recte explicat Grab., *sensibiliter, manifeste*, etc.

(56) *Qui est.* Ita vetus Feuard. cod., Clarom. et Voss. Alii perperam, *a quo;* Feuard. vero pro more, haud certe probando, utramque lectionem jungens, cæteris pejus scripsit: *qui est, a quo.*

(57) *Super quem jacebat.* Unicam vocem *suum*, loco istarum, habent Merc. 2 codd.

(58) *Per hoc quod efficit.* Sic Clarom. et Voss., quibus quoad vocem *quod* consentiunt Arundel. et Merc. 1. Alii male, *propter hoc quidem efficit.*

(59) *Quoniam homo, et quoniam Deus.* Alii, *quomodo homo, et quomodo Deus.*

(60) *Ut quomodo.* Eras., Gallas. et Feuard., *et quomodo.*

(61) *Debiti nostri.* Sic Clarom., Arundel. et vetus Feuard. cod. Cæteri perperam *debita nostra.*

Digitized by Google

per Eliseum prophetam significanter ostensum est. Cum enim hi, qui cum illo erant, prophetæ (62) concideren̄t ligna ad fabricationem tabernaculi, et ferrum excussum de securi cecidisset in Jordanem, et non inveniretur ab ipsis, veniens autem Eliseus in ipsum locum, cum didicisset quid esset factum, lignum in aquam misit; hoc autem cum fecisset, supernatavit ferrum securis, et de superficie aquæ sumpserunt illud, qui ante amiserant [88]:

δι' ἔργου (63) ἔδειξεν ὁ προφήτης, ὅτι τὸν στερεὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ὄν.... ἀμελῶς ἀποβαλόντες οὐχ' ηὑρίσκομεν, ἀπολῃψόμεθα πάλιν διὰ τῆς τοῦ ξύλου οἰκονομίας. Ὅτι δὲ ἀξίνῃ ἔοικεν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, Ἰωάννης ὁ Βαπτιστής φησι περὶ αὐτοῦ· « Ἤδη δὲ ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων κεῖται. » Ἱερεμίας δὲ ὁμοίως φησίν· « Ὁ λόγος Κυρίου ὡς πέλεκυς κόπτων πέτραν. » Τοῦτον οὖν κεκρυμμένον ἀφ' ἡμῶν, ἡ τοῦ ξύλου ἐφανέρωσεν, ὡς προέφαμεν, οἰκονομία. Ἐπεὶ γὰρ διὰ ξύλου ἀπεβάλομεν αὐτὸν, διὰ ξύλου πάλιν φανερὸν τοῖς πᾶσιν ἐγένετο, ἐπιδεικνύων τὸ μῆκος, καὶ ὕψος, καὶ βάθος, καὶ πλάτος ἐν ἑαυτῷ, καὶ ὡς ἔφη τις τῶν προβεβηκότων, διὰ τῆς θείας ἐκτάσεως τῶν χειρῶν, τοὺς δύο λαοὺς εἰς ἕνα Θεὸν συνάγων. Δύο μὲν γὰρ αἱ χεῖρες, ὅτι καὶ δύο λαοὶ διεσπαρμένοι εἰς τὰ πέρατα

per operationem ostendentem propheta, quod firmum verbum Dei, quod per lignum negligenter amiseramus, nec inveniebamus, recepturi essemus iterum per ligni dispositionem. Quoniam autem securi similis est verbum Dei (64), Joannes Baptista ait de eo: « Jam autem securis ad radicem arborum posita est [89]. » Et Jeremias autem similiter ait: « Verbum Domini, quemadmodum bipennis cædens petram [91]. » Hoc ergo verbum absconditum a nobis manifestavit (65), quemadmodum prædiximus, ligni dispositio. Quoniam enim per lignum amisimus illud, per lignum iterum manifestum omnibus factum est, ostendens altitudinem, et longitudinem, et latitudinem (66) in se; et quemadmodum dixit quidam de senioribus, per extensionem manuum, duos populos ad unum

τῆς γῆς· μία δὲ μέση κεφαλὴ, ὅτι εἷς ὁ Θεὸς, ὁ ἐπὶ πάντων, καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν ἡμῖν.

Deum congregans. Duæ quidem manus, quia et duo populi dispersi in fines terræ; unum autem medium caput, quoniam et unus Deus super omnes et per omnes, et in omnibus nobis.

315 CAPUT XVIII.

Creaturas universas, quibus Deus Pater et ejus Verbum utuntur, sua propria virtute et sapientia condiderunt; non ex labe, aut ignorantia: alias nunquam carnem assumpsisset Dei Filius, qui omnem a Patre potestatem accepit.

1. Et talem vel tantam dispositionem non per alienas, sed per suas efficiebat conditiones (67): neque per ea quæ ex ignorantia et labe facta sunt, sed per ea quæ ex sapientia et virtute Patris ejus substantiam habuerunt. Neque enim iniquus, ut aliena concupiscat; neque indigens, ut non per sua propria suis propriis efficiat vitam, sua utens conditione ad hominis salutem. Neque enim portasset illum conditio, si quod ignorantiæ et labis erat, emisit (67*). Quoniam enim ipsum Verbum Dei incarnatum suspensum est super lignum, per multa ostendimus: et ipsi autem hæretici crucifixum confitentur. Quomodo igitur ignorantiæ et labis emissio eum, qui contineat universorum agnitionem, et sit verus, et perfectus, portare potuit? Aut quomodo ea, quæ absconsa est a Patre, et multum separata conditio, portavit ejus Verbum? Si autem et ab angelis hæc facta est, sive ignorantibus eum, qui super omnia est Deus, sive scientibus; cum dixerit Dominus: « Quoniam ego in Patre, et Pater in me est [92]; » quomodo Patrem et Filium simul fabricatio angelorum portare sustinuit? Quomodo autem ea, quæ extra Pleroma est, conditio cepit eum, qui continet universum Pleroma? Cum igitur hæc omnia impossibilia sint, et probationem non habeant; illud solum verum est Ecclesiæ præconium, quoniam propria conditio, quæ ex virtute, et arte, et sapientia Dei subsistit (68), portavit eum (69) (quæ quidem secundum invisibilitatem a

[88] IV Reg. VI, 4 et seqq. [89] Matth. III, 10. [91] Jerem. XXIII, 29. [92] Joan. XIV, 11.

(62) *Hi... prophetæ.* Duas istas voces a Grab. additas, priorem ex Voss., posteriorem ex Arundel. habet cod. Clarom.

(63) *Δι' ἔργου.* Græca hæc Irenæi verba descripta leguntur in Catena ms. in libros Regum, num. 211 bibliothecæ olim Seguerianæ, nunc Coislinianæ, quam diutius clausam, magno reipublicæ litterariæ bono, eruditis omnibus reseravit illustrissimus ac litterarum studiosissimus D. D. de Coislin, episcopus Metten̄sis. Jam ediderat Combefisius ex cod. 2433 bibliothecæ Regiæ, in quo exstant, sed mutila et imperfecta. Quæ hic exhibentur, integra sunt, et accuratius Latinis respondent, ut conferenti patebit.

(64) *Securi similis est verbum Dei.* Ita Voss., Clarom. et Grab., juxta Græcum. Alii perperam, *securis similis est verbo Dei.*

(65) *Manifestavit.* In Eras., Gallas. et Feuard. vitiose, *per lignum manifestavit.*

(66) *Et latitudinem.* Ad. ex Græc., *et profunditatem.*

(67) *Conditiones.* Id est *res creatas.*

(67*) *Si quod ignorantiæ et labis erat, emisit.* Sic melioris notæ codd., vetus Feuard., Voss. et Clarom. (nisi quod in hoc, negligentia scribæ, desit *quod*). Cæteri, *si ignorantiæ et labis esset emissio;* quæ recentioris cujuspiam emendatio esse videtur; prioris lectionis sensum haud satis intelligentis. Hic tamen obscurus non est. Si, inquit Irenæus, Verbum Patris nihil proprie condidit, *sed quod ignorantiæ et labis erat,* id est quod ex ignorantia et labe jam ortum erat, simpliciter *emisit;* non igitur portasset illum propria conditio, seu res a se condita. Jam tamen a nobis demonstratum est, Verbum Dei incarnatum ligno suspensum fuisse. Quomodo igitur id quod ab ignorantia et labe tum primum emissum est, portare potuit eum qui contineat universorum agnitionem? etc.

(68) *Subsistit.* Al., *substitit.*

(69) *Portavit eum.* Voss. et Feuard. edit. ex vet. cod. male, *portavit Ecclesiam.*

Digitized by Google

Patre portatur, secundum visibilitatem (70) autem e contrario portat ejus Verbum); et hoc est Verbum (71).

2. Pater enim conditionem simul et Verbum suum portans, et Verbum portatum a Patre, præstat Spiritum omnibus, quemadmodum vult Pater: quibusdam quidem secundum conditionem (72), quod est factum; quibusdam autem secundum adoptionem, quod est ex Deo, quod est generatio. Et sic unus Deus Pater ostenditur, qui est super omnia, et per omnia, et in omnibus. Super omnia quidem Pater, et ipse est caput Christi : per omnia autem Verbum, et ipse est caput Ecclesiæ : in omnibus autem nobis Spiritus, et ipse est aqua viva [95], quam præstat Dominus in se recte credentibus, et diligentibus se, et scientibus, quia « unus Pater, qui est super omnia, et per omnia, et in omnibus nobis [96]. » Testimonium perhibet his et Joannes Domini discipulus, in Evangelio dicens sic : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil [97]. » Deinde de ipso Verbo dixit : « In hoc mundo (73) erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In sua propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus [98]. » Et iterum significans ejus secundum hominem dispensationem (74), dixit : « Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. » Et iterum intulit : « Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate [99]. » Manifeste ostendens audire volentibus, id est aures habentibus, quoniam unus Deus Pater super omnes, et unum Verbum Dei (75), quod per omnes (76), per quem omnia facta sunt; et quoniam hic mundus proprius ipsius, et per ipsum factus est voluntate Patris, et non per angelos; neque per apostasiam, et defectionem, et ignorantiam; neque per virtutem aliquam Prunici, quam et Matrem appellant quidam; neque per alium quemdam mundi factorem ignorantem Patrem.

3. Mundi enim factor vere Verbum Dei est : hic autem est Dominus noster, qui in novissimis temporibus homo factus est, in hoc mundo exsistens, et secundum invisibilitatem continet quæ facta sunt omnia, et in universa conditione inflexus, quoniam Verbum Dei gubernans et disponens omnia; et propter hoc in sua 316 invisibiliter venit (77), et caro factum est (78), et pependit super lignum, uti universa in semetipsum recapituletur. « Et sui proprii illum non receperunt » homines, quemadmodum Moyses hoc ipsum manifestavit in populo : « Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, et non credes vitæ tuæ [100] (79). » Qui igitur non receperunt illum, non acceperunt vitam. « Quotquot autem receperunt illum, dedit illis potestatem filios Dei fieri. » Ipse est enim qui universorum (80) potestatem habet a Patre, quoniam (81) Verbum Dei, et homo verus, invisibilibus quidem participans rationabiliter, et sensuabiliter (82) legem statuens, universa quæque in suo perseverare ordine; super visibilia autem et humana regnans manifeste, et omnibus dignum superducens justum judicium :

[95] Joan. VII, 38, 39. [96] Ephes. IV, 6. [97] Joan. I, 1 et seqq. [98] Ibid., 10 et seqq. [99] Ibid., 14. [100] Deuter. XXVIII, 66.

(70) *Visibilitatem*. Eras., Gallas., Clarom., Arundel. et Merc. 2, *visibile*.

(71) *Verbum*. Sic Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Merc. 2, quod ab editoribus minus intellectum, fuit commutatum (non sine vitiosa ταυτολογίᾳ) in *verum*. Intelligi tamen facile poterit, si *quæ quidem ..... portat ejus Verbum*, parenthesi inclusis, hoc comma, *et hoc est Verbum*, referatur ad *portavit eum*.

(72) *Quibusdam quidem secundum conditionem. Quod est conditionis*, additur in editt., sed expunxi auctoritate veteris Feuard. cod., Voss. ac Clarom. (qui tamen pro *secundum conditionem*, vitio scribæ habet, *secundum conditionis*). Id enim a quopiam additum videtur, harum vocum, *secundum conditionem* explicandarum causa. Quod vero Grab. legi debere putat, ex eo quod in sequenti colo habeatur, *quod est ex Deo*, nihil est. Istud enim, *quod est ex Deo*, non opponitur τῷ *quod est conditionis*; sed τῷ *quod est factum*. Hic igitur subobscuri istius loci sensus : Verbum præstat spiritum omnibus, quemadmodum vult Pater, sed non eumdem. Aliis quidem præstat spiritum *secundum conditionem*, id est Spiritum qui rebus creatis viventibus conveniat, afflatum scilicet vitæ, ut loquitur cap. 12, quod quidem Spiritus genus *temporale* cum sit, *factum est*, seu *factura est*, ut ibidem ait; aliis vero præstat Spiritum adoptionis, seu Spiritum vivificantem, qui congruat adoptioni, et per quem spirituales efficiantur homines; qui Spiritus sempiternus cum sit, et semper perseverans, ex Deo est, seu ex Dei substantia procedit; et hic est *generatio*, id est novæ generationis auctor et causa. Vide citatum cap. 12.

(73) *In hoc mundo*. Sic omnes mss., at Eras., Gallas. et Feuard. omittunt *hoc*.

(74) *Dispensationem*. In Merc. 2, *dispositionem*, nec male, sic enim οἰκονομίαν sæpe vertit interpr.

(75) *Unum Verbum Dei*. In Clarom., *unum Verbum Deus*.

(76) *Quod per omnes*. Sic Clarom., Voss., Arund. et Grab. Cæteri perverso ordine, *per quod omnes :* quilibet enim videt Irenæum respicere ad verba Apostoli Ephes. IV, 6.

(77) *Invisibiliter venit*. In Eras. et Gallas. male, *invisibiliter pœnit.*. Sed legendum, *visibiliter venit*.

(78) *Factum est. Verbum* perperam additur in Eras., Gallas. et Feuard. editt.

(79) *Et non credes vitæ tuæ*. In Voss., *et non credes te vitæ tuæ*. Hoc vero comma, quod etiam allegatur a Tertull. lib. *adversa Jud.* cap. 11; Cypriano lib. II *Testim.*, cap. 20; Lactantio lib. IV, cap. 18; August. lib. XVI *contr. Faust.*, cap. 22, et aliis, in hodiernis LXX editt. desideratur.

(80) *Universorum*. Eras., Gallas. et Merc. 2, *universam*.

(81) *Quoniam*. (In Feuard. marg. et Voss., *quomodo*.) Pro *quatenus*, *in quantum*.

(82) *Sensuabiliter*. Ita Clarom. et Arund.; cæteri, *sensibiliter*. Porro *sensuabiliter* hic accipio pro *in-*

Digitized by Google

quemadmodum et David manifeste significans, ait: « Deus noster manifeste veniet, et non tacebit [99]. » Deinde et quod ab eo superinducitur judicium manifestavit, dicens : « Ignis in conspectu ejus (83) ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida. Advocabit (84) cœlum desursum, et terram discernere populum suum [1]. »

CAPUT XIX.

Cum Eva inobediente et prævaricatrice comparatur B. Virgo Maria, illius advocata; referunturque variæ et dissidentes hæreses.

1. Manifeste itaque in sua propria venientem Dominum (85), et sua propria eum bajulante (86) conditione, quæ bajulatur ab ipso, et recapitulationem ejus, quæ in ligno fuit inobedientiæ, per eam quæ in ligno est obedientiam, facientem, et seductionem illam solutam, qua seducta est male illa, quæ jam viro destinata erat virgo Eva, per veritatem evangelizata est bene ab angelo jam sub viro Virgo Maria. Quemadmodum enim illa per angeli sermonem seducta est, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus; ita et hæc per angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens ejus verbo. Et si ea inobedierat Deo; sed hæc suasa est (87) obedire Deo, uti virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum astrictum est (88) morti genus humanum per Virginem, salvatur (89) per Virginem : æqua lance disposita, virginalis inobedientia (90), per virginalem obedien-

[99] Psal. XLIX, 3, 4. [1] Ibid.

tiam. Adhuc enim protoplasti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens (91), et serpentis prudentia devicta in columbæ simplicitate (92), vinculis autem illis resolutis (93), per quæ alligati eramus morti.

2. Indocti omnes hæretici, et ignorantes dispositiones Dei, et inscii ejus, quæ est secundum hominem, dispositionis (94), quippe cæcutientes circa veritatem, ipsi suæ contradicunt saluti : alii quidem alterum introducentes, præter Demiurgum, Patrem; alii autem ab angelis quibusdam dicentes factum esse mundum et substantiam ejus; alii quidam (95) porro (96) et longe separatam ab eo, qui est secundum ipsos Patre, a semetipsa floruisse, et esse ex se natam (97); alii autem in his quæ continentur a Patre, de labe et ignorantia substantiam habuisse; alii autem manifestum adventum Domini contemnunt, incarnationem ejus non recipientes; alii autem rursus ignorantes Virginis dispensationem, ex Joseph dicunt eum generatum; et quidam quidem neque animam (98), neque corpus recipere posse dicunt æternam vitam, sed tantum hominem interiorem. Esse autem hunc eum, qui in eis sit sensus, volunt, quem et solum ascendere ad perfectum decernunt; alii autem animæ salvata, non participari corpus ipsorum eam quæ est a Deo salutem (99), quemadmodum in primo diximus libro. In quo et argumenta eorum omnium enarravimus, et invalidum ipsorum et inconstabile in secundo ostendimus.

telligibiliter, intellectualiter, quod intelligentia sola percipi possit; Græce νοερῶς, vel νοητῶς. Νοῦν enim *sensum* sæpe vertit interpres.

(83) *Ejus.* Eras., Gallas., Arund. et Merc. 1, *suo.*

(84) *Advocabit.* Sic, juxta sacros codices, vetus Feuard. cod. et Grabius. Reliqui, *advocavit.*

(85) *Venientem Dominum.* Sic mss. At Eras., Gallas. et Feuardent. habent, *venienti Domino*, et omnes dictiones quæ in omnibus pene mss. leguntur in accusativis, illi legunt per ablativos absolutos.

(86) *Bajulante.* Ita Claromont., Arund., Ottob., Merc. 2, cum Eras., Gallas. et Feuard., melius quam alii cum Grabio, *bajulantem.* Si enim accusativus hic esset adhibendus, legi deberet *bajulatum*; alias pervertitur sensus.

(87) *Et si ea inobedierat Deo : sed hæc suasa est.* In editt. et recentioribus mss. legitur : *et sicut illa seducta est, ut effugeret Deum; sic hæc suasa est.* At antiquiores mss., scilicet vet. Feuard. cod., Clarom. et Voss. habent : *et si eum obaudierat Deo, sed hæc suasa est.* Ex qua corrupta lectione veram erui, levissima facta mutatione, quam in textu exprimere non dubitavi; persuasissimum habens, particulam *in* verbo *obaudierat* præfixam, a negligentibus et imperitis scribis male lectam, et a verbo perperam avulsam, commutatam esse in *m*, et cum præced. voce (in qua et ipsa paulo latius diductis litteræ *a* ductibus, lectum *u*) junctam : inde factum *eum.* Exempla ejusmodi corruptionis non raro occurrunt in mss. Clarom. et aliis. Nec dubitem quin posteriores scribæ, imo et forte primi editores, corruptam trium prædictorum codd. lectionem præ oculis haberent; quam cum emendare non possent, maluerunt (non certe sine ταυτολογίας crimine) partem præcedentis periodi resumere, ut sensum complerent. Porro *inobedierat*, accipiendum pro *non obedierat.*

(88) *Astrictum est.* Mirum in codd. Clarom., Voss. et Merc. 2 legi *astricta est*; forte quod scribæ litteram *u*, nullo abbreviationis signo notatam, male confuderint cum *a.* Neque enim cum Grabio crediderim interpretem attendentem ad genus Græcæ vocis ἀνθρωπότης, scripsisse *astricta.* Adde quod Augustinus, qui totam hanc citat periodum lib. 1 *contra Julian.*, cap. 3, legat *astrictum.*

(89) *Salvatur.* Ita vet. Feuard. cod., Clarom., Voss. et Grab., una cum August. cit. In Merc. 1, *solvitur*; in aliis, *salvatur.*

(90) *Virginalis inobedientia.* Eras. et Gallas., *inobedientiæ.*

(91) *Peccatum ... accipiens.* August., *peccato ... accipiente.*

(92) *In columbæ simplicitate.* August., *per columbæ simplicitatem.*

(93) *Vinculis autem illis resolutis.* August., *vinculis illis resoluti sumus.*

(94) *Dispositionis.* Editt., *dispensationis.*

(95) *Alii quidam.* Cerinthiani, ut puto ad quos enim alios istud referri possit, non video. Confer lib. 1, cap. 26, n. 1.

(96) *Porro.* Græce, πόρρω, *procul.*

(97) *Separatam ab eo ... a semetipsa floruisse, et esse ex se natam.* Ita omnes pene mss., at Eras., Gallas. et Feuard., *separatum ab eo ... a semetipso fuisse, et esse ex se natum.* Nempe id alii ad *mundum* referunt, alii ad *substantiam ejus.*

(98) *Animam. Suam* quod addunt editt. delevi auctoritate veteris Feuard. cod. et Voss.

(99) *Eam, quæ est a Deo, salutem.* In Clarom. et Voss., *ea quæ est ad salutem*, quod admitti posse non videtur.

Digitized by Google

317 CAPUT XX.

Audiendi sunt pastores, quibus apostoli commiserunt Ecclesias, unam et eamdem salutis doctrinam habentes; fugiendi autem hæretici, et in fidei mysteriis sobrie sapiendum.

1. Omnes enim ii valde posteriores sunt quam episcopi (1), quibus apostoli tradiderunt Ecclesias: et hoc in tertio libro cum omni diligentia manifestavimus. Necessitatem ergo habent prædicti hæretici, quoniam sunt cæci ad veritatem, alteram et alteram ambulare exorbitantes viam; et propter hoc inconsonanter et inconsequenter dispersa sunt vestigia doctrinæ ipsorum. Eorum autem, qui ab Ecclesia sunt, semita, circumiens mundum universum, quippe firmam habens ab apostolis (2) traditionem, et videre nobis donans omnium unam et eamdem esse fidem, omnibus unum et eumdem Deum Patrem præcipientibus (3), et eamdem dispositionem incarnationis Filii Dei credentibus, et eamdem donationem Spiritus scientibus, et eadem meditantibus præcepta, et eamdem figuram ejus (4), quæ est erga Ecclesiam, ordinationis custodientibus, et eumdem exspectantibus adventum Domini, et eamdem salutem totius hominis, id est animæ et corporis sustinentibus. Et Ecclesiæ quidem prædicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur. Huic enim creditum est lumen Dei, et propter hoc « sapientia » Dei, per quam salvat omnes homines, « in exitu canitur, in plateis autem fiducialiter agit, in summis muris prædicatur, in portis autem civitatis constanter loquitur [1]. » Ubique enim Ecclesia prædicat veritatem: et hæc est ἑπτάμυξος (5) lucerna, Christi bajulans lumen.

2. Qui ergo relinquunt præconium Ecclesiæ, imperitiam sanctorum presbyterorum arguunt, non contemplantes, quanto pluris sit idiota religiosus a blasphemo (6), et impudente (7) sophista. Tales sunt omnes hæretici, et qui se plus aliquid præter veritatem invenire putant; sequentes ea quæ prædicta sunt, varie, et multiformiter (8), et imbecille facientes iter, de iisdem non semper easdem sententias habentes, velut cæci a cæcis circumducuntur: juste cadent in sublatentem ignorantiæ foveam, semper quærentes, et nunquam verum invenientes. Fugere igitur oportet sententias ipsorum, et intentius observare, necubi vexemur (9) ab ipsis; confugere autem ad Ecclesiam, et in ejus sinu educari, et Dominicis Scripturis enutriri. Plantata est enim Ecclesia (10), paradisus in hoc mundo. « Ab omni » ergo « ligno » Paradisi escas (11) « manducabitis [2] (12), » ait Spiritus Dei; id est ab omni Scriptura Dominicæ manducate: superelato autem sensu ne manducaveritis, neque tetigeritis universam hæreticam dissensionem. Ipsi enim [3] confitentur semetipsos agnitionem habere boni et mali: et super Deum, qui fecit eos, jaculantur sensus suos impios. Supra igitur sentiunt, quam est mensura sensationis. Quapropter et Apostolus ait: « Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad prudentiam [4]; » ut non illorum manducantes agnitionem, eam quæ plus quam oportet, sapit, projiciamur de paradiso vitæ: in quem Dominus inducit eos, qui obaudiunt præceptionem ejus (13), « recapitulans in se omnia quæ in cœlis, et quæ super terram [5]: » sed quæ in cœlis, spiritualia sunt; quæ autem in terris, secundum hominem est dispositio. Hæc igitur in semetipsum (14) recapitulatus est, adunans hominem spiritui, et spiritum collocans in homine, ipse caput spiritus factus est; et spiritum dans esse hominis caput: per illum enim vidimus et audivimus (15) et loquimur.

318 CAPUT XXI.

Caput omnium quæ prædicta sunt, Christus est;

[1] Prov. I, 20, 21. [2] Gen. II, 16. [3] Rom. XII, 3. [4] Ephes. I, 10.

Totque geram myxos, una lucerna vocor.

(1) *Valde posteriores sunt quam episcopi.* Doctissimus Cotelerius in notis ad interpolatam Ignatii epistolam ad Trallianos, id explicat de tempore quo Ecclesiæ ab apostolis commissæ sunt apostolicis viris, non de tempore quo vivere desierunt illi episcopi. Nam, inquit, Polycarpus, ut ex ipso Irenæo lib. III et ex aliis monumentis ecclesiasticis clarum fit, ab apostolis Smyrnæ episcopus constitutus, cum Basilide, Valentino, Marcione, aliisque hæresiarchis vitam egit.

(2) *Ab apostolis.* In Feuard. marg. et Voss. una vox *apostoli* exstat; in Clarom. deest particula *ab*, et distincte legitur, *apostolis*.

(3) *Præcipientibus.* Sic vet. Feuard. cod. et Claromont., pro quo in Voss. incuria librarii scriptum, *percipientibus*; in cæteris, *recipientibus*.

(4) *Eamdem figuram ejus*, etc. Id est eamdem regiminis ecclesiastici formam custodientibus.

(5) Ἑπτάμυξος. Sic restituo ex Clarom. (in quo scriptum *epiemyxos*), pro ἑπτάμυξος, ut alii omnes perperam habent. Porro lucerna ἑπτάμυξος, est lucerna septem ellychnia, seu, ut explicat Erasmus in margine suæ edit., septem caliculos habens. Quam in rem illud Martialis, lib. XIV, epigr. 41, a Feuardentio citatur:

Illustrem cum tota meis convivia flammis,

(6) *A blasphemo.* Græco more, pro *quam blasphemus*.

(7) *Impudente.* Feuard. in marg. et Voss., *imprudente*.

(8) *Multiformiter.* Solus Feuard. ex vet. cod., *multiforme*.

(9) *Necubi vexemur.* (Id est, ne alicubi, ne in aliquo loco.) Ita Clarom. et Voss., at Feuard. ex vet. cod. et Grab., *uti ne vexemur*; Eras. et Gallas., *ne conjurgemur*; Arundel., *uti ne conjugemur*; Ottob. pejus, *ne comurgemur*.

(10) *Ecclesia.* Eras., Gallas. et Feuard., *Ecclesiæ*, minus recte.

(11) *Escas.* In Clarom., *certe*; in Voss., *escæ*.

(12) *Manducabitis.* Eras., Gallas. et Feuard., *manducabis*.

(13) *Obaudiunt præceptionem ejus.* Alii, *obediunt præconio ejus*.

(14) *Super terram: sed quæ... in semetipsum.* Ita Clarom. et Voss. Reliqui, *in terra sunt: et quæ... in semetipso*.

(15) *Vidimus et audivimus.* Sic, pro *videmus et audimus*, restituo ex Feuard. marg., Voss. et Claromont.

Digitized by Google

quem hominem assumere, a Patre universorum creatore mitti, et a Satana tentari oportuit, ut promissiones adimpleret, et gloriosam consummatamque victoriam reportaret.

1. Omnia ergo recapitulans recapitulatus est, et adversus inimicum nostrum bellum provocans, et elidens eum, qui in initio in Adam captivos duxerat nos, et calcans ejus caput, quemadmodum habes in Genesi dixisse serpenti Deum : « Et inimicitiam ponam inter te, et inter mulierem, et inter semen tuum, et semen ejus ; ipse tuum observabit caput, et tu observabis ejus calcaneum [6]. » Ex eo enim, qui ex muliere Virgine habebat nasci secundum similitudinem Adam, præconabatur observans caput serpentis. Et hoc est semen (16), de quo ait Apostolus in Epistola quæ est ad Galatas : « Legem factorum positam, donec veniret semen, cui promissum est [7]. » Manifestius autem adhuc in eadem ostendit Epistola, sic dicens : « Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum de muliere [8]. » Neque enim juste victus fuisset inimicus, nisi ex muliere homo esset, qui vicit eum. Per mulierem enim homini dominatus est ab initio, semetipsum contrarium statuens homini. Propter hoc et Dominus semetipsum Filium hominis confitetur, principalem (17) hominem illum, ex quo ea quæ secundum mulierem est plasmatio, facta est, in semetipsum (18) recapitulans : uti quemadmodum per hominem victum descendit in mortem genus nostrum, sic iterum per hominem victorem ascendamus in vitam. Et quemadmodum accepit palmam mors per hominem adversus nos, sic iterum nos adversus mortem per hominem accipiamus palmam.

2. Non autem Dominus antiquam illam et primam adversus serpentem inimicitiam in semetipso recapitulatus fuisset, adimplens promissionem Demiurgi, et perficiens præceptum ejus, si ab alio venisset Patre. Sed quoniam unus et idem est, qui ab initio plasmavit nos, et in fine Filium suum misit; præceptum ejus perfecit Dominus, factus ex muliere, et destruens adversarium nostrum, et perficiens hominem secundum imaginem et similitudinem Dei (19). Et propter hoc non aliunde eum destruxit, nisi ex dictionibus legis et Patris præcepto adjutore usus ad destructionem et traductionem apostatæ angeli. Primo quidem diebus quadraginta jejunans, similiter ut Moyses et Elias, postea esuriit, ut hominem eum (20) verum et firmum intelligamus ; proprium enim est hominis, jejunantem (21) esurire ; deinde autem, ut haberet adversarius ubi congrederetur. Quoniam enim in principio per escam, non esurientem hominem seduxit transgredi præceptum Dei; in fine esurientem non potuit dissuadere, eam quæ a Deo esset, sustinere escam. Tentante enim eo, et dicente : « Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant [9] ; » Dominus autem per præceptum legis repulit eum, dicens : « Scriptum est : Non in pane tantum vivit (22) homo [10]. » Ad illud quidem quod ait : « Si Filius Dei es ; » usus est hac, quæ excæcavit eum, hominis confessione (23), et per paternam dictionem (24) primum ejus impetum evacuavit. Quæ ergo fuit in paradiso repletio hominis per duplicem gustationem (25), dissoluta est per eam, quæ fuit in hoc mundo, indigentiam. Ille autem legaliter (26) explosus, tentavit (27) et ipse per mendacium (28) rursus legitime facere congressionem. In altissimum enim templi pinnaculum ducens eum, dixit : « Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim ; quoniam angelis suis mandavit (29) de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum [11] ; » mendacium abscondens per Scripturam, quod faciunt omnes hæretici. Illud enim, quod « angelis suis mandavit de eo, » scriptum erat : « Mitte te » autem « deorsum, » nulla dicebat (30) Scriptura; sed a semetipso hanc suasionem diabolus afferebat. Dominus itaque le-

[6] Gen. III, 15. [7] Gal. III, 19. [8] Gal. IV, 4. [9] Matth. IV, 3. [10] Deut. VIII, 3. [11] Matth. IV, 6; Psal. XC, 11.

(16) *Et hoc est semen.* Ita ex Clarom. et Feuard. marg. posui, pro *id est, semen;* ac proinde textum aliter distinxi, atque in editt.

(17) *Principalem.* Pro *pristinum*, primævum, Græce ἀρχαῖον.

(18) *Semetipsum.* Al., *semetipso.*

(19) *Dei.* In Eras., Gallas., Feuard., Merc. 2 et Ottob., *suam.*

(20) *Hominem eum.* Clarom., *hominem ejus.*

(21) *Jejunantem.* Erasm., Gallas. et Feuard., *jejunantis.*

(22) *Vivit.* Ita vet. Feuard. cod., Claromont. ac Voss., et sic quoque prius scriptum fuisse in Arundel. notat Grab., sed postea mutatum in *vivet*, ut habent editt. Huic quidem lectioni favet sacer textus, tam Græcus quam Hebræus. Sed quid scripserit Irenæus, non quid habeant sacri codd. inquirimus.

(23) *Usus est hac, quæ excæcavit eum, hominis confessione.* Hanc genuinam lectionem ex tribus antiquioribus ac melioris notæ codd. vet. Feuard., Clarom. et Voss. eruì. Nempe in Clarom. legitur, *hæc, quæ excæcavit autem eum hominis confessione;* in vet. Feuard. codd. et Voss., *usus est hac, quæ excæcavit eum, per hominis confessionem.* Cum autem neutra lectio accurata sit, alteram ex altera emendare licuit. At in recentioribus codd. et editt. habetur, *tacuit : excæcavit autem eum hominis confessione.*

(24) *Dictionem.* In Eras., Gallas., Feuard., Merc. 2 et Ottob. perperam, *ditionem.*

(25) *Per duplicem gustationem.* Utriusque videlicet parentis.

(26) *Legaliter.* Id est, ut explicat Grab., allegato legis, vel Scripturæ sacræ dicto. Idem est sensus adverbii *legitime* quod mox sequitur.

(27) *Tentavit.* Editt., *tentabat.*

(28) *Per mendacium.* Merc. 2, cum Grab., *per mandatum;* sed male : nam præterquam quod paulo post sequitur, *mendacium abscondens per Scripturam;* si ea lectio obtineret, jam superfluum esset adverbium *legitime*, quod statim subjicitur.

(29) *Mandavit.* Vocem *Deus*, huic verbo præfixam in editt., omisi cum Clarom., Voss. et Arundel.

(30) *Nulla dicebat.* Voces *de eo* his præmissas auctoritate eorumdem codd. delevi.

Digitized by Google

gitime confutavit eum, dicens : « Item scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum [12]; » per eam vocem, quæ est in lege, ostendens, id quidem quod est secundum hominem (31), quoniam non debet homo tentare Deum; quantum autem ad illum, quoniam in eo homine qui videbatur, non tentaret (32) Dominum Deum suum. Elatio itaque sensus, quæ fuit in serpente, dissoluta est per eam, quæ fuit in homine humilitas : et his jam victus erat de Scriptura diabolus, cum est traductus, contraria præcepto Dei suadens, et secundum sententiam suam Dei hostis ostensus. Qui et magne confutatus, et quasi semetipsum colligens, universam quam **319** habebat virtutem in mendacio (33) ordinans, tertio ostendit ei sæculi regna (34) omnia, dicens, quemadmodum meminit Lucas : « Hæc omnia tibi dabo, quoniam mihi tradita sunt, et cui volo, do ea, si procidens adoraveris me [13]. » Dominus itaque traducens eum qui esset : « Vade, inquit, Satana; scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies [14]. » Denudans eum per hoc nomen, et se ostendens qui erat. Satana enim, verbum (35) Hebraicum (36), apostatam significat. Et tertio itaque vincens eum, de reliquo repulit a semetipso, quasi legitime victum : et soluta est ea, quæ fuerat in Adam præcepti Dei prævaricatio, per præceptum legis, quod servavit Filius hominis, non transgrediens præceptum Dei.

3. Quis ergo Dominus Deus, cui Christus (37) testimonium perhibet; quem nemo tentabit, et quem omnes adorare oportet, et ipsi soli servire? Omnimodo ille est sine dubio, qui et legem dedit Deus. Hæc enim in lege prædicta fuerant, et per legis sententiam ostendit Dominus, quoniam lex quidem a Patre Verbum Domini (38) annuntiat; apostata autem Dei angelus per illius (39) destruitur vocem traductus quis esset (40), et victus a Filio hominis servante Dei præceptum. Quoniam enim in initio homini suasit (41) transgredi præceptum factoris, ideo eum habuit in sua potestate; potestas autem ejus est (42) transgressio, et apostasia, et his colligavit hominem; per hominem ipsum iterum oportebat victum eum contrario colligari iisdem vinculis, quibus alligavit hominem, ut homo solutus revertatur ad suum Dominum, illi vincula relinquens, per quem (43) ipse fuerat alligatus, id est, transgressionem. Illius enim colligatio, solutio facta est hominis, quoniam « non potest aliquis introire in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi primum ipsum fortem alligaverit [15]. » Contraria (44) ergo in sermone ejus, qui omnia fecit Dei, traducens eum Dominus, et subjiciens per præceptum (præceptum autem Dei, lex), fugitivum eum homo ejus (45), et legis transgressorem, et apostatam Dei ostendens, postea jam Verbum (46) constanter eum colligavit, quasi suum fugitivum, et diripuit ejus vasa, id est eos qui ab eo detinebantur homines, quibus ipse injuste utebatur. Et captivus quidem ductus est juste is, qui hominem injuste captivum duxerat; qui autem ante captivus ductus fuerat homo, extractus est a possessoris potestate, secundum misericordiam Dei Patris : qui miseratus est plasmati suo, et dedit salutem ei, per Verbum, id est per Christum, redintegrans; ut experimento discat homo, quoniam non a semetipso, sed donatione Dei accipit incorruptelam.

CAPUT XXII.

Dominus verus, et Deus unus a lege declaratur, et in Evangelio per Christum ejus Filium manifestatur; quem solum adorare, et ab illo omnia bona exspectare oportet, non a Satana.

1. Sic igitur manifeste ostendente Domino, quoniam Dominus verus, et unus Deus, qui a lege de-

[12] Matth. IV, 7; Deut. VI, 16. [13] Luc. IV, 6, 7. [14] Matth. IV, 10. [15] Matth. XII, 29.

(31) *Ostendens, id quidem quod est secundum hominem.* Id est, si bene interpretor, ostendens, eas hominis in genere esse partes, ut non tentet Deum : quantum autem ad se, in ea quam oculis subjiciebat humana natura, et quatenus homo erat, non tentaturum se Dominum Deum suum.

(32) *Tentaret.* Arundel., Merc. 2, et Grabius male, *tentare.*

(33) *In mendacio.* Editt., *in mendacium.*

(34) *Regna omnia.* Tres voces, *et gloriam ipsorum*, e sac. codd. in editt. additas expunxi auctoritate Clarom. et Voss.

(35) *Satana enim verbum*, etc. Deducere videtur a שטן, quod *divertere* significat, seu *deficere.* Alii vulgo deducunt a שטם, *adversari* seu *impedire, detrahere, calumniari.* Unde etiam διάβολον Græci vocarunt.

(36) *Hebraicum.* Sic Clarom, Cæteri, *Hebraice.*

(37) *Cui Christus.* Eras., Gallas., Feuard., Arund. et Merc. 2, omittunt *Christus.*

(38) *Domini.* In Clarom. et Arundel. scriptum *dm* cum abbreviationis signo, quod *Domini*, vel *Deum* legere licet, prout nempe punctum super ultimam lineam aut adest, aut abest.

(39) *Per illius.* Al., *per illam.*

(40) *Quis esset.* Editt., *qui sit.* Porro *traductus quis esset*, idem est ac, *detectus, ostensus*, etc., *quis esset.*

(41) *Suasit.* In Feuard. marg., *fecit.*

(42) *Ejus est. Ejus* male deest in Gallas. et Feuard.

(43) *Illi ... per quem.* Sic vet. Feuard. cod., Voss. et Claromont. (nisi quod in hoc incuria scribæ legatur *per quam*), melius quam cæteri, *illa — per quæ.*

(44) *Contraria.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Arundel. non vitiose, ut existimat Grab., sed recte, quamvis Græco more. Græci siquidem pro ἐναντίως, vel ἀντικρύ, non raro scribunt ἐναντία, quod et ab Irenæo scriptum, interpres velut adjectivum accepit, reddiditque, *contraria.* Recentiores vero mutarunt in *contrario.*

(45) *Homo ejus.* Has voces addidi ex Claromont. et Voss. Addendas autem fuisse demonstrat his opposita vox, *Verbum*, quæ mox sequitur.

(46) *Verbum.* Præpositionem *per* huic voci præfixam delevi auctoritate vet. Feuard. cod., Clarom. et Voss.

Digitized by Google

claratus fuerat (quem enim lex præconaverat Deum, hunc Christus (47) ostendit Patrem, cui et servire soli oportet discipulos Christi), et per eas, quæ sunt in lege, sententias, adversarium nostrum evacuante (lex autem Demiurgum laudare Deum, et ipsi soli servire jubet nobis) : jam non oportet quærere alium Patrem, præter hunc, aut super hunc : quoniam « unus Deus qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem [16]. » Si enim alius quis erat super hunc perfectus Pater, nequaquam per hujus sermones et præcepta destruxisset Satanam. Nec enim ignorantia per alteram potest dissolvi ignorantiam; quemadmodum neque per labem labes evacuari. Si igitur lex ex ignorantia et labe est, quomodo sententiæ quæ in ea sunt, diabolica ignorantia (48) solvere poterant, et fortem vincere? Neque enim a minori, neque ab æquali fortis vinci potest: sed ab eo qui plus potest. Plus autem potest super omnia Verbum Dei, qui in lege quidem vociferatur : « Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est, » et : « Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua; » et : « Hunc adorabis, et huic soli servies [17]. » In Evangelio autem per has easdem sententias destruens apostasiam, et Patris voce devicit fortem, et legis præceptum (49) suas sententias confitetur, dicens : « Non tentabis Dominum Deum tuum [18]. » Nec enim per alienam, sed per propriam Patris sui sententiam destruxit adversarium, et fortem vicit.

2. Nos autem solutos per ipsum præceptum **320** docuit, esurientes quidem sustinere eam, quæ a Deo datur, escam; in sublimitate autem positos universi charismatis, vel in operibus justitiæ confidentes, vel ministrationis supereminentia adornatos, nequaquam extolli, neque tentare Deum, sed humilia sentire in omnibus (50), et præ manu habere : « Non tentabis Dominum Deum tuum; » quemadmodum et Apostolus docuit : « Non alta, dicens, sentientes, sed humilibus consentientes [19]: » nec divitiis, nec gloria mundana (51), neque præsenti phantasia capi : scire autem, quoniam Dominum Deum tuum adorare oportet, et ipsi soli servire, et non credere ei, qui falso promisit ea, quæ non sunt sua, dicens ; « Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. » Ipse enim confitetur, quoniam adorare eum, et voluntatem ejus facere, A cadere est a gloria Dei. Et quid aut suave, aut bonum participare potest qui cecidit? Aut quid aliud sperare, vel exspectare potest, qui talis est, nisi mortem? Ei enim qui cecidit, proxima mors est. Deinde nec illa itaque (52) quæ promisit præstabit. Quomodo enim præstabit ei, qui cecidit? Deinde, quoniam dominatur hominibus, et ei ipsi Deus; et nolente Patre nostro qui est in cœlis, neque passer cadet in terram. Illud igitur quod ait : « Hæc omnia mihi tradita sunt, et cui volo, do ea [20]; » ut in superbiam elatus ait. Neque enim conditio sub ejus potestate est; quandoquidem et ipse unus de creaturis est. Neque ipse hominum regnum attribuet hominibus; sed secundum ordinationem Dei Patris, et cætera quæque, et quæ B sunt erga homines, disponuntur. Dominus autem ait : Quoniam « diabolus mendax est ab initio, et in veritate non stetit [21]. » Si itaque mendax est, et non stans in veritate, videlicet non verum dicebat : « Quoniam hæc omnia mihi tradita sunt et cui volo, do ea; » sed mendacium loquens.

CAPUT XXIII.

Diabolus assuetus est mendaciis, quibus seductus Adam sexto creationis die peccavit, quo tandem per Christum reparatus fuit.

1. Assuetus enim erat jam ad seductionem hominum mentiri adversus Deum. Ab initio enim homini escam multam cum Deus dedisset, ex una autem tantum arbore præcepisset ne manducaret, quemadmodum Scriptura dicit dixisse Deum ad C Adam : « Ab omni ligno quod est in paradiso escam manducabis (53); a ligno autem cognoscendi bonum et malum, ab eo non manducabitis; qua autem die manducaveritis ab eo (54), morte moriemini [22]; » ille mentiens adversus Dominum (55), tentavit hominem, quemadmodum Scriptura dicit dixisse serpentem mulieri : « Quid utique (56) dixit Deus ; Ne manducaveritis ab omni ligno paradisi [23]? » Et cum illa traduxisset mendacium, et simpliciter retulisset præceptum, in eo quod diceret : « Ab omni ligno paradisi manducabimus (57): a fructu autem ligni, quod est in medio paradiso, dixit Deus : Ex eo non manducabitis, neque tetigeritis, ne moriamini [24]; » cum didicisset a muliere præceptum Dei, astutia usus decepit eam D denuo per falsiloquium, dicens : « Non morte mo-

[16] Rom. III, 30. [17] Deut. VI, 4, 5, 13. [18] Matth. IV, 7; Deut. VI, 16. [19] Rom. XII, 16. [20] Matth. X, 29. [21] Joan. VIII, 44. [22] Gen. II, 16, 17. [23] Gen. III, 1. [24] Ibid., 2, 3.

(47) *Hunc Christus.* Sic recte Clarom. In Eras., Gallas., Feuardent., Ottob. et Merc., *Spiritus;* in cæteris neutrum.

(48) *Diabolica ignorantia.* Sic vetus Feuard. cod., Clarom. et Voss. melius, quidquid dicat Grab., quam alii, *diabolicam ignorantiam.* Hic enim, *diabolica ignorantia solvere* dicitur, pro *a diabolica ignorantia liberare.*

(49) *Præceptum.* Feuard. in marg., Voss. et Grab., *præcepta.*

(50) *In omnibus.* Clarom., Arundel. et Merc. 2, *in omni.* In Eras. et Gallas. neutrum legitur.

(51) *Munda in.* Editt., *mundi.*

(52) *Itaque.* Hanc vocem, quam habent omnes mss., omittunt Eras., Gallas. et Feuard., forte quia superflua est.

(53) *Manducabis.* Ita Clarom., Ottobon. et Voss. juxta LXX; alii, *manducabitis.*

(54) *Ab eo ... ab eo.* Sic vet. Feuard. cod., Clarom., Voss. et Arund., cum LXX; alii omittunt utrumque *ab eo.*

(55) *Adversus Dominum.* Editt., *adversus Deum.* At Claromont., *ut adversus Dominum tentaret hominem;* quæ lectio sensum nimis suspendit.

(56) *Quid utique.* Alii, *quid itaque.*

(57) *Manducabimus.* Ita omnes mss. juxta LXX. Sed Eras., Gallas. et Feuard. male, *manducabitis.*

Digitized by Google

riemini. Sciebat enim Deus, quoniam qua die manducaveritis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum [25]. » Primo quidem in Dei paradiso disputabat (58) de Deo, quasi absente eo : magnitudinem enim ignorabat Dei. Post deinde, ab ipsa discens dixisse Dominum, morituros eos si gustassent de prædicto ligno, tertium (59) mendacium loquens dixit : « Non morte moriemini. » Sed quoniam Deus verax, mendax autem serpens, de effectu ostensum est, morte subsecuta eos qui manducaverant (60). Simul enim cum esca et mortem asciverunt, quoniam inobedientes manducabant; inobedientia autem Dei mortem infert. Propter hoc ex eo traditi sunt ei, debitores mortis effecti.

2. In ipsa itaque die mortui sunt, in qua et manducaverunt, et debitores facti sunt mortis, quoniam conditionis dies unus (61). « Factum est enim, inquit, vespere, et factum est (62) mane dies unus [26]. » In ipsa autem hac die manducaverunt; in ipsa autem et mortui sunt. Secundum autem circulum et cursum dierum, secundum quem alia quidem prima, alia autem secunda, alia tertia vocatur, si quis velit diligenter discere, qua die ex septem diebus mortuus est Adam, inveniet ex Domini dispositione. Recapitulans enim universum hominem in se ab initio usque ad finem, recapitulatus est et mortem ejus. Manifestum est itaque, quoniam in illa die mortem sustinuit Dominus, obediens Patri, in qua mortuus est Adam inobediens Deo. In qua **321** autem mortuus est, in ipsa et manducavit. Dixit enim Deus : « In qua die manducabitis ex eo, morte moriemini. » Hunc itaque diem recapitulans in semetipsum Dominus, venit ad passionem pridie ante sabbatum, quæ est sexta conditionis dies, in qua homo plasmatus est; secundam plasmationem ei (63), eam quæ est a morte, per suam passionem donans. Quidam autem rursus in millesimum annum revocant mortem Adæ : quoniam enim « dies Domini, sicut mille anni [27], » non superposuit (64) autem mille annos, sed intra eos mortuus est, transgressionis adimplens sententiam. Sive ergo secundum inobedientiam, quæ est mors : sive quod exinde traditi sint, et facti sint debitores mortis : sive secundum unum et eumdem diem, in quo manducaverunt, et mortui sunt, quoniam una conditionis dies : sive secundum hunc circulum dierum, quia in ipsa mortui sunt, in qua et manducaverunt, hoc est, Parasceve, quæ dicitur cœna pura (65), id est sexta feria, quam et Dominus ostendit passus in ea : sive secundum quod non sit supergressus mille annos, sed in ipsis mortuus sit : secundum omnia ergo quæ significantur, Deus quidem verax; mortui enim sunt, qui gustaverunt de ligno : serpens autem mendax ostensus est, homicida, sicut Dominus ait de eo : « Quoniam ab initio homicida est, et in veritate non stetit [28]. »

CAPUT XXIV.

De diaboli perpetuo mendacio, potestatibus quibus nos parere oportet, atque imperiis terrenis, quatenus a Deo, non autem a diabolo constituantur.

1. Sicut ergo in principio mentitus est, ita et in fine mentiebatur, dicens : « Hæc omnia mihi tradita sunt, et cui volo, do ea [29]. » Non enim ipse determinavit hujus sæculi regna, sed Deus : « Regis enim cor in manu Dei [30]. » Et per Salomonem autem ait Verbum : « Per me reges regnant, et potentes (66) tenent (67) justitiam. Per me principes exaltabuntur (68), et tyranni per me regnant terram (69) [31]. » Et Paulus autem apostolus in hoc ipsum ait : « Omnibus potestatibus sublimioribus subjecti estote : non est enim potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt a Deo dispositæ sunt [32]. » Et iterum de ipsis ait : « Non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male operatur [33]. » Quoniam hæc autem non de angelimistam, dies unus. His omnibus præmisit, quod *inobedientia Dei mortem infert.* Quo die itaque Adamus Dei imperium detrectavit, eo ipso mortuus est. Hæc breviter explicare necesse fuit, quia apud Irenæum paulo obscuriora sunt.

[25] Gen. III, 4. [26] Gen. I, 5. [27] II Petr. III, 8. [28] Joan. VIII, 44. [29] Luc. IV, 6. [30] Prov. XXI, 1. [31] Prov. VIII, 15. [32] Rom. XIII, 1. [33] Ibid., 4.

(58) *Disputabat.* In Eras., Gallas. Clarom., Arundel. et Merc. 2, *disputat.*

(59) *Tertium.* Ita ex Claromont. posui pro *tertio.*

(60) *Manducaverant.* Al., *manducaverunt.*

(61) *Quoniam conditionis dies unus.* Nimirum quia totum illud spatium, quo mundus perseverat, apud Deum unius diei instar est. Quam in sententiam trahit auctor noster illud Geneseos : *Factum est enim vespere, et factum est mane dies unus.* Quasi diceret : totum siquidem spatium, quo res conditæ perseverant, vespere et mane circumscribitur; at vespere et mane dies unus est. Hæc prima explicandi ratio ab Irenæo allata, quinam illud verum sit, eadem die mortuum esse Adamum, qua peccavit. Alias subinde refert, nempe mortuum esse Adamum eodem quo peccavit die, quia *debitor factus est mortis*, seu morti obnoxius; tertio, quia sexta feria cum peccaverit, qua et ipsa conditus est, eadem ipsa feria, licet post plures annos, recurrente, mortuus est. Ut si quis natali suo die moriatur, eodem quo ortus est mori dicitur. Quartam addit : quia intra millesimum annum decessit; sunt autem anni mille, juxta Psal-

(62) *Factum... factum est.* Bis *factum* habent cum LXX Clarom. et Voss. Feuard. vero semel tantum. Erasmus autem et Gallas., *factus.*

(63) *Ei.* Hanc vocem ex Arund., Merc. 2 (consent. Ottob.) adjecit Grab., pro qua minus bene scriptum *et* in vet. Feuard. cod., Voss. et Claromont.

(64) *Superposuit.* Id est *excessit*, vel ut habet paulo post, *supergressus est.*

(65) *Cœna pura.* Vide supra.

(66) *Potentes.* Eras., Gallas. et Feuard., *potestates.*

(67) *Tenent.* In nostris τῶν Ο' codd. legimus γράφουσι, non κρατοῦσι.

(68) *Exaltabuntur.* Ita Clarom. In vet. Feuard. cod., et Voss., *excitabuntur;* in aliis, *exaltantur :* cui quidem lectioni licet faveant hodierni τῶν Ο' codd., exemplar Clarom. sequi malui, quia antiquiores codd. futurum tempus habent.

(69) *Per me regnant terram.* Sic vetus Feuard. cod.

Digitized by Google

cis potestatibus, nec de invisibilibus principibus dixit, quomodo quidam audent exponere, sed de his quæ sunt secundum hominem potestates, ait: « Propter hoc enim et tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum deservientes [34] (70). » Hoc autem et Dominus confirmavit, non faciens quidem quod a diabolo suadebatur; tributorum autem exactoribus jubens pro se, et pro Petro dari tributum: quoniam « ministri Dei sunt, in hoc ipsum deservientes [35]. »

2. Quoniam enim absistens a Deo homo in tantum efferavit, ut etiam consanguineum hostem sibi putaret, et in omni inquietudine, et homicidio, et avaritia sine timore versaretur; imposuit illi Deus humanum timorem (non enim cognoscebant timorem Dei), ut potestati hominum subjecti, et lege eorum astricti, ad aliquid (71) assequantur justitiæ, et moderentur ad invicem, in manifesto propositum (72) gladium timentes, sicut Apostolus ait: « Non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male operatur. » Et propter hoc et ipsi magistratus indumentum justitiæ leges habentes, quæcunque juste et legitime fecerint, de his non interrogabuntur, neque pœnas dabunt. Quæcunque autem ad eversionem justi, inique, et impie, et contra legem, et more tyrannico exercuerint, in his et peribunt; justo judicio Dei ad omnes æqualiter perveniente, et in nullo deficiente. Ad utilitatem ergo gentilium terrenum regnum positum est a Deo (sed non a diabolo, qui nunquam omnino quietus est; imo qui nec ipsas quidem gentes vult in tranquillo agere); ut timentes regnum hominum (73), non se alterutrum homines vice piscium consumant, sed per legum positiones repercutiant multiplicem gentilium injustitiam. Et secundum hoc « ministri Dei » sunt, qui tributa exigunt a nobis, « in hoc ipsum servientes. »

3. « Quæ sunt potestates, a Deo ordinatæ sunt; » manifestum est (74) quoniam mentitur diabolus, dicens: « Mihi tradita sunt, et cui volo, do ea. » Cujus enim jussu homines nascuntur, hujus jussu et reges constituuntur, apti his qui illo tempore ab ipsis regnantur (75). Quidam enim illorum ad correptionem (76) et utilitatem subjectorum dantur, et conservationem justitiæ; quidam autem ad timorem, et pœnam, et increpationem; quidam autem ad illusionem, et contumeliam, et superbiam, quemadmodum et **322** digni sunt; Dei justo judicio, sicut prædiximus, in omnibus æqualiter supergrediente (77). Diabolus autem, quippe apostata exsistens angelus, hoc tantum potest, quod detegit (78) in principio, seducere et abstrahere mentem hominis ad transgredienda præcepta Dei, et paulatim obcæcare corda eorum qui conarentur servire ei, ad obliviscendum quidem verum Deum; ipsum autem quasi Deum adorare (79).

4. Quemadmodum autem si quis apostata regionem aliquam hostiliter capiens, perturbet eos qui in ea sunt, ut regis gloriam sibi vindicet apud ignorantes quod apostata et latro sit: sic etiam diabolus, cum sit unus ex angelis his, qui super spiritum aeris præpositi sunt, quemadmodum Paulus apostolus in ea quæ est ad Ephesios manifestavit [36], invidens homini, apostata a divina factus est lege: invidia enim aliena est a Deo. Et quoniam per hominem traducta est apostasia ejus, et examinatio sententiæ ejus homo factus est; ad hoc (80) magis magisque semetipsum contrarium constituit homini, invidens vitæ ejus, et in sua potestate apostatica volens concludere eum. Omnium (81) artifex Verbum Dei, per hominem vincens eum, et apostatam ostendens, e contrario subjecit eum homini: « Ecce » dicens, « do vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici [37]; » ut quemadmodum dominatus est homini per apostasiam, sic iterum per hominem recurrentem ad Deum, evacuetur apostasia ejus.

CAPUT XXV.

Antichristi fraus, superbia, et tyrannicum regnum, prout a Daniele et Paulo descripta sunt.

1. Et non tantum autem per ea quæ dicta sunt, sed et per ea quæ erunt sub Antichristo, ostenditur, quoniam exsistens apostata et latro, quasi Deus vult

[34] Rom. XIII, 6. [35] Matth. XVII, 26. [36] Ephes. II, 2. [37] Luc. X, 19.

Clarom., Voss. et Grab., partim etiam Merc. 2, cum LXX. At in cæteris, loco istarum vocum, exstat una duntaxat, *terræ*.

(70) *Deservientes*. Ita, pro *servientes*, repono ex Clarom. et Voss., quia paulo post iterum legitur *deservientes* in omnibus cod.

(71) *Ad aliquid*. *Ad* adjeci ex Clarom., Voss. et Merc. 2. Sic autem construenda verba: *assequantur justitiæ ad aliquid*: ubi interpres respiciens ad regimen verbi ἐπιτυγχάνω, quo usum hic fuisse Irenæum puto, perperam vertit, *assequantur justitiæ*; haud attendens verbum Latinum, *assequor*, hic pro *pertingant*, *perveniant*: quomodo sensus esset, *ad aliquid justitiæ pertingant*.

(72) *In manifesto propositum*. Ita vetus Feuard. cod., Clarom., Merc. 2 et Grab. Cæteri aut *manifesto*, aut *positum* habent.

(73) *Hominum*. Editt. *humanum*.

(74) *Manifestum est*. Supple *igitur*, connexionis causa.

(75) *Regnantur*. Sic Eras., Gallas., Clarom. et omn. Anglic. Nec dubito quin verbum βασιλεύονται (quod peritior alter vertisset *regantur*) interpres reddiderit *regnantur*. Hoc vero, cum aut non intellexisset, aut non probasset Feuard., commutavit in *regantur*.

(76) *Correptionem*. Editt. cum Merc. 2 et Ottob., *correctionem*.

(77) *Supergrediente*. In Voss., *perveniente*; in editt., *superveniente*.

(78) *Quod detegit*. Sic in Feuard. marg., Clarom. et Voss. Alii, *quod egit*, vel *quod et egit*.

(79) *Adorare*. Scribendum erat, *adorandum*.

(80) *Ad hoc*. Alii, *adhuc*. Græce scriptum fuisse puto εἰς τοῦτο, quod hic vertendum fuisset, *propter hoc*, *propterea*.

(81) *Omnium*. *Autem* addiderunt editores, connexionis gratia. Sed hanc particulam non agnoscunt mss.

Digitized by Google

adorari; et cum sit servus, regem se vult præconari. Ille enim omnem suscipiens diaboli virtutem, veniet non quasi rex justus, nec quasi in subjectione Dei legitimus; sed impius, et injustus, et sine lege, quasi apostata, et iniquus, et homicida, quasi latro, diabolicam apostasiam in se recapitulans: et idola quidem seponens, ad suadendum quod ipse sit Deus; se autem extollens unum idolum, habens in semetipso reliquorum idolorum varium errorem: ut hi qui per multas abominationes adorant diabolum, hi per hoc unum idolum serviant ipsi, de quo Apostolus in Epistola quæ est ad Thessalonicenses secunda, sic ait: « Quoniam nisi venerit abscessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollit se super omne quod dicitur Deus, aut colitur: ita ut in templo Dei sedeat, ostendens semetipsum tanquam sit Deus [38]. » Manifeste igitur Apostolus ostendit apostasiam (82) ejus, et quoniam extollitur super omne quod dicitur Deus, vel quod colitur, hoc est, super omne idolum (hi enim sunt qui dicuntur quidem ab hominibus, non sunt autem dii), et quoniam ipse se tyrannico more (83) conabitur ostendere Deum.

2. Super hæc autem manifestavit et illud, quod a nobis per multa ostensum est, quoniam in Hierosolymis templum dispositione veri Dei factum est. Ipse enim Apostolus ex sua persona diffinitive templum illud dixit Dei. Ostendimus autem in tertio libro [39], nullum ab apostolis ex sua persona Deum appellari, nisi eum qui vere sit Deus, Patrem Domini nostri: cujus jussu hoc, quod est in Hierosolymis, factum est templum, ob eas causas quæ a nobis dictæ sunt: in quo adversarius sedebit, tentans semetipsum Christum ostendere, sicut et Dominus ait: « Cum autem videritis abominationem desolationis, quod dictum est (84) per Danielem prophetam, stantem in loco sancto (qui legit, intelligat), tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes: et qui in tecto est, non descendat tollere quidquam de domo. Erit enim tunc pressura magna, qualis non est facta ab initio sæculi usque nunc, sed neque fiet [40]. »

3. Daniel autem novissimi regni finem respiciens, id est novissimos decem reges, in quos dividitur (85) regnum illorum, super quos filius perditionis veniet, cornua dicit decem nasci bestiæ; et alterum cornu pusillum nasci in medio ipsorum, et tria cornua de prioribus eradicari a facie ejus. « Et ecce, inquit, oculi quasi oculi hominis in cornu hoc, et os loquens magna, et aspectus ejus major reliquis. Videbam (86), et cornu illud faciebat bellum adversus sanctos, et valebat adversus eos: quoadusque venit Vetustus dierum, et judicium dedit sanctis altissimi Dei, et tempus pervenit (87), et regnum obtinuerunt sancti [41]. » Postea, in exsolutione visionum, dictum est ei: « Bestia quarta, regnum quartum erit in terra, quod eminebit super reliqua regna, et manducabit omnem terram, et conculcabit eam, et concidet. Et decem cornua ejus (88), decem reges exsurgent; et post eos surget alius, qui superabit malis (89) omnes, qui ante eum fuerunt, **323** et reges tres deminorabit (90) et verba adversus altissimum Deum loquetur, et sanctos altissimi Dei conteret, et cogitabit demutare (91) tempora, et legem: et dabitur in manu ejus, usque ad tempus temporum (92), et dimidium tempus [42], » hoc est, per triennium et sex menses (93), in quibus veniens regnabit super terram. De quo iterum et apostolus Paulus in secunda ad Thessalonicenses, simul et causam adventus ejus annuntians, sic ait: « Et tunc revelabitur iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui et destruet præsentia adventus sui, cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis, et portentis men-

[38] II Thess. II, 3, 4. [39] Cap. 9 et seqq. [40] Matth. XXIV, 15 et seqq. [41] Dan. VII, 8, 20 et seqq [42] Ibid., 23 et seqq.

(82) *Apostasiam.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Grab.; cæteri, *adventum.*

(83) *More.* In Arund., *timore.*

(84) *Quod dictum est.* Sic Clarom., Voss., Arundel. et Merc. 1. Reliqui, *quæ dicta est.* At non dubitem quin τὸ ῥηθέν verterit interpres, *quod dictum est*, haud attendens illud ,referri ad βδέλυγμα: quamvis inferius accuratius verterit, *quæ dicta est.*

(85) *Dividitur.* Alii, *divideretur.*

(86) *Videbam.* Sic Clarom., Voss., Merc. 1 et Grab. juxta Græcum Danielis, ἐθεώρουν. Reliqui, *videbatur.*

(87) *Pervenit.* Eras., Gallas., Arund. et Merc. 2, *prævenit.* Hieronymus vero Græcum ἔφθασε reddidit, *advenit.*

(88) *Et decem cornua ejus.* Ita juxta Græc. Danielis textum habent vet. Feuardent. cod., Voss., Arundel. et Merc. 2. Et ita etiam habebat Clarom., sed recentior quispiam audaculus scripsit: *et de decem cornibus ejus;* prout in Eras., Gallas. et Feuard. legitur.

(89) *Superabit malis.* Sic Clarom., Arundel. et Merc. 2, juxta LXX exemplaris Romani. Sed in veteri Feuard. cod. et Voss., *subruet malos;* in Erasm., Gallas. et Feuard. editt., *superabit alios.*

(90) *Deminorabit.* Vetus Feuard. cod. et Voss. *dehonorabit.*

(91) *Demutare.* In veteri Feuard. cod. et Voss. vitio scribarum, *se mutare;* in Clarom., *emundare*, forte pro *emendare.* Sed vera lectio est *demutare*, juxta Græc. ἀλλοιῶσαι.

(92) *Usque ad tempus temporum.* In nostris Danielis exemplaribus legitur: ἕως καιροῦ καὶ καιρῶν, *usque ad tempus et tempora.*

(93) *Hoc est, per triennium et sex menses.* Obscuriora hæc feliciter, meo quidem judicio, explicat cl. Grab., cujus integram notam hic juvat exscribere. Hujus interpretationis, inquit, ipse S. Joannes auctor est Apocal. cap. XII, ubi cum mulier dicitur *volare in desertum, in locum suum, ubi alitur per tempus, et tempora, et dimidium temporis*, vers. 6, id clarius explicatur: *mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum parutum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta;* qui ipsius S. Joannis et totius S. Scripturæ stylo, quo triginta solum dies singulis mensibus tribuuntur, exacte tres annos, et sex menses complent. Unde cap. XI ejusdem divinæ Apocal. *menses quadraginta duo* quorum vers. 2 fit mentio, continuo vers. 3 resolvuntur *in dies mille ducentos sexaginta.*

Digitized by Google

daciorum, et omni seductione malitiæ, pereuntibus, pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Et ideo mittet (94) eis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati [48]. »

4. Et Dominus autem hoc item non credentibus sibi dicebat : « Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me ; cum alius venerit in nomine suo, illum recipietis [49] ; » alium dicens Antichristum, qui (95) alienus est a Domino, et ipse est « iniquus judex, » qui a Domino dictus est, quoniam « Deum non timebat, neque hominem reverebatur [50], » ad quem fugit vidua oblita Dei, id est terrena Jerusalem, ad ulciscendum de inimico. Quod et faciet in tempore regni sui : transferet regnum in eam, et in templo Dei sedet (96), seducens eos qui adorant eum, quasi ipse sit Christus. Quapropter ait Daniel iterum : « Et sanctum desolabitur : et datum est in sacrificium peccatum (97), et projecta est in terra justitia, et fecit, et prospere cessit [51]. » Et Gabriel angelus exsolvens ejus visionem, de hoc ipso dicebat : « Et in novissimo regni ipsorum exsurget rex improbus facie valde, et intelligens quæstiones, et valida virtus ejus, et admirabilis, et corrumpet (98), et diriget, et faciet, et exterminabit fortes, et populum sanctum, et jugum torquis ejus dirigetur : dolus in manu ejus, et in corde suo exaltabitur, et dolo disperdet multos, et ad perditionem multorum (99) stabit, et quomodo ova manu (1) conteret [52]. » Deinde et tempus tyrannidis ejus significat, in quo tempore fugabuntur sancti, qui purum sacrificium offerunt Domino : « Et in dimidio hebdomadis, ait, tolletur sacrificium et libatio, et in templum (2) abominatio desolationis, et usque ad consummationem temporis consummatio dabitur super desolationem [53] ; » dimidium autem hebdomadis tres sunt anni et menses sex.

5. Ex quibus omnibus non tantum quæ sunt apostasiæ manifestantur, et quæ sunt ejus, qui in se recapitulatur omnem diabolicum errorem ; sed et quoniam unus et idem Deus Pater, qui a prophetis annuntiatus, a Christo autem manifestatus. Si enim quæ a Daniele (3) prophetata sunt (4) de fine, Dominus comprobavit : « Cum videritis, dicens, abominationem desolationis, quæ dicta est per Danielem prophetam [54] » (Danieli autem angelus Gabriel exsolutionem visionum fecit : hic autem est archangelus Demiurgi, et hic idem Mariæ evangelizavit manifestum adventum et incarnationem Christi [55]), unus et idem Deus manifestissime ostenditur, qui prophetas misit, et Filium præmisit (5), et nos vocavit in agnitionem suam.

CAPUT XXVI.

Quia Joannes et Daniel prædixerunt imperii Romani dissolutionem et desolationem, quæ finem mundi et regnum Christi æternum præcedet ; refelluntur alium a Demiurgo Patrem confingentes Gnostici, Satanæ organa, quorum opera nunc Deum aperte blasphemat.

1. Manifestius adhuc etiam de novissimo tempore, et de his qui sunt in eo decem regibus, in quos dividetur (6) quod nunc regnat imperium, significavit Joannes Domini discipulus in Apocalypsi, edisserens quæ fuerint decem cornua, quæ a Daniele visa sunt, dicens sic dictum esse sibi : « Et decem cornua quæ vidisti (7), decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem quasi reges una hora accipient cum bestia. Hi unam sententiam habent, et virtutem et potestatem suam bestiæ dant. Hi cum agno pugnabunt, et agnus vincet eos, quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum [56]. » Manifestum est itaque, quoniam ex his tres interficit ille qui venturus est (8), et reliqui subjicientur (9) ei, et ipse octavus in eis ; et vastabunt Babylonem, et comburent eam igni, et dabunt regnum suum bestiæ, et effugabunt Ecclesiam : post deinde ab 324 adventu Domini nostri destruentur. Quoniam enim oportet dividi regnum,

[48] II Thess. II, 8 et seqq. [49] Joan. V, 43. [50] Luc. XVIII, 2 et seqq. [51] Dan. VIII, 12. [52] Ibid., 23 et seqq. [53] Dan. IX, 27. [54] Matth. XXIV, 15. [55] Luc. I, 26 et seqq. [56] Apoc. XVII, 12 et seqq.

(94) *Mittet.* Sic recte Clarom. in quo prius quidem scriptum fuerat, *mittit*, ut habent alii omnes ; sed postea, si non eadem, saltem antiqua manu emendatum.

(95) *Qui.* Editi., *quoniam.*

(96) *Sedet.* Sic Clarom., Voss. et Merc. 2; alii recentiores, *sedebit.* At *sedet* hic pro futuro tertiæ conjugationis accipe.

(97) *Peccatum.* In vet. Feuard. cod. et Voss., *peccantium.* In LXX, ἐδόθη ἐπὶ τὴν θυσίαν ἁμαρτία, *datum est adversus hostiam peccatum.*

(98) *Et admirabilis, et corrumpet.* In nostris τῶν Ο' codd. legitur, καὶ θαυμαστὰ διαφθερεῖ, *et admirabiliter corrumpet.*

(99) *Multorum.* In Feuard. marg. et Voss., *ipsorum.*

(1) *Ova manu.* Sic mss., nisi quod in vet. Feuard. cod. et Voss. pro *manu*, incuria scribarum legatur, *manum*, vel *manuum.* At in Eras., Gallas. et Feuard. perperam, *una manus* ; nam LXX habent, ὡς ὠὰ ἐν χειρὶ συντρίψει.

(2) *In templum.* Ita Clarom., Arundel. et Merc. 2, juxta Græcum τῶν Ο' : ἐπὶ τὸ ἱερόν. Cæteri, *in templo.*

(3) *A Daniele.* In Feuard. marg. et Voss., *in Daniele.*

(4) *Prophetata sunt.* Sic Claromont. et Arundel. pro, *Propheta sunt dicta*, ut habent alii ; nec multum abludit Voss. omittens *dicta.*

(5) *Præmisit.* Verbum προέπεμψε hic simpliciter verti debuisset, *misit.* Sed forte ejusdem verbi repetitionem vitare voluit interpres.

(6) *Dividetur.* Clarom. et Voss., *dividitur.*

(7) *Et decem cornua quæ vidisti. Et* addunt cum sacro textu Clarom., Voss. et Grabius ; cæteri omittunt. Sed ad hæc verba desinit cod. Claromont. Residua pars hujus capitis, ac novem reliqua, avulsis (studio, an casu, non dixerim) pluribus foliis, misere interierunt.

(8) *Qui venturus est.* Antichristus videlicet.

(9) *Subjicientur.* In Eras. et ms. Voss., *subjiciuntur.*

Digitized by Google

et sic deperire, Dominus ait (10) : « Omne regnum divisum in se, desolabitur ; et omnis civitas vel domus divisa in se, non stabit[52]. » Dividi igitur et regnum, et civitatem, et domum oportet in decem : et propterea jam partitionem et divisionem præfiguravit. Et diligenter Daniel finem quarti regni digitos ait pedum esse ejus imaginis, quæ a Nabuchodonosor visa est, in quos venit lapis sine manibus præcisus, et quemadmodum ipse ait : « Pedes (11), pars quidem aliqua ferrea, et pars aliqua fictilis, quoadusque abscissus est lapis sine manibus, et percussit imaginem in pedes ferreos et fictiles, et comminuit eos usque ad finem[53]. » Post deinde in exsolutione ait : « Et quoniam vidisti pedes et digitos, partem quidem fictilem, partem autem ferream, regnum divisum erit, et a radice ferrea (12) erit in eo, quemadmodum vidisti ferrum commistum testæ. Et digiti pedum, pars quidem aliqua ferrea, pars autem aliqua fictilis[54]. » Ergo decem digiti pedum, hi sunt decem reges, in quibus dividetur (13) regnum : ex quibus quidam quidem fortes et agiles, sive efficaces : alii autem pigri et inutiles erunt, et non consentient ; quemadmodum et Daniel ait : « Pars aliqua regni (14) erit fortis, et ab ipsa pars (15) erit minuta. Quoniam vidisti ferrum commistum testæ, commistiones erunt in semine hominum, et non erunt adjuncti invicem, quemadmodum ferrum non commiscetur cum testa[55]. » Et quoniam finis fiet, inquit : « Et in diebus regum illorum excitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non corrumpetur, et regnum ejus alteri populo non relinquetur. Comminuet et ventilabit omnia regna, et ipsum exaltabitur in æternum. Quemadmodum vidisti, quoniam de monte præcisus est lapis sine manibus, et comminuit testam, ferrum, et æramentum, et argentum, et aurum. Deus magnus significavit regi, quæ futura sunt post hæc ; et verum est somnium, et fidelis interpretatio ejus[56]. »

2. Si ergo (16) Deus magnus significavit per Danielem futura, et per Filium confirmavit : et Christus est lapis, qui præcisus est sine manibus, qui destruet temporalia regna, et æternum inducet, quæ est justorum resurrectio (« Resuscitabit, ait, Deus cœli regnum, quod in æternum nunquam corrumpetur ») ; confutati resipiscant qui Demiurgum respuunt, et non consentiunt ab eo Patre præmissos prophetas, a quo et Dominus venit ; sed asseverant ex differentibus Virtutibus factas esse prophetias. Quæ enim a Demiurgo prædicta sunt similiter per omnes prophetas, hæc Christus in fine perfecit, ministrans Patris sui voluntati, et adimplens secundum humanum genus dispositiones. Qui ergo blasphemant Demiurgum, vel ipsis verbis et manifeste, quemadmodum qui a Marcione sunt ; vel secundum eversionem sententiæ (17), quemadmodum qui a Valentino sunt, et omnes qui falso dicuntur esse Gnostici, organa Satanæ ab omnibus Deum colentibus cognoscantur esse, per quos Satanas nunc, et non ante, visus est (18), maledicere Deo, qui ignem æternum præparavit omni apostasiæ. Nam ipse per semetipsum nude non audet (19) blasphemare suum Dominum ; quemadmodum et initio per serpentem seduxit hominem, quasi latens Deum.

Καλῶς ὁ Ἰουστῖνος ἔφη (20), ὅτι πρὸ μὲν τῆς τοῦ Κυρίου παρουσίας οὐδέποτε ἐτόλμησεν ὁ Σατανᾶς βλασφημῆσαι τὸν Θεὸν, ἅτε μηδέπω εἰδὼς αὐτοῦ τὴν κατάκρισιν·

Bene Justinus dixit, quoniam ante Domini adventum nunquam ausus est Satanas (21) blasphemare Deum, quippe nondum sciens suam damnationem :

[52] Matth. XII, 25. [53] Dan. II, 33, 34. [54] Ibid., 41, 42. [55] Ibid., 42, 43. [56] Ibid., 44, 45.

(10) *Dominus ait.* Al., *sicut Dominus ait.*

(11) *Pedes.* Al., *pedis.*

(12) *A radice ferrea.* Hæc juxta LXX, ἀπὸ τῆς ῥίζης τῆς σιδηρᾶς, in locum Vulgatæ lectionis, post Grabium substituit ex Ottob., Voss. et Merc. 2, quanquam in his præpositio *a* desideretur.

(13) *Dividetur.* Eras. et Gallas., *dividitur.*

(14) *Aliqua regni.* Pronomen *aliqua*, juxta τί Græcum Danielis addidit Grab. ex Voss., quamvis in hoc vox *regni* sit omissa.

(15) *Pars.* In aliis, *parte.*

(16) *Si ergo.* In Feuardent. ex vet. cod. et in ms. Voss., *sic ergo.* Sed connexio sequentium verborum, *confutati resipiscant*, exigere videtur *si.*

(17) *Sententiæ.* Voss., *scientiæ.*

(18) *Visus est.* In edit. legitur *ausus est*, quia verbum istud bis postea repetitur. At Feuard. in marg., Arund. et Voss. habent *visus*, pro quo in Merc. 2 imperitia scribarum exstat, *missus.* Quare cum nullus ms. codex jam habeat *ausus* (uno forte excepto Ottob., quem tamen ipse non vidi), tutius duxi reponere *visus :* cum maxime hujus lectionis optimus sit sensus. Nam *visus est*, hic accipitur pro *conspectus est*, Græce ὤφθη, idque vult Irenæus, Satanam per organa sua nunc primum, et non ante, conspectum esse *maledicere Deo.*

(19) *Non audet.* Sic Feuard. in marg. et Voss. mellius quam alii, *non audebat.* Rationem enim affert cur Satanas per organa sua nunc primum visus sit maledicere Deo : *quia*, inquit, *ipse per semetipsum non audet blasphemare suum Dominum.*

(20) *Καλῶς ὁ Ἰουστῖνος ἔφη.* Hunc locum ex utroque citat Euseb. lib. IV *Hist.*, cap. 18. Ex quo vero Justini libro hæc exscripserit Irenæus, incertum. Ex libro *contra Marcionem* petita esse asserere videtur Hieronymus in *Catalogo.* Forte etiam ex libro quem adversus omnes hæreses edidisse se profitetur Justinus in priori *Apologia*, erula sunt.

(21) *Ante Domini adventum nunquam ausus est Satanas*, etc. Satanam ante Christi adventum de sempiterna damnatione sua non adeo certum fuisse, quin adhuc spes aliqua obtinendæ per illum salutis affulgeret, atque idcirco nondum immanitati suæ, et in Deum proteriæ frena laxasse, non Justinus modo atque Irenæus opinati sunt, sed etiam Epiphanius hæres. 39 quæ est Sethianorum, § 8, auctor carminis cont. Marcion. inter opera Tertull. lib. I, cap. 3, Isidorus Pelusiota lib. II, epist. 90, et Œcumenius in cap. ultimum epist. I D. Petri. Huic vero opinioni fundamentum præbere potuit trita illa veterum non paucis sententia, diabolum nondum damnationis suæ accepisse sententiam ; neque sempiternis cruciatibus addictum ; sed in extremo judicio id eum esse passurum. Sed de his

Digitized by Google

quoniam et in parabolis, et allegoriis, a prophetis (22) de eo sic dictum est. Post autem adventum Domini ex sermonibus Christi et apostolorum ejus discens manifeste, quoniam ignis æternus ei præparatus est ex sua voluntate abscedenti (23) a Deo, et omnibus qui sine pœnitentia perseverant in apostasia: per hujusmodi homines blasphemat eum Deum, qui judicium importat, quasi jam condemnatus, et peccatum suæ apostasiæ conditori suo imputat, et non suæ voluntati et sententiæ: quemadmodum et qui supergrediuntur leges, et pœnas dant, queruntur de legislatoribus, sed non de semetipsis. Sic autem et hi diabolico spiritu pleni, innumeras accusationes inferunt factori nostro, qui et Spiritum vitæ nobis donaverit, et legem omnibus aptam posuerit; et nolunt justum esse judicium Dei. Quapropter et alterum quemdam excogitant Patrem, neque curantem, neque providentem eorum, quæ sunt erga nos, aut etiam consentientem omnibus peccatis.

325 CAPUT XXVII.

De futuro judicio per Christum, communione et separatione divina, atque infidelium pœnis æternis.

1. Si enim non judicat Pater, aut non pertinet ad eum, aut consentit his quæ fiunt omnibus; et si non judicat, omnes in æquo erunt, et in eodem dinumerabuntur statu (24). Supervacuus ergo erit adventus Christi, et contrarius, in eo quod non judicet. « [57] Venit enim dividere hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem, et nurum adversus socrum [58]: » et cum duo sint in eodem lecto, unum assumere et alterum relinquere: et duabus molentibus in mola, alteram assumere, et alteram relinquere [59] (25): ad finem jubere messoribus colligere primum zizania, et fasciculos alligare, et comburere igni inexstinguibili; triticum autem colligere in horreum [60]; et agnos quidem vocare in præparatum regnum; hædos autem in æternum ignem mittere, qui præparatus est a Patre ejus diabolo et angelis ejus [61]. Et quid enim? Verbum venit in ruinam et in resurrectionem multorum [62]? In ruinam quidem non credentium ei, quibus et majorem damnationem, quam A Sodomorum et Gomorrhæ in judicio comminatus est [63]; in resurrectionem autem credentium, et facientium voluntatem Patris ejus, qui est in cœlis. Si ergo adventus Filii super omnes quidem similiter advenit, judicialis est autem et discretor credentium et non credentium, quoniam ex sua sententia (26) credentes faciunt ejus voluntatem, et ex sua sententia indicto audientes (27) non accedunt ad ejus doctrinam; manifestum, quoniam et Pater ejus omnes quidem similiter fecit, propriam sententiam unumquemque habentem, et sensum liberum; respicit autem omnia, et providet omnibus, « solem suum oriri faciens super malos et bonos, et pluens super justos et injustos [64]. »

2. ... Ὅσα τὴν πρὸς B (28) Θεὸν τηρεῖ φιλίαν, τούτοις τὴν ἰδίαν παρέχει κοινωνίαν. Κοινωνία δὲ Θεοῦ, ζωὴ καὶ φῶς, καὶ ἀπόλαυσις τῶν παρ' αὐτοῦ ἀγαθῶν. Ὅσοι... ἀφίστανται κατὰ τὴν γνώμην αὐτῶν τοῦ Θεοῦ, τούτοις τὸν ἀπ' αὐτοῦ χωρισμὸν ἐπάγει. Χωρισμὸς δὲ τοῦ Θεοῦ, θάνατος· καὶ χωρισμὸς φωτὸς, σκότος· καὶ χωρισμὸς Θεοῦ ἀποβολὴ πάντων τῶν παρ' αὐτοῦ C ἀγαθῶν. Οἱ οὖν διὰ τῆς ἀποστασίας ἀποβαλόντες τὰ προειρημένα, ἅτε ἐστερημένοι πάντων τῶν ἀγαθῶν, ἐν πάσῃ κολάσει καταγίνονται· τοῦ Θεοῦ μὲν προηγητικῶς μὴ κολάζοντος, ἐπακολουθούσης δὲ ἐκείνης τῆς κολάσεως, διὰ τὸ ἐστερῆσθαι πάντων τῶν ἀγαθῶν. Αἰώνια δὲ καὶ ἀτελεύτητα παρὰ Θεοῦ τὰ ἀγαθά· καὶ διὰ τοῦτο

2. Et quicunque erga eum custodiunt dilectionem, suam his præstat communionem. Communio autem Dei, vita et lumen, et fruitio eorum quæ sunt apud eum (29) bonorum. Quicunque autem absistunt secundum sententiam suam ab eo, his eam quæ electa est ab ipsis (30), separationem inducit. Separatio autem Dei, mors; et separatio lucis, tenebræ; et separatio Dei, amissio omnium quæ sunt apud eum (31) bonorum. Qui ergo per apostasiam amiserunt quæ prædicta sunt, quippe desolati (32) ab omnibus bonis, in omni pœna conversantur; Deo quidem principaliter non a semetipso (33) eos puniente, prosequente autem eos (34) pœna, quoniam sint de-

[57] Cap. XXVII. [58] Matth. x, 35. [59] Luc. XVII, 34, 35. [60] Matth. XIII, 30; III, 12. [61] Matth. XXV, 33 seqq. [62] Luc. II, 34. [63] Luc. X, 12. [64] Matth. V, 45.

jam alibi diximus. Consule, si lubet, Petavium, *Dogmatum theolog.* t. III, lib. I, De angelis, cap. 8, et lib. III, cap. 4.

(22) *A prophetis.* Sic Voss., Arundel. et Grab., melius quam alii, *et prophetis.*

(23) *Abscedenti.* Voss., Merc. 2 et Grab. haud recte, *abscidenti.*

(24) *Et in ... statu. Et* in locum *si* auctoritate cunctorum mss. Ang. recte Grab. substituit, ac voce *statu* periodum clausit.

(25) *Et cum duo sint ... relinquere: et duabus ... relinquere.* Posterius comma: *et duabus*, etc., in Eras., Gallas., Arundel. et Merc. 2 omissum, ex vet. cod. restituit Feuard., sed inverso ordine præmisit alteri: *et cum duo*, etc. Proprio loco restituit Grab. ex cod. Voss.

(26) *Ex sua sententia.* Græce γνώμῃ, *voluntate, consilio, libero arbitrio*, etc.

(27) *Indicto audientes.* Feuard. reposuit *inobedientes*, sed qua auctoritate, non dicit. Tutius cum Eras., Gallas., Ottob., Arundel. et Merc. 2 legere, *indicto audientes*, ut non raro scribit interpres.

(28) Ὅσα τὴν πρός, etc. Græca hæc, a Damasceno in *Parallelis* sub diversis titulis allegata, et ab Halloixio in *Vita Irenæi* edita, solerter compegit cl. Grab. At, pro ὅσα lege cum interp. ὅσοι.

(29) *Apud eum.* Græce, *ab eo.*

(30) *His eam, quæ electa est ab ipsis.* In vet. Feuard. cod. et Voss., *his autem, quæ lecta est.* At Græca sonant: *his eam, quæ est ab ipso, separationem*, etc.

(31) *Apud eum.* Al., *apud Deum.* At juxta Græcum, *ab eo.*

(32) *Desolati.* Pro *privati.*

(33) *A semetipso.* Nihil his respondet in Græco. Suspicor glossema esse.

(34) *Eos.* Hinc in Græco, pro ἐκείνης lege ἐκείνους.

Digitized by Google

καὶ ἡ στέρησις αὐτῶν αἰώνιος καὶ ἀτελεύτητος· ὡς διηνεκοῦς τοῦ φωτὸς ὄντος, οἱ τυφλώσαντες ἑαυτοὺς, ἢ καὶ ὑπὸ ἄλλων τυφλωθέντες, διηνεκῶς ἀποστεροῦνται τῆς τοῦ φωτὸς ἀπολαύσεως, οὐ τοῦ φωτὸς ἐπιφέροντος αὐτοῖς τὴν ἐν τυφλώσει τιμωρίαν·

solati ab omnibus bonis (35). Æterna autem, et sine fine sunt a Deo bona : et propter hoc et amissio eorum æterna et sine fine est : quemadmodum in immenso (36) lumine, qui excæcaverunt semetipsos, vel ab aliis excæcati sunt, semper privati sunt jucunditate luminis ; non quod lumen pœnam eis inferat cæcitatis (37),

A

sed quod ipsa cæcitas superindicat eis calamitatem. Et propter hoc Dominus dicebat : « Qui credit in

B

me, non judicatur, » id est, non separatur a Deo ; adunitus est enim per fidem Deo. « Qui autem non credit, ait, jam judicatus est, quoniam non credidit in nomine unigeniti Filii Dei, » id est, separavit semetipsum a Deo voluntaria sententia. « Hoc est enim judicium, quoniam lumen venit in hunc mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Omnis enim qui male agit, odit lumen, et non venit (38) ad lumen, ne traducantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lumen, ut manifestentur opera ejus, quoniam in Deo est operatus [66]. »

326 CAPUT XXVIII.

De piorum et impiorum discrimine, apostasia futura sub Antichristo, atque mundi consummatione.

C

1. Ἐπὶ οὖν (39) ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, οἱ μὲν προστρέχουσι τῷ φωτὶ, καὶ διὰ τῆς πίστεως ἑνοῦσιν ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ· οἱ δὲ ἀφίστανται τοῦ φωτὸς, καὶ ἀφορίζουσιν ἑαυτοὺς τοῦ Θεοῦ· ἐκδέχεται ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ, τοῖς πᾶσιν ἁρμόζουσανοἴκησιν ἐπάγων·

1. Quoniam igitur in hoc mundo quidam quidem accurrunt lumini, et per fidem uniunt se Deo ; alii autem absistunt a lumine, et separant seipsos a Deo : venit Verbum Dei, omnibus aptam habitationem inferens ; his quidem qui

[66] Joan. III, 18 seqq. XIII, 2 seqq. [66] Matth. XXV, 34, 41. [67] II Thess. II, 10 seqq. [68] Apoc. XIX, 20. [69] Apoc.

(35) *Sint desolati ab omnibus bonis.* Alii, *sunt desolati ab omni bono.*

(36) *Immenso.* Græc., *continuo, perpetuo.*

(37) *Cæcitatis.* Græc., *in cæcitate.*

(38) *Odit lumen, et non venit.* Eras., Gallas. et Feuard., *odit lucem, et non veniet.*

(39) *Ἐπὶ οὖν.* Græca hæc iterum ex Damasceni *Parallelis* edidit Halloixius in *Vita Irenæi*, pag. 487.

(40) *Ἐκδέχεται ... τοὺς μέν.* Lege cum Interp. ἔρχεται ... τοῖς μέν.

(41) *Eo, et.* Duas istas voculas non agnoscit textus Græcus, cujus proinde paulo diversus sensus.

(42) *Ut participentur eas calamitates, quæ in eis sunt.* Sic vet. Feuard. cod., Voss. et Grab. ; cæteri, *ut participetur eis calamitas, quæ in eis est :* quæ emendatio esse videtur cujuspiam recentioris, haud attendentis verbum *participari*, ut deponens partim usurpari ab interprete.

(43) *Ad sinistram.* Al., *a sinistra.*

(44) *Dilectionem Dei.* Supra cap. 25 habet cum nostris N. Test. codd. *dilectionem veritatis.*

τοὺς μὲν (40) ἐν τῷ φωτὶ, πρὸς τὸ ἀπολαύειν αὐτοὺς τῶν ἐν αὐτῷ ἀγαθῶν· τοῖς δὲ ἐν τῷ σκότει, πρὸς τὸ μετέχειν αὐτοὺς τῆς ἐν αὐτῷ μοχθηρίας. Διὰ τοῦτο φησὶ, τοὺς μὲν ἐκ δεξιῶν ἀναχαλέσασθαι εἰς τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν· τοὺς δὲ ἐξ ἀριστερῶν, εἰς τὸ αἰώνιον πῦρ πέμψειν· ἑαυτοὺς γὰρ πάντων ἐστέρησαν τῶν ἀγαθῶν.

in lumine sunt, ut fruantur eo, et (41) his quæ in eo sunt bonis ; his autem qui in tenebris sunt, ut participentur eas calamitates quæ in eis sunt (42). Et propter hoc ait, hos quidem qui sunt ad dexteram, vocari in regnum Patris ; illos autem qui sunt ad sinistram (43), in æternum ignem missurum [66]. Semetipsos enim omnibus privaverunt bonis.

2. Et propter hoc Apostolus ait : « Pro eo quod dilectionem Dei (44) non receperunt, ut salvi fierent, et ideo mittet eos Deus in operationem (45) erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati [67]. » Illo (46) enim veniente, et sua sententia apostasiam recapitulante in semetipsum, et sua voluntate et arbitrio operante quæcunque operabitur, et in templo Dei sedente, ut sicut Christum adorent illum qui seducentur (47) ab illo ; quapropter (48) et juste « in stagnum projicietur (49) ignis [68] : » Deo (autem) (50) secundum suam providentiam præsciente omnia, et apto tempore eum, qui talis futurus erat, immittente, « ut credant falso, et judicentur (51) omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. [69] » Cujus adventum Joannes in Apocalypsi significavit ita : « Et bestia quam videram, similis erat pardo, et pedes ejus quasi ursi, et os ejus quasi os leonis, et dedit ei draco virtutem suam, et thronum suum, et potestatem magnam, et unum ex capitibus ejus quasi occisum in mortem (52), et plaga mortis ejus curata est, et admirata est universa terra post bestiam : et adoraverunt draconem, quoniam dedit potestatem bestiæ ; et adoraverunt bestiam dicentes : Quis similis bestiæ illi, et quis potest pugnare cum ipsa?

D

(45) *Mittet eos Deus in operationem.* Sic vet. Feuardent. cod. et Voss. Alii cum nostris Pauli exemplaribus : *mittet eis Deus operationem.* Et hoc etiam posteriori modo cit. cap. hunc locum allegat. Sed cum sæpe ex memoria citet Irenæus, nihil mirum si non eodem ubique modo citet.

(46) *Illo.* Antichristo scilicet, ad quem redit oratio.

(47) *Seducentur.* Al., *seducuntur.*

(48) *Quapropter.* Pro *eapropter, propterea*, etc. Sic enim explicari hanc vocem exigit verborum connexio, quæ alioqui nulla foret.

(49) *Projicietur.* Sic Feuard. in marg. et Grab., quibus fere consentit Voss. in quo exstat, *projicitur.* Cæteri, *projicientur ;* sed minus recte, nam de Antichristo sermo est.

(50) *Deo autem.* Abundat particula *autem.*

(51) *Et judicentur.* Arundel. et Grab., *ut judicentur.* Sed repugnant alii omnes codd.

(52) *Occisum in mortem.* In cod. Voss., *decisum in morte.*

Digitized by Google

Et datum est ei os loquens magna et blasphemiam, et data est ei potestas mensibus quadraginta et duobus. Et aperuit os suum blasphemium (53) adversus Deum, blasphemare nomen ejus, et tabernaculum ejus, et eos qui in cœlo habitant. Et data est ei potestas super omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem. Et adoraverunt eam (54) omnes qui habitant super terram, cujus non est scriptum nomen (55) in libro vitæ Agni occisi a constitutione mundi. Si quis habet aures, audiat. Si quis in captivitatem duxerit, in captivitatem ibit. Si quis gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi. Hic est sustinentia et fides sanctorum [70]. » Post deinde et de armigero ejus (56), quem et pseudoprophetam vocat : « Loquebatur, inquit, quasi draco, et potestatem primæ bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus : et facit terram, et qui habitant in ea, ut adorarent (57) bestiam primam, cujus curata est plaga mortis ejus. Et faciet (58) signa magna, ut et ignem faciat de cœlo descendere in terram in conspectu hominum, et seducet (59) inhabitantes super terram [71]. » Hæc ne quis eum divina virtute putet signa facere, sed magica operatione. Et non est mirandum, si dæmoniis et apostaticis spiritibus ministrantibus ei, per eos faciat signa, in quibus seducat habitantes super terram. « Et imaginem, ait, jubebit fieri bestiæ, et spiritum dabit imagini, uti et loquatur imago, et eos qui non adoraverint eam, faciet occidi. Et characterem autem, ait, in fronte, et in manu dextra faciet dari, ut non possit aliquis emere vel vendere, nisi qui habet characterem nominis bestiæ, vel numerum nominis ejus : et esse numerum sexcentos sexaginta sex, quod est, sexies centeni, et deni sexies, et singulares sex ; » in recapitulationem universæ (60) apostasiæ **327** ejus, quæ facta est in sex millibus annorum.

3. Ὅσαις... ἡμέραις (61) ἐγένετο ὁ κόσμος, τοσαύταις χιλιοντάσι συντελεῖται. Καὶ διὰ τοῦτο φησὶν ἡ Γραφή· « Καὶ συνετελέσθησαν ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, καὶ πᾶς ὁ κόσμος αὐτῶν. Καὶ συνετέλεσεν ὁ Θεὸς τῇ ἡμέρᾳ τῇ ς' τὰ ἔργα αὐτοῦ ἃ ἐποίησε, καὶ κατέπαυσεν ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ζ' ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων αὐτοῦ. » Τοῦτο δ' ἐστὶ τῶν προγεγονότων διήγησις, καὶ τῶν ἐσομένων προφητεία. Ἡ γὰρ ἡμέρα Κυρίου ὡς ,α ἔτη· ἐν ἓξ οὖν ἡμέραις συντετελέσται τὰ γεγονότα· φανερὸν οὖν, ὅτι ἡ συντέλεια αὐτῶν τὸ ς' ἔτος ἐστίν.

3. Quotquot enim diebus hic factus est mundus, totot millenis annis consummatur. Et propter hoc ait Scriptura Geneseos : « Et consummata sunt cœlum et terra, et omnis ornatus eorum. Et consummavit Deus die sexto omnia opera sua quæ fecit, et requievit in die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit [72] (62). » Hoc autem est et antefactorum narratio, quemadmodum facta sunt, et futurorum prophetia. Si etenim (63) dies Domini quasi mille anni [73], in sex autem diebus consummata sunt quæ facta sunt ; manifestum est quoniam consummatio ipsorum sextus millesimus annus est.

4. Et propter hoc in omni tempore, plasmatus initio homo per manus Dei, id est Filii et Spiritus, fit secundum imaginem et similitudinem Dei, paleis quidem abjectis, quæ sunt apostasia ; frumento autem in horreum assumpto, quod est hi qui ad Deum fide fructificant. Et propterea tribulatio necessaria est his qui salvantur, ut quodammodo contriti, et attenuati, et conspersi (64) per patientiam Verbo Dei, et igniti (65), apti sint ad convivium regis.

Ὡς εἰπέ (66) τις τῶν ἡμετέρων, διὰ τὴν πρὸς

Quemadmodum quidam de nostris dixit, propter

[70] Apoc. XIII, 11 seqq. [71] Ibid., 14 seqq. [72] Gen. II, 1, 2. [73] II Pet. III, 8.

(53) *Blasphemum. Ad blasphemium* in solo Arundel. quem tamen sequi Grabio placuit, quia, inquit, S. Joannes ait : εἰς βλασφημίαν. At non quid scripserit Joannes, sed qui Joannem allegaverit Irenæus, inquiritur. Illum enim hic, ut et paulo post, ex memoria citare videtur, additis quibusdam, pluribus aliis omissis, ut conferenti patebit.

(54) *Adoraverunt eam.* In Arundel., Merc. 2 et Grab., *adoraverunt eum :* sed male, nam pronomen referri debet ab bestiam.

(55) *Cujus non est scriptum nomen.* Melius scripsit Vulgatus interpres: *quorum non sunt scripta nomina.*

(56) *De armigero ejus*, etc. Hujus Irenæi loci sensum potius, quam ipsa verba allegavit Andreas Cæsariensis serm. 13 in Apocalyp., pag. 57, lin. 40, seqq. his verbis: Φησὶν ὁ Εἰρηναῖος ἐπὶ λέξεως οὕτω· Περὶ τοῦ ὑπασπιστοῦ, ὃν καὶ ψευδοπροφήτην καλεῖ· Ἐλάλει, φησὶν, ὡς δράκων. Τούτῳ δὲ ἔδωκεν ἐξουσίαν διδόσθαι σημείων καὶ τεράτων, ἵνα ποιῇ ἔμπροσθεν τοῦ Ἀντιχρίστου, προοδοποιῶν αὐτῷ τὴν τῆς ἀπωλείας ὁδόν.

(57) *Adorarent.* Sic Feuard. in marg. et Voss. Reliqui, *adorent.*

(58) *Et faciet.* In Eras., *et faciat ;* in Gallas. et Feuard., *ut faciat ;* in Græco S. Joan., καὶ ποιεῖ, *et facit ;* in Vulgata nostra, *et fecit.*

(59) *Seducet.* Al., *seducit.*

(60) *Recapitulationem universæ.* In Voss., *recapitulatione universa.*

(61) *Ὅσαις... ἡμέραις.* Græcum hoc Irenæi fragmentum e cod. 3443 Biblioth. Reg. descriptum edidit Cotelerius in notis ad epist. S. Barnabæ, § 15. Quæ vero in eodem ms. post τὸ ς' ἔτος ἐστὶν sequuntur : Καὶ τῇ ζ' κρίνει τὴν οἰκουμένην· καὶ τῇ η', ἥτις ἐστὶν ὁ μέλλων αἰὼν, τοὺς μὲν παραδίδωσιν εἰς κόλασιν αἰώνιον, τοὺς δὲ εἰς ζωήν. Διὰ τοῦτο εἴρηνται οἱ ψαλμοὶ ὑπὲρ τὴν η'· si sint Irenæi, ex aliquo ejusdem opere, quod interierit, excerpta sint necesse est.

(62) *Operibus suis, quæ fecit.* In Voss. omittitur *suis ;* in Græco vero, *quæ fecit.*

(63) *Si etenim.* Particulam *si* a Feuard. auctoritate vet. codicis additam abjecit Grab., quod, inquit, nec Græcus textus, neque ullus ms. cod. Anglic. eam habeat. Sed sufficiat in optimæ notæ vet. Feuard. cod. haberi, et ad connexionem verborum Latinorum omnino necessariam esse. Eam vero non exigit diversa Græcorum constructio.

(64) *Conspersi.* Voss., *conspersi.* Græce, φυραθέντες.

(65) *Et igniti.* Al., *ut igniti.*

(66) *Ὡς εἰπέ.* Eusebius lib. III *Hist.*, cap. 30, hanc sententiam beati Ignatii Antiocheni episcopi

Digitized by Google

Θεὸν μαρτυρίαν κατακρι- θεὶς πρὸς θηρία· « Ὅτι σῖτός εἰμι Θεοῦ, καὶ διὰ δδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος εὑρεθῶ (67). »

martyrium in Deum adjudicatus ad bestias : « Quoniam frumentum sum Christi, et per dentes bestiarum molor, ut mundus panis Dei (68) inveniar[74]. »

CAPUT XXIX.

Universa ad utilitatem hominum facta esse; et de Antichristi dolis, æquitia, vi apostatica, a diluvio et deinceps in Ananiæ, Azariæ, et Misaelis persecutione præfigurata.

1. Causas autem reddidimus in his qui sunt ante hanc libris, propter quas passus est Deus hæc ita fieri : ostendimusque quoniam omnia quæ sunt talia, pro eo qui salvatur homine facta sunt : illud quod est sui arbitrii et suæ potestatis maturans ad immortalitatem, et aptabiliorem eum ad æternam subjectionem Deo præparans. Et propter hoc conditio insumitur homini (69) : non enim homo propter illam, sed conditio facta est propter hominem. Gentes autem quæ et ipsæ non allevaverunt oculos suos ad cœlum, neque gratias egerunt factori suo, neque lumen veritatis videre voluerunt, sed sicut mures cæci absconditi in profundo insipientiæ, juste sermo « ut stillicidium de cado, et sicut momentum stateræ, et sicut nihil[75] » deputavit; in tantum utiles et aptabiles justis, quantum utilitatis præstat stipula ad tritici augmentum, et palea ejus in ustionem, ad operationem auri. Et propterea cum in fine repente hinc Ecclesia assumetur (70): « Erit, inquit, tribulatio qualis non est facta ab initio, neque fiet[76]. » Novissimus enim agon hic justorum, in quo vincentes coronantur incorruptela.

. . . . . ἀνακεφαλαίωσις (71) γίνεται πάσης ἀδικίας, καὶ παντὸς δόλου, ἵνα ἐν αὐτῷ συρρεύσασα καὶ συγκλεισθεῖσα πᾶσα δύναμις ἀποστατικὴ κατὰ τὸν κάμινον ὀλισθῇ τοῦ πυρός. Καταλλήλως οὖν καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἕξει τὸν ἀριθμὸν χξς'· ἀνακεφαλαιούμενος ἐν αὐτῷ τὸν πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ πᾶσαν κακίαν· . . . . . nem, quæ facta est ex angelica apostasia (73).

2. Et propter hoc in bestia veniente recapitulatio fit universæ iniquitatis et omnis doli, ut in ea (72) confluens et conclusa omnis virtus apostatica, in caminum mittatur ignis. Congruenter autem et nomen ejus habebit numerum, sexcentos sexaginta sex; recapitulans in semetipso omnem quæ fuit ante diluvium, malitiæ commistio-

. . . Νῶε γὰρ ἐτῶν ἑξακοσίων, καὶ κατακλυσμὸς ἐπῆλθε τῇ γῇ εἰς ἐξάλειψιν τῆς ἁμαρτίας. . . . . ἀνακεφαλαιούμενος δὲ καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ πᾶσαν εἰδωλολατρείαν, ... Noe enim fuit annorum sexcentorum, et diluvium advenit terræ, 328 delens inresurrectionem (74) terræ propter nequissimam generationem, quæ fuit temporibus Noe. Recapitulans autem et omnem qui fuit a diluvio errorem commentatorem idolorum, et prophetarum interfectionem, et succensionem justorum.

. . . μέχρις οὗ ἡ τοῦ Ναβουχοδονόσωρ ἀναστατθεῖσα εἰκών, ἧτις ὕψος μὲν εἶχε πηχῶν ἑξήκοντα, εὖρος δὲ πηχῶν ς'. . . . Illa enim quæ fuit a Nabuchodonosor instituta (75) imago, altitudinem quidem habuit cubitorum sexaginta, latitudinem autem cubitorum sex : propter quam (76) et Ananias, et Azarias, et Misael, non adorantes eam, in caminum missi sunt ignis, per id quod eis evenit, prophetantes eam, quæ in finem futura est justorum succensio.

. . . . δλη γὰρ ἡ εἰκὼν ἐκείνη προτύπωσις ἦν τῆς τοῦ ἀντιχρίστου παρουσίας. . . . . Universa enim imago illa præfiguratio fuit hujus adventus, ab omnibus omnino hominibus ipsum solum decernens adorari.

carne inveniet, exspectantes eum de cœlis, et perpessos tribulationem, qui et effugerint iniqui (71) manus. Ipsi autem sunt de quibus ait propheta : « et derelicti multiplicabuntur in terra. » Et quotquot ex credentibus ad hoc præparavit Deus, ad derelictos multiplicandos in terra, et sub regno sanctorum fieri, et ministrare huic Jerusalem, et regnum in ea, significavit Jeremias propheta, « Circumspice, dicens, ad orientem, Jerusalem, et vide lætitiam quæ adventat tibi ab ipso Deo. Ecce, venient filii tui quos emisisti, venient collecti (72) ab oriente usque ad occidentem verbo illius sancti, gaudentes ea quæ a Deo tuo est claritate. Exuere, Jerusalem, habitum luctus et afflictionis tuæ, et induere decorem ejus quæ a Deo tuo est claritatis in æternum: circumdare amictum duplicem ejus quæ a Deo tuo est justitiæ, impone mitram super caput tuum gloriæ æternæ. Deus enim demonstrabit ei quæ sub cœlo est universæ tuum fulgorem. Vocabitur namque nomen tuum ab ipso Deo in æternum, pax justitiæ et gloriæ colenti Deo. Surge, Jerusalem, et sta in excelso, et circumspice ad orientem, et vide collectos filios tuos a solis ortu usque ad occidentem verbo illius sancti, gaudentes ipsam Dei recordationem (73). Profecti sunt enim a te pedites, dum adducerentur (74) ab inimicis. Introducet illos Deus ad te portatus cum gloria tanquam thronus (75) regni. Decrevit enim Deus ut humilietur omnis mons excelsus, et congeries æternæ, et ut valles impleantur, ad redigendam planitiem terræ, ut ambulet Israel tute Dei gloria. Umbracula autem intexuerunt silvæ, et omne lignum boni odoris ipsi Israel præcepto Dei. Præibit enim Deus cum lætitia lumine claritatis suæ, cum misericordia et justitia, quæ ab ipso est [33]. »

2. Hæc autem talia universa non in supercœlestibus possunt intelligi : « Deus enim, ait, demonstrabit ei quæ sub cœlo est, universæ tuum fulgorem ; » sed in regni temporibus, revocata (76) terra a Christo, et rædificata Jerusalem, secundum characterem (77) quæ sursum est Jerusalem, de qua ait propheta Isaias : « Ecce in manibus meis depinxi muros tuos, et in conspectu meo es semper [34]. » Et Apostolus autem scribens ad Galatas similiter ait : « Illa autem quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater omnium nostrum [35] ; » non ex cogitatione (78) erratici Æonis dicens hoc, **336** neque de virtute aliqua, quæ abscessit Pleromate, et Prunico; sed de Jerusalem quæ in manibus descripta est. Et ipsam descendentem in Apocalypsi vidit Joannes super terram novam [36]. Post enim regni tempora, « vidi, inquit, thronum album magnum, et sedentem in eo, cujus a facie fugit terra et cœlum, et locus non est eis [37]. » Et illa jam (79), quæ sunt generalis resurrectionis et judicii, exponit, vidisse dicens « mortuos magnos et minores. Dedit, inquit, mare mortuos, quos in se habuit, et mors et inferi dederunt mortuos, quos apud se habuerunt, et libri aperti sunt. Sed et vitæ, ait, apertus est liber, et judicati sunt mortui ex iis quæ scripta erant in libris, secundum opera sua, et mors, et inferi missi sunt in stagnum ignis, secundam mortem [38]. » Hoc autem est quod vocatur gehenna, quod Dominus dixit ignem æternum [39]. « Et si quis, inquit, non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis [40]. » Et post hæc ait : « Vidi cœlum novum, et terram novam. Primum enim cœlum et terra abierunt; etiam mare non est. Et civitatem sanctam Jerusalem novam vidi descendentem de cœlo, præparatam ut sponsam ornatam viro suo. Et audivi, inquit, vocem magnam de throno dicentem : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populi (80) ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et delebit omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors non erit amplius, non luctus, non clamor, neque dolor ulterius erit, quia prima abierunt [41]. » Et Isaias autem hoc ipsum ait : « Erit enim cœlum novum, et terra nova, et non erunt memores priorum, neque obveniet eis in cor; sed lætitiam et exsultationem invenient in ea [42]. » Hoc autem est quod ab Apostolo dictum est : « Præterit enim habitus hujus mundi [43]. » Similiter autem et Dominus ait : « Terra et cœlum transiet [44]. » His itaque prætereuntibus super terram, novam superiorem Jerusalem ait Domini discipulus Joannes descendere, quemadmodum sponsam ornatam viro suo; et hoc esse tabernaculum Dei, in quo inhabitabit Deus cum hominibus. Hujus Jerusalem imago illa, quæ in priori terra Jerusalem, in qua justi præmeditantur incorruptelam (81), et parantur in salutem. Et hujus tabernaculi typum accepit Moyses in monte : et nihil allegorizari potest, sed omnia firma, et vera, et substantiam habentia, ad fruitionem

[33] Baruch IV, 36, et V tot. [34] Isa. XLIX, 16. [35] Gal. IV, 26. [36] Apoc. XXI, 2. [37] Apoc. XX, 11. [38] Ibid., 12, 13, 14. [39] Matth. XXV, 41. [40] Apoc. XX, 15. [41] Apoc. XXI, 1 seqq. [42] Isa. LXV, 17, 18. [43] I Cor. VII, 31. [44] Matth. XXVI, 35.

præpositione *in* reguntur, et cum ea construuntur. Porro *in* scripsit interpres pro *circa, erga;* Græc., περί.

(71) *Iniqui.* Scil., *Antichristi.*

(72) *Collecti.* Sic Grab. ex Voss. et sacro textu. In Feuard., *electi.*

(73) *Recordationem.* In Feuard. corrupte, *recreationem.*

(74) *Adducerentur.* Forte legendum *abducerentur.*

(75) *Portatus... thronus.* Græca Baruchi sonant : *portatos... thronum.*

(76) *Revocata.* Conjicit Grab. legendum, *renovata.* Sed non meminit jam Irenæum sup. cap. 33, n. 4, eadem voce, et eodem sensu pro *redintegrata*, seu ad pristinum statum revocata usum fuisse.

(77) *Secundum characterem.* Id est, secundum formam, typum, etc.

(78) *Non ex cogitatione.* Pro *non de cogitatione.*

(79) *Illa jam. Jam* addidit Grab. ex cod Voss.

(80) *Populi.* Ita etiam Voss. et Grab. juxta Græcum Joannis. In Feuard., *populus.*

(81) *Præmeditantur incorruptelam.* Pro *præexercitantur ad incorruptelam.*

Digitized by Google

hominum justorum a Deo facta. Quomodo enim vere Deus est, qui resuscitat hominem; sic et vere resurgit homo a mortuis, et non allegorice, quemadmodum per tanta ostendimus. Et sicut vere resurgit, sic et vere præmeditabitur incorruptelam, et augebitur, et vigebit (82) in regni temporibus, ut fiat capax gloriæ Patris. Deinde omnibus renovatis, vere in civitate habitabit Dei. « Dixit enim, inquit, sedens super thronum: Ecce nova facio omnia. Et dicit Dominus: Omnia scribe, quomodo (83) ii sermones fideles, et veri sunt. Et dixit mihi: Facta sunt [46]. » Et secundum rationem (84).

CAPUT XXXVI.

Homines vere suscitabuntur, mundusque non penitus exterminabitur: erunt autem variæ sanctorum mansiones pro cujusque dignitate, et omnia subjicientur Deo Patri: sicque erit omnia in omnibus.

1. Cum sint enim veri homines, veram esse oportet et plantationem ipsorum, sed non excedere in ea quæ non sunt; sed in iis quæ sunt, proficere. . . . . Οὐ γὰρ ἡ ὑπόστασις (85), οὐδὲ ἡ οὐσία τῆς κτίσεως (86) ἐξαφανίζεται (ἀληθὴς γὰρ καὶ βέβαιος ὁ συστησάμενος αὐτήν)· ἀλλὰ « τὸ σχῆμα παράγει τοῦ κόσμου τούτου, » τουτέστιν ἐν οἷς παράβασις γέγονεν (87), ὅτι ἐπαλαιώθη ὁ ἄνθρωπος ἐν αὐτοῖς. Καὶ διὰ τοῦτο τὸ σχῆμα τοῦτο πρόσκαιρον ἐγένετο (88), πρεῖδότος τὰ πάντα τοῦ Θεοῦ (89) . . . . Non enim substantia, neque materia conditionis exterminatur (verus enim et firmus qui constituit illam); sed « figura transit mundi hujus [46], » hoc est, in quibus transgressio facta est; quoniam veteratus est homo in ipsis. Et propter hoc figura hæc temporalis facta est, præsciente omnia Deo; . . . . . .

quemadmodum ostendimus in eo libro qui ante hunc est [47], et causam temporalium mundi fabricationis, secundum quod potuit ostendimus. . . . . παρελθόντος δὲ τοῦ σχήματος τούτου, καὶ ἀνανεωθέντος τοῦ ἀνθρώπου, καὶ ἀκμάσαντος πρὸς τὴν ἀφθαρσίαν, ὥστε μηκέτι δύνασθαι πέρα παλαιωθῆναι, ἔσται ὁ οὐρανὸς καινὸς, καὶ ἡ γῆ καινή· ἐν τοῖς καινοῖς (90) ἀναμενεῖ ὁ ἄνθρωπος ἀεὶ καινὸς, καὶ προσομιλῶν τῷ Θεῷ· . . . . . φησὶν γὰρ Ἡσαΐας (91)· « Ὃν τρόπον γὰρ ὁ οὐρανὸς καινὸς καὶ ἡ γῆ καινὴ, ἃ ἐγὼ ποιῶ, μένει (92) ἐνώπιον ἐμοῦ, λέγει Κύριος, οὕτω στήσεται τὸ σπέρμα ὑμῶν καὶ τὸ ὄνομα ὑμῶν... » ὡς οἱ πρεσβύτεροι λέγουσι (93), τότε καὶ οἱ μὲν καταξιωθέντες τῆς ἐν οὐρανῷ διατριβῆς (94), ἐκεῖσε χωρήσουσιν, οἱ δὲ τῆς τοῦ παραδείσου τρυφῆς (95) ἀπολαύσουσιν, οἱ δὲ τὴν λαμπρότητα τῆς πόλεως καθέξουσιν· πανταχοῦ (96) γὰρ ὁ Σωτὴρ (97) ὁραθήσεται, καθὼς ἄξιοι ἔσονται οἱ ὁρῶντες αὐτόν.

Prætereunte autem figura hac, et renovato homine, et vigente ad incorruptelam, ut non possit jam veterascere, erit cœlum novum et terra nova, in quibus novus perseverabit homo, semper nova confabulans Deo. Et quoniam hæc semper **337** perseverabunt sine fine, Isaias ait: « Quemadmodum enim cœlum novum, et terra nova, quæ ego facio, perseverant in conspectu meo, dicit Dominus; sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum [46]. » Et quemadmodum presbyteri dicunt, tunc qui digni fuerint cœlorum conversatione, illuc transibunt, id est, in cœlos; alii tute paradisi deliciis utentur; alii autem speciositatem civitatis possidebunt: ubique autem Deus videbitur, et quemadmodum digni erunt videntes eum.

[46] Apoc. xxi, 5, 6. [46] I Cor. vii, 31. [47] Cap. 3, 4. [46] Isa. lxvi, 22.

(82) *Vigebit.* Græce ἀκμάσει, *adolescet, roborabitur, invalescet*, etc.

(83) *Quomodo.* Forte, *quoniam*, juxta Gr. ὅτι.

(84) *Et secundum rationem.* I. e. *et merito, et vere quidem.*

(85) *Οὐ γὰρ ἡ ὑπόστασις.* Græca hæc usque ad προσομιλῶν τῷ Θεῷ, sub Irenæi nomine citavit Damasc. in *Parallelis*, descripta, ut ipse ait, ἐκ τοῦ ε' κατὰ αἱρέσεων, ex *quinto* ejusdem *libro adversus hæreses*; edidit vero Halloixius in *Vita Irenæi*, pag. 486. Priorem eorum partem allegavit etiam sub Irenæi nomine, et ex quinto pariter, ut ait, ejusdem libro Andreas Cæsariensis, in *Comment. in Apocalyp.*, cap. 18, sed plenius et accuratius, cap. 64.

(86) *Τῆς κτίσεως.* In Halloixio perperam, κτήσεως.

(87) *Γέγονεν.* In Andrea utroque loco, ἐγένετο.

(88) *Τοῦτο πρόσκαιρον ἐγένετο.* Sic Andreas, cap. 64; at in Damasceno male: παράγει τοῦ κόσμου τούτου. Πρόσκαιρον autem una voce lego cum vet. interp. contra atque in editt. ubi minus bene dividitur in duas.

(89) *Πάντα τοῦ Θεοῦ.* Hic desinit posterior Andreæ citatio.

(90) *Ἐν τοῖς καινοῖς... καινός.* Ἐν οἷς καινὸς... καινά, sine καί legit vet. interpres.

(91) *Φησὶν γὰρ Ἡσαΐας.* Græcum hoc fragmentum (cujus Joannes Curterius copiam fecit Feuardentio, a quo primum editum est) ex Irenæo, paucis immutatis, transcripsit. Anastasius, vel alius quisquis auctor est Appendicis ad ejus quæstiones in S. Scripturam, quæst. 74, juxta Gretseri Ingolstadiensem edit. Græco-Latinam 1617, vel quæst. 88, juxta Latinam Gentiani Herveti. At collatum tum a nobis cum mss. bibliothecæ Regiæ 2910, et Colbertinæ 1450, tum a clar. Grabio cum alio ms. cod. 206, Barocc. in bibliotheca Bodleiana, emendatius prodit.

(92) *Μένει.* Ita mss. Reg., Colbert. et Barocc. ac Gretserus in marg. Sed in textu male μένειν; Feuard. vero pejus, μένες.

(93) *Ὡς οἱ πρεσβύτεροι λέγουσι.* Loco horum, quæ ex priori Andreæ Cæsariensis loco supra (*not.* 85) cit. hic inseruit Grab., plura Anastasius Apocalypseos testimonia describit, quæ magna ex parte retulit Irenæus cap. præced.

(94) *Διατριβῆς.* In Gretseri textu, πολιτείας.

(95) *Τρυφῆς.* In Feuard. vitio typographi, ut puto, τροφῆς.

(96) *Οἱ δὲ... πανταχοῦ.* Plura hic interseruntur in Anastasii codd. quibus nihil in veteri Irenæi versione respondet: sic enim totum hunc locum exprimunt: οἱ δὲ τὴν ἁγίαν γῆν, καὶ τὴν λαμπρότητα τῆς πόλεως καθέξουσιν, σὺν πᾶσι τοῖς περὶ αὐτὴν ἀγαθοῖς, ἐπιχορηγουμένοις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. Πανταχοῦ, etc.

(97) *Σωτὴρ.* Legit vet. interp. Θεός.

Digitized by Google

2. Εἶναι δὲ τὴν διαστολὴν ταύτην (98) τῆς οἰκήσεως τῶν τὰ ἑκατὸν καρποφορούντων, καὶ τῶν τὰ ἑξήκοντα, καὶ τῶν τὰ τριάκοντα· ὧν οἱ μὲν εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἀναληφθήσονται, οἱ δὲ ἐν τῷ παραδείσῳ διατρίψωσιν, οἱ δὲ τὴν πόλιν κατοικήσουσιν· καὶ διὰ τοῦτο εἰρηκέναι τὸν Κύριον, ἐν τοῖς τοῦ Πατρός μου μονὰς εἶναι πολλάς· τὰ πάντα γὰρ τοῦ Θεοῦ, ὃς τοῖς πᾶσι τὴν ἁρμόζουσαν οἴκησιν παρέχει.

2. Esse autem distantiam hanc habitationis eorum qui centum fructificaverunt [49], et eorum qui sexaginta (99), et eorum qui triginta: quorum quidam in cœlum assumentur, alii in paradiso conversabuntur, alii in civitate inhabitabunt : et propter hoc dixisse Dominum, multas esse apud Patrem mansiones [50]. Omnia enim Dei sunt, qui omnibus aptam habitationem præstat :

quemadmodum Verbum ejus ait, omnibus divisum esse (1) a Patre secundum quod quis est dignus, aut erit. Et hoc est triclinium, in quo recumbent li qui epulantur vocati ad nuptias [51]. Hanc esse ad ordinationem et dispositionem eorum qui salvantur, dicunt presbyteri apostolorum discipuli, et per hujusmodi gradus proficere, et per Spiritum quidem [ad] Filium (2), per Filium autem ascendere ad Patrem; Filio deinceps cedente Patri opus suum, quemadmodum et ab Apostolo dictum est : « Quoniam oportet regnare cum, quoadusque ponat omnes (3), inimicos sub pedibus ejus. Novissima inimica destruetur mors [52]. » In temporibus enim regni justus homo super terram exsistens, oblivi- A scetur (4) mori jam. « Quando autem dixerit, inquit : omnia subjecta sunt; scilicet absque eo qui subjecit omnia. Cum autem ei fuerint subdita omnia, tunc ipse Filius subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus [53]. »

3. Diligenter ergo Joannes prævidit primam justorum resurrectionem, et in regno terræ hæreditatem : consonanter autem et prophetæ prophetaverunt de ea. Hæc enim et Dominus docuit, mistionem calicis novam in regno cum discipulis habiturum se pollicitus [54]. Et Apostolus autem liberam futuram creaturam a servitute corruptelæ, in libertatem gloriæ filiorum Dei, confessus est [55]. Et in omnibus iis, et per omnia idem Deus Pater ostenditur, qui plasmavit hominem, et hæreditatem terræ promisit patribus, qui eduxit illam (5) in resurrectione justorum, et promissiones adimplet in Filii sui regnum (6) : postea præstans illa paternaliter, quæ neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit [56]. Etenim unus Filius, qui voluntatem Patris perfecit; et unum genus humanum, in quo perficiuntur mysteria Dei, « quem concupiscunt angeli videre [57], » et non prævalent investigare sapientiam Dei, per quam (7) plasma ejus conformatum et concorporatum Filio perficitur : ut progenies ejus, primogenitus Verbum, descendat in facturam, hoc est in plasma, et capiatur ab eo; et factura iterum capiat Verbum, et ascendat ad eum, supergrediens angelos, et fiet (8) secundum imaginem et similitudinem Dei. B C

[49] Matth. XIII, 8. [50] Joan. XIV, 2. [51] Matth. XXII, 2 seqq. [52] I Cor. XV, 25, 26. [53] Ibid., 26 seqq. [54] Matth. XXVI, 29. [55] Rom. VIII, 21. [56] I Cor. II, 9. [57] I Pet. I, 12.

(98) *Ταύτην*. In Gretseri edit. et mss. citatis, ταύτης.

(99) *Sexaginta*. Sic cod. Voss. juxta Evangelii textum, et Græcum Anastasii. In Feuard. vitiose, *quadraginta*.

(1) *Verbum ejus ait, omnibus divisum esse*, etc. Ni fallor, respicere videtur Irenæus ab parabolas vel quinque talentorum, vel decem mnarum; sin minus, ad aliquod Christi dictum, quod ex presbyterorum, quos mox citat, traditione acceperit.

(2) *Ad Filium*. Cum palam exigat sermonis series legi *ad Filium*, particulam *ad* addidi, quamquam hamulis inclusam. D

(3) *Omnes*. Hanc vocem addidit Grab. auctoritate cod. Voss. et ipsius sacri textus.

(4) *Obliviscetur*. Voss., *obliviscitur*.

(5) *Eduxit illam*. Scil. creaturam a servitute.

(6) *Regnum*. Libentius legerem, *regno*.

(7) *Per quam*. Sic Voss. et Grab. melius quam Feuard., *per quem*.

(8) *Et fiet*. Vel lege *et fiat*; vel intellige, *et tunc fiet*.

DE SEQUENTIBUS FRAGMENTIS ADMONITIO.

338 De iis quæ hic in lucem emittimus, Irenæi fragmentis, cum jam in Dissertatione secunda, operi prævia, art. 3, egerimus, pauca supersunt dicenda. Id tantum observare juvat, duplicis generis fragmenta hic exhiberi : alia sunt quæ Eusebius, aliive ejusdem auctoritatis antiqui scriptores ex Irenæi operibus tunc exstantibus, et ab ipsis nominatim citatis eruerunt, suisque inseruerunt : alia vero vel a scriptoribus quibusdam recentioribus referuntur, vel in Catenis, aliisve mss. codicibus, sub Irenæi episcopi Lugdunensis nomine leguntur. Priora indubitatos esse Irenæi fetus, negari non potest. Posteriorum non adeo tuta fides. Sic enim plerumque referuntur, ut ipsa Irenæi opera, ex quibus excerpta sunt, aut nominatim non designentur; aut si quæ designentur, ea sint quorum mentionem nullam fecerint Eusebius, Hieronymus, aliique quibus genuina S. doctoris opera notiora esse debuerunt. Tale est illud fragmentum, quod ex Irenæi episcopi Lugdunensis Sermone de fide, ad Demetrium Viennensem diaconum, descripsisse se dicit Maximus abbas et confessor : ut et illud quod velut ex eodem sermone Latine edidit Feuardentius. Ii quippe sermones de fide Eusebio et Hieronymo prorsus ignoti fuisse videntur.

Digitized by Google

Anastasius Sinaïta, vel alius quisquis auctor est Anagogicarum contemplationum in Hexaemeron lib. x, seu, ut scripsit auctor, λόγῳ τῷ δεκάτῳ, haud spernendum refert fragmentum, quod a nullo hactenus observatum, Græce primum cum nova interpretatione Latina proferimus. Græca, nondum edita, nobiscum communicavit amicus, excepta e ms. cod. bibliothecæ Colbertinæ 2253, quem ipsi contulimus. Quæ ibi referuntur, ab Irenæo adversus hæresim impurorum Ophitarum decertante dicta fuisse scribit Anastasius : φάσκει γὰρ κατὰ τῆς τῶν μιαρῶν Ὀφιτῶν αἱρεσιαρχίας ὁπλιζόμενος. Ubi vero adversus hæresim Ophitarum speciatim decertaverit Irenæus, non novimus. Eorum quidem deliria narrat lib. I *Detectionis et eversionis*, cap. 30. Sed in decursu operis speciatim non confutat, nec aliter adversus ea decertat, quam fundamenta Gnosticorum omnium communia, quibus illorum etiam innitebatur hæresis, diruendo ; nec demum in iis libris occurrunt ea quæ velut ex Irenæo allegat Anastasius.

Incertius adhuc an ex genuinis Irenæi operibus excerpta sint, quæ ex variis tum Catenis, tum ms. codicibus exscripta sunt fragmenta. Ita enim sub Irenæi nomine citantur, ut nullus plerumque designetur ejusdem liber aut tractatus. Imo Regiæ bibliothecæ Catenas evolvendo deprehendimus, in quibusdam descripto interdum aliquo, velut Irenæi, testimonio, cum hac epigraphe, Εἰρηναίου ἐπισκόπου Λουγδούνων, aliis quæ proxime subnectuntur, hanc tantum præfigi, τοῦ αὐτοῦ : in aliis vero similibus Catenis, inter ea testimonia, quæ Irenæo nominatim ascribuntur, et ea quæ epigraphen τοῦ αὐτοῦ præfixam habent, alia interseri, sub alterius auctoris nomine, quæ prohibent ne τοῦ αὐτοῦ ad Irenæum referri possit ; probareque videntur, id quod ab unius Catenæ descriptore Irenæi fragmento proxime subjunctum fuerat alterius auctoris testimonium, ab alio imprudenter omissum, occasionem dedisse perperam ascribendi Irenæo ea quibus præfigitur inscriptio τοῦ αὐτοῦ. Quinetiam aliquando, in iis saltem quas inspeximus Catenis, post ea quæ Irenæo nominatim tribuuntur fragmenta, alia immediate sequuntur ἀνεπίγραφα, quorum proinde cum incertus sit auctor, haud recte fecerit, qui Irenæo ascripserit. Id tamen a Combefisio factum pag. 345, observavimus. Ex quibus omnibus id, quod volumus, conficitur, non usque adeo certa esse omnia quæ ex Catenis proferuntur, ut fidem statim impetrare debeant. Utut est, ea omnia fragmenta quæ tum a Feuardentio, Halloixio, Sirmondo, Combefisio, Grabio, et aliis, tum a nobis ipsis collecta sunt, hic exhibemus : ita tamen ut illis plus fidei non attribuamus quam mereantur.

FRAGMENTA DEPERDITORUM OPERUM

S. IRENÆI

EPISCOPI LUGDUNENSIS ET MARTYRIS.

I.

339 Clausula (9) Libri de Ogdoade (10), ex Euseb. lib. v Hist. eccl., cap. 20, et Nicephoro lib. iv Hist. eccl., cap. 30.

Ὁρκίζω σε, τὸν μεταγραψόμενον (11) τὸ βιβλίον τοῦτο, κατὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ κατὰ τῆς ἐνδόξου παρουσίας αὐτοῦ, ἧς ἔρχεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, ἵνα ἀντιβάλῃς ὃ μετεγράψω, καὶ κατορθώσῃς αὐτὸ πρὸς ἀντίγραφον τοῦτο, ὅθεν μετεγράψω, ἐπιμελῶς, καὶ τὸν ὅρκον τοῦτον ὁμοίως μεταγράψῃς, καὶ θήσεις ἐν τῷ ἀντιγράφῳ.

A Adjuro te, qui transcripseris hunc librum, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per gloriosum ejus adventum, quo veniet ad judicandum vivos et mortuos ; ut conferas quod transcripseris, et diligenter illud emendes ad exemplar, ex quo transcripsisti, utque adjurationem istam similiter describas, et exemplari (*tuo*) inseras.

II.

Fragmentum (12) Epistolæ ad Florinum, ex Euseb. et Nicephoro loc. citatis.

Ταῦτα τὰ δόγματα, Φλωρῖνε, ἵνα πεφεισμένως εἴπω, οὐκ ἔστιν ὑγιοῦς γνώμης· ταῦτα τὰ δόγματα ἀσύμφωνά ἐστι τῇ Ἐκκλησίᾳ, εἰς τὴν μεγίστην (13)

Hæc dogmata, Florine, ut parcissime ac levissime dicam, non sunt sanæ doctrinæ ; hæc dogmata Ecclesiæ non sunt consona, et in maximam

(9) *Clausula.* Σημείωσιν vocat Eusebius, vertitque Valesius, *adnotationem* ; Hieronymus vero, Rufinus, et Christophorsonus, *subscriptionem.* At, inquit Valesius, quamvis σημείωσις interdum pro subscriptione sumatur, hic tamen ita sumi non potest. Nam subscriptio nomen subscribentis debet exprimere. Quod cum hoc loco minime factum sit, nequaquam hæc subscriptio dici debet, sed potius adnotatio. Sic σημειώσεις dicebantur notæ illæ, quæ ad marginem scriptorum codicum appingebantur, ut lector rem notatu dignam ibi contineri intelligeret. Utut sit, cum ea σημείωσις, Eusebio et Hieronymo testibus, in fine libri scripta fuerit, non male *clausula* ejusdem libri dicitur. Eamdem ex Eusebio, ut videtur, descripserunt Hieronymus in *Catalogo*, et Nicephorus lib. iv *Hist. eccles.*, cap. 30. B

(10) *Libri de Ogdoade.* Vide quæ de hoc libro diximus Dissert. 2, art. 3, § 58.

(11) *Μεταγραψόμενον.* In Niceph., μεταγραφόμενον.

(12) *Epistolæ ad Florinum.* De hac epistola, et Florini erroribus disseruimus citatæ Dissert. § 58, 59.

(13) *Εἰς τὴν μεγίστην . . . αὐτοῖς.* Niceph omittit τὴν et αὐτοῖς.

Digitized by Google

impietatem eos conjiciunt qui illis assentiuntur; hæc dogmata ne quidem hæretici extra Ecclesiam positi proferre unquam ausi sunt; hæc dogmata hi, qui ante nos exstitere, presbyteri, quique apostolorum discipuli fuere, minime tibi tradiderunt. Vidi enim te, cum adhuc puer essem, in inferiore Asia apud Polycarpum, cum in imperatoria aula splendide ageres, et illi te probare conareris. Nam ea, quæ tunc gesta sunt, melius memoria teneo, quam quæ nuper acciderunt **340** (quippe quæ pueri discimus, simul cum animo ipso coalescunt, eique penitus inhærent); adeo ut et locum dicere possim, in quo sedens beatus Polycarpus disserebat, processus quoque ejus et ingressus, vitæque modum et corporis speciem, sermones denique quos ad multitudinem habebat; et familiarem consuetudinem quæ illi cum Joanne, ac reliquis qui Dominum viderant, intercessit, ut narrabat, et qualiter dicta eorum commemorabat; quæque de Domino ex ipsis audiverat, de miraculis illius etiam, ac de doctrina, quæ ab iis, qui Verbum vitæ ipsi conspexerant, acceperat Polycarpus, qualiter referebat, cuncta Scripturis consona. Hæc jam tunc temporis per Dei clementiam, quæ mihi obtigit, studiose audiebam, non in charta, sed in corde meo ea consignans, et semper per Dei gratiam, exacte ea mente revolvo. Atque in conspectu Dei contestari possum, beatum illum et apostolicum presbyterum, si tale quid audivisset, exclamaturum sane, ac obturatis auribus suis, pro more dicturum fuisse : *Deus, quæ me in tempora reservasti, ut hæc sustinerem!* atque ex loco ipso effugiturum, in quo sedens vel stans, ejusmodi sermones audivisset. Sed et ex epistolis ejus id liquido probari potest, quas sive ad vicinas Ecclesias misit, eas confirmans, sive ad quosdam fratres, admonens illos atque exhortans.

A ἀσέβειαν περιβάλλοντα τοὺς πειθομένους αὐτοῖς· ταῦτα τὰ δόγματα οὐδὲ οἱ ἔξω τῆς Ἐκκλησίας αἱρετικοὶ ἐτόλμησαν ἀποφήνασθαί ποτε· ταῦτα τὰ δόγματα οἱ πρὸ ἡμῶν πρεσβύτεροι, οἱ καὶ τοῖς ἀποστόλοις συμφοιτήσαντες, οὐ παρέδωκάν σοι. Εἶδον γάρ σε (14), παῖς ὢν ἔτι, ἐν τῇ κάτω Ἀσίᾳ παρὰ τῷ Πολυκάρπῳ, λαμπρῶς πράττοντα ἐν τῇ βασιλικῇ αὐλῇ, καὶ πειρώμενον εὐδοκιμεῖν παρ' αὐτῷ. Μᾶλλον γὰρ τὰ τότε διαμνημονεύω τῶν ἐναγχος γινομένων (αἱ γὰρ ἐκ παίδων μαθήσεις, συναύξουσαι τῇ ψυχῇ, ἑνοῦνται αὐτῇ)· ὥστε με δύνασθαι εἰπεῖν καὶ τὸν τόπον, ἐν ᾧ καθεζόμενος διελέγετο ὁ μακάριος Πολύκαρπος, καὶ τὰς προόδους (15) αὐτοῦ, καὶ τὰς εἰσόδους, καὶ τὸν χαρακτῆρα τοῦ βίου, καὶ τὴν τοῦ σώματος ἰδέαν, καὶ τὰς διαλέξεις ἃς ἐποιεῖτο πρὸς B τὸ πλῆθος, καὶ τὴν μετὰ Ἰωάννου συναναστροφὴν (16) ὡς ἀπήγγελλε, καὶ τὴν μετὰ τῶν λοιπῶν τῶν ἑωρακότων τὸν Κύριον, καὶ ὡς ἀπεμνημόνευε τοὺς λόγους αὐτῶν· καὶ περὶ τοῦ Κυρίου τίνα ἦν ἃ παρ' ἐκείνων ἀκηκόει, καὶ περὶ τῶν δυνάμεων αὐτοῦ, καὶ περὶ τῆς διδασκαλίας, ὡς παρὰ τῶν αὐτοπτῶν τῆς ζωῆς τοῦ Λόγου παρειληφὼς ὁ Πολύκαρπος, ἀπήγγελλε (17) πάντα σύμφωνα ταῖς Γραφαῖς. Ταῦτα καὶ τότε διὰ τὸ ἔλεος τοῦ Θεοῦ τὸ ἐπ' ἐμοὶ γεγονὸς σπουδαίως ἤκουον, ὑπομνηματιζόμενος αὐτὰ, οὐκ ἐν χάρτῃ, ἀλλ' ἐν τῇ ἐμῇ καρδίᾳ· καὶ ἀεὶ διὰ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ γνησίως αὐτὰ ἀναμαρυκῶμαι. Καὶ δύναμαι διαμαρτύρασθαι ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ, ὅτι, εἴ τι τοιοῦτον ἀκηκόει ἐκεῖνος ὁ μακάριος καὶ ἀποστολικὸς πρεσβύτερος, ἀνακράξας ἂν καὶ ἐμC φράξας τὰ ὦτα αὐτοῦ (18), καὶ κατὰ τὸ σύνηθες (19) εἰπὼν, *Ὦ καλὲ Θεὲ, εἰς οἵους με καιροὺς τετήρηκας, ἵνα τούτων ἀνέχωμαι!* πεφεύγοι ἂν καὶ τὸν τόπον, ἐν ᾧ καθεζόμενος ἢ ἑστὼς, τῶν τοιούτων ἀκηκόει λόγων (20). Καὶ ἐκ τῶν ἐπιστολῶν δὲ αὐτοῦ, ὧν ἐπέστειλεν ἤτοι ταῖς γειτνιώσαις Ἐκκλησίαις, ἐπιστηρίζων αὐτὰς, ἢ τῶν ἀδελφῶν τισι νουθετῶν αὐτοὺς καὶ προτρεπόμενος, δύναται φανερωθῆναι.

III.

Fragmentum. (21) Epistolæ ad Victorem papam Romanum, ex Euseb. lib. v Histor., cap. 24, et Nicephori lib. IV Hist. eccles., cap. 39.

Neque enim de die solum controversia est, sed

Οὐ γὰρ μόνον περὶ τῆς ἡμέρας (22) ἐστὶν ἡ ἀμ-

(14) *Εἶδον γάρ σε*, etc. De his legesis quæ diximus Disseri. 2, art. 1, § 1 et seqq.

(15) *Προόδους*. Quidam παρόδους. At priorem lectionem meliorem esse jure merito censet Valesius in notis, eamque in interpretatione sua expressisse se dicit. Hanc tamen ipsam non in interpretatione tantum, sed et in ipso textu Græco ed. 1659 expressam lego : adeo ut quod reposuisse se monet Grabius, jamdudum repositum esset.

(16) *Συναναστροφήν*. Niceph., ἀναστροφήν.

(17) *Ἀπήγγελλε*. Niceph., ἀπήγγειλε.

(18) *Ἐμφράξας τὰ ὦτα αὐτοῦ*. Hic mos erat (Valesii observatio est) veterum Christianorum, ut si forte in familiari colloquio impium aliquem sermonem, et a fidei catholicæ regula dissentientem audiissent, protinus obturatis auribus sese in fugam darent. Qua de re locus exstat illustris in libro II *Recognitionum* Clementis, ubi Simon B. Petro ait : *Si dixero quod neque tibi consonum, nec vulgo huic imperito rectum videtur, tu quidem quasi obstupefactus, aures continuo occludens, velut ne blasphemia polluantur, verteris in fugam.* Sed et Irenæus in lib. III *Contra hæreses*, cap. 4, num. 2, eumdem morem declarat his verbis : *Quibus si aliquis annuntiaverit ea, quæ ab hæreticis adinventa sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures, longo longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium.* Præterea Athanasius in *Epistola ad solitarios* : Ὡ τίς ἀκούσας οὐ δακρύσειε, τάχα καὶ τὴν ἀκοὴν κλείσειεν, ἵνα μηδὲ ἑτέρου λέγοντος ἀνέχηται; Hieronymus denique in lib. I *Adversus Rufinum : Lectis nuper Theophili papæ epistolis, in quibus Origenis exponit errores, dicitur obturasse aures suas, et auctorem tanti mali clara coram omnibus voce damnasse.*

(19) *Κατὰ τὸ σύνηθες*. Αὐτῷ laddit Nicephorus.

(20) *Τῶν τοιούτων... λόγων*. Niceph., τὸν τοιοῦτον... λόγον.

(21) *Epistolæ ad Victorem*. De hac epistola, eaque, quæ huic occasionem dedit, controversia quæ inter Victorem papam et Asiaticos efferbuit, fuse tractavimus in Disseri. 2, art. 1, § 19 seqq.

(22) *Οὐ γὰρ μόνον περὶ τῆς ἡμέρας*, etc. Diffi-

Digitized by Google

φισβήτησις, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ εἴδους αὐτοῦ τῆς νηστείας. Οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας, οἱ δὲ τεσσαράκοντα· Ὥρας ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς (23) συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. Καὶ τοιαύτη μὲν ποικιλία τῶν ἐπιτηρούντων, οὐ νῦν ἐφ' ἡμῶν γεγονυῖα, ἀλλὰ καὶ πολὺ πρότερον ἐπὶ τῶν πρὸ ἡμῶν, τῶν παρὰ τὸ ἀκριβὲς, ὡς εἰκὸς, κρατούντων (24), τὴν καθ' ἁπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθειαν εἰς τὸ μετέπειτα πεποιηκότων. Καὶ οὐδὲν ἧττον πάντες οὗτοι εἰρήνευσάν τε, καὶ εἰρηνεύομεν πρὸς ἀλλήλους· καὶ ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι. . . . . Καὶ οἱ πρὸ Σωτῆρος (25) πρεσβύτεροι οἱ προστάντες τῆς Ἐκκλησίας, ἧς νῦν ἀφηγῇ (26), Ἀνίκητον λέγομεν καὶ Πίον, Ὑγῖνόν τε καὶ Τελεσφόρον, καὶ Σύστον, οὔτε αὐτοὶ ἐτήρησαν, οὔτε τοῖς μετ' αὐτοὺς (27) ἐπέτρεπον. Καὶ οὐδὲν ἧττον αὐτοὶ, μὴ τηροῦντες, εἰρήνευον τοῖς ἀπὸ τῶν παροικιῶν (28), ἐν αἷς ἐτηρεῖτο, ἐρχομένοις πρὸς αὐτοὺς, καίτοι μᾶλλον ἐναντίον ἦν τὸ τηρεῖν τοῖς μὴ τηροῦσι (29)· καὶ οὐδέποτε διὰ τὸ εἶδος τοῦτο ἀπεβλήθησάν τινες (30). Ἀλλ' αὐτοὶ μὴ τηροῦντες, οἱ πρὸ σοῦ πρεσβύτεροι, τοῖς ἀπὸ τῶν παροικιῶν τηροῦσιν ἔπεμπον εὐχαριστίαν (31). Καὶ τοῦ μακαρίου Πολυκάρπου ἐπιδημήσαντος τῇ Ῥώμῃ (32) ἐπὶ Ἀνικήτου, καὶ περὶ ἄλλων τινῶν μικρὰ σχόντες πρὸς ἀλλήλους, εὐθὺς εἰρήνευσαν, περὶ τούτου τοῦ κεφαλαίου μὴ φιλεριστήσαντες ἑαυτούς (33). Οὔτε γὰρ ὁ Ἀνίκητος τὸν Πολύκαρπον πεῖσαι ἐδύνατο μὴ τηρεῖν, ἅτε μετὰ Ἰωάννου τοῦ

etiam de forma ipsa jejunii. Quidam enim existimant unico die sibi esse jejunandum; alii duobus, alii pluribus, alii vero quadraginta. Diurnis pariter ac nocturnis horis computatis, diem suum commetiuntur. Atque hæc quidem inter eos, qui jejunia observant, varietas non nostra primum ætate nata est; sed longe antea apud majores nostros ortum cepit: qui non accurate, ut verisimile est, retinentes jejunii formam, eam, quæ ex simplicitate et imperitia ortum habuit, consuetudinem in posterum induxerunt. Atque nihilominus tamen et omnes isti pacem inter se retinuerunt, et nos invicem retinemus. Ita jejuniorum diversitas consensionem fidei commendat. . . . . Sed et presbyteri illi, qui ante Soterem, Ecclesiam; **341** cui tu nunc præes, gubernarunt, Anicetum dico, et Pium, et Hyginum, cum Telesphoro, et Sixto, neque ipsi unquam observarunt; neque his, qui cum ipsis erant, ut observarent permiserunt. Ipsi tamen, cum hoc minime observarent, pacem nihilominus colebant cum iis, qui ad se venissent ex ecclesiis, in quibus id observabatur. Atqui observantia inter eos qui minime observabant, tanto magis contraria videbatur. Nec illi unquam ob ejusmodi consuetudinem rejecti sunt. Verum illi ipsi, qui te præcesserunt, presbyteri, quamvis id minime observarent, ecclesiarum presbyteris, qui id observabant, eucharistiam transmiserunt. Et cum beatissimus Polycarpus Aniceti temporibus Romam venisset, atque inter illos de quibusdam aliis rebus

culates quæ in his ac sequentibus verbis occurrunt, solvere conati sumus cit. Dissert., § 23 et seqq. Consule, si placet.

(23) *Οἱ δὲ τεσσαράκοντα. Ὥρας ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινάς*, etc. Sic cum Christophorsono lego atque distinguo; ratus videlicet Valesium, Grabium et alios, qui, deleta distinctionis nota post τεσσαράκοντα, uno et eodem tenore legunt: Οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας, ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινάς, etc., vim Irenæi menti inferre, et in tot ambages sese conjicere, ut ex iis emergendi nulla pateat via. Unde et Valesii interpretationem emendavi, ac pro *horas*, scripsi *horis*. Vide cit. § 23 et seqq.

(24) *Καὶ τοιαύτη μὲν ποικιλία... κρατούντων.* Vocem κρατούντων Musculus et Valesius male omnino verterunt, *rerum habenis potitos*, vel *præsidentes*: hic verti debuisset, *retinentes*, vel *observantes*, scilicet jejunii formam. Quare et hic Valesii interpretationem, alias intricatiorem, emendare necesse fuit. Rationes attulimus cit. Dissert., § 27.

(25) *Καὶ οἱ πρὸ Σωτῆρος.* Niceph., ἐν οἷς καὶ οἱ πρὸ Σωτῆρος.

(26) *Ἧς νῦν ἀφηγῇ.* Niceph., ἧς σὺ νῦν ἀφηγῇ.

(27) *Τοῖς μετ' αὐτούς.* Legit Rufinus, et quidem melius, μετ' αὐτῶν, vertit enim: *Neque ipsi ita tenuerunt, neque hi qui cum ipsis erant.* Eamque lectionem in interpretatione sua expressit Valesius.

(28) *Τοῖς ἀπὸ τῶν παροικιῶν.* Subintelligit Rhenanus verbum ἐλθοῦσι, sed frustra, inquit Valesius. Nam οἱ ἀπὸ τῶν παροικιῶν, sunt episcopi Ecclesiarum: quemadmodum, ἀπὸ Δεβέλτου, est episcopus Debelti; ἀπὸ Εὐμενείας, episcopus Eumeniæ.

(29) *Τοῖς μὴ τηροῦσι.* Legendum putat Valesius, ἐν τοῖς μὴ τηροῦσι· quam emendationem Turnebus ac Moræus ad marginem librorum suorum apposuerant. Hunc esse loci istius sensum censet. Cum observantia alicujus moris et inobservantia sint inter se contraria, tamen quoties is qui morem observat quempiam, versatur inter eos qui minime observant, tunc ipsa diversitas magis elucet. Hoc est quod vulgo dicitur in scholis philosophorum: Contraria juxta se invicem posita magis elucescunt.

(30) *Ἀπεβλήθησάν τινες.* Ἀποβάλλειν, ait Valesius, duo significat, aut ejicere ab Ecclesia, quæ frequentior significatio est; aut omnino non admittere venientem. Utraque significatio locum hic habere potest; quare ambas in interpretatione sua expressit Rufinus. *Nunquam tamen*, inquit, *ob hoc repulsi sunt ab Ecclesiæ societate, aut venientes ab illis partibus non sunt suscepti.*

(31) *Ἔπεμπον εὐχαριστίαν.* Non iis qui Romam veniebant, ut perperam existimavit Rhenanus, utpote qui cum ipso Romano celebrabant, aut etiam ipso præsente sacra faciebant, si catholica communione gaudérent; sed omnibus promiscue τοῖς ἀπὸ τῶν παροικιῶν τηροῦσιν, absentibus licet ac longius dissitis. Hunc quippe morem, eucharistiam tempore paschalis festivitatis ad alios episcopos, eulogiarum nomine, transmittendi promiscuum fuisse, et ab omnibus passim episcopis usurpatum, ex concilio Laodicæno discimus.

(32) *Μακαρίου Πολυκάρπου ἐπιδημήσαντος ἐν τῇ Ῥώμῃ.* Niceph., μακαρίου δὲ Πολυκάρπου ἐπιδημήσαντος ἐν τῇ Ῥώμῃ.

(33) *Περὶ τούτου τοῦ κεφαλαίου μὴ φιλεριστήσαντες ἑαυτούς.* Niceph., μὴ φιλεριστήσαντες πρὸς ἑαυτούς. Non igitur ob quæstionem de festo Paschæ, de qua vix disceptarunt, sed ob alias quasdam, Romam venerat Polycarpus. Secus quidem sensere Eusebius lib. IV, cap. 14, Hieronymus in libro *De scriptoribus eccles.*, et ex iis Baronius, ad an. Christi 167, sed potior Irenæo habenda fides.

Digitized by Google

modica esset controversia, statim mutuo pacis osculo se complexi sunt : de hoc capite non magnopere inter se contendentes. Neque enim Anicetus Polycarpo persuadere unquam poterat ut observare desineret; quippe qui cum Joanne Domini discipulo, et cum reliquis apostolis, quibuscum familiariter vixerat, eum morem perpetuo observasset. Neque item Polycarpus Aniceto persuadere potuit, ut observaret; cum Anicetus eorum, qui ante se fuerant, presbyterorum, morem sibi retinendum esse diceret. Quæ cum ita se haberent, communicarunt sibi invicem : et Anicetus in Ecclesia consecrandi munus Polycarpo honoris causa concessit; tandemque cum pace a se invicem discesserunt : tam iis qui observabant, quam illis qui minime observabant, pacem, communionemque totius Ecclesiæ retinentibus.

A μαθητοῦ Κυρίου ἡμῶν καὶ λοιπῶν ἀποστόλων οἷς συνδιέτριψεν, ἀεὶ τετηρηκότα· οὔτε μὴν ὁ Πολύκαρπος τὸν Ἀνίκητον ἔπεισε τηρεῖν, λέγοντα τὴν συνήθειαν τῶν πρὸ αὐτοῦ πρεσβυτέρων (34) ὀφείλειν κατέχειν. Καὶ τούτων οὕτως ἐχόντων, ἐκοινωνησαν ἑαυτοῖς· καὶ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ παρεχώρησεν ὁ Ἀνίκητος τὴν εὐχαριστίαν (35) τῷ Πολυκάρπῳ, κατ' ἐντροπὴν δηλονότι, καὶ μετ' εἰρήνης ἀπ' ἀλλήλων ἀπηλλάγησαν, πάσης τῆς Ἐκκλησίας εἰρήνην ἐχόντων καὶ τῶν τηρούντων, καὶ τῶν μὴ τηρούντων.

IV.

Aliud dictum ex Epistola ad Victorem, excerptum e Maximo (36) serm. 7 de eleemosyna, tom. II Operum, pag. 554.

Quamdiu quis in facultate habet, ut proximis benefaciat, nec facit, alienus a Domini dilectione æstimabitur.

B Ἐν ᾧ ἂν τις δύναιτο εὖ ποιεῖν τοῖς πλησίον, καὶ οὐ ποιεῖ, ἀλλότριος τῆς ἀγάπης τοῦ Κυρίου νομισθήσεται.

V.

342 Fragmentum Sermonis Irenæi de fide (37), ex ejusdem Maximi tom. II Operum, pag. 152.

Voluntas et operatio Dei effectrix est et providens causa omnis temporis, loci, et sæculi, itemque naturæ omnis. Voluntas est animi intellectualis ratio in nobis sita; quippe cum sit facultas ejus libera potestate prædita. Voluntas est mens appetendi vim habens, et appetitus rationem sequens, in id quod expetitur, tendens.

Θέλησις καὶ ἐνέργεια Θεοῦ ἐστιν ἡ παντὸς χρόνου, καὶ τόπου, καὶ αἰῶνος, καὶ πάσης φύσεως ποιητική τε καὶ προνοητικὴ αἰτία. Θέλησίς ἐστι τῆς νοερᾶς ψυχῆς ὁ ἐφ' ἡμῖν λόγος, ὡς αὐτεξούσιος αὐτῆς ὑπάρχουσα δύναμις. Θέλησίς ἐστι νοῦς ὀρεκτικὸς, καὶ διανοητικὴ ὄρεξις, πρὸς τὸ θεληθὲν ἐπινεύουσα.

VI.

Aliud fragmentum ejusdem Sermonis ad Demetrium.

Immensus cum sit Deus, et mundi opifex, atque omnipotens, immensa, et mundi opifice atque omnipotenti voluntate, et effectu novo, potenter et efficaciter fecit; ut omnis plenitudo eorum quæ nata sunt, in ortum venirent, cum antea non essent, quidquid scilicet sub aspectum non cadit, et quidquid oculis subjicitur. Atque adeo continet singula, et ad proprium perducit exitum, ob quem

C excitata sunt et nata, nullo modo in aliud, quam prius natura fuerat, transmutatum. Nam proprium hoc est operationis Dei, non in infinitatem sensus tantum progredi, aut mentem etiam transgredi, rationem, et orationem, tempus, et locum, et omne ævum; verum etiam excedere substantiam et plenitudinem, seu perfectionem.

(34) *Τῶν πρὸ αὐτοῦ πρεσβυτέρων.* Niceph., τὴν πρὸ ἡμῶν πρεσβυτέρων.

(35) *Παρεχώρησεν ὁ Ἀνίκητος τὴν εὐχαριστίαν.* Hunc honorem, observat Valesius, Anicetus pontifex Romanus habuit venerabili seni Polycarpo, ut illum in ecclesia sacra facere sineret, et quidem præsente se, quod notandum est. Sic Irenæi verba et Ruffinus, et cæteri interpretes acceperunt. Sed Franciscus Florens, antecessor Aurelianensis, vir doctus, hæc Irenæi verba aliter intelligenda esse contendit, in Tractatu ad titulum 7 Decretalium, De translatione episcopi. Vult enim Anicetum porrexisse duntaxat eucharistiam Polycarpo, non autem concessisse illi jus sacra mysteria celebrandi. Verum si hunc Irenæi locum ita intelligimus, quid honoris tributum fuerit Polycarpo ab Aniceto? Hoc enim diserte notat Irenæus, tum illo verbo παρεχώρησε, quod de suo jure concedere significat; tum illis verbis, quæ addit, κατ' ἐντροπὴν δηλονότι, id est, honoris causa et contemplatione, ut vertit Ruffinus. Certe si eucharistiam tantum Polycarpo porrexisset Anicetus, nullum ei præcipuum honorem detulisset, cum omnibus peregrinis episcopis id passim tribui soleret, ut cum episcopo civitatis

D simul communicarent, quemadmodum scribit ipse Florens ibidem. Sed et in concilio Arelatensi can. 20, decretum est, ut peregrino episcopo locus sacrificandi detur.

(36) *Excerptum e Maximo.* Eamdem Irenæi sententiam ex Claromontano *Parallelorum* Damasceni cod. lit. E, tit. 43, excerptam edidit Halloixius in *Vita Irenæi* p. 499. Exstat quoque, Grabio teste, in alia Collectione sententiarum ex Patribus cod. 143, Barocc. fol. 17, p. 1, et cod. 238 in bibliotheca Cæsarea Vindobonensi. Sed Maximus solus locum citat unde sumpta est, nempe ἐκ τῆς πρὸς Βίκτωρα ἐπιστολῆς, *ex epistola ad Victorem.*

(37) *Sermonis Irenæi de fide.* Hoc fragmentum ita citat Maximus dicto loco : Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου, ἐπισκόπου Λουγδούνων, μαθητοῦ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου, τοῦ ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ, ἐκ τῶν πρὸς Δημήτριον, διάκονον Βιαίνης, περὶ πίστεως λόγων, οὗ ἡ ἀρχή· Ζητῶν τὸν Θεὸν ἄκουε τοῦ Δαυὶδ λέγοντος. Ubi Irenæus Joannis apostoli et evangelistæ discipulus perperam vocatur. Consule quæ de hoc, ac sequenti fragmento diximus Dissert. 2, § 60, et in Admonitione his fragmentis præfixa.

Digitized by Google

VII.

Allegatio libri de Pascha (38) in Justini Respons. ad quæst. 115 ad orthodoxos.

Τὸ δὲ ἐν κυριακῇ μὴ κλίνειν γόνυ, σύμβολόν ἐστι τῆς ἀναστάσεως, δι' ἧς τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι τῶν τε ἁμαρτημάτων καὶ τοῦ ἐπ' αὐτῶν τεθανατωμένου (39) θανάτου ἠλευθερώθημεν. Ἐκ τῶν ἀποστολικῶν δὲ χρόνων ἡ τοιαύτη συνήθεια ἔλαβε τὴν ἀρχήν, καθώς φησιν ὁ μακάριος Εἰρηναῖος, ὁ μάρτυρ καὶ ἐπίσκοπος Λουγδούνου ἐν τῷ *Περὶ τοῦ Πάσχα* λόγῳ, ἐν ᾧ μέμνηται καὶ περὶ τῆς Πεντηκοστῆς, ἐν ᾗ οὐ κλίνομεν γόνυ, ἐπειδὴ ἰσοδυναμεῖ τῇ ἡμέρᾳ τῆς Κυριακῆς, κατὰ τὴν ῥηθεῖσαν περὶ αὐτῆς αἰτίαν.

A Non flectere autem genu Dominico die, resurrectionis est significatio, qua per Christi gratiam et a peccatis, et a morte, quæ in illo interfecta est, liberati sumus. Hæc autem consuetudo ab apostolorum temporibus cœpit, quemadmodum ait beatus Irenæus martyr et Lugdunensis episcopus, in libro *De Pascha* : in quo mentionem etiam Pentecostes facit, in qua genu non flectimus, quod eodem loco habenda sit quo Dominicus dies, ob eam causam quam de eo diximus.

VIII.

Dictum Irenæi a Leontio (40) lib. 1 contra Nestorium et Eutychen citatum.

Ὥσπερ καὶ ἡ κιβωτὸς κεχρυσωμένη ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν χρυσίῳ καθαρῷ ἦν· οὕτω καὶ τὸ τοῦ Χριστοῦ σῶμα καθαρὸν ἦν καὶ διαυγές· ἔσωθεν μὲν τῷ Λόγῳ κοσμούμενον, ἔξωθεν δὲ τῷ Πνεύματι φρουρούμενον· ἵνα ἐξ ἀμφοτέρων τὸ περιφανὲς τῶν φύσεων παραδειχθῇ.

Nam sicut arca (*V. Testamenti*) inaurata intus et foris auro puro erat, ita et Christi corpus purum erat ac splendidum ; intus quidem Verbo ornatum, foris autem Spiritu communitum, ut ex ambobus naturarum splendor commonstraretur.

IX.

Fragmenta aliorum deperditorum Irenæi tractatuum, ex Joannis Damasceni Parallelis, editis partim, partim manuscriptis, collecta.

Εὖ μὲν λέγοντες (41) ἀεὶ τοὺς ἀξίους, κακῶς δὲ οὐδέποτε τοὺς ἀναξίους, τευξόμεθα καὶ ἡμεῖς τῆς τοῦ Θεοῦ δόξης καὶ βασιλείας.

B Benedicentes quidem semper iis qui digni sunt, indignis autem nunquam maledicentes, (*ita demum*) nos quoque gloriam et regnum Dei consequemur.

X.

Ἴδιον (42) καὶ πρεπῶδες ὡς ἀληθῶς τῷ Θεῷ τὸ ἱλάσκεσθαι, τὸ ἐλεεῖν, τὸ τὰ ἔργα σώζειν ἑαυτοῦ, κἂν εἰς κίνδυνον διαφθορᾶς καταφέρηται· *Παρ' αὐτῷ γὰρ*, φησίν, *ὁ Ἱλασμός ἐστιν*.

Deo proprium revera ac congruens est, propitium se præbere, misereri, et salutem afferre operibus (*creaturis*) suis, etiamsi ad interitus periculum ferantur. *Apud eum enim*, inquit, *est propitiatio* [88].

XI.

Τὸ ἔργον (43) του Χριστιανοῦ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ μελετᾶν ἀποθνήσκειν.

343 Christiani munus nullum aliud est, quam mortem meditari.

XII.

Ἡμεῖς οὖν (44) καὶ σώματα ἀνίστασθαι πεπιστεύ-

Nos igitur et corpora resurgere credidimus. Etsi

[88] Psal. CXLIX, 4.

(38) *Allegatio de Pascha*. Vide cit. § 60.

(39) *Ἐπ' αὐτῶν τεθανατωμένου*. Legendum putat R. Stephanus τετραμμένου, pro τεθανατωμένου. Sed αὐτῷ potius, loco αὐτῶν, reponendum censet Grabius. Mallem ego ὑπ' αὐτοῦ, scilicet Χριστοῦ.

(40) *Dictum Irenæi a Leontio*, etc. Hanc sententiam, ab Halloixio primum Græce editam in *Vita Irenæi*, pag. 507, citat Leontius sub τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου, ἐπισκόπου Λουγδούνων, nomine. Sed incertum ex quo tractatu excerpserit. Eadem habetur cod. 2951 bibliothecæ Regiæ, cum hac inscriptione: Εἰρηναίου, ἐπισκόπου Λουγδούνων τῆς Γαλλίας, κατὰ Βαλεντίνου. At nisi sumpta fuerit ex libro *De Ogdoade*, quem ad impugnandam, ut videtur, famosam illam Valentini Ogdoada scripsit Irenæus, nullum aliud adversus Valentinum opus ab eodem editum novimus, præter illud *Detectionis et eversionis*, etc., in quo nihil simile jam occurrit. Quidquid sit, in laudato bibliothecæ Reg. ms. pro τὸ τοῦ Χριστοῦ, legitur ὁ Χριστός, et ἀποδειχθῇ pro παραδειχθῇ. Hoc etiam fragmentum contulit cl. Grabius cum antiquissimo Leontii codice laud. A, 33, in bibliotheca Bodleiana, idemque prorsus reperit, atque edidit Halloixius, excepto ultimo verbo ἐπιδειχθῇ, pro παραδειχθῇ.

(41) *Εὖ μὲν λέγοντες*. Hæc ex ms. *Parallelorum* Damasceni cod. descripta publicavit Halloixius in *Vita Irenæi*, pag. 501.

(42) *Ἴδιον*. Hoc etiam fragmentum Halloixii diligentiæ debemus.

(43) *Τὸ ἔργον*. Hæc iterum edidit Halloixius in *Vita Irenæi*, pag. 504, eruta ex ms. *Parallelorum* Damasceni cod. Claromontano, ubi citata dicit sub nomine τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου ἐκ τοῦ δ' ἐλέγχου. At in utroque *Parallelorum* Damasceni cod., Claromontano videlicet et Vaticano, cujus apographum quam accurate descriptum, pro sua singulari humanitate, mecum communicavit R. P. Michael Lequien, ordinis Prædicatorum, exaratum distincte legitur, τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου ἐκ τῶν Διαλέξεων (sic scribitur), id est, ἐκ τῶν Διαλέξεων. Scripsit enim Irenæus libellum Διαλέξεων διαφόρων, cujus meminere Euseb., l. v *Hist.*, c. 23, et Hieronymus in *Catalogo*, ex quo desumi potuerunt quæ hic referuntur ; non certe ex lib. IV *Detectionis*, in quo non exstant. Consule Dissert. 2, § 60.

(44) *Ἡμεῖς οὖν*. Hoc fragmentum eruit Halloixius ex cit. *Parallelorum* cod. ediditque in *Vita Irenæi* pag. 496 seq. Haud recte tamen verba hæc, ἀπολήψεται οὐκ ἀλλοιωθέντα, divisit a præcedentibus, quasi aliud Irenæi fragmentum esset ; deceptus nimirum spatio, quod, una voce deleta, inter μετὰ πάσης et ἀπολήψεται vacuum remansit.

Digitized by Google

enim corrumpuntur, at non pereunt; terra enim eorum exceptas reliquias servat, instar opimi seminis cum opimiore terra commisti. Rursus uti nudum granum seritur, et Dei, qui creavit, jussu germinans, vestitum ac splendidum resurgit, sed haud prius quam mortuum resolutum sit, ac terræ commistum : ita resurrectionem corporis non temere credidimus. Verum etsi resolvitur ad tempus, propter illam quæ a principio fuit, inobedientiam, in terræ velut conflatorio constituitur, denuo reformandum; non hoc corruptibile, sed purum, nec amplius corruptibile : sicut sua unicuique corpori anima restituetur, et illo induta minime lugebit, sed lætabitur pura permanens, sponsum justum et non inimicum comitans, in omnibus se habens cum omni... Recipiet non demutata, neque commotione animi aut morbo liberata, neque item gloriosa recipiet corpora; sed uti in peccatis aut recte factis obierint; et qualia fuerint, talia in resurrectione induent : et sicut in infidelitate fuerint, sic fideliter judicabuntur.

A καμεν. Εἰ γὰρ καὶ φθείρεται, ἀλλ' οὐκ ἀπόλλυται· τούτων γὰρ τὰ λείψανα γῆ ὑποδεξαμένη τηρεῖ δίκην σπόρου πιαινομένου καὶ τῷ γῆς λιπαρωτέρῳ συμπλεκομένου. Αὖθις ὥσπερ κόκκος γυμνὸς σπείρεται, καὶ κελεύσματι τοῦ δημιουργήσαντος Θεοῦ θάλλων, ἠμφιεσμένος καὶ ἔνδοξος ἐγείρεται, οὐ πρότερον εἰ μὴ ἀποθανὼν λυθῇ, καὶ γῇ συμμιγῇ· ὥστε τὴν ἀνάστασιν τοῦ σώματος οὐ μάτην πεπιστεύκαμεν. Ἀλλ' εἰ καὶ λύεται πρὸς καιρὸν διὰ τὴν ἀπ' ἀρχῆς γενομένην παρακοήν, ὡς εἰς χωνευτήριον τῆς γῆς καθίσταται, πάλιν ἀναπλασθησόμενον, οὐ τοιοῦτον φθειρόμενον, ἀλλὰ καθαρὸν, καὶ μηκέτι φθειρόμενον· ὡς ἑκάστῳ σώματι ἡ ἰδία ψυχὴ ἀποδοθήσεται, καὶ τοῦτο ἐνδυσαμένη οὐκ ἀνιαθήσεται, ἀλλὰ χαρήσεται καθαρὰ παραμείνασα, νυμφίῳ δικαίῳ συνοδεύσασα, καὶ μὴ ἐπιδούλῳ, ἐν πᾶσιν ἔχουσα μετὰ πάσης... ἀπολήψεται οὐκ ἀλλοιωθέντα, οὐδὲ πάθους ἢ νόσου μεταστάντα, οὐδὲ ἔνδοξα ἀπολήψεται τὰ σώματα, ἀλλ' ὡς ἐν ἁμαρτήμασιν ἢ κατορθώμασιν ἐτελεύτων· καὶ ὁποῖα ἦν, τοιαῦτα ἀναβιώσαντα ἐπενδύσονται, καὶ ὁποῖα ἐν ἀπιστίᾳ γίνωνται, τοιαῦτα πιστῶς κριθήσονται.

B

XIII.

Aliud fragmentum ab OEcumenio in Comment. ad I Petri Epistolam cap. III, pag. 498, allegatum.

Cum enim Græci servos Christianorum in divinis mysteriis edoctorum apprehendissent, deinde vim inferrent, ut videlicet arcanum quidpiam ab his de Christianis discerent : servi illi, non habentes quomodo vim inferentibus ad placitum loquerentur, præter id quod a dominis audierant, divinam communionem esse sanguinem et corpus Christi; existimantes ipsi, quod vere sanguis et caro esset, hoc responderunt inquirentibus. Illi vero id ita accipientes, ac si reipsa hoc perageretur a Christianis, hoc aliis quoque manifestabant Græcis, et martyres Sanctum et Blandinam id fateri tormentis cogebant. Quibus scite ac libere Blandina respondit, dicens : « Quomodo hæc ferrent, qui ob sacram exercitationem ne concessis quidem carnibus vescuntur? »

Χριστιανῶν γὰρ (45) κατηχουμένων δούλους Ἕλληνες συλλαβόντες, εἶτα μαθεῖν τι παρὰ τούτων δῆθεν ἀπόῤῥητον περὶ Χριστιανῶν ἀναγκάζοντες, οἱ δοῦλοι οὗτοι, μὴ ἔχοντες πῶς τὸ τοῖς ἀναγκάζουσι καθ' ἡδονὴν ἐρεῖν, παρόσον ἤκουον τῶν δεσποτῶν, τὴν θείαν μετάληψιν αἷμα καὶ σῶμα εἶναι Χριστοῦ, αὐτοὶ νομίσαντες τῷ ὄντι αἷμα καὶ σάρκα εἶναι, τοῦτο ἐξεῖπον τοῖς ἐκζητοῦσιν. Οἱ δὲ λαβόντες ὡς αὐτόχρημα τοῦτο τελεῖσθαι Χριστιανοῖς, καὶ δὴ τοῦτο τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν ἐξεπόμπευον, καὶ τοὺς μάρτυρας Σάγκτον καὶ Βλανδίναν ὁμολογῆσαι διὰ βασάνων ἠνάγκαζον. Οἷς εὐστόχως Βλανδίνα ἐπαῤῥησιάσατο, « Πῶς ἂν, εἰποῦσα, τούτων ἀνάσχοιντο οἱ μηδὲ τῶν ἐφειμένων κρεῶν δι' ἄσκησιν ἀπολαύοντες; »

C

XIV.

Aliud Irenæi fragmentum ab Anastasio Sinaita allegatum, lib. X Anagogicarum contemplationum in Hexaemeron tom. IX Bibliothecæ PP. edit. Lugdun. 1677, nunc primum Græce editum e cod. ms. 2253 bibliothecæ Colbertinæ.

Et serpens dixit mulieri : Cur dixit Deus : Ne manducaveritis ex omni ligno paradisi? Et dixit mulier serpenti : Ex omni ligno, etc. *Et eritis sicut dii, scientes bonum et malum*[44]. Hic quidem sensuum pelagus, obscurumque barathrum, quod eorum qui jam trajecerunt, intellectum excedat, nobis propositum esse, nostrum non est dicere : id enim clamat proposita hic oratio. Hanc qui historice potius quam spiritaliter, 344 verbis inhærentes, accipiunt, nescio qua ratione Irenæi adversus eos argumenta solvere valeant. Nam dicit adversus impurorum Ophitarum hæresiarchiam decertans : Qui fieri po-

D Καὶ εἶπεν ὁ ὄφις τῇ γυναικί (46)· Τί ὅτι εἶπεν ὁ Θεὸς, « Οὐ μὴ φάγητε ἀπὸ παντὸς ξύλου τοῦ ἐν τῷ παραδείσῳ; » Καὶ εἶπεν ἡ γυνὴ τῷ ὄφει· Ἀπὸ παντὸς ξύλου κ. τ. λ. Καὶ ἔσεσθε ὡς θεοὶ γινώσκοντες καλὸν καὶ πονηρόν. Ὅτι μὲν πέλαγος ἡμῖν ἐνταῦθα καὶ βυθὸς ἀφανὴς, ὑπὲρ τοὺς ἤδη διαπεραιωθέντας, πρόκειται νοημάτων, οὐχ ἡμῶν τὸ λέγειν· αὐτόθι γὰρ ἡ λέξις ἡ προκειμένη τοῦτο βοᾷ. Ἦν οἱ ἱστορικῶς καὶ μὴ μᾶλλον πνευματικῶς ἐκλαμβάνοντες, ἀλλὰ λεξιτηροῦντες, οὐκ οἶδα ὅπως τὰς ὑπὸ Εἰρηναίου πρὸς αὐτοὺς προτάσεις ἐπιλύονται. Φάσκει γὰρ κατὰ

[44] Gen. III, 1 seqq.

(45) *Χριστιανῶν γάρ*. De his consule cit. Dissert. 2, § 60.

(46) *Καὶ εἶπεν ὁ ὄφις τῇ γυναικί*. Lege prævium Admonitionem.

Digitized by Google

A Arbitror Heracleonem, qui dicitur esse familiaris Valentini, enarrantem hoc dictum : *Omnia per ipsum facta sunt* [75], coacte, et nullo teste adhibito excepisse mundum, et quæ in ipso sunt; ac vocabulo, *omnia*, exclusisse, quantum ipsius fert hypothesis, ista quæ in mundo, inque eo existentibus sunt præstantiora. *Per Verbum enim*, inquit, *non sæculum, nec quæ in sæculo sunt. facta* **363** *fuere*; existimans illa ante Verbum exstitisse. Impudentius etiam instans ad illud : *Sine eo factum est nihil* (neque veritus illud : *Ne addideris sermonibus ejus, ne te redarguat, et mendax sis* [76]), illi *nihil* addit, *eorum, quæ in mundo sunt, et in hac creatione*. Et quoniam apertum est, dicta ipsius valde coacta esse, præterque evidentiam pronuntiata, si quæ ipse divina opinatur, excludantur a B voce *omnium*, quæ vero sunt opinione sua omnino corruptibilia, proprie dicantur *omnia*; non immorandum nobis est his confutandis, quæ ex se absurda apparent. Quale est illud etiam, quod Scriptura dicente : *Et sine ipso factum est nihil;* ipse addit sine auctoritate Scripturæ, *eorum quæ sunt in mundo et creatione;* quod neque cum probabilitate pronuntiat, sed dignum se putat, cui non secus atque prophetis vel apostolis credatur, qui cum auctoritate et inculpate coævis suis ac posteris salutaria scripta reliquerunt. Jam vero et hoc dictum : *Omnia per ipsum facta sunt;* secus quam alii exposuit, dicens : *Verbum illud esse, quod causam generationis mundi præbuerit opifici, nec tamen Verbo competere particulam, a quo, vel ex quo, sed per quem*, ex communi loquendi consuetudine Scripturam exponens. Sed si rerum veritas erat, ut ipse putat, scriptum fuisse oportuit, *omnia per opificem facta fuisse a Verbo*, non vice versa, *per Verbum ab opifice*. Et nos quidem cum usi sumus vocabulis, *per quem*, prout in communi feruntur usu, non sine teste expositionem dimisimus. At vero ille præterquam quod suam opinionem e divinis Scripturis non confirmat, videtur et præsensisse veritatem, et impudenter illi adversatus, dicens : *Non enim faciebat ipsum Verbum tanquam alio operante* (ut sic intelligeretur vocula, *per quem*), *sed ipso operante alius faciebat*.

C

Ex tom. III, *pag.* 68.

Πάνυ δὲ βιαίως, κατὰ τὸν τόπον γενόμενος ὁ Ἡρακλέων, τὸ *Ὃ γέγονεν, ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν*, ἐξειληφεν ἀντὶ τοῦ, *ἐν αὐτῷ*, *εἰς τοὺς ἀνθρώπους τοὺς πνευματικούς*· οἰονεὶ ταὐτὸν νομίσας εἶναι τὸν Λόγον καὶ τοὺς πνευματικούς, εἰ καὶ μὴ σαφῶς ταῦτ' εἴρηκε. Καὶ ὑστεραι αἰτιολογῶν φησιν· *Αὐτὸς γὰρ τὴν πρώτην μόρφωσιν, τὴν κατὰ τὴν γένεσιν, αὐτοῖς παρέσχε, τὰ ὑπ' ἄλλου παρέντα εἰς μορφὴν, καὶ εἰς φωτισμὸν, καὶ παραγραφὴν ἰδίαν ἀγαγὼν καὶ ἀναδείξας*.

D Cæterum valde coacte ad hunc contextum veniens Heracleon : *Quod factum est, in ipso vita erat* [79a]; *in ipso* interpretatus est, *in hominibus spiritualibus :* quasi Verbum et spirituales idem esse arbitratus fuerit, etsi non aperte id dixerit. At veluti causam reddens, inquit : *Ille enim primam formationem, quoad ortum attinet, ipsis præbuit; ab alio prætermissa in formam, et illuminationem, et delineationem propriam ducens et ostendens.*

[75] Joan. I, 3. [76] Prov. XXX, 6. [77] Sic cod. Bodlei. 2280. [78] Duas istas voces addidit Grab. ex cit. cod. Bodlei. [77] Sic cod. Bodlei. [78] Sic cod. Bodlei. [79] Sic id. cod. [79a] Joan. I, 4.

Digitized by Google

Ex tomo VI, *pag.* 94 *seq.*

Non recte vero Heracleon suspicatur verba illa, *Deum nemo vidit unquam*[80], et quæ sequuntur, dicta fuisse non a discipulo, sed a Baptista.

Οὐχ ὑγιῶς δὲ ὁ Ἡρακλέων ὑπολαμβάνει, *Οὐδεὶς τὸν Θεὸν ἑώρακε πώποτε*, καὶ τὰ ἑξῆς, φάσκων εἰρῆσθαι οὐκ ἀπὸ τοῦ μαθητοῦ, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ Βαπτιστοῦ.

Ex tom. VII, *pag.* 112.

Maledicentius autem Heracleon de Joanne et prophetis disserens, inquit, *Verbum esse Servatorem; Joannem per vocem intelligi; sonum vero esse universum prophetarum ordinem.*

Δυσφημότερον δὲ ὁ Ἡρακλέων περὶ Ἰωάννου καὶ τῶν προφητῶν διαλαμβάνων, φησὶν ὅτι *ὁ Λόγος μὲν ὁ Σωτήρ ἐστι, φωνὴ δὲ ἡ ἐν τῇ ἐρήμῳ ἡ διὰ Ἰωάννου διαρουμένη, ἦχος δὲ πᾶσα προφητικὴ τάξις.*

364 *Et pag.* 113.

Nescio etiam quomodo absque ulla probatione enuntiet, *vocem sermoni propiorem, sermonem fieri*, ut et quasi mulier in virum transmutetur. Præterea quasi potestatem habens condendi dogmata, et iisdem sibi acquirendi et proficiendi: *Futurum*, inquit, *ut sonitus mutetur in vocem*; loco discipuli statuens vocem transeuntem in verbum, loco vero servi sonitum transeuntem in vocem.

Οὐκ οἶδα δ' ὅπως χωρὶς πάσης κατασκευῆς ἀποφαίνεται, *τὴν φωνὴν οἰκειοτέραν οὖσαν τῷ λόγῳ, λόγον γίνεσθαι*, ὡς καὶ τὴν γυναῖκα εἰς ἄνδρα μετατίθεσθαι. Καὶ ὡς ἐξουσίαν ἔχων τοῦ δογματίζειν, καὶ πιστεύεσθαι, καὶ προκόπτειν· *Τῷ ἤχῳ*, φησὶν, *ἔσεσθαι τὴν εἰς φωνὴν μεταβολήν*, μαθητοῦ μὲν χώραν διδοὺς τῇ μεταβαλλούσῃ εἰς λόγον φωνῇ, ἢ δούλου δὲ τῇ ἀπὸ ἤχου εἰς φωνήν.

Et post pauca.

Præterea prophetam et Eliam cum *Servator ipsum dicit*, inquit, *non ipsum declarat, sed quæ sunt circa ipsum*: cum vero majorem prophetis, et his qui sunt inter natos mulierum, tunc ipsum Joannem designat. *Proinde*, inquit Heracleon, *Joannes ipse interrogatus, de seipso respondet, non de his, quæ circa ipsum sunt.*

Καὶ προφήτην μὲν καὶ Ἠλίαν *ὁ Σωτὴρ ἐπὶ αὐτὸν λέγῃ, οὐκ αὐτὸν, ἀλλὰ τὰ περὶ αὐτοῦ*, φησὶ, *διδάσκει*· ὅταν δὲ μείζονα προφητῶν καὶ ἐν γεννητοῖς γυναικῶν, τότε αὐτὸν τὸν Ἰωάννην χαρακτηρίζει. *Αὐτὸς δὲ*, φησὶ, *περὶ ἑαυτοῦ ἐρωτώμενος ἀποκρίνεται ὁ Ἰωάννης, οὐ τὰ περὶ αὐτόν.*

Et pag. 117.

Heracleon vero approbans sermonem Pharisæorum, velut recte dictum, quod Christus, et Elias, et omnis propheta debeat baptizare, his ipsis verbis ait: *Quibus solis incumbit baptizare.*

Παραδεξάμενος δὲ ὁ Ἡρακλέων τὸν τῶν Φαρισαίων λόγον, ὡς ὑγιῶς εἰρημένον, περὶ τοῦ ὀφείλεσθαι τὸ βαπτίζειν Χριστῷ, καὶ Ἠλίᾳ, καὶ παντὶ προφήτῃ, αὐταῖς λέξεσί φησιν· *Οἷς μόνοις ὀφείλεται τὸ βαπτίζειν.*

Initio tomi VIII, *pag.* 122.

Equidem Heracleon existimat, Joannem respondere his, qui a Pharisæis missi fuerant, quod ipse volebat, non ad id quod illi interrogaverant; non advertens se incusare prophetam inscitiæ, si aliud interrogatus, aliud respondit.

Ὁ μὲν Ἡρακλέων οἴεται, ὅτι ἀποκρίνεται ὁ Ἰωάννης τοῖς ἐκ τῶν Φαρισαίων πεμφθεῖσιν, οὐ πρὸς ὃ ἐκεῖνοι ἐπηρώτων, ἀλλ' ὃ αὐτὸς ἐβούλετο· ἑαυτὸν λανθάνων, ὅτι κατηγορεῖ τοῦ προφήτου ἀμαθίας, εἴγε ἄλλο ἐρωτώμενος περὶ ἄλλου ἀποκρίνεται.

Et pag. 129 *et seqq.*

Heracleon, *In medio vestri stat*[80a], interpretatur: *Jam adest, et est in mundo, atque inter homines, et omnibus vobis jam visibilis est.* Non absurde tamen apud eum dicitur, quod verba illa, *qui post me venit*[81], declarent Joannem præcursorem Christi exsistere: vere enim non secus atque famulus præcurrit Dominum. Longe vero simplicius ea verba interpretatus est: *Non sum ego dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti*[81a]; perinde quasi fateatur Baptista his verbis, *se neque dignum, qui ultima officia in Christum conferat.* Attamen post hanc expositionem satis probabiliter subjunxit: *Non sum ego idoneus, ut mei gratia descendat a*

Ὁ Ἡρακλέων τὸ, *Μέσος ὑμῶν ἕστηκε*, φησὶν, ἀντὶ τοῦ, *Ἤδη πάρεστι, καὶ ἔστιν ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ ἐν ἀνθρώποις, καὶ ἐμφανής ἐστιν ἤδη πᾶσιν ὑμῖν.* Οὐκ ἀπιθάνως δὲ παρ' αὐτῷ λέγεται, ὅτι τὸ, *ὀπίσω μου ἐρχόμενος*, τὸ πρόδρομον εἶναι τὸν Ἰωάννην τοῦ Χριστοῦ δηλοῖ· ἀληθῶς γὰρ ὡσπερεὶ οἰκέτης ἐστὶ προτρέχων τοῦ Κυρίου. Ἁπλοῦστερον δὲ τὸ, *Οὐκ εἰμὶ ἄξιος ἵνα λύσω αὐτοῦ τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος*, ἐξεληφεν, ὅτι *οὐδὲ τῆς ἀτιμοτάτης ὑπηρεσίας τῆς πρὸς τὸν Χριστὸν ἄξιος εἶναι*, διὰ τούτων ὁ Βαπτιστὴς ὁμολογεῖ. Πλὴν μετὰ ταύτην τὴν ἐκδοχὴν οὐκ ἀπιθάνως ὑποβέβληκε τό· *Οὐκ ἐγώ εἰμι ἱκανὸς, ἵνα δι' ἐμὲ κατέλθῃ ἀπὸ*

[80] Joan. I, 18. [80a] Joan. I, 26. [81] Ibid., 15. [81a] Ibid., 27.

Digitized by Google

μεγέθους, καὶ σάρκα λάβῃ, ὡς ὑπόδημα, περὶ ἧς ἐγὼ λόγον ἀποδοῦναι οὐ δύναμαι, οὐδὲ διηγήσασθαι, ἢ ἐπιλῦσαι τὴν περὶ αὐτῆς οἰκονομίαν. Ἀδρότερον δὲ καὶ μεγαλοφυέστερον ὁ αὐτὸς Ἡρακλέων, κόσμον τὸ ὑπόδημα ἐκδεξάμενος, μετέστη ἐπὶ τὸ ἀσεβέστερον ἀποφήνασθαι, ταῦτα πάντα δεῖν ἀκούεσθαι καὶ περὶ τοῦ προσώπου τούτου διὰ τοῦ Ἰωάννου νοουμένου· οἴεται γὰρ τὸν Δημιουργὸν τοῦ κόσμου ἐλάττονα ὄντα τοῦ Χριστοῦ, τοῦτο ὁμολογεῖν διὰ τούτων τῶν λέξεων, ὅπερ ἐστὶ πάντων ἀσεβέστατον. Ὁ γὰρ πέμψας αὐτὸν Πατὴρ, ὁ τῶν ζώντων Θεὸς, ὡς αὐτὸς Ἰησοῦς μαρτυρεῖ, τοῦ Ἀβραὰμ, καὶ τοῦ Ἰσαὰκ, καὶ τοῦ Ἰακὼβ, ὁ διὰ τοῦτο Κύριος τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, ὅτι πεποίηκεν αὐτὰ, οὗτος καὶ μόνος ἀγαθὸς, καὶ μείζων τοῦ πεμφθέντος. Εἰ δὲ καὶ, ὡς προειρήκαμεν, ἀδρότερον νενόηται καὶ πᾶς ὁ κόσμος ὑπόδημα εἶναι τοῦ Ἰησοῦ τῷ Ἡρακλέωνι, ἀλλ' οὐκ οἶμαι δεῖν συγκατατίθεσθαι.

A *magnitudine, et carnem accipiat, ceu calceamentum, de qua rationem reddere ego non valeo, neque enarrare, vel solvere de ipsa dispensatione.* Rursus minus prudenter, atque animosius Heracleon ipse cum per *calceum* interpretatus esset *mundum*, ad rem magis impiam transit, nempe ad enuntiandum, *hæc omnia intelligi etiam oportere de persona per Joannem intellecta* (nempe *Demiurgo*). Existimat enim mundi opificem inferiorem Christo exsistentem, hoc per hæc verba fateri; quod est omnium impiissimum. Nam Pater qui misit illum, Deus viventium, ut etiam ipse Jesus **365** testatur, nempe Abrahami, Isaaci et Jacobi, et idcirco Dominus cœli et terræ, quod ea fecerit; hic etiam solus bonus, et major est misso. Quod si minus prudenter, ut antea B *diximus*, ab Heracleone excogitatum est, omnem etiam mundum esse calceamentum Jesu, non arbitror oportere ut illi assentiamur.

Sub finem tomi IX, *pag.* 148.

Ἐν τῷ τόπῳ ὁ Ἡρακλέων γενόμενος, χωρὶς πάσης κατασκευῆς καὶ παραθέσεως μαρτυρίων, ἀποφαίνεται, ὅτι τὸ μὲν, Ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὡς προφήτης φησὶν ὁ Ἰωάννης· τὸ δὲ, Ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ὡς περισσότερον προφήτου. Καὶ οἴεται τὸ μὲν πρότερον περὶ τοῦ σώματος αὐτοῦ λέγεσθαι, τὸ δὲ δεύτερον περὶ τοῦ ἐν τῷ σώματι, τῷ τὸν ἀμνὸν ἀτελῆ εἶναι ἐν τῷ τῶν προ- C βάτων γένει· οὕτω δὲ καὶ τὸ σῶμα παραθέσει τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτῷ. Τὸ δὲ τέλειον εἰ ἐβούλετο, φησὶ, τῷ σώματι μαρτυρῆσαι, κριὸν εἰπεῖν[83a] αὐτὸ τὸ μέλλον θύεσθαι.

Ad hunc locum [83] Heracleon veniens, absque aliqua probatione et comparatione testimoniorum, enuntiat Joannem tanquam prophetam dicere, *Agnus Dei*; et velut plus quam prophetam dicere, *qui aufert peccatum mundi*. Quorum primum existimat de corpore ejus dici, secundum vero de eo, quod est in corpore, quia agnus imperfectus sit in ovium genere, atque tale etiam sit corpus comparatione inhabitantis in ipso. *Perfectionem vero*, inquit, *si volebat corpori attribuere, arietem ipsum immolandum dixisset.*

Ex tomo X, *pag.* 158.

Ὁ μέντοιγε Ἡρακλέων τὸ, Μετὰ τοῦτο κατέβη εἰς Καφαρναούμ, αὐτὸς διηγούμενος, ἄλλης πάλιν οἰκονομίας ἀρχὴν φησὶ δηλοῦσθαι, οὐκ ἀργῶς τοῦ, κατέβη, εἰρημένου. Καὶ φησι τὴν Καφαρναοὺμ σημαίνειν ταῦτα τὰ ἔσχατα τοῦ κόσμου, ταῦτα τὰ ὑλικὰ, εἰς ἃ κατῆλθε· καὶ διὰ τὸ ἀνοίκειον, φησὶ, εἶναι τὸν τόπον, οὐδὲ πεποιηκώς τι λέγεται ἐν αὐτῇ, ἢ λελαληκώς.

Sane Heracleon ipse hoc exponens: *Postea descendit in Capharnaum* [83], alterius rursus dispensationis principium dicit declarari voce, *descendit*, non otiose dicta. Aitque urbe Capharnao significari hæc extrema mundi, hæc materialia, ad quæ descendit. Et quia non aptus, inquit, erat locus, nihil in ea civitate vel fecisse, vel locutus esse dicitur.

Sub finem tomi X, *pag.* 167.

Ὁ Ἡρακλέων, Αὕτη, φησὶν, ἡ μεγάλη ἑορτὴ, D τοῦ γὰρ πάθους τοῦ Σωτῆρος τύπος ἦν, ὅτε οὐ μόνον ἀνῃρεῖτο τὸ πρόβατον, ἀλλὰ καὶ ἀνάπαυσιν παρεῖχεν ἐσθιόμενον. Καὶ θυόμενον, τὸ πάθος[83b] τοῦ Σωτῆρος τὸ ἐν κόσμῳ ἐσήμαινεν· ἐσθιόμενον δὲ, τὴν ἀνάπαυσιν τὴν ἐν γάμῳ.

Heracleon: *Hæc magna*, inquit, *est festivitas* (de Paschate loquitur), *figura enim passionis Servatoris erat, quando non solum interficiebatur ovis, verum etiam comesa præbebat requiem. Et immolata quidem passionem Servatoris in mundo significabat; comesa vero requiem futuram in nuptiis.*

Prope finem tom. XI, *pag.* 181 *et seqq.*

Ἴδωμεν τὰ Ἡρακλέωνος, ὃς φησι τὴν[84] Ἱεροσόλυμα ἀνοδον σημαίνειν[85] τὴν ἀπὸ τῶν ὑλικῶν εἰς τὸν ψυχικὸν τόπον, τυγχάνοντα εἰκόνα τῆς Ἱερουσαλὴμ, ἀνάβασιν τοῦ Κυρίου. Τὸ δὲ, εὗρεν ἐν τῷ ἱερῷ, καὶ οὐχὶ τῶν ἄνω οἴεται εἰρῆσθαι, ὑπὲρ τοῦ μὴ τὴν κλῆσιν μόνην νοηθῆναι τὴν χωρὶς Πνεύματος βοηθεῖσθαι ὑπὸ τοῦ Κυρίου. Ἡγεῖται

Videamus quæ Heracleon dicat, inquiens, *Domini ascensum ad Jerosolymam* [84] *significare ascensum a materialibus ad animalem locum, imaginem exsistentem Jerosolymæ.* Illud etiam, *invenit in templo*, non dictum fuisse existimans de locis supernis, ne intelligeremus vocationem solam sine Spiritus ope adjuvari a Domino. Existimat enim templum

[83] Joan. I, 29. [83a] For. κριὸν ἂν εἶπεν. [83] Joan. II, 12. [83b] Sic cod. Bodl. [84] Leg. εἰς τήν. [85] Sic cod. Bodl. [84] Joan. II, 13 seqq.

Digitized by Google

esse Sancta sanctorum, in quæ solus summus pontifex ingrediebatur, quo etiam proficisci spirituales arbitror illum dicere; vestibulum vero, ubi etiam Levitæ erant, arbitratur symbolum esse psychicorum, qui inveniuntur in salute extra Pleroma. Ad hæc, inventos in templo vendentes boves, oves et columbas, et sedentes mensarios, dici exposuit pro his, qui nihil gratiæ tribuunt, sed mercaturam putant et lucrum, ingressum extraneorum in templum; victimas, proprii lucri et avaritiæ causa, ad cultum Dei suppeditantes. Quod autem Jesus e funiculis fecerit flagellum, non ab alio illud accipiens, suo more explicat, dicens, flagellum imaginem 368 esse potentiæ et operationis Spiritus sancti, flatu expellentis malos. Affirmatque, *flagellum, linum, sindonem, et cætera talia, imaginem esse potentiæ et operationis Spiritus sancti.* Postea illud insuper sibi tribuit quod scriptum non est, nimirum quod flagellum ad lignum ligatum fuerit; quod lignum interpretatus est figuram esse crucis, *hoc ligno*, dicens, *consumptos et deletos aleatores, mercatores, omnemque malitiam.* Nec scio quomodo nugans dicat flagellum ex hisce duabus rebus paratum fuisse, inquirens quod a Jesu factum fuit: Neque enim ex pelle, inquit, mortua illud fecit, ut Ecclesiam efficeret non ampliùs speluncam latronum et mercatorum, sed domum Patris sui.

A γὰρ τὰ μὲν Ἅγια τῶν ἁγίων εἶναι τὸ ἱερὸν, εἰς ἃ μόνος ἀρχιερεὺς εἰσίει, ἔνθα οἶμαι αὐτὸν λέγειν τοὺς πνευματικοὺς χωρεῖν· τὰ δὲ προνάου, ὅπου καὶ οἱ Λευῖται, σύμβολον εἶναι τῶν ἔξω τοῦ Πληρώματος ψυχικῶν, εὑρισκομένων ἐν σωτηρίᾳ. Πρὸς τούτοις, τοὺς εὑρισκομένους ἐν τῷ ἱερῷ, πωλοῦντας βόας, καὶ πρόβατα, καὶ περιστερὰς, καὶ τοὺς καθημένους κερματιστὰς, ἐξεδέξατο λέγεσθαι ἀντὶ τῶν μηδὲν χάριτι διδόντων, ἀλλ' ἐμπορίαν καὶ κέρδος τὴν τῶν ξένων εἰς τὸ ἱερὸν εἴσοδον νομιζόντων, τοῦ ἰδίου κέρδους καὶ φιλαργυρίας ἕνεκεν, τὰς εἰς τὴν λατρείαν τοῦ Θεοῦ θυσίας χορηγούντων. Καὶ τὸ φραγγέλιον δὲ πεποιῆσθαι ἐκ σχοινίων ὑπὸ τοῦ Ἰησοῦ, οὐχὶ παρ' ἄλλου λαβόντος, ἰδιοτρόπως ἀπαγγέλλει, λέγων τὸ φραγγέλιον εἰκόνα τυγχάνειν [87] τῆς δυνάμεως, καὶ ἐνεργείας τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἐκφυσῶντος τοὺς χείρονας. Καί φησι, *τὸ φραγγέλιον, καὶ τὸ λίνον, καὶ τὴν σινδόνα, καὶ ὅσα τοιαῦτα εἰκόνας τῆς δυνάμεως καὶ τῆς ἐνεργείας εἶναι τοῦ ἁγίου Πνεύματος.* Ἔπειτα ἑαυτῷ προσείληφε τὸ μὴ γεγραμμένον, ὡς ἄρα εἰς ξύλον ἐδέδετο τὸ φραγγέλιον, ὅπερ ξύλον [88] τύπον ἐκλαβὼν εἶναι τοῦ σταυροῦ, φησὶ *τούτῳ τῷ ξύλῳ ἀνηλῶσθαι, καὶ ἠφανίσθαι τοὺς κυβευτὰς, ἐμπόρους, καὶ πᾶσαν τὴν κακίαν.* Καὶ οὐκ οἶδ' ὅπως φλυαρῶν φησιν ἐκ δύο τούτων πραγμάτων φραγγέλιον κατασκευάζεσθαι, ζητῶν τὸ ὑπὸ τοῦ Ἰησοῦ γενόμενον. Οὐ γὰρ ἐκ δέρματος, φησὶ, νεκροῦ ἐποίησεν αὐτὸ, ἵνα τὴν Ἐκκλησίαν κατασκευάσῃ οὐκέτι λῃστῶν καὶ ἐμπόρων σπήλαιον, ἀλλ' οἶκον τοῦ Πατρὸς αὐτοῦ.

B

Et in ipso fine tomi XI, *pag.* 183.

Inobservanter Heracleon illud: *Zelus domus tuæ comedit me* [89], dici putat ex persona earum potestatum, quæ ejectæ fuerunt et consumptæ a Servatore, non valens seriem prophetiæ in psalmo servare. Nam si hæc intelligantur ex ejectarum et consumptarum potestatum persona dici, consequens est, juxta ejus opinionem, de ipsis etiam dici illa: *Dederunt in escam meam fel* [91]; quæ in eodem scripta sunt psalmo. Sed, ut probabile est, illum turbavit vox, *comedit*, perinde quasi a Christo dici non posset, non videntem morem Scripturarum, hominum affectus Deo et Christo tribuentium.

C Ἀπαρατηρήτως ὁ Ἡρακλέων οἴεται τὸ, *Ὁ ζῆλος τοῦ οἴκου σου καταφάγεταί με*· ἐκ προσώπου τῶν ἐκβληθέντων καὶ ἀναλωθέντων ὑπὸ τοῦ Σωτῆρος δυνάμεων λέγεσθαι, μὴ δυνάμενος τὸν εἰρμὸν τῆς ἐν τῷ ψαλμῷ προφητείας τηρῆσαι. Νοουμένων γὰρ [90], ἐκ προσώπου τῶν ἐκβληθέντων καὶ ἀναλωθέντων [90] δυνάμεων λέγεσθαι, ἀκόλουθον δέ ἐστι κατ' αὐτὸν καὶ τὸ, *Ἔδωκαν εἰς τὸ βρῶμά μου χολήν*, καὶ ἐπ' ἐκείνων λέγεσθαι, ἐν τῷ αὐτῷ ἀναγεγραμμένον ψαλμῷ. Ἀλλ', ὡς εἰκὸς, ἐτάραξεν αὐτὸν τὸ, *καταφάγεταί με*, ὡς μὴ δυνάμενον ὑπὸ Χριστοῦ ἀπαγγέλλεσθαι, οὐ χωροῦντα τὸ ἔθος τῶν ἀνθρωποπαθῶν περὶ Θεοῦ καὶ Χριστοῦ λόγων.

Ex tomo XII, *pag.* 187.

Heracleon, *in tribus*, dicit, pro eo quod est, *in tertia* [92], non perscrutatus (quamvis notarit voculam *tribus*) quomodo in tribus diebus peragatur resurrectio. Atque etiam præterea *tertiam diem* appellat *spiritualem*, in qua declarari putant Ecclesiæ resurrectionem. His consequens est, ut prima dies terrestris, secunda animalis dicatur, non facta Ecclesiæ resurrectione in ipsis.

D Ὁ Ἡρακλέων τὸ, *ἐν τρισὶ*, φησὶν, ἀντὶ τοῦ, *ἐν τρίτῃ*, μὴ ἐρευνήσας (καίτοιγε ἐπιστήσας τῷ [93] *ἐν τρισὶ*), πῶς ἐν τρισὶν ἡ ἀνάστασις ἐνεργεῖται ἡμέραις. Ἔτι δὲ καὶ *τὴν τρίτην* φησὶ *τὴν πνευματικὴν ἡμέραν*, ἐν ᾗ οἴονται δηλοῦσθαι τὴν τῆς Ἐκκλησίας ἀνάστασιν. Τούτων δὲ ἀκόλουθόν ἐστι, πρώτην λέγειν εἶναι τὴν χοϊκὴν ἡμέραν, καὶ τὴν δευτέραν τὴν ψυχικὴν, οὐ γεγενημένης Ἐκκλησίας τῆς ἀναστάσεως ἐν αὐταῖς.

Et paulo post, *pag.* 189.

Heracleon ne inspecta quidem historia dicit, Sa- Ὁ Ἡρακλέων, μηδὲ ἐπιστήσας τῇ ἱστορίᾳ, φησὶ

[87] Sic. cod. Bodl. 2281. [88] Quinque voces additæ ex codd. Bodl. 2281. [89] Psal. LXVIII, 10; Joan. II, 17. [90] Sic cod. Bodl. [90*] Leg. ἐκβληθεισῶν καὶ ἀναλωθεισῶν. EDIT. PATROL. [91] Psal. LXVIII, 22. [92] Joan. II, 19. [93] Sic cod Bodl.

Digitized by Google

τὸν Σολομῶντα τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσι κατεσκευακέναι τὸν ναὸν, εἰκόνα τυγχάνοντα τοῦ Σωτῆρος. Καὶ τὸν ς' ἀριθμὸν εἰς τὴν ὕλην, τουτέστι τὸ πλασμα, ἀναφέρει· τὸν δὲ τῶν τεσσαράκοντα (ὁ *τετράς ἐστι*, φησὶν, *ἡ ἀπρόσπλοκος*), εἰς τὸ ἐμφύσημα, καὶ τὸ ἐν τῷ ἐμφυσήματι σπέρμα.

lomonem quadraginta, et sex annis ædificasse templum, imaginem Servatoris referens. Et numerum senarium ad materiam, hoc est, ad plasma refert; quadragenarium autem (*quaternarius*, inquit, *numerus est, qui non implicatur*) ad flatum, et illud semen quod est in flatu.

Ex tomo XIII, *pag.* 205 *et seqq.*

Ἴδωμεν δὲ καὶ τὰ Ἡρακλέωνος εἰς τοὺς τόπους, ὅστις φησὶν ἄτονον, καὶ πρόσκαιρον, καὶ ἐπιλείπουσαν ἐκείνην γεγονέναι τὴν ζωὴν, καὶ τὴν κατ' αὐτὴν δόξαν· *κοσμικὴ* γὰρ, φησὶν, *ἦν*· καὶ οἴεται τοῦ κοσμικὴν αὐτὴν εἶναι ἀπόδειξιν φέρειν, ἐκ τοῦ θρέμματα τοῦ Ἰακὼβ ἐξ αὐτῆς πεπωκέναι. Καὶ εἰ μὲν ἄτονον, καὶ πρόσκαιρον, καὶ ἐπιλείπουσαν ἐλάμβανε τὴν ἐκ μέρους γνῶσιν, ἤτοι τῇ ἀπὸ τῶν Γραφῶν συγκρίσει τῶν ἀῤῥήτων ῥημάτων, ἃ οὐκ ἔξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι, πᾶσαν τὴν νῦν δι' ἐσόπτρου καὶ αἰνίγματος γινομένην γνῶσιν, καταργουμένην, ὅταν ἔλθῃ τὸ τέλειον, οὐκ ἂν αὐτὸ ἐνεκαλέσαμεν· εἰ δὲ ὑπὲρ τοῦ διαβάλλειν τὰ παλαιὰ, τοῦτο ποιεῖ, ἐγκλητέος ἂν εἴη. *Ὁ δὲ δίδωσιν ὕδωρ ὁ Σωτὴρ*, φησὶν *εἶναι ἐκ τοῦ Πνεύματος καὶ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ*, οὐ ψευδόμενος. Καὶ εἰς τὸ, *Οὐ μὴ διψήσει δὲ εἰς τὸν αἰῶνα*, ἀποδέδωκεν αὐταῖς λέξεσιν οὕτως· *Αἰώνιος γὰρ ἡ ζωὴ αὐτοῦ, καὶ μηδέποτε φθειρομένη, ὡς καὶ ἡ πρώτη ἡ ἐκ τοῦ φρέατος, ἀλλὰ μένουσα· ἀναφαίρετος γὰρ ἡ χάρις καὶ ἡ δωρεὰ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν, καὶ μὴ ἀναλισκομένη, μηδὲ φθειρομένη ἐν τῷ μετασχόντι αὐτῆς.* Φθειρομένην δὲ τὴν πρώτην διδοὺς εἶναι ζωὴν, εἰ μὲν τὴν κατὰ τὸ γράμμα ἔλεγε, ζητῶν τῇ περιαιρέσει τοῦ καλύμματος γινομένην, ἡ κατὰ τὸ Πνεῦμα, καὶ εὑρίσκων, ὑγιῶς ἂν ἔλεγεν· εἰ δὲ πάντη φθορὰν κατηγορεῖ τῶν παλαιῶν, δῆλον, ὅτι τοῦτο ποιεῖ, ὡς μὴ ὁρῶν τὰ ἀγαθὰ τῶν μελλόντων ἔχειν[96] ἐκεῖνα τὴν σκιάν. Οὐκ ἀπιθάνως δὲ τὸ, *ἁλλομένου*, διηγήσατο, καὶ τοὺς μεταλαμβάνοντας τοῦ ἄνωθεν ἐπιχορηγουμένου πλουσίως, καὶ αὐτοὺς ἐκβλῦσαι εἰς τὴν ἑτέρων αἰώνιον ζωὴν τὰ ἐπικεχορηγημένα αὐτοῖς. Ἀλλὰ καὶ ἐπαινεῖ τὴν Σαμαρεῖτιν, ὡς ἀνενδειξαμένην τὴν ἀδιάκριτον καὶ κατάλληλον τῇ φύσει ἑαυτῆς πίστιν, μὴ διακριθεῖσαν ἐφ' οἷς ἔλεγεν αὐτῇ. Εἰ μὲν οὖν τὴν προαίρεσιν ἀπεδέχετο, μηδὲν περὶ φύσεως αἰνιττόμενος, ὡς διαφερούσης, καὶ ἡμεῖς ἂν συγκατεθέμεθα· εἰ δὲ τῇ φυσικῇ κατασκευῇ ἀναφέρει τὴν τῆς συγκαταθέσεως αἰτίαν, ὡς οὐ πᾶσι ταύτης παρούσης, ἀνατρεπτέον αὐτοῦ τὸν λόγον. Οὐκ οἶδα δὲ, πῶς ὁ Ἡρακλέων, τὸ μὴ γεγραμμένον ἐκλαβὼν, φησὶ πρὸς τὸ, *Δός μοι τοῦτο τὸ ὕδωρ*, ὡς ἄρα βραχέα διανυχθεῖσα ὑπὸ τοῦ λόγου, ἐμίσησε λοιπὸν καὶ τὸν τόπον ἐκείνου τοῦ λεγομένου Ἰακὼβ φρέατος[98]. Ἔτι δὴ καὶ πρὸς τὸ, *Δός μοι τοῦτο τὸ ὕδωρ, ἵνα μὴ διψῶ, μηδὲ διέρχωμαι ἐνθάδε ἀντλεῖν*, φησὶν ὅτι ταῦτα λέγει ἡ γυνὴ ἐμφαίνουσα τὸ ἐπίμοχθον, καὶ δυσπόριστον, καὶ ἄτροφον ἐκείνου τοῦ ὕδατος. Πόθεν γὰρ δεικνύναι ἔχει ἄτροφον εἶναι τὸ τοῦ Ἰακὼβ ὕδωρ; Ἔτι δὲ ὁ Ἡρακλέων πρὸς τὰ,

Sed Jam videamus Heracleonis in hunc locum[94] dicta, qui ait (*fontem illum*) imbecillem et temporariam, et deficientem fuisse vitam, illiusque gloriam; *mundana enim*, inquit, *erat*: et existimat se demonstrationem afferre per fontem significari vitam mundanam, eo quod pecora Jacob ex illo biberint. Et si quidem imbecillem, et temporariam, et deficientem accepisset cognitionem eam, quæ est ex parte, nempe cognitionem e Scripturis provenientem, comparatione verborum ineffabilium, **367** et quæ ad hominem eloqui non est fas, omnem scilicet præsentem cognitionem, quæ per speculum est, et per ænigma, et quæ destruetur, cum venerit illud, quod perfectum est, haudquaquam illud reprehendissemus; sin vero istud agit, ut reprehendat vetera, reprehendendus est ipse. Porro quod ait, *aquam, quam dat Servator, ex Spiritu esse, et ex ipsius potentia*, vera dicit. Et istud: *Non sitiet in æternum*[95]; hisce verbis interpretatus est, dicens: *Vita æterna est vita ipsius, et quæ nunquam corrumpitur, sicut quidem prima illa aqua, quæ est ex puteo, sed manet: neque enim auferri potest donum et gratia Servatoris nostri, quæ neque consumitur, neque corrumpitur in eo qui particeps ipsius fuerit.* Porro autem cum primam vitam corruptibilem supposuit, si quidem de ea locutus est, quæ est secundum litteram, quærens eam, quæ ex ablatione velaminis oritur, quæque est secundum Spiritum, et inveniens eam, recte dixit. Sin vero corruptionis omnino accusat veteres, perspicuum est, eum hoc facere, tanquam qui non videat bona illa umbram habere futurorum illorum. Cæterum non inscite interpretatus est vocem, *salientis aquæ*, dicens eos qui e supernis illam abundanter participarent suppeditatam, vicissim etiam ea ad aliorum salutem æternam effundere quæ sibi suppeditata fuerint. Sed et Samaritidem laudat, ut quæ fidem inconcussam ac suæ ipsius naturæ convenientem ostenderit: non motam ob ea, quæ illi dicebat (Servator). Cui etiam nos annuimus, si electionem laudat, nihil de natura veluti meliori innuens; sin vero ad naturalem constitutionem refert, quod Salvatori obtemperarit Samaritis, quasi ea non omnibus insit, subvertenda est illius oratio. Nescio vero, quomodo Heracleon, quod scriptum etiam non est, assumens, dixerit in hoc: *Da mihi hanc aquam*[97]; quod statim a verbo stimulata mulier odio habuerit etiam locum illius putei, qui dicebatur Jacob. Præterea in illud: *Da mihi hanc aquam, ut non sitiam, ne-*

[94] Joan. IV, 6. [95] Ibid., 14. [96] Sic cod. Bodl. 2281. [97] Joan. IV, 15. [98] Ita recte cod. Bodl. 2281.

Digitized by Google

que veniam huc ad hauriendum; ait mulierem hæc dicere ostendentem ægre hauriri, et cum difficultate comparari aquam illam, nec nutritioni aptam esse. Unde potest ostendere aquam Jacob, nutritioni haud conducere? Adhuc in hæc duo verba : *Dicit illi*, dicit Heracleon : *Scilicet tale quid dicens : Si vis accipere hanc aquam, vade, voca virum tuum :* et existimat virum, quem Samaritidis esse Servator dicit, Pleroma Samaritidis esse, ut profecta cum illo ad Servatorem, reportare ab ipso potentiam, et unionem, et commistionem ad Pleroma suum posset. *Ast Christus non dixit*, inquit Heracleon, *mulieri de homine mundano, ut vocaret, quia non ignorabat, eam legitimum virum non habere.* Cæterum manifeste hoc in loco verbis vim infert dicens quod mulieri Servator dixerit : *Vade, voca virum tuum, et veni huc*[10]; significans maritum, quem ex Pleromate habebat : nam si hoc sic se habebat, oportuerat virum dicendo, modum etiam, quo vocandus erat, dicere, ut cum ipso ad Servatorem pergeret. Sed *quoniam*, ut Heracleon dicit, *juxta intelligentiam spiritualem ignorabat virum suum, secundum vero simplicem intelligentiam erubescebat dicere, quod mœchum haberet, non virum;* quomodo non frustra imperavit, dicens : *Vade, voca* **368** *virum tuum, et veni huc*[1]? Deinde ad id : *Vere dixisti, quia virum non habes*, inquit : *Quoniam in mundo virum non habebat Samaritis, viro suo existente inter Æones.* Atque nos quidem legimus : *Quinque enim viros habuisti*[2] : apud Heracleonem vero invenimus : *Sex viros habuisti :* interpretaturque per viros sex, universam malitiam materialem declarari, qua sese implicuerat, et ad quam accesserat, præter rationem fornicans, contumeliis affecta, et rejecta, et derelicta ab illis. Sed ipsi Heracleoni dicendum est, si fornicata est spiritualis, peccasse spiritualem; si vero peccavit spiritualis, arborem bonam non fuisse istam spiritualem. Juxta enim Evangelium, *Non potest arbor bona malos fructus ferre*[3]; proinde aperte illis perire, quæ finxerunt.

Λέγει αὐτῇ φησί· Δῆλον ὅτι τοιοῦτό τι λέγων· Εἰ θέλεις λαβεῖν τοῦτο τὸ ὕδωρ, ὕπαγε, φώνησον τὸν ἄνδρα σου· καὶ οἴεται τῆς Σαμαρείτιδος τὸν λεγόμενον ὑπὸ τοῦ Σωτῆρος ἄνδρα τὸ Πλήρωμα εἶναι αὐτῆς, ἵνα σὺν ἐκείνῳ γενομένη πρὸς τὸν Σωτῆρα κομίσεσθαι παρ' αὐτοῦ τὴν δύναμιν, καὶ τὴν ἕνωσιν, καὶ τὴν ἀνάκρασιν τὴν πρὸς τὸ Πλήρωμα αὐτῆς δυνηθῇ. Οὐ γὰρ περὶ ἀνδρὸς, φησὶ, κοσμικοῦ ἔλεγεν αὐτῇ, ἵνα καλέσῃ, ἐπείπερ οὐκ ἠγνόει ὅτι οὐκ εἶχε νόμιμον ἄνδρα. Προδήλως δὲ ἐνταῦθα βιάζεται λέγων, αὐτῇ τὸν Σωτῆρα εἰρηκέναι· Φώνησόν σου τὸν ἄνδρα, καὶ ἐλθὲ ἐνθάδε, δηλοῦντα τὸν ἀπὸ τοῦ Πληρώματος σύζυγον· εἴπερ γὰρ τοῦθ' οὕτως εἶχεν, ἐχρῆν τὸν ἄνδρα καὶ τίνα τρόπον φωνητέον ἔσται αὐτὸν [1], ἵνα σὺν αὐτῷ γένηται πρὸς τὸν Σωτῆρα. Ἀλλ' ἐπεὶ, ὡς Ἡρακλέων φησὶ, κατὰ τὸ νοούμενον ἠγνόει τὸν ἴδιον ἄνδρα, κατὰ δὲ τὸ ἁπλοῦν ᾐσχύνετο εἰπεῖν, ὅτι μοιχὸν, οὐχὶ δὲ ἄνδρα, εἶχε, πῶς οὐχὶ μάτην ἔσται προστάσσων ὁ λέγων· Ὕπαγε, φώνησον τὸν ἄνδρα σου, καὶ ἐλθὲ ἐνθάδε; Εἶτα πρὸς τοῦτο· Ἀληθὲς εἰρηκας, ὅτι ἄνδρα οὐκ ἔχεις· φησίν· Ἐπεὶ ἐν τῷ κόσμῳ οὐκ εἶχεν ἄνδρα ἡ Σαμαρεῖτις, ἦν γὰρ αὐτῆς ὁ ἀρὴρ ἐν τῷ Αἰῶνι. Ἡμεῖς μὲν οὖν ἀνέγνωμεν· Πέντε ἄνδρας ἔσχες· παρὰ δὲ τῷ Ἡρακλέωνι εὕρομεν· Ἓξ ἄνδρας ἔσχες· καὶ ἑρμηνεύει γε τὴν ὑλικὴν πᾶσαν κακίαν δηλοῦσθαι διὰ τῶν ἓξ ἀνδρῶν, ᾗ συνεπέπλεκτο καὶ ἐπλησίαζε, παρὰ λόγον πορνεύουσα, καὶ ἐνυβριζομένη, καὶ ἀθετουμένη, καὶ ἐγκαταλειπομένη ὑπ' αὐτῶν. Λεκτέον δὲ πρὸς αὐτὸν, ὅτι εἴπερ ἐπόρνευεν ἡ πνευματικὴ, ἡμάρτανεν ἡ πνευματική· εἰ δὲ ἡμάρτανε πνευματικὴ, δένδρον ἀγαθὸν οὐκ ἦν ἡ πνευματική. Κατὰ γὰρ τὸ Εὐαγγέλιον, Οὐ δύναται δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς πονηροὺς ἐνεγκεῖν· καὶ δῆλον, ὅτι οἰχεται αὐτοῖς τὰ τῆς μυθοποιίας.

Pag. 209 *et seqq.*

Heracleon in hæc verba (*Patres nostri in hoc monte adoraverunt*[4]) ait, honeste Samaritidem fassam fuisse, quæ sibi Jesus dixisset : *Solius enim prophetæ*, inquit (Heracleon), *est omnia cernere :* utrobique mentiens. Nam etiam angeli hujusmodi cernere queunt, et propheta non videt omnia : *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus*[5], sive prophetemus, sive cognoscamus. Deinde Samaritidem laudat, tanquam quæ decenter naturæ suæ fecerit, quæ neque mentita sit, neque palam fassa turpitudinem suam : et persuasam inquit ipsam, Jesum prophetam esse, interrogare eum, ostendentem simul etiam causam, propter quam fornicata fuerit; nimirum quod propter ignorantiam Dei, et divinum cultum neglexisset, et omnia deessent quæ sibi ad vitam necessaria

Ὁ Ἡρακλέων εἰς τὰ αὐτὰ ῥήματα λέγει, εὐσχημόνως ὡμολογηκέναι τὴν Σαμαρεῖτιν τὰ ὑπ' αὐτοῦ πρὸς αὐτὴν εἰρημένα· Προφήτου γὰρ μόνου, φησὶν, ἐστὶν εἰδέναι τὰ πάντα, ψευδόμενος ἑκατέρως. Καὶ γὰρ οἱ ἄγγελοι τὰ τοιαῦτα δύνανται εἰδέναι, καὶ ὁ προφήτης οὐ πάντα οἶδεν· Ἐκ μέρους γὰρ γινώσκομεν, καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν, κἂν προφητεύωμεν, καὶ γινώσκωμεν. Μετὰ δὲ ταῦτα ἐπαινεῖ ὡς πρεπόντως τῇ αὐτῆς φύσει ποιήσασαν τὴν Σαμαρεῖτιν, καὶ μήτε ψευσαμένην, μήτε ἀντικρυς ὁμολογήσασαν τὴν ἑαυτῆς ἀσχημοσύνην, πεπεισμένην τε, φησὶν, αὐτὴν, ὅτι προφήτης εἴη, ἐρωτᾷν αὐτὸν, ἅμα τὴν αἰτίαν ἐμφαίνουσαν, δι' ἣν ἐξεπόρνευσεν, ὅτι διάνοιαν [7] Θεοῦ, καὶ τῆς κατὰ τὸν Θεὸν λατρείας ἀμελήσασαν, καὶ πάντων τῶν κατὰ τὸν βίον αὐτῇ ἀναγκαίων [8], καὶ ἄλλως ἀεὶ τὴν [9] ἐν τῷ βίῳ τυγχά-

[10] Joan. IV, 16. [1] Adde εἰπεῖν. [2] Joan. IV, 17. [3] Ibid., 18. [4] Matth. VII, 18. [5] Joan. IV, 20. [6] I Cor. XIII, 9. [7] Leg. ἅτε δι' ἄγνοιαν. [8] Supplendum puto, ἀποτυγχάνουσαν, vel quidpiam simile. [9] Leg. τῶν.

Digitized by Google

νουσαν· *Οὐ γὰρ ἂν*, φησιν, *αὐτὴ ἦρχετο ἐπὶ τὸ φρέαρ ἔξω τῆς πόλεως τυγχάνον*. Προστίθησί τε [10] τούτοις, ὅτι βουλομένη μαθεῖν, πῶς καὶ τίνι τρόπῳ [11] εὐαρεστήσασα, καὶ Θεῷ προσκυνήσασα ἀπαλλαγείη τοῦ πορνεύειν, λέγει τό· *Οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν τῷ ὄρει τούτῳ προσεκύνησαν*, καὶ τὰ ἑξῆς. Σφόδρα δέ ἐστιν εὐέλεγκτα τὰ εἰρημένα· πόθεν γὰρ δῆλον [12] ὅτι βούλεται μαθεῖν τίνι τρόπῳ εὐαρεστήσασα ἀπαλλαγείη τοῦ πορνεύειν; Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς· *Πίστευέ μοι, γύναι, ὅτι ἔρχεται ὥρα, ὅτε οὔτε* [13] *ἐν ὄρει τούτῳ, οὔτε ἐν Ἱεροσολύμοις προσκυνήσετε τῷ Πατρί*. Ὅτε ἔδοξε πιθανώτατα τετηρηκέναι ὁ Ἡρακλέων ἐν τούτοις, τὸ ἐπὶ μὲν τῶν προτέρων μὴ εἰρῆσθαι αὐτῇ, *Πίστευέ μοι, γύναι*, νῦν δὲ τοῦτο αὐτῇ προστετάχθαι· τότε ἐπεβόλωσε τὸ μὴ ἀπίθανον παρατήρημα, εἰπὼν ὄρος μὲν τὸν διάβολον λέγεσθαι, ἢ τὸν κόσμον αὐτοῦ· *Ἐπείπερ μέρος ἐν ὁ διάβολος ὅλης τῆς ὕλης*, φησιν, *ἦν* [14], *ὁ δὲ κόσμος τὸ σύμπαν τῆς κακίας ὄρος, ἔρημον οἰκητήριον θηρίων, ᾧ* [15] *προσεκύνουν πάντες οἱ πρὸ νόμου καὶ οἱ ἐθνικοί· Ἱεροσόλυμα δὲ τὴν κτίσιν, ἢ τὸν Κτίστην, ᾧ προσεκύνουν οἱ Ἰουδαῖοι*. Ἀλλὰ καὶ δευτέρως ὄρος μὲν ἐνόμισεν εἶναι τὴν κτίσιν, ᾗ ἐθνικοὶ προσεκύνουν· Ἱεροσόλυμα δὲ τὸν Κτίστην, ᾧ Ἰουδαῖοι ἐλάτρευον· *Ὑμεῖς οὖν*, φησιν, *οἱονεὶ οἱ πνευματικοί, οὔτε τῇ κτίσει, οὔτε τῷ Δημιουργῷ προσκυνήσετε, ἀλλὰ τῷ Πατρὶ τῆς Ἀληθείας. Καὶ συμπαραλαμβάνει γε*, φησιν, *αὐτὴν, ὡς ἤδη πιστὴν καὶ συναριθμουμένην τοῖς κατ' ἀλήθειαν προσκυνηταῖς*.

essent, et proinde alio modo victum sibi quæreret soleret. *Neque enim*, inquit, *venisset ipsa ad puteum, qui erat extra urbem*. Hisce addit, eam volentem discere, quomodo Deum adorans, et illi accepta, liberaretur a fornicatione, illud dixisse : *Patres nostri in hoc monte adoraverunt* [12], et ea quæ sequuntur. Sed facile admodum redarguuntur hæc dicta : unde enim liquet eam discere velle, quo pacto Deo grata liberaretur a fornicatione? Dicit illi Jesus : *Crede mihi, mulier, venit hora, quando neque in hoc monte, neque Jerosolymis adorabitis Patrem* [13]. Quando visus est Heracleon aptissime in hæc observasse, in præcedentibus non dictum fuisse illi : *Mulier, crede mihi ;* nunc autem hoc illi injunctum fuisse : tunc non inscitam observationem observavit, cum dixisset, per montem intelligi diabolum, vel mundum ejus : *Quandoquidem pars una est*, inquit, *diabolus totius materiæ ; mundus vero universus malitiæ mons, et deserta habitatio ferarum, quem adorabant omnes ante legem, et gentiles : per Jerosolymam vero intelligi* dicit *creationem*, *vel Creatorem, quem adorabant Judæi*. Quin secunda vice existimavit montem esse creationem, quam gentiles adorarent ; Jerosolymam autem Creatorem, quem Judæi colerent : *Vos ergo*, inquit, *veluti spirituales, neque creationem, neque mundi opificem adorabitis, sed Patrem Veritatis. Ac illam sane adjuvat*, inquit, *tanquam jam fidelem, et quæ annumeretur adorantibus eum in veritate.*

369 *Ex tomo* XIV, *pag.* 213 *et seq.*

Τὸ μέντοιγε, *Ἡμεῖς προσκυνοῦμεν*, ὁ Ἡρακλέων οἴεται εἶναι, ὁ ἐν Αἰῶνι, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἐλθόντες [16]· *Οὗτοι γὰρ*, φησιν, *ᾔδεσαν τίνι προσκυνοῦσι, κατὰ ἀλήθειαν προσκυνοῦντες*. Ἀλλὰ καὶ τό· *Ὅτι ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν· ἐπεὶ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ*, φησιν, *ἐγεννήθη, ἀλλ' οὐκ ἐν αὐτοῖς· οὐ γὰρ εἰς πάντας αὐτοὺς εὐδόκησε· καὶ ὅτι ἐξ ἐκείνου τοῦ ἔθνους ἐξῆλθεν ἡ σωτηρία καὶ ὁ λόγος εἰς τὴν οἰκουμένην*. Κατὰ δὲ τὸ νοούμενον, ἐκ τῶν Ἰουδαίων τὴν σωτηρίαν διηγεῖται γεγονέναι, ἐπείπερ εἰκόνες οὗτοι τῶν ἐν τῷ Πληρώματι, αὐτῷ εἶναι νομίζονται. Ἐχρῆν δὲ αὐτὸν καὶ τοὺς ἀπ' αὐτοῦ ἕκαστον τῶν ἐν τῇ λατρείᾳ δεικνύναι, πῶς ἐστιν εἰκὼν τῶν ἐν τῷ Πληρώματι, εἴγε μὴ μόνον φωνῇ τοῦτο λέγουσιν, ἀλλὰ καὶ ἀληθείᾳ φρονοῦσιν αὐτό. Πρὸς τούτοις τὸ, *ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ προσκυνεῖσθαι τὸν Θεόν*, ἡγούμενος [21] λέγει, ὅτι *οἱ πρότεροι προσκυνηταὶ ἐν σαρκὶ καὶ πλάνῃ προσεκύνουν τῷ μὴ Πατρί, ὥστε καὶ ταυτὸν πεπλανῆσθαι πάντας τοὺς προσκεκυνηκότας τῷ δημιουργῷ*. Καὶ ἐπιφέρει γε ὁ Ἡρακλέων, ὅτι *ἐλάτρευον τῇ κτίσει, καὶ οὐ τῷ κατ' ἀλήθειαν Κτίστῃ, ὅς ἐστι Χριστός*, εἴγε *πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδέν*. Καὶ γὰρ ὁ Πατὴρ τοιούτους ζητεῖ τοὺς προσ-

Sane istis verbis, *Nos adoramus* [16], Heracleon intelligi vult eum, qui est in Æone, et qui cum ipso venerunt : *Nam hi*, inquit, *noverunt quem adorant, secundum veritatem adorantes*. Quin illud etiam : *Salus ex Judæis est* [19] ; *quoniam in Judæa genitus est*, inquit, *sed non inter ipsos ; quia non in omnes ipsos animi propensionem habuit, et quoniam ex illa gente egressa est salus et sermo in orbem terrarum*. Juxta intelligentiam vero spiritualem, ex Judæis narrat factam fuisse salutem, quoniam hi imagines ipsi videntur esse eorum, qui sunt in Pleromate. Sed ostenderet ipse necesse erat, ejusque sequaces, quomodo unusquisque eorum, qui veræ religioni sunt addicti, sit similitudo eorum, qui sunt in Pleromate ; modo non sola voce hoc dicant, sed vere hoc sentiant. Præterea enarrans illud, *in spiritu et veritate adorari Deum* [20] : *priores adoratores*, inquit, *in carne et errore adoraverunt eum, qui Pater non erat. Quare eadem quoque ratione decepti fuere omnes, qui adoraverunt mundi opificem*. Subjungitque Heracleon, *eos servisse creaturæ, non ei, qui in veritate Creator erat, qui est Christus* : quandoquidem *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* [22]. Etenim *Pater tales quærit, qui*

[10] Sic cod. Bodl. 2281. [11] Sic cod. Bodl. [12] Joan. IV, 20. [13] Sic cod. Bodl. [14] Sic cod. Bodl. [15] Joan. IV, 21. [16] Sic cod. Bodl. [17] Sic cod. Bodl. hic et Paulo post, pro ὡς et οἱ. [18] Joan. IV, 22. [16*] Forte leg. τὸν ἐν Αἰῶνι καὶ τοὺς... ἐλθόντας. EDIT. PATROL. [19] Ibid. [20] Ibid., 23. [21] Forte, διηγούμενος. [22] Joan. I, 3.

Digitized by Google

ipsum adorent [28]. Si quærit Pater, per Filium quærit, qui *venit ad quærendum et servandum quod perierat* [29]: quos purificans et erudiens ratione, et sanis dogmatibus, facit esse veros adoratores. *Periisse autem*, dicit Heracleon, *in profunda materia erroris id quod proprium erat Patris, quod ideo quæritur, ut a suis adaretur.* Itaque hunc quidem sermonem si intellexisset de ovium perditione, et de filio, qui patriis bonis exciderit, sic admisissemus ipsius enarrationem. Sed quandoquidem nescio quid tandem aperte doceant de perditione spiritualis naturæ, qui ipsum sequuntur fabulantes, et nihil apertum nos docentes de sæculis, vel temporibus quæ fuere ante ipsam perditionem (neque enim propria dicta declarare possunt); hanc ob causam prætermisimus ipsos sponte, hucusque disputasse contenti.

A κυνοῦντας αὐτόν· εἰ [24] ζητεῖ ὁ Πατήρ, διὰ τοῦ Υἱοῦ ζητεῖ, τοῦ ἐληλυθότος ζητῆσαι καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλός, οὗστινας καθαίρων, καὶ παιδεύων τῷ λόγῳ, καὶ τοῖς ὑγιέσι δόγμασι, κατασκευάζει ἀληθεῖς τοὺς προσκυνητάς. Ἀπολωλέναι δὲ, φησὶν ὁ Ἡρακλέων, ἐν τῇ βαθείᾳ ὕλῃ τῆς πλάνης τὸ οἰκεῖον τῷ Πατρὶ, ὅπερ ζητεῖται, ἵνα ὁ Πατὴρ ὑπὸ τῶν οἰκείων προσκυνῆται. Εἰ μὲν οὖν ἐώρα τὸν περὶ τῆς ἀπωλείας τῶν προβάτων λόγον, καὶ τοῦ ἀποπεσόντος τῶν τοῦ πατρὸς υἱοῦ, κἂν ἀπεδεξάμεθα αὐτοῦ τὴν διήγησιν· ἐπεὶ δὲ μυθοποιοῦντες οἱ ἀπὸ τῆς γνώμης αὐτοῦ, οὐκ οἶδ' ὅ τι ποτὲ τρανῶς παριστᾶσι περὶ τῆς ἀπωλωλυίας πνευματικῆς φύσεως, οὐδὲν σαφὲς διδάσκοντες ἡμᾶς περὶ τῶν πρὸ τῆς ἀπωλείας αὐτῆς χρόνων ἢ αἰώνων (οὐδὲ γὰρ τρανοῦν δύνανται ἑαυτῶν τὸν λόγον)· διὰ τοῦτο αὐτοὺς ἐκόντες παραπεμψόμεθα, τοσοῦτον ἐπαπορήσαντες.

B

Et pag. 217 *et seq.*

In ea verba, *Deus est Spiritus* [26], inquit Heracleon: *immaculata enim, et pura, et invisibilis est divina ipsius natura.* Sed hæc cum dixerit, haud scio an docuerit nos, quomodo Deus sit Spiritus. Illud etiam, *adorantes oportet adorare spiritu et veritate* [29], ratus se declarare, inquit, *pro dignitate ejus, qui adoratur; spiritualiter, non carnaliter. Etenim ipsi ejusdem naturæ cum Patre existentes, sunt spiritus, qui secundum veritatem, et non secundum errorem adorant*, quemadmodum et Apostolus docet, dicens *rationabilem cultum* [30] talem Dei cultum. Sed advertamus annon valde sit impium dicere, quod adorantes Deum in spiritu, ejusdem sint essentiæ cum ingenita illa et undequaque beata natura, quos paulo ante dixerat Heracleon lapsos fuisse, cum Samaritidem diceret spiritualis exsistentem naturæ fornicatam esse. **370** Quod si vero spiritualis natura, quæ sit ejusdem essentiæ cum divina et undequaque beata natura, ut ipsi tradunt, admiserit fornicationem; profana, et impia, et irreligiosa de Deo sequuntur ipsorum de Deo sententiam.

Εἰς μέντοιγε τὸ, *Πνεῦμα ὁ Θεὸς*, ὁ Ἡρακλέων φησὶν· *ἄχραντος γὰρ, καὶ καθαρὰ, καὶ ἀόρατος ἡ θεία* [27] *φύσις αὐτοῦ.* Οὐκ οἶδα δὲ, εἰ ἐδίδαξεν ἡμᾶς ταῦτα ἐπειπὼν [28], πῶς ὁ Θεὸς πνεῦμά ἐστι. Τὸ δὲ, *τοὺς προσκυνοῦντας ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν*, σαφηνίζειν νομίζων, φησὶν· *ἀξίως τοῦ προσκυνουμένου, πνευματικῶς, οὐ σαρκικῶς. Καὶ γὰρ αὐτοὶ τῆς αὐτῆς φύσεως ὄντες τῷ Πατρὶ, πνεῦμά εἰσιν, οἱ τινες κατ' ἀλήθειαν, καὶ οὐ κατὰ πλάνην προσκυνοῦσι*, καθ' ὃ καὶ ὁ Ἀπόστολος διδάσκει, λέγων *λογικὴν λατρείαν* τὴν τοιαύτην τὴν θεοσέβειαν. Ἐπιστήσωμεν δὲ, εἰ μὴ σφόδρα ἐστὶν ἀσεβὲς, ὁμοούσιον τῇ ἀγεννήτῳ φύσει καὶ παμμακαρίᾳ εἶναι λέγειν τοὺς προσκυνοῦντας ἐν πνεύματι τῷ Θεῷ, οὓς πρὸ βραχέος εἶπεν αὐτὸς ὁ Ἡρακλέων ἐκπεπτωκότας, τὴν Σαμαρεῖτιν λέγων πνευματικῆς φύσεως οὖσαν πεπορνευκέναι. Ἀλλ' οὐχ ὁρῶσιν [31]... ὅτι παντὸς... καὶ τῶν αὐτῶν δεκτικόν. Εἰ δὲ ἐδέξατο τὸ πορνεῦσαι ἡ πνευματικὴ φύσις, ὁμοούσιος οὖσα τῆς θείας καὶ παμμακαρίας φύσεως, ὡς αὐτοὶ λέγουσι, ἀνόσιαι, καὶ ἄθεα, καὶ ἀσεβῆ ἀκολουθεῖ τῷ λόγῳ τῷ κατ' αὐτοὺς περὶ Θεοῦ.

C

Porro pag. 220.

Vide quid Heracleon dicat: ait enim, quod *exspectaverit Ecclesia Christum, et persuasa fuerit de eo, quod solus ille omnia noverit.*

Ὅρα τὸν Ἡρακλέωνα, τί φησι· λέγει γὰρ, ὅτι *προσεδέχετο ἡ Ἐκκλησία τὸν Χριστὸν, καὶ ἐπέπειστο περὶ αὐτοῦ, ὅτι τὰ πάντα μόνος ἐκεῖνος ἐπίσταται.*

Et pag. 221.

Heracleon in ea verba: *Ego sum qui loquor tibi* [32], ait quod *Samaritidi, quia persuasa fuerat Christum, cum venisset, omnia illi annuntiaturum, dixerit (Jesus): Scito illum, quem tu exspectas, me esse qui tecum loquor: et cum seipsum eum esse qui venturus exspectaretur, confessus esset*, inquit Heracleon, *venerunt ad eum discipuli, quorum causa venerat in Samariam.*

D Καὶ ὁ Ἡρακλέων δέ φησι πρὸς τὸ, *Ἐγώ εἰμι ὁ λαλῶν σοι*, ὅτι, *εἴπερ* [33] *ἐπέπειστο ἡ Σαμαρεῖτις περὶ τοῦ Χριστοῦ, ὡς ἆρα ἐλθὼν πάντα ἀπαγγελεῖ αὐτῇ, φησὶ· Γίνωσκε, ὅτι ἐκεῖνος, ὃν προσδοκᾷς, ἐγώ εἰμι ὁ λαλῶν σοι· καὶ ὅταν ὁμολόγησεν ἑαυτὸν τὸν προσδοκώμενον ἐληλυθέναι, ἦλθον*, φησὶν, *οἱ μαθηταὶ πρὸς αὐτὸν, δι' οὓς ἐληλύθει εἰς τὴν Σαμάρειαν.*

Et sub finem hujus tomi, pag. 223.

Heracleon hydriam [34] existimat esse affectionem atque notionem susceptivam vitæ, ut et ejus poten-

Ὁ Ἡρακλέων τὴν ὑδρίαν, τὴν δεκτικὴν ζωῆς ὑπολαμβάνει εἶναι διάθεσιν καὶ ἔννοιαν, καὶ τῆς δυνά-

[28] Joan. IV, 23. [29] Sic cod. Bodl. [30] Luc. XIX, 10. [31] Joan. IV, 24. [32] Sic cod. Bodl. Comma mutilum non vertit interpres. EDIT. PATROL. [33] Joan. IV, 26. [34] Forte ἐπείπερ. [35] Joan. IV, 28.

Digitized by Google

μεως τῆς παρὰ τοῦ Σωτῆρος, Ἥντινα καταλιποῦσα, φησὶ, παρ' αὐτῷ, τουτέστιν ἔχουσα παρὰ τῷ Σωτῆρι τὸ τοιοῦτον σκεῦος, ἐν ᾧ ἐληλύθει λαβεῖν τὸ ζῶν ὕδωρ, ὑπέστρεψεν εἰς τὸν κόσμον, εὐαγγελιζομένη τῇ κλήσει τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν· διὰ γὰρ τοῦ Πνεύματος καὶ ὑπὸ τοῦ Πνεύματος προσάγεται ἡ ψυχὴ τῷ Σωτῆρι. Κατανόησον δὴ εἰ δύναται ἐπαινουμένη τυγχάνειν ἡ ὑδρία αὕτη, πάντη ἀφιεμένη· Ἀφῆκε γάρ, φησὶ, τὴν ὑδρίαν αὐτῆς ἡ γυνή· οὐ γὰρ πρόσκειται, ὅτι ἀφῆκεν αὐτὴν παρὰ τῷ Σωτῆρι. Πῶς δὲ καὶ οὐκ ἀπίθανον, καταλιποῦσαν αὐτὴν τὴν δεκτικὴν τῆς ζωῆς διάθεσιν, καὶ τὴν ἔννοιαν τῆς δυνάμεως τῆς παρὰ τοῦ Σωτῆρος, καὶ τὸ σκεῦος, ἐν ᾧ ἐληλύθει λαμβάνειν τὸ ζῶν ὕδωρ, ἀπεληλυθέναι εἰς τὸν κόσμον χωρὶς τούτων, εὐαγγελίσασθαι τῇ κλήσει τὴν Χριστοῦ παρουσίαν;... Καὶ τὸ, Ἐξῆλθον δὲ ἐκ τῆς πόλεως, διηγήσατο ἀντὶ τοῦ, ἐκ τῆς προτέρας αὐτῶν ἀναστροφῆς οὔσης κοσμικῆς, καὶ ἤρχοντο διὰ τῆς πίστεως, φησὶ, πρὸς τὸν Σωτῆρα.

A tiæ quæ a Servatore est: *Quam relinquens*, inquit, *apud ipsum, hoc est, habens apud Servatorem tale vas, in quo aquam vivam haustura venerat, reversa est in mundum nuntians vocandis præsentiam Christi: per Spiritum enim et a Spiritu anima ad Servatorem adducitur.* Igitur considera, laudabilisne esse possit hæc hydria, quæ omnino relinquitur: *Dimisit enim*, inquit, *hydriam suam mulier*; non enim additur, quod dimiserit eam apud Servatorem. Sed quomodo non absurdum erit eam, quæ deseruisset affectionem susceptivam vitæ, et notitiam potentiæ a Servatore manantis, et vas, in quo venerat, ut acciperet aquam vivam, abiisse in mundum sine his, ut evangelizaret vocandis adventum Christi? ..... Quin et illud: *Exieruntque e civitate*[35], exposuit de prima ipsorum conversione, quæ mundana erat: *Et venerunt per fidem*, inquit, *ad Servatorem.*

B

Sub initium tomi XV, *pag.* 224 *et seq.*

Ὁ Ἡρακλέων φησὶν, ὅτι ἐβούλοντο κοινωνεῖν αὐτῷ ἐξ ὧν ἀγοράσαντες ὑπὸ τῆς Σαμαρείας κεκομίκεισαν. Τάδε φησὶν, ἵνα τινὰ..... αἱ πέντε μωραὶ παρθένοι..... ἀπὸ τοῦ νυμφίου· πῶς οἶμαι..... α αὐτὰ ἔχειν... ἔγονται ..... αἷς ἀποκλιθείσαις μωραῖς παρθένοις, ἄξιον ἰδεῖν κατηγορίαν περιέχοντα τῶν μαθητῶν τοῖς αὐτοῖς κοιμωμένων ταῖς μωραῖς παρθένοις. Ἔστι δὲ καὶ αὐτὸ ἂν ὅμοιον τοῦ φωτὸς πρὸς τροφὴν, καὶ τοῦ ποτοῦ πρὸς τὰ βρώματα ..... σαντας αἰτιάσασθαι τὴν ἐκδοχήν· καίπερ κατά τι δυνάμενον σαφῆ ποιῆσαι τὸν λόγον ἐχρῆν αὐτὸν, διὰ πλειόνων παραμυθεῖσθαι κατασκευάζοντα τὴν ἰδίαν ἐκδοχήν.

Heracleon ait, discipulos voluisse cum Jesu communicare quæ emissent atque a Samaria attulissent. Hæc autem commemorat, ut aliqua.... quinque fatuæ virgines.... a sponso. Quomodo autem arbitror... eadem habere... quibus occlusis fatuis virginibus, operæ pretium est videre ea, quæ discipulorum accusationem continent, eodem modo quo fatuæ virgines dormientium. Hoc autem eamdem rationem habeat lucis ad cibum, quam potus ad cibum habet...accusare reprehendereque interpretationem. Quanquam pro virili parte id quod ait, planum facere debuit, et pluribus docere, confirmans interpretationem suam.

C

371 *Et pag.* 227.

Ἔλεγον οὖν οἱ μαθηταὶ πρὸς ἀλλήλους· Μή τις ἤνεγκεν αὐτῷ φαγεῖν; Εἰ καὶ σαρκικῶς ὑπολαμβάνει ταῦτα λέγεσθαι ὁ Ἡρακλέων ὑπὸ τῶν μαθητῶν, ὡς ἔτι ταπεινότερον διακειμένων, καὶ τὴν Σαμαρεῖτιν μιμουμένων λέγουσαν· Οὔτε ἄντλημα ἔχεις, καὶ τὸ φρέαρ ἐστὶ βαθύ· ἄξιον ἡμᾶς ἰδεῖν, μήποτε βλέποντές τι θειότερον οἱ μαθηταὶ, φασὶ πρὸς ἀλλήλους· Μή τις ἤνεγκεν αὐτῷ φαγεῖν;

Dicebant igitur discipuli inter se: *Num aliquis attulit illi aliquid ad edendum*[36]? Etiamsi *carnaliter* Heracleon *hæc a discipulis dicta* putet, *tanquam qui adhuc humilius sentirent, Samaritidem imitantes dicentem: Neque haustorium habes, et puteus altus est*; dignum est, ut cernamus, num forte aliquid divinius videntes discipuli dicant inter se: *Num quis attulit illi, quod edat?* etc.

D

Pag. 230.

Ὁ Ἡρακλέων διὰ τοῦ· Ἐμὸν βρῶμά ἐστιν, ἵνα ποιήσω τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με, φησὶ διηγεῖσθαι τὸν Σωτῆρα τοῖς μαθηταῖς, ὅτι τοῦτο ἦν, ὃ συνεζήτει μετὰ τῆς γυναικὸς, βρῶμα ἴδιον, λέγων τὸ θέλημα τοῦ Πατρός· τοῦτο γὰρ αὐτοῦ τροφὴ, καὶ ἀνάπαυσις, καὶ δύναμις ἦν. Θέλημα δὲ Πατρὸς ἔλεγεν εἶναι τὸ γνῶναι ἀνθρώπους τὸν Πατέρα, καὶ σωθῆναι, ὅπερ ἦν ἔργον τοῦ Σωτῆρος, τοῦ ἕνεκα τούτου ἀπεσταλμένου εἰς Σαμάρειαν, τουτέστιν εἰς τὸν κόσμον.

Heracleon per hæc verba: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*[37], dicit *Servatorem declarare discipulis, id proprium suum cibum esse, quod loqueretur cum muliere; dicens Patris voluntatem, quæ ipsius cibus et requies, et potentia erat. Voluntatem autem Patris esse dicebat, ut homines Patrem cognoscerent, et servarentur; quæ res erat opus Servatoris, qui hujus rei causa Samariam missus fuerat, hoc est, in mundum.*

Ulterius pag. 233.

Καὶ ὁ Ἡρακλέων ὁμοίως τοῖς πολλοῖς ἐπὶ τῆς λέξεως ἔμεινε, μὴ οἰόμενος αὐτὴν ἀνάγεσθαι. Φησὶ γοῦν, ὅτι τὸν τῶν γεννημάτων λέγει θερισμὸν, ὡς

Heracleon non secus atque multi, litteræ inhæret, ratus eam anagogicum sensum non recipere. Inquit ergo, *Jesum loqui de messe geniminum* (ter-

[35] Joan. IV, 30. [36] Ibid., 33. [37] Ibid., 34.

Digitized by Google

tæ), perinde quasi hæc messis spatium quatuor mensium determinatum habeat, quam ipse dicebat jam instare. Nec scio quo pacto etiam messem interpretatus sit de anima credentium, dicens, *eos jam maturos, et paratos ad messem esse, atque etiam idoneos, qui inducantur in horreum, hoc est, per fidem in quietem; si tamen sint parati: nec enim omnes animæ paratæ sunt. Nam aliæ paratæ erant*, inquit, *aliæ erant se præparaturæ, et aliæ quidem seminandæ erant, aliæ jam seminabantur.* Hæc quidem ille.

A τούτου μὲν ἔτι διωρίαν ἔχοντος τετράμηνον τοῦδε θερισμοῦ, οὗ αὐτὸς ἔλεγεν, ἤδη ἐνεστῶτος. Καὶ τὸν θερισμὸν οὐκ οἶδ' ὅπως ἐπὶ τῆς ψυχῆς ἐξέλαβε τῶν πιστευόντων, λέγων, ὅτι ἤδη ἀκμαῖοι καὶ ἕτοιμοί εἰσι πρὸς θερισμόν, καὶ ἐπιτήδειοι πρὸς τὸ συναχθῆναι εἰς ἀποθήκην, τουτέστι διὰ πίστεως εἰς ἀνάπαυσιν, ὅσαιγε ἕτοιμοι· οὐ γὰρ πᾶσαι. Αἱ μὲν γὰρ ἤδη ἕτοιμοι ἦσαν, φησὶν, αἱ δὲ ἔμελλον, αἱ δὲ μέλλουσιν, αἱ δὲ ἐπισπείρονται ἤδη. Ταῦτα μὲν οὖν ἐκεῖνος εἶπε.

Ex tomo XVI, *pag.* 236 *seq.*

Dicet Heracleon, et idem juxta hanc expositionem fortassis sentiens ecclesiasticus quispiam, hæc verba [38] dicta fuisse in ea significatione, qua dictum est: *Messis quidem multa, sed operarii pauci* [39]; *eo quod essent parati ad messem, et idonei qui inducerentur in horreum, hoc est, in requiem per fidem, essentque idonei ad salutem et ad susceptionem verbi*: secundum Heracleonem quidem, quia tales creati fuerint, et talem habuerint naturam; secundum ecclesiasticum vero, propter quamdam præparationem præstantissimæ partis animæ, paratæ ad perfectionem, ut etiam metatur.

Ἐρεῖ γε ὁ Ἡρακλέων, τάχα δὲ τοῦτο κατὰ τὴν ἐκδοχὴν ταύτην συμπεριφερόμενός τις καὶ Ἐκκλησιαστικὸς, ὅτι κατὰ τὸ, Ὁ θερισμὸς πολὺς, οἱ δὲ ἐργάται ὀλίγοι, σημαινόμενον, ὁμοίως ταῦτα εἰρῆται, τῷ ἑτοίμους πρὸς θερισμὸν, καὶ ἐπιτηδείους πρὸς τὸ ἤδη συναχθῆναι εἰς τὴν ἀποθήκην, διὰ τῆς πίστεως εἰς ἀνάπαυσιν εἶναι, καὶ ἐπιτηδείους πρὸς σωτηρίαν, καὶ παραδοχὴν τοῦ λόγου· κατὰ μὲν τὸν Ἡρακλέωνα, διὰ τὴν κατασκευὴν αὐτῶν καὶ τὴν φύσιν· κατὰ δὲ τὸν Ἐκκλησιαστικὸν, καὶ διά τινα εὐτρεπισμὸν τοῦ ἡγεμονικοῦ ἑτοίμου πρὸς τελείωσιν, ἵνα μὴ [39*] καὶ θερισθῇ.

Et pag. 238.

Heracleon dici existimat: *Qui metit, mercedem accipit* [40]; *quoniam Servator seipsum dicit messorem, mercedemque Domini nostri esse* existimat *eorum qui metuntur salutem et restitutionem, cum ipse in eis requiescat.* Istud **372** vero: *Fructum colligit in vitam æternam* [41], dictum fuisse existimat, *vel quia id quod colligitur fructus est vitæ æternæ, vel quia ipsa collectio vita etiam æterna est.* At reor hoc in loco coactam esse ejus interpretationem, dicentis Servatorem accipere mercedem, atque mercedem et collectionem fructus in unum confundentis; cum Scriptura manifeste hæc tanquam duo diversa proponat, ut supra ostendimus.

Ὁ Ἡρακλέων τὸ, Ὁ θερίζων μισθὸν λαμβάνει εἰρῆσθαι νομίζει, ἐπεὶ θεριστὴν ἑαυτὸν λέγει ὁ Σωτὴρ, καὶ τὸν μισθὸν τοῦ Κυρίου ἡμῶν ὑπολαμβάνει εἶναι τὴν τῶν θεριζομένων σωτηρίαν καὶ ἀποκατάστασιν, τῷ ἀναπαύεσθαι αὐτὸν ἐπ' αὐτοῖς. Τὸ δὲ, Καὶ συνάγει καρπὸν εἰς ζωὴν αἰώνιον, φησὶν εἰρῆσθαι, ἢ ὅτι τὸ συναγόμενον καρπὸς ζωῆς αἰωνίου ἐστὶν, ὃ [42] καὶ αὐτὸ ζωὴ αἰώνιος. Ἀλλὰ αὐτόθεν νομίζω βίαιον εἶναι τὴν διήγησιν αὐτοῦ, φάσκοντος τὸν Σωτῆρα μισθὸν λαμβάνειν, καὶ συγχέοντος τὸν μισθὸν καὶ τὴν συναγωγὴν τοῦ καρποῦ εἰς ἕν, ἀντικρυς τῆς Γραφῆς δύο πράγματα παριστάσης, ὡς προδιηγησάμεθα.

Ulterius pag. 242.

Heracleon hæc verba: *Ut qui seminat simul gaudeat et qui metit* [43], sic explicavit: *Gaudet quidem*, inquit, *qui seminat, et quoniam seminat, et quoniam species quædam seminum ipsius congregantur, spem eamdem etiam de cæteris habens. Qui vero metit, similiter aliquid metit: sed primus quidem qui seminat, incæpit, secundus vero est ille qui metit; non enim eodem tempore poterant utrique incipere: quippe opus erat, ut primum seminaretur, tum meteretur. Itaque, cessante a satione satore, tum messor metet: in præsentia quidem utrique proprium opus operantes simul gaudent, commune gaudium, seminum perfectionem rati.* Præterea in eo dicto: *In hoc est sermo verus, quod alius est, qui seminat, et alius qui metit* [44], inquit: *Alter quidem filius hominis supra locum seminat; sed Servator cum sit et ipse filius hominis, metit, et messores mittit, nempe*

Ὁ Ἡρακλέων τὸ, Ἵνα ὁ σπείρων ὁμοῦ χαίρῃ καὶ ὁ θερίζων, οὕτω διηγήσατο· Χαίρει μὲν γὰρ, φησὶν, ὁ σπείρων, ὅτι σπείρει, καὶ ὅτι εἴδη τινὰ τῶν σπερμάτων αὐτοῦ συνάγεται, ἐλπίδα ἔχων τὴν αὐτὴν καὶ περὶ τῶν λοιπῶν. Ὁ δὲ θερίζων ὁμοίως τι καὶ θερίζει· ἀλλ' ὁ [44*] μὲν πρῶτος ἦρξατο σπείρων, ὁ δεύτερος θερίζων. Οὐ γὰρ ἐν τῷ αὐτῷ ἐδύναντο ἀμφότεροι ἄρξασθαι· ἔδει γὰρ πρῶτον σπαρῆναι, εἶθ' ὕστερον θερισθῆναι· παυσαμένου μέντοιγε τοῦ σπείροντος σπείρειν, ἔτι θερισῇ ὁ θερίζων· ἐπὶ μέντοιγε τοῦ παρόντος ἀμφότεροι τὸ ἴδιον ἔργον ἐνεργοῦντες ὁμοῦ χαίρουσι, κοινὴν χαρὰν τὴν τῶν σπερμάτων τελειότητα ἡγούμενοι. Ἔτι δὲ καὶ εἰς τὸ, Ἐν τούτῳ ἐστὶν ὁ λόγος ἀληθινὸς, ὅτι ἄλλος ἐστὶν ὁ σπείρων, καὶ ἄλλος ὁ θερίζων, φησίν· Ὁ μὲν γὰρ ὑπὲρ τὸν τόπον υἱὸς [45] ἀνθρώπου σπείρει· ὁ δὲ Σωτὴρ ὢν καὶ

[38] Joan. IV, 36. [39] Matth. IX, 37. [39*] Particula μή delenda videtur. EDIT. PATROL. [40] Joan. IV, 36. [41] Ibid. [42] Leg. ἢ ὅτι. [43] Joan. IV, 36. [44] Sic cod. Bodl. [44*] Joan. IV, 37. [45] Sic cod. Bodl.

Digitized by Google

αὐτὸς υἱὸς ἀνθρώπου θερίζει, καὶ θεριστὰς πέμπει, τοὺς διὰ τῶν μαθητῶν νοουμένους ἀγγέλους, ἕκαστον ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν. Οὐ πάνυ δὲ σαφῶς ἐξέθετο τοὺς δύο υἱοὺς τοῦ ἀνθρώπου, τίνες εἰσίν, ὧν ὁ εἷς σπείρει, καὶ ὁ εἷς θερίζει.

A eos, quos discipuli reputant angelos, unumquemque ad suam ipsius animam. Non admodum autem clare exposuit, qui sint duo filii hominis, quorum alter seminat, alter etiam metit.

Et in fine tomi XVI, *pag.* 244.

Ὁ Ἡρακλέων φησὶν, ὅτι οὐδὲ [47] δι' αὐτῶν, οὐδὲ ἀπ' αὐτῶν ἐσπάρη ταῦτα τὰ σπέρματα (φησὶ δὲ τῶν ἀποστόλων). Οἱ δὲ κεκοπιακότες εἰσὶν οἱ τῆς οἰκονομίας ἄγγελοι, δι' ὧν ὡς μεσιτῶν ἐσπάρη καὶ ἐντράφη. Εἰς δὲ τὸ· Ὑμεῖς εἰς τὸν κόπον αὐτῶν εἰσεληλύθατε, ταῦτα ἐξέθετο· Οὐ γὰρ ὁ αὐτὸς κόπος [48] σπειρόντων καὶ θεριζόντων· οἱ μὲν γὰρ ἐν κρύει, καὶ ὕδατι, καὶ κόπῳ τὴν γῆν σκάπτοντες σπείρουσι, καὶ δι' ὅλου χειμῶνος τημελοῦσι [49] σκάλλοντες, καὶ τὰς ὕλας ἐκλέγοντες· οἱ δὲ εἰς ἕτοιμον καιρὸν εἰσελθόντες θέρους εὐφραινόμενοι θερίζουσιν.

Heracleon inquit, *neque per ipsos, neque ab ipsis* (intelligit autem apostolos) *seminata fuisse hæc semina. Qui laboraverunt*, inquit, *sunt dispensationis angeli, per quos veluti mediatores seminata sunt et nutrita.* Porro in hoc dictum : *Vos in labores eorum introistis* [48], hæc protulit : *Non idem est labor seminantium et metentium. Illi enim in frigore, et aqua, et labore terram fodientes seminant, et per totam hiemem sarrientes satagunt, et silvas exstirpantes; qui vero in fructum paratum ingressi fuerint, æstate læti metunt.*

Sub initium tomi XVII, *pag.* 244 *seq*

Ὁ Ἡρακλέων τὸ [51] μὲν, ἐκ τῆς πόλεως, ἀντὶ τοῦ, ἐκ τοῦ κόσμου, ἐξεδέξατο· τὸ δὲ, διὰ τὸν λόγον τῆς γυναικὸς, τουτέστι, (διὰ) τῆς πνευματικῆς Ἐκκλησίας. Καὶ ἐπισημαίνεταί γε τὸ, πολλοὶ, ὡς πολλῶν ὄντων ψυχικῶν· τὴν δὲ μίαν λέγει τὴν ἄφθαρτον τῆς ἐκλογῆς φύσιν, καὶ μονοειδῆ, καὶ ἑνικήν.

Heracleon interpretatus est, *ex urbe* [52], pro *e mundo*; illud vero, *propter sermonem mulieris, hoc est*, inquit, *propter spiritualem Ecclesiam.* Notat etiam illud, *multi*, quasi multi sint animales : unam vero incorruptam naturam electionis asserit esse, et uniformem, et singularem.

Et pag. 246.

Ὁ Ἡρακλέων εἰς τοὺς τόπους ταῦτά φησι· Παρ' αὐτοῖς ἔμεινε, καὶ οὐκ ἐν αὐτοῖς· καὶ δύο ἡμέρας, ἤτοι τὸν ἐνεστῶτα αἰῶνα, καὶ τὸν μέλλοντα τὸν ἐν γάμῳ, ἢ τὸν πρὸ τοῦ πάθους αὐτοῦ χρόνον, καὶ τὸν μετὰ τὸ πάθος, ὃ [54] παρ' αὐτοῖς ποιήσας, πολλῷ πλείονας διὰ τοῦ ἰδίου λόγου ἐπιστρέψας εἰς πίστιν, ἐχωρίσθη ἀπ' αὐτῶν.

Heracleon in ista loca hæc commentatur : *Apud ipsos mansit* [53], *et non in ipsis; et duos dies, videlicet præsens sæculum, et futurum tempus in nuptiis agendum, vel tempus ante passionem suam, et post passionem suam; quod* **373** *tempus apud ipsos cum degisset, et multo plures proprio sermone convertisset ad fidem, separatus est ab illis.*

Porro pag. 248.

Ὁ Ἡρακλέων ἁπλούστερον ἐκλαβὼν τὸ, Οὐκέτι διὰ τὴν σὴν λαλιὰν πιστεύομεν, φησὶ λείπειν τὸ, μόνην. Ἔτι μὲν γὰρ πρὸς τό· Αὐτοὶ γὰρ ἀκηκόαμεν, καὶ οἴδαμεν, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Σωτὴρ τοῦ κόσμου, φησὶν· Οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὸ μὲν πρῶτον ὑπὸ ἀνθρώπων ὁδηγούμενοι πιστεύουσι τῷ Σωτῆρι· ἐπὰν δὲ ἐντύχωσι τοῖς λόγοις αὐτοῦ, οὗτοι οὐκέτι διὰ μόνην ἀνθρωπίνην μαρτυρίαν, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀλήθειαν πιστεύουσι.

Heracleon simplicius cum exposuisset hoc dictum : *Non amplius propter loquelam tuam credimus* [55]; abesse inquit vocabulum, *solam*. Præterea in illud : *Ipsi enim audivimus et vidimus hunc esse Servatorem mundi*, ait : *Homines enim ab hominibus primum instructi Servatori credunt : at simul atque in sermones ejus inciderint, non amplius propter solum humanum testimonium, sed propter ipsam veritatem credunt.*

Et tomo XVIII, *pag.* 235 *et seq.*

Ἔοικε δὲ βασιλικὸν ὁ Ἡρακλέων λέγειν τὸν Δημιουργὸν, ἐπεὶ καὶ αὐτὸς ἐβασίλευε τῶν ὑπ' αὐτόν· διὰ δὲ τὸ μικρὰν αὐτοῦ καὶ πρόσκαιρον εἶναι τὴν βασιλείαν, βασιλικὸς ὠνομάσθη, οἱονεὶ μικρός τις βασιλεὺς, ὑπὸ καθολικοῦ βασιλέως τεταγμένος ἐπὶ μικρᾶς βασιλείας· τὸν δὲ ἐν Καφαρναοὺμ υἱὸν αὐτοῦ διηγεῖται τὸν ἐν τῷ ὑποδεδηκότι μέρει τῆς μεσότητος, τῷ πρὸς θάλασσαν, τουτέστι τῷ συνημμένῳ τῇ ὕλῃ, καὶ λέγει, ὅτι ἴδιος αὐτοῦ ἄνθρωπος ἀσθενῶν, τουτέστιν οὐ κατὰ φύσιν ἔχων, ἐν ἀγνοίᾳ [57] καὶ

Videtur autem Heracleon dicere, regulum [56] esse mundi opificem, quod et ipse imperium haberet in subditos sibi; sed quod parvum et temporarium esset ipsius regnum, nominatum fuisse regulum, veluti parvum quemdam regem, a rege universali parvo dominio præfectum; filium vero ejus in urbe Capharnao existentem interpretatur illum esse, qui sit in humiliori parte medietatis, juxta mare, hoc est, in ea parte, quæ conjuncta est materiæ : aitque, quod proprius ipsius homo infirmus

[47] Sic cod. Bodl. [48] Joan. IV, 38. [49] Sic cod. Bodl. [50] Sic cod. Bodl. [51] Sic. cod. Bodl. [52] Joan. IV, 39. [53] Joan. IV, 40. [54] Leg. ὅν. [55] Joan. IV, 42. [56] Joan. IV, 46 [57] Sic cod. Bodl.

Digitized by Google

exsistens, hoc est, non secundum naturam se habens, in ignorantia et peccatis fuerit. Deinde quod dicitur, *a Judæa in Galilæam*, exposuit pro eo, *quod est a superna Judæa*. Nescio autem quomodo accipiens ea verba : *Erat enim moriturus;* existimat subverti eorum opinionem qui animam immortalem ponunt, eodem conjici existimans tum animam, tum corpus, et interire in gehenna. Non immortalem esse existimat Heracleon animam, sed apte comparatam ad salutem; ipsam esse dicens corruptibile illud, quod induit incorruptibilitatem, et mortale, quod induit immortalitatem, cum mors ipsius animæ absorpta fuerit in victoriam [59]. Ad hæc, illud etiam : *Nisi signa et prodigia videritis, non credetis* [61]; dici ait proprie ad talem personam, quæ natura ita comparata est, ut per opera et sensum persuaderi sibi patiatur, nolit autem credere rationi. Hoc etiam : *Descende, priusquam moriatur filius meus* [62]; dictum fuisse putat, eo quod mors sit legis finis propter peccata interficientis. Antequam igitur omnino moriatur Filius propter peccata, eget Pater solo Servatore, ut opem Filio ferat, hoc est tali naturæ. Præterea verba illa : *Filius tuus vivit* [63]; interpretatus est dicta fuisse a Servatore propter modestiam, quoniam non dixerit : *Vivat;* neque ostenderit seipsum præstitisse illi vitam. Dicit etiam, quod cum descendisset ad infirmum, liberasseque eum ab infirmitate, hoc est, a peccatis, ac vivificasset propter remissionem, dixerit : *Filius tuus vivit.* Addit quoque ad hæc verba : *Credidit homo;* quod facilis ad credendum sit etiam mundi opifex, quodque possit Servator etiam non præsens curare. Servos autem reguli interpretatus est angelos opificis mundi, renuntiantes illis verbis : *Filius tuus vivit;* quod commode et probe haberet, non amplius agens a se aliena; et hanc ob causam existimat servos renuntiare regulo, quæ ad salutem filii pertinebant; quoniam primos existimat angelos videre actiones 374 hominum, qui sunt in mundo, an fortiter et sincere vitam degant ab eo tempore quo Christus advenit. Ad hæc, per horam septimam dicit designari naturam sanati. Denique : *Credidit ipse et domus ejus tota*, interpretatus est dici de angelico ordine, deque hominibus ipsi conjunctionibus. Ait etiam, inquiri de quibusdam angelis, utrum servabuntur, necne; nempe de his qui descenderunt ad filias hominum. Quinetiam hominum fabricatoris mundi perditionem declarari existimat hoc dicto : *Filii regni exibunt in tenebras exteriores* [66]; Isaiamque de his prophetare illud : *Filios genui, et exaltavi; ipsi autem spreverunt me* [67]; quos filios alienos et semen nequam, et injustum appellat, vitemque quæ produxerit spinas. Et hæc quidem sunt commentationes Heracleonis.

A ἁμαρτήμασιν ἦν. Εἶτα τὸ, *ἐκ τῆς Ἰουδαίας εἰς τὴν Γαλιλαίαν*, ἀντὶ τοῦ *ἐκ τῆς* [60] *ἄνωθεν Ἰουδαίας*. Οὐκ οἶδα δὲ, ὅπως εἰς τὸ *ἡμελλεν ἀποθνήσκειν*, κινηθεὶς οἴεται ἀνατρέπεσθαι τὰ δόγματα τῶν ὑποτιθεμένων ἀθάνατον εἶναι τὴν ψυχὴν, εἰς τὸ αὐτὸ συμβάλλεσθαι ὑπολαμβάνων καὶ τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα, ἀπόλλυσθαι ἐν γεέννῃ. Καὶ οὐκ ἀθάνατόν γε εἶναι ἡγεῖται τὴν ψυχὴν ὁ Ἡρακλέων, ἀλλ' ἐπιτηδείως ἔχουσαν πρὸς σωτηρίαν, αὐτὴν λέγων εἶναι τὸ ἐνδυόμενον ἀφθαρσίαν φθαρτὸν, καὶ ἀθανασίαν θνητὸν, ὅταν [60] κατεπόθη ὁ θάνατος αὐτῆς εἰς νῖκος. Πρὸς τούτοις, καὶ τὰ, *Ἐὰν μὴ σημεῖα καὶ τέρατα ἴδητε, οὐ μὴ πιστεύσητε*, λέγεσθαί φησιν οἰκείως πρὸς τὸ τοιοῦτον πρόσωπον δι' ἔργων φύσιν ἔχον καὶ δι' αἰσθήσεως πείθεσθαι, καὶ οὐχὶ λόγῳ πιστεύειν. Τὸ δὲ B *Κατάβηθι, πρὶν ἀποθανεῖν τὸ παιδίον μου*, διὰ τὸ τέλος εἶναι τοῦ νόμου τὸν θάνατον εἰρῆσθαι νομίζει, ἀναιροῦντος διὰ τῶν ἁμαρτιῶν. Πρὶν τελέως οὖν, φησὶ, θανατωθῆναι κατὰ τὰς ἁμαρτίας, δεῖται ὁ Πατὴρ τοῦ μόνου Σωτῆρος, ἵνα βοηθήσῃ τῷ Υἱῷ, τουτέστι τῇ τοιᾷδε φύσει. Πρὸς τούτοις τὸ, *Ὁ υἱός σου ζῇ*, κατὰ ἀτυφίαν εἰρῆσθαι τῷ Σωτῆρι ἐξείληφεν, ἐπεὶ οὐκ εἶπε, *Ζήτω*, οὐδὲ ἐνέφηνεν αὐτὸς παρεσχῆσθαι τὴν ζωήν. Λέγει δὲ, ὅτι καταβὰς πρὸς τὸν κάμνοντα, καὶ ἰασάμενος αὐτὸν τῆς νόσου, τουτέστι τῶν ἁμαρτιῶν, καὶ διὰ τῆς ἀφέσεως ζωοποιήσας, εἶπεν· *Ὁ υἱός σου ζῇ*. Καὶ ἐπιλέγει πρὸς τὸ, *ἐπίστευσεν ὁ ἄνθρωπος*, ὅτι εὔπιστος καὶ ὁ δημιουργός ἐστι, καὶ [60] ὅτι δύναται ὁ Σωτὴρ καὶ μὴ παρὼν θεραπεύειν. Δούλους δὲ τοῦ βασιλικοῦ ἐξείληφε τοὺς ἀγγέλους τοῦ C δημιουργοῦ, ἀπαγγέλλοντας ἐν τῷ· *Ὁ παῖς σου ζῇ*· ὅτι οἰκείως καὶ κατὰ τρόπον ἔχει, πράσσων μηκέτι τὰ ἀνοίκεια· καὶ διὰ τοῦτο νομίζει ἀπαγγέλλειν τῷ βασιλικῷ τοὺς δούλους τὰ περὶ τῆς τοῦ υἱοῦ σωτηρίας, ἐπεὶ καὶ πρώτους οἴεται βλέπειν τὰς πράξεις τῶν ἐν τῷ κόσμῳ ἀνθρώπων τοὺς ἀγγέλους, εἰ ἐρρωμένως καὶ εἰλικρινῶς πολιτεύοιντο [65] ἀπὸ τῆς τοῦ Σωτῆρος ἐπιδημίας. Ἔτι πρὸς τὴν ἑβδόμην ὥραν λέγει, ὅτι διὰ τῆς ὥρας χαρακτηρίζεται ἡ φύσις τοῦ ἰαθέντος. Ἐπὶ πᾶσι, τὸ, *Ἐπίστευσεν αὐτὸς καὶ ἡ οἰκία αὐτοῦ ὅλη*, διηγήσατο ἐπὶ τῆς ἀγγελικῆς εἰρῆσθαι τάξεως, καὶ ἀνθρώπων τῶν οἰκειοτέρων αὐτῷ. Ζητεῖσθαι δέ φησι περί τινων ἀγγέλων, εἰ σωθήσονται, τῶν κατελθόντων ἐπὶ τὰς τῶν ἀνθρώπων θυγατέρας. Καὶ τῶν ἀνθρώπων δὲ τοῦ δημιουργοῦ τὴν ἀπώλειαν δηλοῦσθαι νομίζει ἐν τῷ· *Οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας ἐξελεύσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον*· καὶ περὶ τούτων τὸν Ἡσαΐαν προφητεύειν τό· *Υἱοὺς ἐγέννησα, καὶ ὕψωσα· αὐτοὶ δέ με ἠθέτησαν*· οὕστινας υἱοὺς ἀλλοτρίους, καὶ σπέρμα πονηρὸν, καὶ ἄνομον καλεῖ, καὶ ἀμπελῶνα ἀκάνθας ποιήσαντα. Καὶ ταῦτα μὲν τὰ Ἡρακλέωνος.

[59] Sic cod. Bo ll. [60] 1 Cor. xv, 53, 54. [61] Vox ὄντα huic male præmissa deest in Bodl. [61] Joan. iv, 48. [62] Ibid., 49. [63] Ibid. 50. [64] Sic Bodl. [65] Sic Bodl. [66] Matth. viii, 12. [67] Isa. i, 2.

Et tomo XIX, *pag.* 275.

Heracleon in hoc dictum : *Quo ego vado, vos non*

Εἰς τὸ, *Ὅπου ἐγὼ ὑπάγω, ὑμεῖς οὐ δύνασθε*

Digitized by Google

ἐλθεῖν, φησὶ γάρ· *Πῶς ἂν ἀγνοίᾳ, καὶ ἀπιστίᾳ, καὶ ἁμαρτήμασιν ὄντες ἐν ἀφθαρσίᾳ δύνανται γενέσθαι*; μηδὲ ἐν τούτῳ κατακούων ἑαυτοῦ. Εἰ γὰρ οἱ ἐν ἀγνοίᾳ, καὶ ἀπιστίᾳ καὶ ἁμαρτήμασιν ὄντες, ἐν ἀφθαρσίᾳ οὐ δύνανται γενέσθαι, πῶς οἱ ἀπόστολοι ἐν ἀγνοίᾳ [69] ποτὲ, καὶ ἐν ἀπιστίᾳ, καὶ ἐν ἁμαρτήμασι γενόμενοι, ἐν ἀφθαρσίᾳ γεγόνασι; Δύνανται οὖν οἱ ἐν ἀγνοίᾳ, καὶ ἐν ἀπιστίᾳ καὶ ἐν ἁμαρτήμασι γενόμενοι γενέσθαι ἐν ἀφθαρσίᾳ, εἰ μεταβάλλοιεν· δυνατὸν δὲ [70] αὐτοὺς μεταβάλλειν.

A *potestis venire* [68], inquit : *Quomodo qui in ignorantia, et in infidelitate sunt, et in peccatis, incorruptibiles fieri possunt?* neque hac in re sibi ipsi consentiens. Nam si in ignorantia, et in incredulitate, et in peccatis existentes, fieri non possunt incorruptibiles ; quomodo apostoli, qui aliquando fuere in ignorantia, et incredulitate, et in peccatis, facti sunt incorruptibiles? Proinde possunt, qui in incredulitate, et in ignorantia, et in peccatis sunt, fieri incorruptibiles, si immutentur; atqui fieri potest, ut immutentur.

Et ulterius pag. 280.

Ὁ Ἡρακλέων, ὡς ἁπλούστερον εἰρημένου τοῦ· *Μήτι ἀποκτενεῖ ἑαυτόν*; φησὶν, ὅτι πονηρῶς διαλογιζόμενοι οἱ Ἰουδαῖοι ταῦτα ἔλεγον, καὶ μείζονας B ἑαυτοὺς ἀποφαινόμενοι τοῦ Σωτῆρος, καὶ ὑπολαμβάνοντες, ὅτι αὐτοὶ μὲν ἀπελεύσονται πρὸς τὸν Θεὸν εἰς ἀνάπαυσιν αἰώνιον· ὁ δὲ Σωτὴρ εἰς φθορὰν καὶ εἰς θάνατον, ἑαυτὸν διαχειρισάμενος, ὅπου ἑαυτοὺς οὐκ ἐλογίζοντο ἀπελθεῖν. Καὶ αὐταῖς λέξεσί φησιν, ὅτι ᾤοντο λέγειν τὸν Σωτῆρα οἱ Ἰουδαῖοι, ὅτι Ἐγὼ ἐμαυτὸν διαχειρισάμενος εἰς φθορὰν μέλλω πορεύεσθαι, ὅπου ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν.

Heracleon proinde quasi hoc dictum fuerit simplicius : *Nunquid interfecturus est seipsum* [71], ait, quod maligne cogitantes Judæi hæc loquerentur, seipsos etiam ostendentes ipso Servatore majores, et existimantes se quidem profecturos ad Deum in requiem sempiternam ; Servatorem autem ad corruptionem, et ad mortem, vi sibi ipsi illata, quo seipsos non existimabant profecturos. Et iisdem verbis inquit, Judæos existimare Servatorem dicere : Ego mihi ipsi vi allata, ad corruptionem profecturus sum, quo vos non potestis venire.

Et tomo XXI, *pag.* 293.

Πυνθανοίμεθα δ' ἂν τῶν τὰς φύσεις εἰσαγόντων, καὶ εἰς τὸ, *Ὅτι ὁ λόγος ἐμὸς οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν*, ἀποδιδόντων κατὰ Ἡρακλέωνα, ὅτι διὰ τοῦτο οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν, ὅτι ἀνεπιτήδειοι, ἤτοι κατ' οὐσίαν, ἢ κατὰ γνώμην· πῶς οἱ ἀνεπιτήδειοι κατ' οὐσίαν ἤκουσαν παρὰ τοῦ Πατρός;

Interrogentur a nobis, qui naturas introducunt, quique in hoc contextu : *Sermo meus non locum habet in vobis* [72], juxta Heracleonem explicant, idcirco locum non habere, quia sunt natura, vel animo inhabiles. Quomodo inhabiles natura a C Patre audierunt?

Pag. 308.

Ὁ Ἡρακλέων ὑπολαμβάνει αἰτίαν ἀποδίδοσθαι τοῦ μὴ δύνασθαι αὐτοὺς ἀκούειν τὸν Ἰησοῦ λόγον [73], μηδὲ γινώσκειν αὐτοῦ τὴν λαλιὰν, ἐν τῷ, *Ὑμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστὲ*· αὐταῖς γοῦν λέξεσί φησι· *Διατί οὐ δύνασθε ἀκούειν τὸν λόγον τὸν ἐμόν; ἢ ὅτι ὑμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστέ; ἀντὶ τοῦ, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ διαβόλου· γαπερῶν* [74] *αὐτοῖς λοιπὸν τὴν φύσιν αὐτῶν, καὶ προελέγξας αὐτοὺς, ὅτι οὔτε τοῦ Ἀβραὰμ εἰσι τέκνα, οὐ γὰρ ἂν ἐμίσουν αὐτόν· οὐδὲ τοῦ Θεοῦ, διὸ οὐκ ἠγάπων αὐτόν.* Καὶ εἰ μὲν τὸ, *Ὑμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστὲ*, ἐξεδέχετο, ὡς ἐν τοῖς ἀνωτέρω διηγησάμεθα, καὶ ἔλεγε, « Διὰ τὸ ἔτι ὑμᾶς εἶναι ἐκ τοῦ διαβόλου, οὐ δύνασθε ἀκούειν τὸν λόγον τὸν ἐμὸν, » κἂν παρεδεξάμεθα αὐτοῦ τὴν διήγησιν· νυνὶ δὲ δῆλός ἐστιν ὁμοουσίους τινὰς τῷ διαβόλῳ λέγων ἀνθρώπους, ἑτέρας, ὡς οἴονται οἱ ἀπ' αὐτοῦ, οὐσίας τυγχάνοντι, παρ' οὓς καλοῦσι ψυχικοὺς ἢ πνευματικούς.

Heracleon suspicatur causam reddi, cur ipsi audire non possint Jesu sermonem, neque illius dicta cognoscere, per illud : *Vos ex patre diabolo estis* [75], istisque verbis ait : *Quare autem non potestis audire sermonem meum? an quoniam ex patre diabolo estis, pro eo quod est, ex essentia diaboli? manifestans de cætero naturam* 375 *ipsorum, cum prædixisset ipsos neque Abraham esse filios, haud enim odio prosequerentur illum; neque Dei, ex quo non diligebant illum.* Cæterum si illud : *Vos ex patre diabolo estis*, exposuisset, ut in superioribus exposuimus nos, et dixisset, « Quia adhuc ex diabolo estis, non potestis audire sermonem meum ; » admisissemus etiam illius enarrationem : nunc autem D aperte dicit quosdam homines esse ejusdem substantiæ cum diabolo, qui alterius est substantiæ, ut existimant illius etiam sectatores, ab his, quos vocant animales vel spirituales.

Pag. 312.

Εἰς ταῦτα ὁ Ἡρακλέων φησί· *Πρὸς οὓς ὁ λόγος, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ διαβόλου ἦσαν*· ὡς ἑτέρας οὔσης τῆς τοῦ διαβόλου οὐσίας παρὰ τὴν τῶν ἁγίων λογικὴν [75a] οὐσίαν.

In hæc inquit Heracleon : *Hi ad quos est sermo, ex substantia diaboli erant*; perinde quasi diaboli substantia diversa sit ab essentia sanctorum rationis compote.

[68] Joan. VIII, 21. [69] Sic Bodl. [70] Sic Bodl. [71] Joan. VIII, 22. [72] Ibid., 37. [73] Sic Bold. [74] Joan. VIII, 44. [75] Sic Bodl. [75a] Sic. Bodl.

Digitized by Google

Pag. 314.

Heracleon in hoc dictum, *Desideria patris vestri* A *vultis facere* [75], disputat dicens, diabolum non habere voluntatem, sed desideria. Cujus dicti absurditas apparet ex se, dum omnibus in confesso est illum mala velle. Colliges etiam tu ipse (etiamsi in præsentia non sit nobis ad manus, quod in medium adducamus), an alicubi in Scriptura positum sit vocabulum *velle*, de diabolo. Inquit etiam post hæc Heracleon, hæc dicta fuisse, non ad terrenos, natura exsistentes diaboli filios, sed ad eos qui sunt animales, factos diaboli filios positione: ex quibus possunt quidam natura et positione filii Dei esse. Inquit præterea, hos fieri diaboli filios, eo quod dilexerint, faciantque diaboli desideria, cum natura hujusmodi non sint. Disputat enim, vocabulum *filiorum* trifariam intelligi debere: pri- B mum natura, alterum voluntate, tertium dignitate. Natura, inquiens, illud est, quòd genitum est a quodam genito, quod etiam proprie filius vocatur; voluntate vero, cum quis voluntatem faciens alicujus, animi sui judicio filius, cujus facit voluntatem, vocatur; postremo dignitate, juxta quod dicuntur quidam gehennæ filii, et tenebrarum, et iniquitatis, et serpentum, et viperarum progenies. Non enim generant hæc, inquit, talia quædam sua ipsorum natura, cum potius corrumpant, consumantque eos qui in ipsa inciderint; sed quoniam effecerint illorum opera, eorum filii vocantur.

Ὁ Ἡρακλέων εἰς τὸ, *τὰς ἐπιθυμίας τοῦ πατρὸς ὑμῶν θέλετε ποιεῖν*, διαστέλλεται λέγων, τὸν διάβολον μὴ ἔχειν θέλημα, ἀλλ' ἐπιθυμίας. Καὶ ἐμφαίνεται αὐτόθεν τὸ ἀδιανόητον [77] λόγου, θέλειν γὰρ τὰ πονηρὰ πᾶς ἄν τις ὁμολογήσαι ἐκεῖνον. Συνάξεις δὲ καὶ αὐτὸς (εἰ ἐπὶ τοῦ παρόντος ἐν προχείρῳ οὐκ ἔχομεν παραθέσθαι), εἴ που ἐν τῇ Γραφῇ τὸ *θέλειν* ἐπὶ τοῦ διαβόλου τέτακται. Μετὰ ταῦτά φησιν ὁ Ἡρακλέων, ὡς ἄρα ταῦτα εἴρηται, οὐ πρὸς τοὺς φύσει τοῦ διαβόλου υἱοὺς, τοὺς χοϊκοὺς, ἀλλὰ πρὸς τοὺς ψυχικοὺς, θέσει υἱοὺς διαβόλου γενομένους· ἀφ' ὧν τῇ φύσει δύνανταί τινες καὶ θέσει υἱοὶ Θεοῦ χρηματίσαι. Καί φησί γε, ὅτι παρὰ τῷ ἠγαπηκέναι τὰς ἐπιθυμίας τοῦ διαβόλου καὶ ποιεῖν, τέκνα οὗτοι τοῦ διαβόλου γίνονται, οὐ φύσει τοιοῦτοι ὄντες. Καὶ διαστέλλεται ὡς ἄρα τριχῶς δεῖ ἀκούειν τῆς κατὰ *τέκνα* ὀνομασίας. Πρῶτον φύσει, δεύτερον γνώμῃ, τρίτον ἀξίᾳ. Καὶ φύσει μὲν, φησὶ, ἐστὶ τὸ γεννηθὲν ὑπό τινος γεννητοῦ, ὃ καὶ κυρίως τέκνον καλεῖται· γνώμῃ δὲ, ὅτε τὸ θέλημά τις ποιῶν τινὸς διὰ τὴν ἑαυτοῦ γνώμην, τέκνον ἐκείνου, οὗ ποιεῖ τὸ θέλημα, καλεῖται· ἀξίᾳ δὲ, καθ' ὃ λέγεταί τινες γεέννης τέκνα, καὶ σκότους, καὶ ἀνομίας, καὶ ὄφεων, καὶ ἐχιδνῶν γεννήματα· Οὐ γὰρ γεννᾷ, φησὶ, ταῦτά τινα τῇ ἑαυτῶν φύσει· φθοροποιὰ γάρ, καὶ ἀναλίσκοντα τοὺς ἐμβληθέντας εἰς αὐτά· ἀλλ' ἐπεὶ ἔπραξαν τὰ ἐκείνων ἔργα, τέκνα αὐτῶν εἴρηται.

Et tomo XXIV, *pag.* 320

Nos quidem hoc dictum: *In veritate non stetit* [78], C intelligimus, non tanquam ostendentes naturam talem, neque docentes fieri non posse ut ipse steterit in veritate. Heracleon vero in illa inquit hoc: *Natura ipsius ex veritate non est, sed ex eo quod contrarium est veritati; nimirum ex errore et ignorantia. Quocirca*, inquit, *neque stare in veritate potuit, neque veritatem in seipso habere potest; ex natura sua proprium habens mendacium, naturaliter nunquam valens dicere veritatem.* Dicit autem, quod non solum ipse mendax est, **376** verum etiam pater ipsius, peculiariter exponens *pater ipsius* de natura ipsius; quandoquidem ex errore et falsitate consistit.

Ἡμεῖς μὲν οὖν τοῦ, *Ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐκ ἔστηκεν*, ἀκούομεν, οὐχ ὡς φύσιν τοιαύτην ἐμφαίνοντες [79], οὔτε τὸ ἀδύνατον περὶ τοῦ ἑστηκέναι αὐτὸν ἐν ἀληθείᾳ παριστάντες· ὁ δὲ Ἡρακλέων εἰς ταῦτά φησι τό· *Οὐ γὰρ ἐκ τῆς ἀληθείας ἡ φύσις ἐστὶν αὐτοῦ, ἀλλ' ἐκ τοῦ ἐναντίου τῇ ἀληθείᾳ, ἐκ πλάνης καὶ ἀγνοίας. Διό*, φησὶν, *οὔτε στῆναι ἐν ἀληθείᾳ, οὔτε σχεῖν ἐν αὐτῷ ἀλήθειαν δύναται, ἐκ τῆς αὐτοῦ φύσεως ἴδιον ἔχων τὸ ψεῦδος, φυσικῶς μὴ δυνάμενός ποτε ἀλήθειαν εἰπεῖν.* Λέγει δὲ, ὅτι οὐ μόνος αὐτὸς ψεύστης ἐστὶν, ἀλλὰ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ, ἰδίως, *πατὴρ αὐτοῦ*, ἐκλαμβάνων τὴν φύσιν αὐτοῦ· ἐπείπερ ἐκ πλάνης καὶ ψεύσματος συνέστη.

Sub finem tomi XXVI.

Heracleon in illud: *Est qui quærit, et judicat* [80], D non ad Patrem refert, siquidem ait: *Qui quærit et judicat est is, qui me vindicat, minister ad hoc ordinatus, qui non temere gladium portat, vindex regis. Moyses autem est hic, quemadmodum superius dixit illis (Jesus) dicens, In quem vos speravistis* [81]. Postea subjungit: *Qui judicat et punit est Moyses, hoc est, ipse legislator.* Postea dubium contra seipsum movet Heracleon, dicens: *Quomodo igitur dicit omne judicium sibi traditum fuisse?* Et existi-

Ὁ Ἡρακλέων τὸ, *Ἔστιν ὁ ζητῶν, καὶ κρίνων*, οὐκ ἀναφέρει ἐπὶ τὸν Πατέρα, τοιαῦτα λέγων· *Ὁ ζητῶν καὶ κρίνων ἐστὶν ὁ ἐκδικῶν με, ὁ ὑπηρέτης, ὁ εἰς τοῦτο τεταγμένος, ὁ μὴ εἰκῇ τὴν μάχαιραν φορῶν, ὁ ἔκδικος τοῦ βασιλέως. Μωϋσῆς δέ ἐστιν οὗτος* [81], *καθὰ προείρηκεν αὐτοῖς λέγων· Εἰς ὃν ὑμεῖς ἠλπίσατε.* Εἶτ' ἐπιφέρει, ὅτι· *Ὁ κρίνων καὶ κολάζων Μωϋσῆς, τουτέστιν αὐτὸς ὁ νομοθέτης.* Καὶ μετὰ τοῦτο πρὸς ἑαυτὸν ἐπαπορεῖ ὁ Ἡρακλέων λέγων· *Πῶς οὖν λέ-*

[75] Joan. VIII, 44. [77] Sic Bodl. [78] Joan. IV, 44. [79] Sic Bodl. 2282. [80] Joan. VIII, 50. [81] Sic Bodl. 2282. [82] Joan. V, 45.

Digitized by Google

γει τὴν κρίσιν πᾶσαν παραδεδόσθαι αὐτῷ; καὶ νομίζων λύειν τὴν ἀνθυποφοράν, ταῦτά φησι· *Καλῶς λέγει, ὁ γὰρ κριτὴς* [83], *ὡς ὑπηρέτης, τὸ θέλημα τούτου ποιῶν κρίνει, ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων φαίνεται γινόμενον.* Πῶς δὲ ἄλλῳ τινὶ ἀνατίθησι τὴν κρίσιν, ὡς ὑποδεεστέρῳ τοῦ Σωτῆρος, καθ' ὃ νομίζει, τῷ δημιουργῷ, οὐδ' οὕτω ἀποδείξασθαι δύναται, σαφῶς γεγραμμένου τοῦ· *Οὐδὲ γὰρ ὁ Πατὴρ κρίνει οὐδένα, ἀλλὰ τὴν κρίσιν πᾶσαν δέδωκε τῷ Υἱῷ.* Καὶ τοῦ· *Ἐξουσίαν ἔδωκεν αὐτῷ κρίσιν ποιεῖν, ὅτι Υἱὸς ἀνθρώπου ἐστίν.*

A nans se solvere objectionem, hæc inquit : *Pulchre dicit; nam judex, tanquam minister, voluntatem Christi faciens judicat, quemadmodum apparet etiam in hominibus evenire.* Quomodo vero alii tanquam inferiori Servatore (nempe, ut ipse putat, Demiurgo et mundi fabricatori), judicium tribuat, neque ostendere potest, cum aperte sit scriptum : *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* [84]. Et illud : *Potestatem dedit ipsi judicium faciendi, quoniam Filius hominis est* [85].

[83] Sic Bodl. [84] Joan. v, 22. [85] Ibid. 27.

PRÆFATIONES,

PROLEGOMENA, NOTÆ ET OBSERVATIONES

EORUM OMNIUM

QUI NOVAS IRENÆI EDITIONES AUT PUBLICAVERUNT AUT ILLUSTRARUNT.

—

DESIDERII ERASMI

EPISTOLA NUNCUPATORIA

In qua quid in edendis Irenæi libris præstiterit explicat.

—

1 Reverendissimo in Christo Patri ac domino D. Bernardo, episcopo Tridentino, Desiderius Erasmus, Roterodamus, S. D.

En tuis, ornatissime præsul, auspiciis in lucem producimus magnum illum Ecclesiæ propugnatorem, ac pro sui nominis augurio pacis ecclesiasticæ vindicem Irenæum. Nam εἰρήνη Græcis *pacem* sonat, et in Evangelio Dominus beatos pronuntiat εἰρηνοποιούς, id est *pacificos*, quoniam, inquit, filii Dei vocabuntur. Deus enim non est dissensionis auctor, sed pacis, qui per Filium suum pacificavit ea, quæ in cœlis et quæ in terris. Contra, qui dissidiis orbem concutiunt, parentem suum referunt, qui primus sevit discordiam inter Deum et hominem, ac salutiferam evangelicæ doctrinæ segetem vitiavit, clam inspersis zizaniis : nocturnum opus aptumque principi tenebrarum. Utinam et in his Ecclesiæ tumultibus, quibus nec in annalibus legimus unquam exortos vel graviores, vel latius divagatos, quanquam latissime sparserat Arianorum hæresis, exoriantur aliquot Irenæi, qui spiritu evangelico mundum redigant in concordiam. Nam libri qui nunc utrinque provolant, ejusmodi ferme sunt, ut citius novum excitent incendium, quam vetus restinguant. Verum hoc per Christianos principes faciet Dominus, postquam nobis ad meliora conversis ex irato cœperit esse propitius. Ad Irenæum meum redeo. Cur enim non meum appellem, quem pene sepultum, absterso quantum licuit situ, luci restituimus, indignum profecto qui perpetua oblivione obsoleseceret. Spirant enim illius scripta priscum illum Evangelii vigorem, ac phrasis arguit pectus martyrio paratum. Habent enim martyres suam quamdam dictionem, seriam fortem ac ma- B sculam. Fuit vicinus apostolorum temporibus, cum adhuc martyrum triumphis floreret Ecclesia. Nam puer audivit Polycarpum in Asia : Polycarpus autem Joannis evangelistæ fuit discipulus, a quo et episcopus Smyrnæis datus, notus et aliis apostolis discipullisque, qui viderant et audierant Dominum, ex quorum relatione multa solitus est commemorare, quæ litteris prodita non sunt. Hujus viri de Christo deque Christi discipulis sermones Irenæus puer avidissimis imbibit auribus, ac penitus inscripsit cordi suo ; sic ut senex etiam horum omnium vividam ac præsentem retineret memoriam, quemadmodum ipse multis verbis testatur in his quæ scripsit ad Florinum. Referuntur autem ecclesiasticæ Historiæ libro quinto, capite vigesimo. Manebant eo sæculo veterum Ecclesiæ charismatum manifesta vestigia, quandoquidem ipse libro quinto refert se multos audisse fratres in Ecclesia, quibus esset donum prophetiæ, qui Dei mysteria enarrarent, qui linguis omnibus loquerentur, qui secreta C hominum proferrent, non ad ostentationem, sed ad utilitatem. Et alibi docet fuisse qui, invocato Jesu nomine, morbos ac dæmones profligarent. Habes Irenæi commendationem ab antiquitate. Accipe nunc pietatis et integritatis testimonia, quæ quidem hoc sunt speciosiora, quod eo sæculo promerenti contigerunt, quo laus hæc fere suppliciis ac mortibus erat emenda. Nunc delicata res est Christiani nominis professio, cum nec facultatibus, nec corporibus ullum a persecutore periculum est. Irenæus igitur, presbyter Ecclesiæ Lugdunensis, ad componendum Ecclesiæ dissidium Romam mittitur, ubi tum præsidebat Eleutherus : mittitur autem martyrum epistolis magnifice commendatus, et quod

Digitized by Google

Evangelii zelo præemineret, et quod dignitati presbyterii morum integritate responderet: unde dignus est habitus qui Photino sive Potbino (variant enim in nomine codices) Lugdunensis Ecclesiæ præsuli, qui natus annos fere nonaginta martyrium peregit, subrogaretur. Ecclesiasticæ concordiæ tam fuit studiosus ut, cum Victor Romanus pontifex multas Ecclesias amputasset a communione, quod in celebratione diei paschalis, et in observatione jejuniorum, morem obtinerent a Romana consuetudine diversum, magna libertate Victorem reprehenderit, quod præter exemplum eorum quibus successerat, tam facilis esset ad amputandas Ecclesias, non in fide, sed in ritibus quibusdam dissidentes. Refert hæc fusius ecclesiasticæ Historiæ liber quintus, capite vigesimo quarto. Hæc Irenæus, cum nunc Ptolemæi quidam ex quamlibet frivolis nugis, hæreseon et schismatum excitent caliginem. Sed unde pietatis illius certius argumentum proferam, quam ex ipsius scriptis, quæ spirant pectus evangelicum, et martyrii (ut ita loquar) candidatum? Nunc de doctrina paucis accipe. Eloquentiæ nec studiosum, nec peritum sese fatetur ipse præfans in primum librum. Ac non affectatam quidem ab eo facile crediderim: ignoratam ne credam, facit ipse sermonis cursus, in rebus tam spinosis ac perplexis, imo fastidii plenis, dilucidus, digestus, ac sibi cohærens, nisi quod mihi nondum satis liquet, Græcene scripserit an Latine; etiam magis arbitror Latine scripsisse, Græci tamen sermonis peritiorem. Itaque figuris Græcis tanquam suo jure abutitur Latine loquens, veluti *noceri* pro *lædi*, quemadmodum Græci dicunt βλάπτεσθαι; ἔχοντες, id est *habentes*, pro *valentes*: cujus generis aliquot adnotavimus in spatiis marginum, ne lector his offenderetur. Certe liberalium disciplinarum omnium peritissimum fuisse constat. Tertullianus enim in libro quem scripsit adversus Valentinianos, indicans quos in eo opere fuerit secutus, hunc in modum loquitur: *ut Justinus philosophus et martyr, ut Miltiades Ecclesiarum sophista, ut Irenæus omnium doctrinarum curiosissimus explorator.* Quin et Eusebius Cæsariensis in *Catalogo scriptorum illustrium*, qui circa Soteris ætatem Ecclesiam Dei vita simul et scriptis illustrarunt, cum ventum est ad Irenæum, dicit: *Et præcipuus Irenæus, quorum omnium ad nos apostolicæ fidei et sanæ doctrinæ præclarissima monumenta perlata sunt.* Floruit autem potissimum Commodi temporibus. Cæterum posteaquam ordo nos vocat, ut de tam egregii viri scriptis aliquid dicamus, dolor quidam subit animum meum, quod ex tot laudatissimis monumentis hoc opus solum, ut videtur, remansit incolume. Scripsit enim librum ad Blastum 2 *De schismate*, alium ad Florinum presbyterum ab Ecclesia prolapsum, *De monarchia*, sive quod Deus non sit conditor malorum. Nam Blastus eodem errore teneri videbatur, qui prius Polycarpi discipulus, post in hæresim Valentinianam devolutus est. Scripsit autem et *De ogdoade* librum, quem eximie probat divus Hieronymus. Hic est cui affixit obtestationem ad scribas, quam et nos præfiximus huic operi. Hæc tantum viderat Eusebius. Hieronymus addit volumen breve *Contra gentes*, rursus aliud *De disciplina*. Item ad Marcianum fratrem *De apostolica prædicatione*. Denique librum *Variorum tractatuum*. Ex his tam multis viri lucubrationibus solum hoc quod nunc damus, sæculorum invidia reliquum esse voluit. Quod utinam sic dare licuisset, quemadmodum ab illo proditum fuit! Primus et secundus, quoniam fere occupantur recensendis monstrosis hæreticorum et vocabulis et opinionibus, alicubi torserunt nos, quos nemo nisi patientis stomachi poterit absque tædio pervolvere. Tribus exemplaribus sumus adjuti, uno quod Romæ descriptum illinc ad nos misit egregius studiorum patronus Joannes Faber; duobus e monasteriis A commodato præbitis. Ex Tertulliano pauca restituimus, quod illic plus etiam erat depravationis in vocabulis: non pauca conjecturis sumus assecuti, quæ si parum certa videbantur, in margine tantum adnotavimus. Solis autem Scripturarum præsidiis pugnat adversus catervam hæreticorum, quorum princeps fuit Simon ille Samarites, magiæ peritus, qui se Deum summum ausus est prædicare, et Selenem scortum suum persuasit esse summam mentem: et hic impostor Romæ statuam meruit cum hac inscriptione: *Simoni sancto Deo.* Hujus discipulus Menander, non in nomine Jesu, sed in nomine suo baptizabat, negans cum Simone mundum hunc a Deo conditum, sed ab angelis: quem errorem e Platonis philosophia videtur hausisse. Post hunc Saturninus Antiochenus dicebat hunc mundum conditum non a summo Deo, sed a septem angelis. Hos secutus Basilides Alexandrinus in majorem erupit insaniam, præter alia dogmatum portenta, summum quemdam Deum invehens, et ficto B nomen æque fictum imponens, Abraxas, qui Valentino seminarium insaniæ præbuisse videtur. Nam quos ille cœlos vocabat, hic dixit αἰῶνας. Dehinc Nicolaus turpitudinis doctor, cum superioribus negat mundum hunc a Deo conditum. Quin et Ophitæ monstrosa quædam somnia de æonibus, et eorum præcipuo Jaldaboth prodiderunt. Successit his Carpocrates Gnosticorum auctor, aperte magiam exercens, ac dæmones παρέδρους jactans, quale quiddam de Socrate legimus. Secutus est hos Cerinthus, negans mundum a Deo conditum, mentiens Christum ex Joseph semine natum, legem non a Deo, sed ab angelis latam. Huic contrarius Ebion sic astruit legem, ut subvertat Evangelium. Talibus portentis successit Valentinus, omnium portentosissimus, Platonicæ philosophiæ sectator, vir alioqui doctrina pollens, juxta atque eloquentia. Ambiebat episcopi dignitatem, sed indigne ferens sibi prælatum alium, qui in tormentis confessus C fuit nomen Domini, ad turbandam Ecclesiam vertit ingenium, totam doctrinam Christianam ad conflictas voces et perplexas fabulas pertrahens. Hujus impiis inventis nonnihil addiderunt Ptolemæus et Secundus, aucto videlicet æonum numero, sic tamen ut in quibusdam ab eo dissentirent. Eadem cum Valentino docuit Heracleon, sed novitate pronuntiationis videri studuit diversa tradere. Post hunc Marcus et Colarbasus, alioqui non degenerantes a Valentino, rem miré ridiculam commenti sunt, omnia fidei mysteria ad Græcum alphabetum pertrahentes. Successit his Cerdon impietatum lernam secum trahens. Duos enim deos finxit, alterum bonum, alterum sævum, a sævo mundum creatum. Legem in totum repudiabat: solum Evangelium Lucæ, nec id totum, recipiebat: apostoli Pauli Epistolas nec omnes nec totas probabat. Acta apostolorum et Apocalypsin ut falsa rejiciens, docebat Christum boni Dei Filium D in phantasmate tantum venisse, nec vere passum, nec vere natum: resurrectionem animæ profitens, carnis negans. Hic dum aliquando confiteretur errorem, et rursus clam, interdum et palam doceret impia, tandem convictus, veluti deploratum membrum a communione fratrum resectus est. In hujus impietatem successit Marcion, genere Ponticus, Stoicæ philosophiæ studiosus, episcopi filius, ob stupratam virginem ejectus ab Ecclesia, qui tamen post interdixit nuptias Christianis. Cerdonis ac Marcionis blasphemam doctrinam excepit Lucanus quidam, ob id obscurus, quod nihil innovarit ex eorum doctrina quos sequebatur. Sed Apelles Marcionis discipulus, quo se faceret novæ factioni auctorem, multa ex magistri dogmatibus reprobavit, sed sic ut nihilo saniora substitueret. Hic allegavit nobis puellam nomine Philumenen, cui fingebat adesse propheticum spiritum, quam tamen Augustinus scripsit a Severo quodam inductam,

Digitized by Google

haud scio quid secutus : nam Eusebius et Tertullianus in hoc quod narro, consentiunt. Inter hæc portenta latuerunt Potitus et Basiliscus, qui Marcionem secuti, duo rerum principia tradiderunt. Syrenus magis etiam delirans, tria principia, sive tres naturas induxit. Hos omnes secutus Tatianus, ex Justini discipulo factus hæreticus, Valentini Marcionisque pestifera dogmata revocavit : discipulum habuit Callistionem. In tam longam seriem se porrexit illa detestanda lues a Simone Mago profecta, dictuque mirum quam ægre deslit. Jam enim Valentini nomen erat exstinctum, cum tamen non deessent Valentiniani. Nec omnino finis videbatur futurus, nisi venisset Montanus, qui cæteris omnibus abrogavit auctoritatem, se prædicans esse Spiritum sanctum a Christo promissum, qui deduceret in omnem veritatem. Quanquam et Manichæus nonnihil erroris ex Basilide videtur hausisse. Accidit autem hic quod solet in febri vehementer tenaci, quæ nunc est remissior, nunc acrior, nunc in aliam atque aliam speciem sese vertit, nec desinere potest, donec in phrenesim aut in aliud malum præsentius exeat. Adversus hæc portenta scripsere Justinus, quem aliquoties citat Irenæus, Militiades, Proculus et Tertullianus : cujus libros quos eruditissimos scripsit adversus Valentinianos et Marcionem, præterea de hæresibus et hæreticorum præscriptis, si quis legere non gravabitur, rectius intelliget hos Irenæi libros.

Jam mihi videor satis præfatus, ornatissime præsul, quod ad hujus operis rationem attinet, et tempus erat finem imponere prologo : quod quidem faciam, si paucis aperuero, quæ cogitatio subierit animum meum in hoc argumento versantis. Non enim queo satis admirari consilium inscrutabile Dei, qui miris modis sponsam suam Ecclesiam vindicarit, purgarit, erudierit, evexerit, illustrarit, in quibus omnibus nihil est non alienissimum ab humanis consiliis, quemadmodum ipse loquitur per Isaiam hominibus : *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ : neque viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris* (*Isa.* LV, 8, 9). Quemadmodum igitur ipse Dominus descendens e cœlis viam aperuit in cœlos, et accepta forma servi paravit sibi dominium omnium quæ in cœlis, quæque in terris, ac per summam ignominiam consecutus est æternam gloriam, patiendo devicit hostem, morte promeruit immortalitatem : sic pusillum et imbellem gregem suum alienissimis a mundi ratione præsidiis provehit : per imperitos confutavit mundi sapientiam, per paucos subegit omnes mundi nationes, per imbecilles prostravit tyrannorum potentiam, per imbelles expugnavit omnem munitionem attollentem sese adversus Deum, per ignotos et humiles obscuravit universam mundi gloriam, per oves domuit leones, per columbos abegit serpentes. Et passus quidem est in oviculas suas Satanam et mundum hunc totis artibus ac viribus suis insurgere ; verum arcanis suis consiliis omnia mala vertit electis suis in bonum. Solus enim ille Rex regum novit et uti bonis, et abuti malis in suam gloriam et Ecclesiæ salutem. Infremuit adversus paucos et humiles Christi discipulos Judæorum zelus, Pharisæorum supercilium, sacerdotum auctoritas, tum regum legibus et copiis armata potentia, magorum præstigiæ, philosophorum eruditio, hæreticorum sedilio. Tot machinis Satanas oppugnabat ovile Christi. Sed Domino temperante conatus et actiones hominum, suppliciis ac mortibus crevit et invaluit Ecclesia ; impiorum philosophorum obtrectationibus confirmata est evangelica philosophia ; præstigiæ magorum illustrarunt Christi divinam virtutem in discipulis operantem ; schismaticorum molimina piorum concordiam arctius junxerunt, ac velut in phalangem redegerunt ; hæreticorum impia dogmata, ad scrutandum arcanas litteras compulerunt. Itaque factum est ut, dum Judæi zelo legis, sed non secundum scientiam, pugnant adversus Evangelium, certius cognoverimus antiquatas esse legis umbras, et illustrata est Evangelii gloria. Rursus dum persecutor ignominiis, cruciatibus ac mortibus conatur fidem in Christum exstinguere, fidem auxerit, charitatem 3 accenderit, spem reddiderit firmiorem, et piorum tolerantiam dum exercet, illustrarit. Postremo dum hæreticorum argutationibus agitatur, magis uti didicit armatura divinarum litterarum, et confirmata est impugnata veritas. Primus Ecclesiæ congressus fuit cum Judæis, quorum utinam non exstarent et hodie reliquiæ ! Hic strenuum propugnatorem evangelicæ libertatis præstitit apostolus Paulus. Magiæ principem Petrus dejecit. Secundus fuit cum philosophis et hæreticis, qui fere philosophiæ præsidiis bellabant adversus Evangelium. Horum impressiones, post apostolos, exceperunt viri doctrina facundiaque præcellentes. Nec ideo damnanda est philosophiæ sobria cognitio, quod a philosophis fere natæ sunt omnes hæreses, cum per philosophos item oppressæ sint. Valentinus philosophus oppugnaverat Ecclesiam, sed Justinus philosophus, et Irenæus philosophus defendit. Marcion philosophus impetiit veritatem, sed Tertullianus philosophus confecit hostem. Celsus philosophus blasphemias evomuit in Christum, sed Origenes melior philosophus ex illius blasphemiis illustravit Christi gloriam. Libanius sophista defendit idololatriam, sed hoc facundior Chrysostomus asseruit verum Dei cultum. Idem fecit orator Symmachus quod Libanius, sed hunc confodit potentior orator Prudentius. Itaque bona quædam spes habet animum meum, fore ut hanc Ecclesiæ tempestatem Dominus inscrutabili suo consilio vertat in bonos exitus, excitetque nobis Irenæos aliquot qui, compositis dissidiis, pacem orbi restituant. Hunc interim Irenæum velut ominis fausti loco læta fronte dignaberis accipere, præsul optime, tui nominis auspiciis in lucem prodeuntem. Id ut facerem non tam mihi persuasit singularis quidam, ac ut gratuitus, ita perpetuus animi in me tui favor, quam uno omnium ore prædicata morum tuorum integritas, cum admirabili prudentia parique humanitate conjuncta. Sed nulla laus episcopo dignior, quam quod ubique studes paci concordiæque Christiani populi. Atque hæ quidem in te virtutes hoc sunt admirabiliores, quod ætate florenti Nestorem quemdam, ut ita loquar, præstas tum illustrissimo principi Ferdinando, tum Ecclesiæ Christi. Nec ignota, nec tuas dotes prædico, sed pro donis in te collatis, et Deo gratias agimus, et nobis gratulamur. Amplitudinem tuam nobis omnibus augeat is, a quo solo proficiscitur vera felicitas. Datum Basileæ sexto Kalend. Septembris. Anno MDXXVI.

Ejusdem Argumentum in secundum librum Irenæi.

In primo libro recensuit ac detexit Valentini et aliorum qui hunc secuti sunt opiniones, quæ fere tales sunt, ut in lucem protraxisse, sit confutasse. Hic cum singulorum dogmatibus congreditur, indicans quid a quibus philosophis sint suffurati ad deceptionem simplicium hæretici. Sic autem cum illis pugnat, ut ex ipsorum doctrina sumat tela, quibus illos conficiat. Vix enim sibi constare potest qui multa commeniscitur. Est unus aut alter locus in hoc libro, qui requirit candidum interpretem. Unus est cap. 49, ubi videtur sentire quod solus Pater sciverit diem et horam, ignorante Filio. Verba S. Irenæi subscribam : *Quandoquidem et Dominus ipse, Filius Dei, ipsum judicii diem et horam*

Digitized by Google

concessit scire solum Patrem, manifeste dicens: De die autem illa et hora nemo scit, neque Filius, nisi Pater solus. Si igitur scientiam diei illius Filius non erubuit referre ad Patrem, sed dixit quod verum est, neque nos erubescimus, etc. Dubitandum autem non est quin pio sensu hæc scripserit Irenæus. Sed pulchre nobis exemplum ingessit, quos pudet quidquam nescire, etiam in rebus divinis. Alter est in capitibus 39 et 40, ubi refert Dominum non fuisse passum anno trigesimo, aut trigesimo primo, sed ultra quadragesimum annum docuisse Evangelium. Hanc opinionem confirmat ratione et auctoritate duplici. Rationem hanc affert, quod quemadmodum Dominus pueris, adolescentibus, viris, et senibus servandis venerat, ita conveniebat ut omnium ætates susciperet; post annum autem quadragesimum homo vergit ad senium. Auctoritatem profert ex Evangelio Joannis: *Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?* Ex hoc colligit Dominum id temporis prætergressum annum quadragesimum, nondum autem ad quinquagesimum pervenisse. Confirmat hoc testimonio discipulorum qui cum Joanne evangelista vixerant in Asia, qui se prædicarent hæc audisse, non solum ab ipso Joanne, verum etiam ab aliis apostolis. Hæc opinio plurimum discrepat ab ea quam nunc sequitur Ecclesia. Consideret lector.

Ejusdem Argumentum in tertium librum Irenæi.

Videtur hoc vir sanctissimus Irenæus studio cavisse, ne scholiis aut argumentis foret opus; adeo diligenter in titulis capitum rei summam colligit, et in singulos libros prælequens recenset ordine, quæ dixerit libro superiore, proponens quæ proximo dicturus est. Si quis tamen de his copiosius avebit cognoscere, legat quinque Tertulliani libros *Adversus Marcionem*, in quibus Irenæum imitatur. Sunt autem minutula quæ adnotavimus, eaque pauca. Cap. 38 recitat ex Genesi: *Et ipse conteret caput tuum*; ut *ipse* non referatur ad mulierem, sed ad semen mulieris, qui est Christus. Cap. 21 dicit *filium hominis commistum Verbo Dei*; pio quidem sensu, sed verbo quod nunc aversantur theologorum aures, cum a *permiscendi miscendique* vocabulis non abhorruerit Augustinus epistola tertia: tametsi quod Augustinus dixit, durius est dicto Irenæi. Ait enim, *quoniam Deus homini permistus sit;* Irenæus dicit, *hominem Deo commistum*. Solum autem *uniendi* verbum nunc placet scholis, cum nulla vox sit magis impia, nisi benigne interpretemur. Hæc ob eos commemoro, qui miras concitant tragœdias ob voculas. Quarum emphasim interdum non intelligunt. Eodem in loco sanctus Irenæus dicit Christum juxta humanam naturam adoptatum, ut fieret Filius Dei. Verba ejus sic habent: *Et qui Filius Dei est, filius hominis factus est, commistus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei.* Cap. 12, referens locum ex Actis apostolicis xv, cum ponat idolothyta, sanguinem et fornicationem, suffocatorum non meminit, et, ni fallor, alicubi sic refert Ambrosius; reliqua minutiora sunt, quam ut operæ pretium sit commemorare.

Ejusdem Argumentum in quartum Irenæi librum.

Hic Irenæus velut eluctatus e locis confragosis et impeditis ingreditur campum liberiorem, explanans multa Scripturarum loca, quæ depravarant hæretici. In hoc libro, quemadmodum et in quinto, frequenter asserit liberum arbitrium, cui tribuit, quod et angeli ceciderunt, et homo in mortem prolapsus est, et quotidie prolabuntur impii. Idque facit non uno in loco. Unum locum ascribam ex cap. 71: *Et propter hoc*, inquit, *Deus consilium quidem bonum dat omnibus; posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum et in angelis*, etc. Et alibi dicit in hoc hominem esse conditum ad similitudinem Dei, quod permissa sit illi libera voluntas. De Eucharistia frequenter meminit, sed ea religione qua fere veteres solent de hoc mysterio verba facere: veluti cap. libri hujus 32 vocat Eucharistiam *novi testamenti novam oblationem, quam Ecclesia ab apostolis traditam in universo mundo offert Deo.* De transsubstantiatione nihil aperte dicit, nisi quod Christus, ut refert, panem ex frumento confectum dixerit corpus suum, vinum sanguinem suum confessus sit. Rursus capite 34, sic loquitur: *Quomodo autem dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quæ a corpore Domini et sanguine alitur.* Ac mox: *Quemadmodum qui est a terra panis, percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et cœlesti.* Et *offerendi* verbo frequenter utitur. Tanta erat sanctissimis de rebus divinis loquendi reverentia, priusquam Ecclesia super hujusmodi mysteriis pronuntiaret explanatius. Opinor et ob eam causam priscos doctores de multis parcius ac tectius locutos, ne si sanctum projecissent canibus, ethnicis ac Judæis præberent ansam blasphemiæ. Sed melius ex ipso disces Irenæo.

Ejusdem Argumentum in quintum librum.

In hoc quinto libro cum multa Scripturarum loca diligenter explicentur, quædam tamen insunt, quæ nisi quis commode interpretetur, non satis congruere videntur cum his dogmatibus, quæ hoc tempore præscribit Ecclesia. Probat enim Justini martyris sententiam, qui dixerit Satanam nusquam ausum dicere blasphemiam adversus Deum, priusquam advenisset in terras Dominus, eo quod nondum cognosceret damnationem suam. In altero loco videtur sentire animas exutas corpore non statim frui glorificante visione Dei, sed abditas servari in diem resurrectionis: de purgatorio nulla mentio.

Quin potius videtur duplicem sentire resurrectionem; primum animarum, mox corporum. Sic enim loquitur in calce operis: *Cum enim Dominus in medio umbræ mortis abierit, ubi animæ mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexit, et post resurrectionem assumptus est: manifestum est quia et discipulorum ejus, propter quos et hæc operatus est Dominus, animæ abibunt in invisibilem locum definitum eis a Deo, et ibi usque ad resurrectionem commorabuntur sustinentes resurrectionem: post recipientes corpora et perfecte resurgentes, hoc est corporaliter, quemadmodum Dominus resurrexit, sic venient ad conspectum Dei.* Hactenus Irenæus, in quibus cum ait: *Post recipientes corpora, et perfecte resurgentes*, subindicat aliquam animarum resurrectionem imperfectam ante recepta corpora. Rursum cum ait: *Sic venient ante conspectum Dei*, significat animas non recipi in gloriam cœlestem ante resurrectionem corporum: in quo errore fuisse videtur Joannes pontifex Romanus, ejus nominis XXII, coactus opera theologorum Parisiorum ad palinodiam, coram Galliarum rege Philippo, non sine buccina; quod indicat Joannes Gerson in sermone de Pascha. Quin et Hieronymus alicubi testatur

Digitized by Google

cum sensisse cum Chiliastis, cum alias, tum enarrans Ezechielis caput trigesimum sextum. Sed in hujusmodi multis veteres illi cum candore, nonnunquam et cum venia legendi sunt, quod hæc tum temporis nondum in quæstionem venerant, aut si venerant, nondum excussis Scripturis Ecclesia super his suam sententiam clara voce pronuntiarat. In prima quidem Præfatione dubitabamus, utrum Græce scripsisset Irenæus, an Latine, nec adhuc certum aliquid habemus, nisi quod Hieronymus, eo loco quem modo citavi, testatur eum fuisse Græcum : quanquam et hic dubitare licet, utrum natione Græcum dixerit, an scriptorem Græcum. Sed apparet illum de scriptura sensisse, A cum illum copulat cum Apollinare, quem constat Græce scripsisse. Verba Hieronymi sic habent : *Quod et multi nostrorum, et præcipue Tertulliani liber, qui inscribitur* De spe fidelium, *et Lactantii Institutionum volumen septimum pollicetur, et Victorini Petabionensis episcopi crebræ expositiones, et nuper Severus noster in dialogo, cui* Gallo *nomen imposuit; et, ut Græcos nominem, et primum extremumque conjungam, Irenæus et Apollinaris.* Hæc Hieronymus. Adjuvant hanc opinionem tituli librorum Græci. Tantum obstrepit, quod versus aliquot Græcos admixtos videmus illius libris, quod ab auctore fit usitate, ab interprete non item : tum quod nullus indicavit interpretis nomen. Bene vale, lector.

—

NICOLAI GALLASII

Epistola nuncupatoria ad Edmundum Grindallum, episcopum Londinensem, in qua suæ Irenæi editionis consilium exponit.

Mitto ad te, vir amplissime, fructum aliquem laboris nostri : cujus hoc tempore edendi occasionem, ac simul quæ me nunc tempestas Genevam expulerit paucis accipe. Cum nuper in Galliis, speciosæ pacis prætextu, tam crudeliter vexatæ essent Ecclesiæ nostræ, ut longe miserior esset earum conditio, quam dum aperto bello ac diris persecutionibus antea palam affligebantur, ego tristem exitum animo prævidens, in Angliam ad te cogitabam : quo mihi et planior via, et brevior trajectus, et commodior rerum mearum tractatio fore videbatur. At subito Aureliæ exorta seditione, quam pridem moliebantur papistæ, ut nostros impune trucidarent; multis interfectis, ædeque in qua aggregabantur, incendio consumpta, mihi non solum mutandum consilium fuit, sed omnis via et ratio captanda, et qualiscunque rimula observanda, qua e tanto periculo evadere statim liceret. Sæpius enim vitæ periculum subieram : inflammabatur populi furor, ministri deposcebantur ad cædem, urbis vero portæ tam diligenter observabantur, ut nemo egredi posset. Itaque in tam gravi discrimine quæcunque exeundi facultas offerretur, ea utendum fuit. Nec me sane, et collegas nonnullos, in ipso momento ope sua destituit Dominus. Nam emissi noctu Aurelia, deviis itineribus per medias silvas Montargium usque deducti sumus. Ibi salutata illustrissima ducissa, quæ nos omni officio ac pietate adeo sibi devinxit, ut nec illi unquam satisfacere, nec ejus virtutes satis prædicare possimus, longius progrediendi consilium cepi : atque illius ipsius heroidis favore et ductu, post longas molestias in hanc usque urbem perveni. Tum respirans paululum, ubi cum dilectissimo et suavissimo fratre meo D. Theodoro Beza de publicis et privatis rebus communicassem, is me rogavit quid mihi nunc esset præ manibus. Tum respondi me de sublevando animo tantum et relaxando ab iis curis quibus diu vexatus erat, cogitare. Non est vero tuum, inquit, languori et ignaviæ indulgere : ac certo scio te hoc tempus quod tibi vacuum a negotiis datur, non posse in otio transigere. Me ergo ad conciones et prælectiones hortatus, simul adjunxit se jamdiu aliquod meditari, in quo non inutiliter operam meam, si ita videretur, locare possem. Satis nosti, inquit, quam utilis sit lectio veterum doctorum, quam tamen plerique negligunt, cum propter obscuritatem, tum etiam ob imperitiam nonnullam, quam labantia jam illa tempora doctrinæ Christianæ attulerunt. Utrique impedimento remedium facile afferri potest, si primum distinctis librorum capitibus, summæ rerum et sententiarum præfigantur, quibus animo conceptis ac perspectis, lector facile assequetur quid singula contineant : ac præcipuo illo labore superato, reliquum facile exhauriet, atque etiam gustu doctrinæ illectus latentem fructum col- B ligat ac recondet. Deinde imperitiæ facile occurretur, si in cujusque operis fine addatur admonitio aut censura, qua ostendantur ea quæ puræ et sanæ doctrinæ minus consentanea sunt, ac detorti aut implexi et involuti Scripturæ loci vera et genuina interpretatione explicentur. Tum admonuit ut, re diligenter expensa, judicarem num res digna esset cui labor et opera impenderetur; ac me incitavit ut ei in isto otio manum admoverem. Ubi considerassem attentius, omnino assensus sum. Periculum feci ex re ipsa, ac plane agnovi opus dignum esse, cui plurimi docti et in rebus divinis exercitati animum intenderent : vix enim unus tot veterum evolvendis voluminibus, adnotandisque et recensendis sufficeret. Visum est igitur ab eo qui inter Latinos antiquissimus censetur, initium facere, ab Irenæo scilicet : cujus scripta ut obscura, ita plerisque in locis corrupta et depravata fuerunt. Quamvis autem ipsum inter Latinos numerandum non putem (nam C phrasis plane Græca est), tamen quia nondum naturali suo habitu et ornatu indutus apparuit, eum quem hactenus inter Latinos obtinuit, locum illi relinquo. Testantur nonnulli pii et docti viri se Græcum legisse in Venetiana bibliotheca : ubi cum ab iisdem postea quæreretur, locus vacuus est repertus. Alii etiam in Vaticano visum ferunt. Qui talia monumenta Ecclesiæ adimunt, aut invident, digni sunt qui perpetuo horrendis invidiæ furiis et diro conscientiæ vulnere crucientur. Græce vero scripsisse Irenæum testantur multæ paginæ, quas apud Epiphanium transcriptas reperimus. Eas autem inseruimus huic libro, atque objecimus versioni, ut pius lector facile de hac re judicaret. Quod si quis excipiat, potuisse Irenæum utraque lingua scribere, atque in Latinam vertere quod prius Græce edidisset, quamvis mihi verisimile non sit, ego 5 tamen non magnopere laboro, nec sane contendendum puto. Mihi satis est, Græcum esse, ac scri- D psisse Græce; id quod librorum tituli, Homeri et Hesiodi versus intexti, item ἀναχόλουθα καὶ ἀναπόδοτα admodum frequentia satis ostendunt. Præterea dictiones, phrases, et formæ loquendi minus usitatæ Latinis : veluti nomen *conditionis* pro creatione, *ægrimonia* pro ægritudine, *deminoratio* pro diminutione, *habere* pro posse, *quemadmodum* pro quomodo, *Deus non bene sensit in illis*, pro non acquievit, vel acceptos illos non habuit, et sexcenta ejusmodi : quæ diligens lector facile poterit animadvertere. Atque optimus sane hujus rei æstimator ac judex est Hieronymus, qui hunc inter Græcos scriptores constanter annumerat. Est autem hic attentione opus et diligentia, ut res et sententiæ comprehendantur. Nam præterquam quod materia quam tractat, obscura est, durior est stylus et remotior a consuetudine Latini sermonis. Sed omnia faciliora reddent summæ uniuscujusque capitis

Digitized by Google

initio a me præfixæ, quibus aperte ac breviter auctoris mens ac scopus declaratur. Numeris omnia distinxi. Locos Scripturæ quos citat, notavi ad marginem : ac menda quæ occurrerunt, collatis exemplaribus et locis ipsius auctoris, emendavi. Sectionem capitum veterum secutus sum in quatuor libris : quæ certe nec ita divisa ab auctore, nec ab ipso summas iisdem præscriptas esse arbitror. Nam lectiones sæpenumero breviores sunt, ac interruptæ, aut etiam longiores ; summæ vero interdum aut rem non attingunt, aut quod præcipuum est prætermittunt. Quintum porro librum, quem nemo hactenus diviserat, distinxi per capita, quibus, ut aliis, summas rerum et sententiarum addidi. Mihi sane omnia sedulo expendenda ac sæpius relegenda et examinanda fuerunt, ut planum facerem, nunc quid in tantis illis errorum labyrinthis sibi vellent hæretici, nunc quibus rationibus pius vir eorum dogmata refutaret. Quod exquirendi tædium qui devorare nequeunt, haud mitor in hujus ac similium auctorum lectione, non ultum, nec diu progredi : neque nucleum edere, quia nucem non frangunt. At nemini studioso unquam constitit fructus laboris sui, nisi ei qui assidue et constanter in eo perseveravit. Mihi certe gratissimus fuit labor, quod ea colligens quæ præcipua sunt, atque in summa capita redigens, speraverim me ita lectorem molestia sublevaturum, ut neque obscuritas, neque difficultas illum jam deterrere aut retardare posset. Nec me, ut arbitror, spes fallet apud eos qui propius attendent, candideque et sincere judicabunt. Testatur abunde Irenæus quantum negotii exhibitum ipsi fuerit in eruendis atque proferendis in medium erroribus, quos tam astute Valentiniani dissimulabant ac tegebant, ut pauci admodum intelligerent quid docerent, et quibus rationibus niterentur. Nunc igitur iis intelligendis quæ vir tantus magno labore eruit ac detexit, haud mirum est jam sublatis illis erroribus, et multis sæculis exactis, a nobis quoque nonnihil laborari. Sed nobis illius studium, vigilantia et solertia imitanda sunt. Tantam certe diligentiam et sagacitatem adhibuit in sectandis vestigiis ac gressibus immanium ejusmodi ferarum, ut non solum deprehenderit earum latibula, sed eas inde velut e lustris et saltibus, in medios agros et apertam lucem ejecerit, atque ita produxerit, ut neque latere neque amplius incautis nocere possent. Quo exemplo nos admonet quam sedulo cavere debeant gregibus suis episcopi et pastores, ne pestilenti talium serpentum veneno inficiantur. Falluntur enim vehementer qui putant veterum illarum hæreseon descriptionem ac refutationem nihil ad nos, aut tempora nostra pertinere. Ac frustra obtendunt tam absurdos et prodigiosos fuisse illos errores, ut nemo nunc iis adhæsurus sit. Nec enim minus absurda, nec minus portentosa dogmata nostro tempore invexerunt fanatici quidam homines, nec minore astu seduxerunt illitteratos et simplices viros, nec minore pertinacia veritati obstiterunt. Annon quotidie cernimus quibus fallaciis et fraudibus utatur Satan ad renovandas hæreses, et specioso quodam fuco sic interpolandas, ut nunquam exstitisse videantur ?

Quis non videt eos qui nunc divinam, nunc humanam Christi naturam hodie oppugnant, ex iisdem lacunis et cloacis fæces suas hausisse ? Anabaptistarum porro nostri temporis secta quam multa tum in doctrina tum in ritibus similia habet cum veteribus illis hæreticis, quos tamen fortasse ne de nomine quidem agnovit ? Verum antiquus

A ille serpens qui jam pridem talibus organis vexavit Ecclesiam Dei, et Evangelii cursum retardavit, non minus quam olim callidus et vafer est ad excitandos tales pugiles et agonothetas, quibus illos supplantet, qui se optata Evangelii luce indignos præbent. Quis putaret unquam fore ut homines degenerarent in brutas pecudes, aut potius verterentur in monstra, quæ omnem ferarum immanitatem, turpitudinem ac spurcitiem superarent ? Quali enim nomine appellabimus eos, qui sic usum rationis exstinguunt, ut tollant discrimen boni et mali ? Et cum impurissimi et nequissimi fuerint, negant tamen se ullius impuritatis aut nequitiæ reos esse ; qui nefandas cupiditates, libidines, flagitia, scelera sua Deo tribuunt : et cum maxime indulserint affectibus carnis, atque in omni vitiorum cœno se provolverint, jactant se esse spirituales ac perfectos : eos vero qui sobrietati, continentiæ et puritati student, tanquam rudes et idiotas sannis
B et ludibriis proterunt et proculcant ? At tales nostro tempore exstiterunt (utinam vero ne adhuc exstent) quales Irenæus primi libri capite primo, nono, vigesimo tertio, et trigesimo quinto describit. Quid enim Satan renascente Evangelio (1) molitus non est, ut ejus cursum averteret aut retardaret ? Quibus autem armis et machinis illi obsistendum sit, pius hic episcopus aliique antiqui doctores nos exemplo suo docuerunt. Sola enim pugnant Christi apostolorumque doctrina (2) : ad quam omnia dogmata, traditiones ac ritus examinant. Nam quod jactabant hæretici, ut hodie superstitionum fautores ac patroni, se ab apostolis commenta et deliria sua accepisse, statim ex illorum scriptis facile refutatur. Quod etiam adversus omnes conspurcatores religionis Christianæ nobis arbitror esse faciendum. Id vero sæpius expertus es, vir clarissime, et reipsa comprobasti, quoties tibi negotium fuit cum fanaticis et præfractis hominibus, qui Ecclesias vestras assidue turbabant. Hoc
C ego magna ex parte testari possum, qui ipse adfui, vidi, ac perspexi qua cura et vigilantia Ecclesiarum, quibus præes, paci consuleres, quanto studio tum ab impiis ritibus, tum ab erroribus anabaptistarum qui irrepserant, repurgares : qua sedulitate pacares turbas et dissidia, sive inter tuos, sive inter exteros exorta essent. Nam quantum in te fuit, peregrinorum Ecclesias quæ Londini Elisabethæ reginæ beneficio collectæ sunt, non tantum foris sartas et tectas servasti, sed intus a metu, a dissidio et divisione reddidisti immunes. Cohibuisti temerarios homines et cupidos rerum novarum, repressisti insolentes et præfractos, domuisti elatos, innoxios tutatus es, sedasti rixas et jurgia (3), denique te vere Irenæum et tranquillitatis fautorem præbuisti. Hæc ego præterire silentio, aut
D dissimulare absque ingrati animi vitio non possem : cum maximus illarum molestiarum, quas aliquando nostratium causa tulisti, fructus ad me redierit. Nam et purgatis ab erroribus opera tua peregrinorum Ecclesiis, et sedatis turbis quas multi excitaverant, et quiete majore et pace liberiore apud vos usi sumus. Merito igitur te Irenæo comparo, quem iisdem in negotiis diligenter imitatus es : atque optimo jure tibi offero nostras in ejus librum vigilias et lucubrationes, quæ grati erga te et memoris animi mei testes esse possint. Nam cum te Ecclesiarum nostrarum patronum et tutorem præbueris adversus Satanæ et pestilentium hominum insidias, qui tunc perniciem illis moliebantur, æquum est meo et nostratium nomine tibi gratias agi, atque etiam Londinensibus tuis, quorum humanitatem, beneficentiam et libe-

(1) Sic exstinctum a Calvinianis Evangelium vocat Calvinianus minister.

(2) Non scripta duntaxat, sed et etiam tradita, ut sola tertii Irenæi libri lectione patet.

(3) Quam belle rixas omnes in Anglia sedaverit Grindallus, quæ deinceps in hoc regno peracta novimus, feliciter probant.

Digitized by Google

ralitatem, ut tuam erga profugos atque exlorres, cum apud vos essent, adversissimo tempore sæpius experti sumus. Eam hoc tempore non minorem esse audio : quo nomine nos tibi illisque plurimum debere confitemur. Ut Dominus vobis rependat, dolesque suas in te tuisque adaugeat, ego quam maximis possum votis postulo atque opto. Te vero obsecro atque obtestor, ut qualem te jam præstitisti nostris hominibus, tum fovendis bonis, tum malis coercendis, tum etiam reprimendis factiosis et studiosis rerum novarum, ut tranquillus Ecclesiolæ illius status inter procellas ipsas, quamvis in medio mari, servaretur, talem quoque te in posterum præstes, nec sinas te ullius ingratitudine aut malignitate dimoveri. Quod tametsi te sponte tua abunde facturum non dubitem, tamen et meum in nostrates studium, et pericula quæ assidue impendent, me sollicitum reddunt, idemque etiam atque etiam petere cogunt. Hoc etiam rogo, ut quo animi erga te affectu hoc qualecunque præludium ac specimen majoris (si Dominus dederit) operis tibi offero, eodem accipias, nec me aliud spectasse putes, quam ut memorem et gratum me tibi præbeam. 6 Bene tibi precantur quamplurimi qui huc se receperunt optimi viri, in primisque te salutat Beza noster, cujus consuetudine et benevolentia sic recreor, ut mihi jam levius exsilium hoc redditum sit. Bene vale, optime et observantiss. vir. Dominus Jesus Christus tibi perpetuo faveat, diu te incolumem servet, tuisque laboribus et curis benedicat. Genevæ, pridie Kal. Februarii. MDLXIX.

JOANNIS JACOBI GRYNÆI

Epistola nuncupatoria ad Bernardum Brandum Basileensis reipublicæ tribunum plebis primarium, in qua suæ Irenæi editionis rationem reddit.

Etsi graves cumprimis causæ fuerunt, propter quas vetustas erudita, magno applausu et consensu recepit, approbavitque elegans illud apophthegma: Γνῶθι σεαυτόν, *Nosce teipsum ;* et amphictyones, Platone teste, illud pro Delphici templi foribus inscribendum esse censuerunt, eo quod videretur de suis bonis et malis unumquemque mortalium commonefacere, superbiæ pariter et desperationi mederi, immodicum amorem sui, fiduciamque tollere, et ad modestiam universos hortari : non tamen minus graves causæ sunt, cur aliud adeo illi cognatum, ut neutrum sine altero recte intelligi possit, non tantum addamus, sed etiam ambabus manibus et toto pectore amplectamur, videlicet Γνῶθι τὸν Θεόν, *Nosce Deum*. Veram enim et solidam sapientiam in Dei optimi maximi, et hominis ad ejus imaginem conditi cognitione positam, nec alteram sine altera plenam esse, vel ex eo colligi potest, quod divinæ litteræ testantur, ideo nos homines a Deo conditos et redemptos, ut Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi, una cum Filio unigenito Jesu Christo et Spiritu sancto vere agnoscamus, invocemus, et non tantum in hujus vitæ militia, sed etiam in omni æternitate celebremus. Ideo nihil est dubium vere Origenem Adamantium in tertio *Contra Celsum* libro, de sapientia pronuntiasse, esse eam divinarum humanarumque rerum et causarum scientiam, aut, ut sacra Scriptura definit, divinæ potentiæ vaporem, emanationem sinceram omnipotentis gloriæ, splendorem sempiterni luminis, speculum virtutis Dei purissimum, bonitatisque ejus imaginem expressam. Apparet autem philosophos quosdam, qui, ut ait Paulus apostolus, invisibilia Dei, hoc est æternam ejus potentiam ac divinitatem, et alia quæ ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, pervidentur, rectius quam vulgus hominum observaverunt, tametsi mentes eorum densa caligine ignorantiæ veræ doctrinæ de essentia, et voluntate Dei occupatæ essent, nec ipsis quidquam de lapsu primorum parentum et tristissima corruptione naturæ humanæ constaret; in ea tamen sententia fuisse, ut sapientiæ candidatis, Dei suique cognitionem prorsus necessariam esse ducerent. Ejus rei nunc non libet multa coacervare testimonia, cum unum illud cordatis hominibus satisfacere queat, quod in undecimo libro *De præparatione evangelica* Eusebius cognomento Pamphilus adducit. Narrat gymnosophistam quemdam ex India profectum in urbe Attica cum Socrate de sapientiæ studio collocutum esse : in eo colloquio cum Indus quæsivisset, qua ratione sapiens fieri posset? respondit Socrates, si qua ratione homini vivendum sit, consideres. Hanc vocem Indus nonnihil subridens eleganti hac sententia excepit : Μὴ δύνασθαί τινα τὰ ἀνθρώπινα κατιδεῖν, ἀγνοοῦντά γε τὰ θεῖα, hoc est, res humanas nemo divinarum ignarus rerum recte perspicere et cognoscere potest. Judicabat enim doctrinam ethicam inanem esse ludum ingeniorum, et hypocriseos σοφὸν φαρμακὸν, si ea cum Dei luculenta agnitione et sincero cultu non sit conjuncta. Sunt enim revera otiosæ et inutiles commonefactiones de hominis officio, de virtutum pulchritudine, de vitiorum turpitudine, denique de omnibus vitæ humanæ muniis et partibus, si interim mens ignara Dei et voluntatis ejus seipsam tanquam numen aliquod admiretur et colat, nec serio cogitet, et quod sit Deus, et qualis sit, videlicet omnipotens, bonus, castus, misericors, justus, vindex scelerum ; et quod hic quoque Deus nos quoque bonos, castos, benignos, justos, osores scelerum esse velit. Ideo in hominis Christiani institutione, prima et præcipua cura esse debet, ut teneræ mentes imbuantur hisce ἀξιώμασι et veluti principiis. Primum est, homines ideo conditi et redempti sunt ut Deum Patrem, una cum Filio Jesu Christo et Spiritu sancto agnoscant et colant. Alterum est, de Deo et voluntate ejus sic est statuendum, sicut is se voluntatemque suam illustribus testimoniis et expresso verbo patefecit. Sic aut Deus æternus se nobis patefecit, ut juxta magni Basilii sententiam, baptizari nos oporteat sicut accepimus; credere autem sicut baptizamur; glorificare autem, sicut credimus, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum. Hæc cum prophetis et apostolis cordi essent, de sapientia, hoc est de Deo vero et de homine rectissime gravissimeque senserunt et scripserunt. Eorum vestigiis Irenæus quoque noster insistens, in his quinque libris multa præclare de Deo uno et trino, de hominis ortu, lapsu, corruptione, restitutione, litteris memoriæque mandavit. Exstat autem in primo libro Irenæi symbolum (hac voce vetus Ecclesia brevem et orthodoxam de Deo et homine confessionem appellare solita est) quod non tantum eo ascribere libet, ut habeat lector φιλάλληλον quod cum cap. 2 lib. 1 conferat, verum etiam quia doctrinam Ecclesiarum nostrarum in effeta hac mundi senecta a nobis receptam et traditam olim quoque in Ecclesiis Germaniæ, Galliæ et Hispaniæ, Irenæi ætate, hoc est, circa annum post natum Christum CLXXXV magno consensu traditam esse inde colligere licet. Verba ejus hæc sunt : Ἡ μὲν γὰρ Ἐκκλησία, etc. [1] Operæ pretium autem non vulgare fuerit in vestibulo hujus operis ob oculos ponere brevem antithesin sanæ et orthodoxæ doctrinæ, et humanorum commentorum ac hære-

[1] Vide supra pag. 48.

Digitized by Google

seon : ut videant eruditi lectores de quibus partibus cœlestis doctrinæ, adversus Valentinianos, Gnosticos, Encratitas, et alios ματαιολόγους καὶ φρεναπάτας ἀποστρεφομένους τὴν ἀλήθειαν Irenæus noster et qua ratione pro virili depugnaverit. Multum enim lucis collatio doctrinæ affert, ut monet vetus parœmia : Ἡ πορφύρα παρὰ τὴν πορφύραν διακριτέα ; et harum rerum consideratio facit, ut mens pia intuens tristissima nostræ ætatis de religione certamina, non abjicial veritatis professionem, nec dubitationi καὶ τῇ ἐποχῇ academicæ locum det : sed cogitet gravissime a Paulo dictum esse : *Oportet enim et hæreses in vobis esse, quo qui probati sunt, manifesti fiant inter vos* (*I Cor.* xi, 19).

De Deo æterno, cum sanctis Patribus, prophetis, apostolis, et Ecclesiæ apostolicæ doctoribus orthodoxis, Irenæus constanter, pie vereque docet unum esse Deum, si essentiam Patris, Filii, et Spiritus sancti ; trinum, si personas earumque proprietates peculiares, consideres. Etsi autem hoc mysterium de Deo, et de tribus personis, superat multis modis captum et sapientiam omnium angelorum et hominum : tamen ei nos religiose assentiri decet ; quia, ut supra monui, de Deo secundum patefactionum ejus normam et præscriptum cogitandum et statuendum est. Hunc Deum esse unum et eumdem testamenti veteris et novi auctorem, bonum, et justum, conditorem cœli et terræ, angelorum et hominum, omniumque rerum, quæ in hoc amplissimo mundi totius systemate ac theatro continentur, qui sua providentia præterita, præsentia et futura intuetur ac gubernet, recte et copiose docet Irenæus. Tres etiam personas in sacrosancta divinitate, quas Græci illustri appellatione ὑποστάσεις nuncupaverunt, discernit a se invicem Irenæus ; ac monet primam personam in divinis Patrem esse, qui sese ab æterno intuens inenarrabili modo genuit Filium, qui est imago et character substantiæ ejus : secundam vero personam esse Dei Filium, Dominum Jesum Christum, qui divinæ naturæ respectu appellatur et est Verbum, Sapientia, et ἀμήτωρ ; humanæ autem naturæ respectu dicitur et est filius Abrahæ et Davidis, ἀπάτωρ, fratribus suis similis, peccato excepto : tertiam autem personam esse Spiritum sanctum, qui a voluntate Patris et Filii procedens, mittitur in corda credentium, ut ea regeneret, sanctificet, et vivificet, et sit σφραγὶς et arrhabo hæreditatis nostræ.

Econtra Valentiniani furenter et impie contendebant Deos esse plurimos et prope innumerabiles, quia mirum et incredibile illis videbatur in illa æterna solitudine unum tantum esse Deum. Negabant etiam unum eumdemque Deum veteris novique testamenti fuisse ; et quia veteris testamenti Deus, severus, scelerum vindex et ultor exstitisse videbatur, justum, sed non bonum appellandum putaverunt : Deum autem novi testamenti, propterea 7 quod omisso τῷ ἀκριβοδικαίῳ, id est summo jure, ἐπιείκειαν evangelicam et gratuitam resipiscentibus et credentibus promulgavisset et concessisset, bonum, non autem justum nuncupaverunt. Multa etiam de Demiurgo, mundi hujus opifice, de æonum syzygiis et erroribus, deque aliis opinionum absurdarum monstris, plenis buccis deprædicabant, quibus omnibus Satan, mendaciorum istius generis pater, veram de Deo et tribus personis doctrinam delere et in animis hominum obliterare, scelerate conatus est.

Porro de homine Irenæus eisdem prophetis, evangelistis et apostolis reverenter subscribens, pie docet hominem a Deo conditum, et multis ac pulcherrimis tum animi, tum corporis ornamentis, bonisque instructum, ut esset opificis templum et imago ei serviens in omni æternitate : eum vero Satanæ fraude circumventum, in peccatum, mortem, et ἔσχατα ἐσχάτων mala incidisse cum tota posteritate, quæ ideo sit conclusa sub peccato, ut ejus Deus misereatur. Ac cum natura omnes Adami primi posteri filii iræ sint, negat ullam veniæ ac salutis spem superesse, præterquam in Christo Jesu, qui ideo in hunc mundum venit, ut quæreret quod perierat et peccatores salvos faceret ; itaque eos gratuito Christi beneficio restituendos in integrum, qui a peccatis suis resipiscentes, credunt sua causa Filium Dei in hunc mundum venisse, ut assumpta natura humana, in carne patiens victima pro ipsis fieret, expiaret ; ac auferret peccata mundi, mortuus propter eorum peccata, et resuscitatus propter eorumdem justificationem. Et hos quidem Irenæus esse dicit, peculium Dei, βασιλειον ἱεράτευμα, sanctam Ecclesiam, cui sit commissus thesaurus oraculorum Dei, comprehensus in libris propheticis et apostolicis : huic cœtui amplectenti integram et incorruptam legis et Evangelii doctrinam, Filium Dei fœderis æterni sacramenta, velut visibilia divinæ gratiæ et aliarum cœlestium rerum, quas nobis Christus una se daturum promisit, symbola et argumenta, ministerium verbi, hoc est, dispensationem fidelissimam mysteriorum Dei, et alia salutaria dona et officia exhibuisse et instituisse ; ut ne deesset Ecclesiæ quidquam eorum, quæ ad augendam, ornandam et conservandam facerent. De animarum autem immortalitate et corporum resurrectione, totiusque hominis salute, vel interitu æterno, Irenæus apostolicam doctrinam incorruptam profitetur, et Platonica ac Pythagorica deliramenta de animarum in alia atque alia corpora discessu, confutat.

E diverso Valentiniani vociferabantur, homines vel natura esse malos, ὑλικοὺς καὶ χοϊκούς, qui si maxime conversionis et salutis percupidi forent, converti tamen ad Deum et salvi fieri non possent : vel natura esse bonos, qui etiam gravissime peccantes, recte tamen facere censendi sunt. De animabus, et earum in alia atque alia corpora, pro ratione meritorum et expiationum, transmigratione multa audacissime confingebant, ut stabilirent Pythagoræ commenta, μετεμψυχώσει καὶ μετενσωματώσει. Quidam corporum resuscitationem prorsus negabant. Scripturam divinam partim obtorto, quod aiunt, collo ad sua somnia astruenda detorquebant ; partim truncatam, miserequo suis corruptelis laniatam, videndam ethnicis objiciebant. Ecclesiæ concordiam dissensionibus suis et schismatis perturbabant. Sacramenta impuris et detestandis ritibus profanabant, ut est videre in narratione Irenæi de Marco quodam Gnostico, mago, et peste humani generis.

Res ipsa autem docet non unicum errorem imposuisse Gnosticis istis, sed hosce potissimum. Primus est, quod de Deo et ejus voluntate non juxta divinas patefactiones in verbo traditas, sed secundum sua somnia figmentaque judicandum statuendumque putarent. Secundus, quod non verbum Dei, sed τὸ τῆς σαρκὸς φρόνημα cæcutiunt, cum de hominis ortu, viribus, lapsu et restitutione dissererent. Tertius, quod Scripturas et Dei potentiam ignorantes, Pythagoræ, Platonis, et sua somnia majoris facerent quam Evangelium de Christo ; ac opinionibus suis fascinati, Scripturas ad plumbeam placitorum suorum regulam exigerent. Cæterum adversus Gnosticos, fanaticos homines, et ut Paulina voce utar, διεστραμμένα loquentes, Irenæus Polycarpi (ejus qui Joannis evangelistæ auditor fuit) discipulus, et Lugdunensis episcopus, conscripsit præclarum volumen ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, quod ut solum inter multa ejus viri scripta superest, ita satis magno argumento est, non tam scite quam vere Tertullianum de Irenæo dixisse : curiosissimum omnium doctrinarum exploratorem fuisse. In primo enim libro prolixe recenset Valentinianorum errores tetros et diabolicos de Diis, de signum syzygiis, erroribus, numero. Subjungit

Digitized by Google

narrationes de dissidiis hæreticorum, et eorum hæresiarchis Simone Mago, Cerintho, Ebione, Menandro, Marco quodam, et aliis qui flagitiis et improbitate morum, vitam, moresque aliorum profanarunt fermento suarum opinionum, verbum Dei corruperunt, ritibus impuris sacramenta divinitus instituta violare aggressi sunt. Hisce subjungit in secundo libro τὰ ἀποδεικτικὰ de Deo uno, æterno, vero, omnipotente, omniscio, ἀπεριγράπτῳ, extra quem nullus alius Deus, nullum prorsus numen est. Ostendit etiam non fictitium quemdam Demiurgum, non angelos, sed Deum æternum Patrem Domini nostri Jesu Christi, una cum Filio unigenito (quem subinde λόγον, sermonem vocat Irenæus, ut agnoscas doctrinæ Joannis evangelistæ σπουδαστὴν) et Spiritu sancto condidisse, et e nihilo produxisse amplissimum hoc mundi theatrum, angelos, homines, et alias inferiorum ordinum creaturas. Deinde annectit refutationem dogmatum, quæ a Gnosticis tradebantur de mundi primordiis, de Demiurgo, seu opifice et architecto universorum, de æonum ordinibus, de μετενσωματώσει καὶ μετεμψυχώσει. Probat autem Irenæus animas non modo immortales esse, sed etiam proprium characterem habere, ac convellit proteritque Platonica somnia de causis ignorantiæ animæ, Lethæo videlicet poculo, humanoque corpore. In tertio libro qui partim est πολεμικὸς, partim vero διηγητικὸς, initio hæreticos inexpiabilis flagitii, corruptæ nimirum et detruncatæ sanctæ Scripturæ, reos peragit ac convincit; deinde perpetuum consensum prophetarum et apostolorum de Domino nostro Jesu Christo Deo et homine evidenter demonstrat. In quarto libro primum quidem perspicue et solidis argumentis probat unum esse Deum utriusque testamenti, veteris, inquam, et novi auctorem, qui promulgata legis et Evangelii doctrina toti humano generi, se voluntatemque suam, et arcanum illud divinitatis decretum de restitutione et salute hominum resipiscentium per Dominum et archipontificem Jesum Christum patefecerit. Deinde vero de viribus humanis et imperfectione nostra, aliisque, hisce, quæ dixi cognatis, fuse disputat. Ac tandem in quinto libro, cum plurima ex superioribus repetivisset, et comprobasset, accedit ad refutandam Gnosticorum ματαιολογίαν de corporum humanorum exitio perpetuo: παναλεθρίαν enim corporum illi introducebant. Prolixe igitur et sapienter monet probatque Irenæus non tantum corpora resuscitaturum esse Christum in secundo et illustri suo adventu, sed etiam sanctorum corpora Dei templa futura in æterna vita, et una cum animabus salvanda esse. Atque hæc paucis καὶ σαφέστερον monere visum est, ut cordati lectores viderent duo esse præcipua disputationum Irenæi κεφάλαια, Deum videlicet et hominem, et quid de hisce piis mentibus (quibus gravissima judicia veteris Ecclesiæ antistitum de tantis rebus gratissima esse consueverunt) sit statuendum. Etsi autem in his Irenæi nostri lucubrationibus, non desunt salebræ et nævi quidam de libero hominis arbitrio, de tempore quo Christus inter homines visibiliter conversans docuit de diabolis, deque paucis aliis; tamen de iis cum Erasmus pro sua sapientia in argumentis librorum gravissime admonuerit legentes, non est animus post Homerum *Iliada* canere et erratis Irenæi ἀκριβολογεῖν. Tantum hoc monere libet, magnas fuisse causas cur post Des. Erasmum Roterodamum summo judicio virum, ipse quoque Irenæi libros emaculandos et pro virili illustrandos in manus sumerem. Præstitit Erasmus, ut in aliis plurimis scriptoribus, ita quoque in Irenæo operam se dignam, hoc est longe maximam. Primus perfregit glaciem, superavit difficultates, et veluti Syrtes et scopulos, nobisque viam aperuit, sic tamen ut sibi nondum satisfaceret: et cum de lingua qua usus esset Irenæus subdubitaret, non admodum probaret hanc, qua necessario, cum Græcum exemplar non exstet, in posterioribus libris utimur, conversionem Latinam, propterea quod et obscura esset et non necessariis hellenismis scateret undique. Factum autem singulari beneficio Dei, studioque bonorum et eruditorum quorumdam virorum, ut, postquam apud superos agere cœpit Erasmus, prodiret in lucem Epiphanii episcopi Constantiæ Cypri eximium opus contra octoginta hæreses, in quo cum multa ad verbum ex Irenæi libris descripta exstarent, maximam libri primi partem ex Epiphanio restituere et multo meliore **8** Jani Cornarii versione uti nobis licuit. Deinde cum ineptissimæ et plerumque οὐδὲν πρὸς ἔπος facientes summulæ et libris et capitibus præfixæ, errorum potius quam scopi præmonstratices, exstarent in hoc opere, illis maxima ex parte sublatis, breves περιοχὰς capitum adjeci, ut de consilio Irenæi ac disputationum statibus commonefacerem legentes. Postremo totum opus recognitum, a mendis non paucis vindicatum, cum aliis exemplaribus contuli, variam lectionem notavi in margine, ac σχηματισμῷ involutam et monstrosam de xxx sæculis δοξομανίαν illustriorem reddere studui. Hæc qui attente considerabunt, et editionem hancce nostram cum aliis conferre non gravabuntur, facile, opinor, dabunt, et sine præjudicio Erasmiani nominis, et cum fructu aliquo theologiæ candidatorum susceptam, et quod vulgo aiunt, ad umbilicum deductam esse Irenæi scriptorum recognitionem.

Cogitanti autem mihi cui tandem egregio virtutum et eruditionis patrono καὶ βραβευτῇ, Irenæi vetustissimi scriptoris insigne hoc volumen non tam offerrem defendendum (neque enim Irenæus defensione opus habet, ut quem nemo bonus non amet, nemo malus in Christo quiescentem τῇ σκιαμαχίᾳ lædere potest) quam legendum, commodum evenit ut vir clarissimus D. doctor Isaacus Keller, Medici vestri collegii, ac præcipue urbis vestræ ornamentum causa φιλοφροσύνης cujusdam admodum religiosæ me conveniens, certiorque de Irenæi librorum editione factus, modis omnibus me hortaretur, ut testandi mei erga præstantiam tuam studii ergo, tibi, D. Bernarde Brande, vir præstantissime, Irenæi nobile hoc opus dedicarem. Ejus igitur consilium secutus, veteris et apostolicæ Ecclesiæ veluti confessionem ab Irenæo conscriptam, et mendaciis ac erroribus Gnosticorum oppositam, tibi offero et nominatim consecro, non tantum ut optimi et amicissimi viri judicio voluntatique satisfaciam, verum etiam ut tibi exhibeam καλὴν παραταθήκην, hoc est egregium depositum, ac formam sanorum sermonum, quam te, pro excellente tua pietate et prudentia, cum judicio perlegere et ad usum transferre posse non dubito. Sciebam in hoc libro exstare veteris Ecclesiæ judicia et cogitationes de Deo, homine, baptismo, eucharistia, sacris litteris, vita æterna et de aliis doctrinæ cœlestis capitibus, quorum cognitio piis mentibus grata et salutaris est. Judicabam quoque virtutes tuas dignissimas esse omnium bonorum virorum congratulatione, applausu, et testimoniis ejuscemodi publicis, quæ tametsi a pluribus auctoritate, ingenio, et sapientia præstantibus proficisci debent, nec tuæ præstantiæ hactenus defuerunt, ut nostra τὰ ἐξωτερικὰ ἐλόγια non admodum necessaria videri possint: nihil tamen vetat, quominus ipse quoque testatum faciam, quanti te faciant nostri homines, nequaquam a Musis et Gratiis alieni, quantum sibi et gratulentur et polliceantur de tua virtute et sapientia. Cum præcipua hominis vere generosi et ad patriæ suæ utilitatem nati, officia sint rempublicam consiliis moderari, et vera animi fortitudine administrare, et juvare, studia doctrinæ tueri adversus imperitos, μισομούσους, provehere et alere pia studia docentium et discentium; tu amplissimæ reipublicæ Basilcensi (in qua magno cum

Digitized by Google

fructu, Ecclesiæ et reipublicæ tribunitia potestate et auctoritate polles), vigilantia, fide, consiliis, industria, vera animi magnitudine et constantia nusquam dees : academiam vero Basileensem, sempiternum et incomparabile reginæ urbis vestræ decus, in cujus gremio et complexu, liberalium disciplinarum, veteris historiæ, linguarum, et juris civilis cognitionem, usumque magnum tibi comparavisti, postea quam reipublicæ gubernacula moderanda suscepisti, amore et patrocinio tuo, professores vero omnium ordinum et facultatum benevolentia et liberalitate ea prosequeris, qua digni sunt viri ingenio, virtutibus, sapientia, et omni ornamentorum genere præstantissimi. Hæc nimirum causa est propter quam, sicut olim Darium Persarum regem ferunt tot Zopyros optavisse, quot grana in Punicis malis conspiciuntur : ita optimi quique viri et apud vos, et in vicinia inclytæ urbis vestræ, multos Theodoros et Bernardos Brandos Basileæ vestræ a Deo æterno comprecentur, et sibi gratulentur quod ea quæ superioribus annis reipublicæ Basileensi decesserunt, defuncto hac vita patriæ patre et consule prudentissimo D. Theodoro Brando parente tuæ præstantiæ, ea omnia, Dei beneficio singulari, abunde in filio, non tantum facultatum, sed etiam virtutum paternarum hærede, compensata esse intelligant, Deumque optimum et maximum celebrent, quod opera tua et aliorum gravissimorum virorum, ac in primis affinis tui D. Henrici Petri, viri de republica vestra, et de re litteraria præclare meriti non tantum εὐνομίαν, societatem et tranquillitatem politicam, judicia, leges, civium concordiam, urbis decus, et libertatem, sed etiam sanctissima studia et optimas artes in quibus grata de Deo fama sparsa est, fovere, moderari, tueri, velut præclaram quamdam Spartam, dignam in qua exornanda boni viri laborent, ad posteritatem transmittere dignatur. Faxit Dominus noster Jesus Christus, ut hæc reipublicæ et Ecclesiæ bona et ornamenta diuturna sint, et cum aliis politiis, academiis, et Christi Ecclesiis communia. Bene vale, perpetuum patriæ tuæ ornamentum, et Irenæum optimum scriptorem in familiam fidemque tuam εὐτυχῶς et sereno vultu suscipito. Scripsi Kal. Aprilis MDLXXI.

JACOBI BILLII

De sua priorum 18 (21) Irenæi capitum translatione, suisque in eadem scholiis admonitio.

Etsi veteres Græcorum theologorum interpretes, magna ex parte, dum verbum verbo reddere student, non satis eleganter quod volunt exprimunt, imo etiam plerumque Græca non assequuntur : tamen eos vel hoc uno nomine non prorsus repudiandos et aspernandos esse semper judicavi, quod innumerabiles maculas, quæ typographorum negligentia optimos quosque auctores occuparunt, consultis illis promptissime deleri posse persæpe sum expertus. Qua quidem in sententia, si is quoque fuisset, qui octoginta hæc prima D. Irenæi capita non ita pridem Latinitate donavit, non tam turpiter et flagitiose tot locis lapsus fuisset : idque potius studuisset, ut ex emendatis Latinis depravata Græca, quam ex corruptis Græcis emendata Latina corrigeret. Quod quoniam facere neglexit, ego amico cuidam, ut ea denuo verterem a me postulanti, hanc qualemcunque operam denegare non potui. Brevissima etiam scholia adjeci, ex quibus proclive, ni fallor, erit intelligere, me non temere multa paulo aliter atque apud Epiphanium habentur, interpretari. Vale, Christiane lector, et bis fruere.

FRANCISCI FEUARDENTII

Commonitio ad lectores de sua quinque librorum D. Irenæi editione.

Sanctissimi Patris et martyris Irenæi quinque libros, denuo collatos, emendatos, et locupletatos nova editione, in publicam studiosorum utilitatem emittimus. Quos etsi quidam adhuc subdubitent, Græce ab auctore eleganter, idque ante mille et quadringentos annos, conscriptos, et in rem totius Ecclesiæ catholicæ vulgatos fuisse, non dubitamus tamen id cunctis persuasum iri, qui tot longa egregiaque fragmenta, quæ ex Epiphanio, Eusebio, Theodoreto, et aliis Græce ad verbum ex auctore transcripta et scriptis suis quondam inserta, et a nobis opportunis locis recitata, ac velut postliminio eidem restituta, attentis animis expenderint. Accedit gravissimum D. Hieronymi testimonium [1], qui Græcis librorum inscriptionibus ab auctore editis, et a superioribus Patribus probatis, Ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως βιβλία πέντε, *Reprehensionis ac eversionis falso nominatæ scientiæ libri quinque*, aliisque permotus rationibus eum inter scriptores Græcos annumerat, et Græce scripsisse non ambigit. Accedunt phrasis plane Græca, innumeræ dictiones, formæque loquendi Latinis non usitatæ; Græci auctores tam divini quam humani persæpe ad verbum citati, nunquam vero Latini; ut etiam a Græcis frequenter citetur, raro a Latinis. Testantur denique nonnulli pii et docti viri se Græcum exemplar in Venetiana bibliotheca 9 legisse; alii quoque in Vaticana visum ferunt: quæ tamen ibi postea frustra quæsita sint.

De primo horum librorum interprete nondum satis mihi apparet quid pro certo statuam, cum nullus ad hoc usque tempus illum, quod sciam, indicaverit. Si de re tam ancipite et obscura sententiam ferre licuerit, citra cujusquam animi offensionem lubens affirmem, auctorem et interpretem eumdem esse : qui quod Græce pereleganter et scienter primo scripserit, Latine postea, non pari licet sermonis felicitate et lepore, Latinis, inter quos versabatur, impertiverit. Quidni, cum et Tertullianus eidem fere æqualis Græco Latinoque sermone stylum exercuerit? Athanasius quoque, ac plurimi alii religionis nostræ proceres, utraque lingua non pauca ediderint? Sic enim et horum librorum auctoritas nulla parte vacillabit; sed erit semper augustior et firmior : et quod de seipso ait, quod in barbara lingua (nam sola Græca ei nativa et propria erat) inter Celtas degens, plurimam operam collocaret, apertius evadet. Nec parum sententiam istam confirmant, duo citati per D. Augustinum ex hoc auctore loci, eadem fere, quæ hactenus prodiit, vetustissima certe translatione. Aut profecto presbyterum quemdam ad manum Irenæus habuit, qui ejus jussu de verbo ad verbum coram, Latinæ orationis splendore artificioque neglecto, transtulerit :

[1] Comm. in cap. XXXVI Exech.

Digitized by Google

sint, ut idem de scripto suo testatur, ἁπλῶς, καὶ ἀληθῶς, καὶ ἰδιωτικῶς, id est, simpliciter, et vere, ac vulgari tunc inter Latinos sermone translatos separatim postea communicaverit, et mentem sensaque auctoris fideliter expresserit. Qui firmioribus conjecturis aut testimoniis certioribus productis, alium primumque interpretem indicaverit, nos sibi magno beneficio gratos et devinctos habebit. Atque hæc de sermonis genere, ac interprete dicta sint : nunc quid hac potissimum editione novissima præstitum sit, accipe.

Libri primi decem et octo priora capita ab Epiphanio quondam ad verbum ex Irenæo Græce transcripta ; deinde ex Eusebio fragmenta viginti et duo : ex Theodoreto, quatuordecim ; ex Basilio duo ; ex Melissa totidem ; unum ex Anastasio Nicæno suis locis Græce, prout ab Irenæo primum descripta, hinc ab his Patribus laudata fuerunt, typis evulganda curavimus. Deinde ad finem operis sex alia ex diversis ejusdem Irenæi operibus fragmenta, ex auctore *Quæst. et responsionum ad orthodoxos* apud Justinum martyrem, Eusebio et Demetrio Diacopo collecta Græce subjecimus ; et tam illa, quam is a majori parte a laudatissimo viro Jacobo Billio, reliqua a doctiss. interpretibus Christophorsono, Herveto, Erasmo, Fabro Latine reddita, quam decenti fieri potuit ordine collocavimus. Superiora decem et octo libri primi capita Græca idem Billius scholiis, deinde R. P. Fronto Ducæus, Societatis Jesu tam pius quam doctus theologus, suis notis ad Epiphanii Græca exemplaria contulerunt, emendarunt et illustrarunt. Nos quoque non solum ad illa, sed ad singula librorum capita et adjecta de novo fragmenta adnotationes locupletissimas addidimus, quibus emendationum rationes reddimus, obscuriora et ambigua plurima loca, multasque Græcas, et Latinis minus usitatas phrases explicamus, et quidquid ad Ecclesiæ catholicæ doctrinam, hierarchiam, ritus, fidemque confirmandam, et antiquas novasque hæreses refellendas pertinere deprehendimus ; denique quod expunctum, vel immutatum a nobis est, ne quid injuria sublatum sibi quiritentur aliqui, retinemus et observamus. Accessit quoque editioni, cum Vaticano manuscripto codice nova collatio, cujus, præsertim vero per illustrem ac eruditum D. Joannem Sant-Andreanum Ecclesiæ Parisiensis canonicum, nobis pridem commodati codicis veteris attentiore lectione et meditatione, adhuc supra sexcentos locos emendatiores reddidimus. Addita duabus clausulis, nonnunquam unica, et numero quodam signamus ; variis adhuc quibusdam lectionibus asteriscis in margine notatis. Ad hæc, beatissimi et vere apostolici viri Polycarpi, episcopi Smyrnensis et martyris, quinque non aspernanda fragmenta ante mille et centum annos a Victore Capuano citata, et Latio donata, a nobis vero in vetustissimo codice reperta et transcripta convenienti sede locavimus. Irenæi nostri ex sanctis Patribus collecta encomia ; et recentiorum hæreticorum imposturis, maledictis, et in hunc sanctissimum auctorem nostrum conflictis criminationibus, post auctoris vitam a nobis tam ex scriptis ejus, quam ex aliis scriptis ac historia eccles. fideliter collectam, operis initio præfiximus : sicut ad finem totius operis locupletissimos indices in lectorum commodiorem usum subjungendos curavimus. Denique Leodii, in monasterio S. Jacobi memoriæ sacro, repertum a nobis *Arnobii Catholici cum Serapione Ægyptio Conflictum*, utcumque per nos emendatum et adnotatum, ac nunquam antea typis publicatum, communi studiosorum utilitati judicavimus esse communicandum. Multas, fateor, dictiones et phrases minus Latinas, hiulcas adhuc sententias et periodos, adeoque non paucos adhuc locos in utroque auctore luxatos, imperfectos et obscuros a nobis relictos invenire licebit : tum quod plurium ac emendatiorum codicum auxilio destituti fuimus, tum quod tam veteribus ac sanctis Patribus manum temere inferre religio fuit. Cæterum, hæc solo natali, et quod longe molestius est, musæo ac nostra bibliotheca exacti, solumque nunc ab illis, mox ab istis commodato inter peregrinandum acceptis libris adjuti contexuimus, et in publicam studiosorum utilitatem emittimus ; quæ cum acceperint candidi lectores, et his nostris qualibuscunque laboribus fruiti fuerint, studiis nostris bene favere ; ac præsertim nostram salutem suis precibus apud communem Salvatorem ac judicem nostrum D. Jesum Christum commendare, rogo et obsecro, non recusent.

Ejusdem Antidota adversus probra et impias criminationes, quibus illustrissimam B. Irenæi famam lacerare, auctoritatemque vel imminuere, vel labefactare conantur novissimi hujus temporis hæretici.

Ut vetus ac sempiternum illud odium, quo in omnes sanctos flagrat Satanas plenius effundat, bellumque adversus eos ab initio susceptum vi majore redintegret, novissimis Gnosticis ministris ac satellitibus suis persuadet, in eos præsertim omnibus conviciis maledictisque furere et bacchari, quos maxime noverunt hæreticis opinionibus suis adversari. Nec id sane sine astuto, et fraudibus suis valde apposito consilio. Ut enim solent facinorosi pro sceleribus ad tribunalia pertracti, non solum actores, sed et judices ipsos conflictis criminibus prægravare, ut horum vel imminuant fidem, vel subterfugiant judicia ; sic et isti a veterum Patrum ac doctorum scriptis, testimoniis, æquissimisque decretis adeo timent, ac toti perhorrescunt, ut nihil consultius ac magis e re sua fore putarint, quam idios omni maledictorum genere lacessere, probrisque vexare ac proscindere, ut eos inperitis, a sequæ prius seductis turbis aspernandos relinquant et respuendos. Horum sannas et convicia multis locis retulimus. Verum, parum prosunt auctoribus hæ fraudes atque fallaciæ, quando his artibus et causam suam pris omnibus suspectam invisamque duntaxat reddunt ; et filii perditionis, bellum cum sanctis gesturi, et eos qui habitant in cœlo blasphematuri, se prodromos castrorumque metatores esse palam ostendunt. His denique accidit quod furiosis et amentibus illis, qui in cœlos jaculantur vel conspuunt, contingere solet. Tantum abest enim ut eos vel lædant, vel commaculent, ut e contrario ipsi propriis in eos recidentibus jaculis conficiantur, ac sputis inquinentur : sic et isti maledictis suis sanctos Dei servos nihil lædunt, pios autem e contrario omnes ad eorum celebrandas laudes prædicandasque virtutes magis accendunt. Conjectas ergo ab hæreticis in beatissimum Ecclesiæ doctorem et fortissimum Christi martyrem Irenæum contumelias et vituperationes depulsuri, a Calvinianis ducemus exordium.

Calvinianorum maledicta.

Hi non vulgari libro, sed quem fidei suæ *Clypeum* appellaverunt, et Gallico idiomate jam sexies typis publicaverunt, hæc ad verbum Latina facta de B. Irenæo asseverare non verentur : *Nunquam sacras perlegit Scripturas ; nec Symbolum apostolorum intellexit. Multa protulit in Christum pestifera, nefaria, et ab omnibus rejicienda. Multa temere commutavit, et a vera apostolicaque doctrina deflexit*[a] ;

[a] Dial. 8.

Digitized by Google

quibus paucis, sed impudentissimis verbis quinque ei pro crimine objiciunt, quorum nec unicum probant, nec unquam probare poterunt. Nos contra, etiam universos Calvinianæ scholæ ministros ac professores, quibus aliquid adhuc sanæ mentis superest, ad lectionem Irenæi provocantes, audemus ab eis rectam adversus hanc comministri sui improbitatem et mendacium animadversionem exspectare. Tam enim dense appositeque utriusque testamenti sacris Scripturis, quatuor præsertim postremis libris, hæreses refellit, et dogmata Christiana comprobat, ut nemini veterum doctorum hac in re cedat, plerosque exsuperet; palam ostendens se omni studio et attentione etiam ab infantia easdem perlegisse, expendisse, atque didicisse.

Quod de Symbolo apostolorum garril Calvinianus minister, certe hominis est amentissimi, quique nihil unquam in Irenæi libris attente perlegerit. Ille namque ad finem primi cap. lib. I Symbolum istud appellat *regulam veritatis immobilem, per baptismum acceptam* : eo quod (ut est Clementis et aliorum veterum sententia [4]) catechumenis illud in primis discendum et profitendum traderetur, ut suo loco demonstravimus. Hoc ipsum ejusdem libri c. 2 integrum refert, et cunctis hæresibus fidenter opponit, velut fidei Christianæ summam ab apostolis universæ per orbem Ecclesiæ traditam. Ejusdem rursum lib. cap. 19 illud *Regulam veritatis* iterum vocat : quod Tertullianus, Augustinus, Chrysostomus ab illo didicerunt, et scriptis suis inseruerunt. Et non intellexisset? Isthæc fidei rudimenta tantus doctor et antistes animo et cogitatione non comprehendisset? Apagete tantam amentiam et insaniam.

Sed quæ sunt illa *et multa, et pestifera, et nefaria, et ab omnibus rejicienda, quæ in Christum protulit*, pro cujus nomine et gloria tam sancte constanterque vitam istam posuit? Vel unum saltem, ex tam multis, Calvinianus minister prodere debuit. Christum certe Irenæus ubique prædicat verum Deum et hominem esse, hujus mundi redemptorem et judicem, et cuncta quæ de illo veteres annuntiaverunt prophetæ, toto orbe prædicaverunt apostoli, scripserunt evangelistæ, et hactenus credidit Ecclesia catholica. Num hæc pestifera et Calvinianis nefaria? Num ab omnibus rejicienda, ut cum Sylvano, Neusero, aliisque non paucis hujus sectæ ministris, impietatibus Mahometicis initientur? Absit tantum scelus, vel sola commemoratione horrendum atque detestabile.

Adjicit quarto loco, Irenæum *multa temere commutasse*. Dic quibus in locis, quibus in dogmatis apostolici capitibus;

Et eris mihi magnus Apollo.

Hæc commutatio penitus siletur, vox de locis nulla mittitur, muta est de rebus accusatio, capita doctrinæ mutatæ non attinguntur : quoniam reapse nulla fuerunt. Impia igitur est criminatio, vel ipso hujus sectæ auctore Calvino testante [5], nihil per quadringentos annos in doctrina apostolica per omnes Ecclesias immutatum fuisse : sed eam unanimi Patrum consensu sinceram integramque servatam usque ad Augustini tempora, qui plus trecentis annis B. Irenæo fuit posterior.

Scribit postremo loco molestus accusator, hunc virum apostolicum *a vera apostolicaque doctrina turpissime deflexisse*. Si accusasse sufficit, quis innocens? Deflexerunt ab illa Simon, Nicolaus, Ebion, plurimique alii : sed mox a Patribus carbone notati, palamque reprehensi, damnati, sacrisque Christianis ideo summoti sunt. De B. Irenæo autem quis vel per somnium quid unquam hujusmodi cogitavit? quis in hæreticorum aut fidei desertorum numerum retulit? Quis priscorum scriptorum, hanc ei turpissimam maculam, præter hunc furiosum ac sordidum Calvinianæ maledicentiæ ministrum, inussit? Sed *hoc ultimum est*, inquit Hieronymus, *hæreticorum præsidium, ut, cum causam suam conspiciant damnatum iri, incipiant virus serpentinæ linguæ diffundere; et cum se victos cernunt, ad contumelias prosiliré.*

Lutheranorum criminationes.

Calvinianis succenturiantur Lutherani rhapsodi Magdeburgenses, sed eo magis veteratorie, quo suas calumnias quibusdam Irenæi verbis incrustare ac operire nituntur : ac velut ex insidiis compositæ orationis erumpentes, in sanctissimi viri jugulum multis modis invadunt. Ac primo quidem universum ejusdem cum illo temporis sanctorum Patrum chorum, quantum in ipsis est, lacerantes et conficientes, aiunt : *Etiamsi hæc ætas apostolis admodum vicina fuit, tamen doctrina Christi et apostolorum non parum obfuscari cœpit. Multæ enim monstrosæ et incommodæ opiniones passim a doctoribus sparsæ reperiuntur* [6]. Nimirum, quæ fanaticis hæresibus vestris adversantur, utpote quæ subjicitis de libero arbitrio, eucharistiæ sacrificio, Ecclesiæ Romanæ primatu, sanctorum invocatione, ac consimilibus multis pietatis Christianæ capitibus, quæ penitus convulsa esse cupitis. Dein, ut solus apostata Lutherus cum suo nocturno præceptore Satana, de quo toties gloriatur, doctrinam Christi et apostolorum recte intellexerit, prædicaverit, orbique novus evangelista tradiderit : ac sic omnium, quantumvis antiquorum, sanctorum et probatorum doctorum scriptis longum valere jussis, hujus ævi impurissimorum apostatarum insulsi perniciosique libelli terantur, atque priscorum temporum hæreses universæ instaurentur.

Hinc eum accusant, *quod de Spiritu sancto rarius loquitur* [7]. Loquitur tamen aliquoties, et secundum Christi et apostolorum doctrinam de illo loquitur, ut tacito consensu confitemini; quod piis omnibus satis esse debet, ut a vestris hac in re maledictis liberetur. Loquitur, inquam, adeo recte pieque de Spiritus sancti divinitate [8], ut Basilius Magnus ante mille et ducentos annos illius sententiis eam adversus hostes studiose libenterque comprobaverit, ut suis locis indicamus. Loquitur iterum, et sæpius, quando plus decem capitibus, illum ex divinis operibus velut creationis, justificationis et salutis nostræ Deum verum ac omnipotentem esse demonstrat, ut passim, præsertim autem in caput 9 tertii libri signavimus. Sed fingamus vobiscum, quod de eo rarius locutus sit. Quid tum inde? Rarius etiam loquitur de æterna hominum electione, prædestinatione, reprobatione : ergo in his erravit? Rarius de angelorum tam bonorum quam malorum creatione, ordinibus, lapsu, et officiis loquitur : ergo propterea carpendus et vellicandus est? Rarius de baptismo, forma, materia, ac effectibus ejus loquitur : ergo propterea inter reos delerendus? Quis non videt ineptissimas simul et nequissimas esse hujusmodi vestras consecutiones?

Sed *in Irenæo solo mirari hoc possis*, aiunt isti, *quod Spiritum sanctum nusquam quidem expresse videtur vocare Deum* [9]. Demus ita esse. Nec id quoque tam expresse singulariterque faciunt Moyses, David, Isaias, aliique prophetæ; nec Paulus in plerisque epistolis; nec evangelistæ, aliive apostoli; quin Macedonium æternam ejus divinitatem abnegaverint. Ergo et illi, et cum illis Irenæus silentio suo in Spiritum sanctum peccaverunt, aut ejus oppugnatoribus ansam præbuerunt? Absit! Satis enim sunt sanctis illis hominibus, communem tribus personis Dei appellatione Spiritum sanctum Deum toties vocare et significare, quoties indeterminate illius meminerunt : nondum præsertim in orbem exortis,

[4] Lib. VII Const., cap. 41; Ruff. in Sym.; Hieron., Epist. ad Pammac.; Ambr.; Aug. [5] Lib. I Instit., cap. 11, et lib. IV, cap. 2. [6] Cent. 2, col. 55 [7] Cent. 2, col. 227. [8] Lib. V, c. 8 et 9. [9] Cent. 2, col. 40.

Digitized by Google

qui postea personalem ejus divinamque majestatem in quæstionem adduxerunt. Verum, nec facile concesserim eis quod criminantur : quandoquidem ipso statim libri primi capite secundo scribens Irenæus, Ecclesiam catholicam ab apostolis accepisse eam fidem, quæ est in unum Deum, Patrem nimirum omnipotentem; et in unum Jesum Christum Filium ejus; et in Spiritum sanctum, qui locutus est per prophetas : Dei nomine æque Spiritum, ac Patrem et Filium comprehendit, appellat, profitetur. Deinde, cuncta Dei opera eidem, ut diximus, tribuens, cumprimis autem incarnationis Verbi divinissimum mysterium : satis dilucide et constanter illum Deum esse agnoscit et prædicat.

Inde criminis loco ponunt Irenæo : *Ita obscure, et perplexe non raro vocabulo Verbi, seu* τοῦ Λόγου, *utitur, ut videatur non perspicue inter Verbum substantiale, et verbum vocale seu oris distinguere* [10]. Vobis videtur, quos excæcavit malitia, et maledicendi rabies egit in præceps. Puris autem animis contra, videtur Gnosticos nominatim coarguere, quod τοῦ λόγου, id est, humanioris sermonis ac verbi internam conceptionem, quam suffocationem appellat, successivamque prolationem, evanescentiam, aliasque plurimas imperfectiones, τῷ Λόγῳ, id est Dei Verbo tribuerent : quod cum sit Deus simplex, incompositus, et omnium accidentium expers, totus est mens, totus Logos, hoc idem cogitans quod loquitur, et loquens quod cogitat. Concludit autem : *Vos generationem* (Verbi divini) *divinantes, et verbi hominum per linguam factam prolationem transferentes in Verbum Dei, juste delegimini quod neque humana, neque divina noveritis.* Et paulo post, quærentibus : *Quomodo Filius prolatus est a Patre?* sapienter respondet : **11**. *Generationem ejus inenarrabilem exsistentem nemo novit, non Valentinus, non Marcion, non angeli, non archangeli, nisi solus qui generavit Pater, et qui natus est Filius* [11]. Annon his satis explicate distributeque Verbum, quod Deus est, et substantiale per se subsistit, a verbo oris humani prodeunte, statimque in auras evanescente distinguit? Accedit, quod non raro profitetur Verbum quod Deus est, non esse creatum vel factum; sed semper Deo Patri coexstitisse, ac cum eo cuncta condidisse : quibus Verbum substantiale, divinum, ac permanens, satis a fluxo caducoque verbo nostro secernit [12].

Jam ad parentem suum, id est spiritum blasphemiæ accedentes, aiunt : *Irenæus sentit diabolum tum demum cœpisse labi, cum hominem seduxit. Sic enim sentire videtur lib.* IV, *c.* 78 [13]. Imo vero ex ipsiusmet Irenæi verbis patet, vos vere διαβόλους, id est calumniatores pravosque delatores esse. Non enim ait, *tam demum cœpisse labi, cum hominem seduxit*, ut vos falso confingitis : sed *ex tunc apostatam et inimicum factum, ex quo zelavit plasma Dei.* Zelavit porro et invidit hominis a Deo plasmati et conditi felicitati priusquam eum aggrederetur, et in ruinam eum suasionibus suis præcipitaret. Igitur, Irenæi sententia, diabolus a Deo defecerat, et nequam, damnatusque spiritus erat, antequam in hominem invadens, eum per feminam seduceret.

At ille sensit, *tum etiam primum maledictum et abjectum esse, cum scilicet post hominis lapsum diceret Deus : Semen mulieris conteret caput tuum.* Item : *Maledictus eris*, etc. *Sic enim sentire videtur lib.* IV, *cap.* 78 [14]. Nec ista sensit aut docuit unquam Irenæus, ut comminiscimini : sed voluit duntaxat, fraudes, scelera, consilia, ac proinde maledictionem damnationemque diaboli tum primum nobis verbo Dei manifestari, cum refertur a Deo maledictus et proscriptus. Nihil enim de his ante hominis lapsum a Moyse patefactum aut relatum fuerat. Quod adeo verum et certum est, ut et ipsi hæresiarchæ Com. in Genesim, et alii passim in suis locis communibus ultro fateantur.

Subjiciunt illico : *Tale quiddam est, quod idem Irenæus lib.* V, *ex traditione Justini* (*quod et Eusebius lib.* IV, *c.* 18, *indicat*) *sentit, diabolum ante Christi adventum, non fuisse ausum blasphemare Deum, quia nondum sciverit damnationem suam.* Id non modo Justinus ac Irenæus, fortissimi duo martyres, sed et Clemens, et Origenes, et Epiphanius, multoque plures illustrissimi et antiquissimi scriptores ecclesiastici senserunt et docuerunt, ut in lib. V, c. 26, consignavimus : quorum sententiam cum nondum (quod nunc meminerim) damnaverit Ecclesia catholica, nec nos damnare debemus. Multa enim judicia divina dæmones latuerunt, destinataque sibi in inferorum locis æterna supplicia supra quam dici potest semper horruerunt, ut indicant isti eorum clamores : *Quid venisti ante tempus torquere nos? Si ejicis nos, mitte nos in porcos* [15]. *Rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent* [16]. Et Petrus aperte dicit *dæmones reservari cruciandos.* Quis tam abdita judicia perfecte penetravit? Denique, plurima inter viros doctos adhuc inquiri, et varie disputari possunt de cacodæmonum peccatis, lapsu, scientia, ignorantia, et suppliciis : quæ cum ad fidei catholicæ jam definita capita non pertineant, damnari non debent qui aliter et aliter antea senserint.

Accusationes sic persequuntur : *Irenæus non sine errore dixit, lib.* IV, *cap.* 73, *hominem non esse conditum a Deo perfectum.* Et postea : *De homine videtur sentire, quasi non sit perfectus a Deo conditus* [17]. Perfectionem omnem essentialem, quæ in corporis et animæ rationalis unitione consistit, hominem a Deo initio habuisse Irenæus constanter prædicat : accidentariam vero tam vere pernegat, ut impium sit aliter sentire vel dicere. Probat enim, apertis Scripturis, exemplis, et rationibus, non solum hominem, sed et omnem creaturam, cum per infinitum distet a Creatore, plurimis et maximis imperfectionibus etiam ab initio circumdatam et implicitam esse. Et ut de homine solo dicamus, ex vilissimo terræ limo conditus est, potens tentari, vinci, peccare, mori, damnari : quæ procul dubio maximæ sunt imperfectiones. Nec ista pugnant (ut fingitis) cum his creationis verbis : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* [18] : quoniam hæc de naturalibus et gratuitis bonis dicta sunt, quibus homo in justitia, innocentia, omnium rerum scientia conditus abundavit : non ipsius vitæ animalis imperfectiones, aut animi ad bonum et malum libertatem et flexibilem sortem tollunt, in qua constitutus fuit. Non errat ergo B. Irenæus cum hoc sentit : sed vos per sceleratam maledicendi rabiem in tetris erroribus versamini, quando hæc et consimilia in sanctis Ecclesiæ Patribus in consistoriis vestris roditis, in libellis vellicatis, ubique carpitis, ut soli recte sapere videamini.

Aiunt rursum : *Irenæus sensit hominem non esse conditum ad imaginem Dei* [19]. Magnum et impudens est mendacium, quando quidem scribat : *Non effugit Adam manus Dei, ad quas Pater loquens dicit : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Et iterum : *Et propter hoc in fine, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex beneplacito Patris, manus ejus vivum perfecerunt hominem, ut fiat Adam secundum imaginem et similitudinem Dei.* Et paulo post : *Christus restauravit suo plasmati, quod dictum est : In principio factum hominem secundum imagitem et similitudinem Dei* [20].

[10] Cent. 2, col. 227. [11] Lib. II, c. 47, 48, 49. [12] Lib. I, c. 19; lib. II, c. 43; lib. III, c. 6 et 9; lib. IV, c. 17. [13] Cent. 2, col. 56. [14] Cent. 2, col. 56. [15] Matth. VIII, 29, 31. [16] Luc. VIII, 31. [17] Cent. 2, col. 56 et 227. [18] Gen. I, 31. [19] Col. 57. [20] Lib. V, c. 1, 2 et 6.

Digitized by Google

Tantum itaque docet alibi noster Irenæus, imaginem Dei peccato plurimum turpificatam et deformatam fuisse, gratia vero Christi reformatam; quod dogma plane apostolicum est.

Pergunt insanire et calumniari dicentes: *De imagine Dei admodum periculose Irenæus loquitur, cum affirmat in lib.* v, *illud dictum : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, pertinuisse ad Christum, qui certo tempore homo fieri, illamque imaginem repræsentare debuerit*[21]. Et ne satis esset semel criminatos esse, rursum aiunt : *De homine videtur sentire, quod sententia de eo faciendo ad imaginem Dei, Christum significarit.* Ecquis hominum Christianorum nescit omnium potissimam et pulcherrimam imaginis Dei rationem in homine Christo relucere? Et propterea a Paulo per antonomasiam appellari, imaginem Dei invisibilis[22]? Item, splendorem gloriæ, et characterem seu expressam imaginem substantiæ ejus[23]? Item, Christum esse imaginem, hominem vero imaginem Christi[24]? Vult itaque vir apostolicus, hanc Dei ac Christi Filii ejus perfectam imaginem, per adventus Christi beneficia longe splendidiorem et illustriorem in nobis factam esse : omnium vero illustrissimam fore quando eidem similes erimus in gloria[25]: quando item revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformabimur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu[26]. Hoc ipsum manifestant ista de Christo ejus verba : *Conformat nos, et coaptat ad vitam, et adest plasmati suo, et perficit illud secundum imaginem et similitudinem Dei*[27], etc.

Et proficientes in pejus adjiciunt : *Fanaticum quiddam edit, quod asserit lib.* IV, *c.* 30, *Enoch hominem placentem Deo, legatione Dei ad angelos functum esse*[28]. Imo vos, homines cæci ac furentes, qui non attenditis illum Septuaginta secutum, angelos appellasse filios Seth, ad quos amandatus Enoch, conciones habuit de futuro judicio, et pœnis reprobrorum; ut eos a Cainitarum consortio, perfidia, sceleribus, quibus paulatim assuescebant et depravabantur, ad Dei timorem et cultum revocaret. Concionum ejus illustrissimam plane et gravissimam partem epistolæ suæ inseruit beatus Judas apostolus : quam nos Commentariis exposuimus, simulque ita sensisse Pastorem, Clementem, Tertullianum, Origenem, aliosque veteres ostendimus.

Progrediuntur ulterius dicentes : *Eodem spectat quod affirmat lib.* IV, *c.* 70, *homines temporibus Noah, Deo fructificare non potuisse : ideo quod angeli transgressores essent iis commisti*[29]. Quid autem hoc certius atque verius? Annon cum multiplici et gravissima emphasi de illis temporibus in Genesi dicitur, et identidem refertur multam fuisse hominum malitiam super terram; cunctam cogitationem humani cordis intentam fuisse ad malum; omnem carnem corrupisse viam suam; terram repletam fuisse iniquitate[30]? Ecquis ambigere potest, tot tantaque flagitia transgressorum angelorum tentationibus et suasionibus commissa fuisse? *Sed diabolus*, inquiunt, *est hostis perpetuus hominum, semper excubans, ac circumiens ut leo rugiens, et insidias generi humano moliens.* Istud porro quis negat? Non profecto Irenæus, qui ejus astu primos parentes deceptos æque constanter prædicat; ac eumdem sub mundi finem Antichristo, et ministris ac satellitibus ejus adversus Ecclesiam catholicam omni ope adfuturum scribit[31].

Insectantur illum, *quod* suo judicio, *non distincte de potestate humanarum virium ratiocinatur : et in eam sententiam multa prophetarum, Christi, et Pauli dicta detorquet, quemadmodum in toto cap.* 72, *lib.* IV, *videre est.* Non solum ibi, sed et c. 9, 29, 71, et alibi passim firmissimis Scripturarum testimoniis evincit, hominem libero arbitrio communitum esse, et ab omni coactione sic exemptum, 12 ut non credat, non speret, non diligat Deum vel proximum nisi velit; non blasphemet, non a fide deficiat, non occidat, non mœchetur, non furetur, nisi velit; idque sanctissime comprobat adversus Simonianos et Marcionitas, postea in Manichæis et Priscillianistis, denique in vobis Lutheranis, Calvinianis, et Libertinis hoc sæculo renascentes. Ad hæc, huic humanæ liberæ voluntati tam necessarium esse divinæ gratiæ præsidium et auxilium contra futuros Pelagianos asseverat, quam terræ solis calor, ac cœlestis pluvia ut fructus suos edat[32] : quandoquidem sine ea nihil boni possimus facere, nec quidem efficaciter cogitare ac velle[33]. Dei cooperatores sumus[34]. Non est hæc sufficiens distributaque ratiocinatio?

Iniquo valde animo ferunt, *quod non tantum in operibus, sed etiam in fide, liberum, et suæ potestatis arbitrium homini a Domino servatum dicat*[35]. Sed hoc ipsum probat ex his Filii Dei ad apostolos verbis : *Nunquid et vos vultis abire*[36]? nimirum cum incredulis Capernaitis, et quibusdam apostatis ab eo deficientibus : palam ostendens, credere, vel non credere, liberrimum esse. Deinde, confirmat et his ejusdem ad alios verbis : *Secundum fidem tuam fiat tibi*[37] : *Fides tua te salvam fecit*[38] : *Magna est fides tua*[39] : quibus docemur fidem et nostram esse, propter liberum voluntatis consensum; et nihilominus præclarum donum Dei, eam per Spiritum suum mentibus nostris offerentis, largientis et confirmantis. Isthæc duntaxat ex Augustino nunc adjicio : *Intrare ecclesiam quisquam potest nolens; accedere potest ad altare nolens; accipere sacramenta potest nolens : credere non potest, nisi volens.* Cætera capitibus signatis observavimus.

Indignantur etiam plurimum, quod ait : *Prophetæ et apostoli hortabantur homines justitiam agere, bonum quoque operari, quia in nobis hoc sit.* Situm est plane, præveniente et cooperante divina gratia, sicut Paulus de se ipso asseverat : *Omnia possum in eo qui me confortat*[40]. *Plus omnibus laboravi. Non ego*, nimirum solus, *sed gratia Dei mecum*[41]. Et alibi bona opera sua enumerans, ait : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi*[42], etc. Ad alios vero ait : *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*[43]. *Bonum facientes, non deficiamus*[44], etc. Profecto enim erraverunt prophetæ dicentes : *Discite benefacere, subvenite oppresso, liberate viduam*[45], etc., erraverunt et angeli inquientes : *Bona est oratio cum eleemosyna. Confitemini Deo cœli*[46], etc., erravit etiam Christus, præcipiens : *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*[47], etc., erravit denique Deus benedictus in sæcula, tanta auctoritate et gravitate jubens : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*[48], etc. *Honora patrem tuum et matrem*[49], etc., si per errorem lapsus est Irenæus scribens, prophetas et apostolos ad justitiam et bona opera hortatos, quod id in nobis situm sit.

Fastidiosa rursum stomachantur, *eo quod ait*, inquiunt, *lib.* IV, c. 30 : *Patres ante legem promulgatam justos fuisse lege naturæ.* Primo egregie imponunt sanctissimo Patri. Non enim ait *eos fuisse*

[21] Col. 57. [22] Colos. I, 15. [23] Hebr. I, 3. [24] II Cor. IV; Rom. VII. [25] I Joan. III. [26] II Cor. III. [27] Lib. V, c. 16. [28] Col. 56; Genes. VI. [29] Col. 56. [30] Genes. VI, VII. [31] Lib. III et V. [32] Joan. XV. 9. [33] II Cor. III, 5. [34] I Cor. III, 9. [35] Col. 58 et 59. [36] Joan. VI, 68. [37] Matth. IX, 29. [38] Matth. IX, 22; Marc. V, 34; Luc. VII, 50, etc. [39] Matth. XV, 28. [40] Phil. IV, 13. [41] I Cor. XV, 10. [42] II Tim. IV, 7. [43] Gal. VI, 10 [44] II Thess. III, 13. [45] Isa. I, 17. [46] Psal. CXXXV, 26. [47] Matth. VI, 1. [48] Deut. VI, 5; Matth. XXII, 37; Marc. XII, 31; Luc. X, 27. [49] Exod. XX, 12; Deut. V, 16; Matth. XV, 4; Marc. VII, 10; Luc. XVIII, 20.

Digitized by Google

justos lege naturæ ; sed justos virtute Decalogi, conscriptam habentes legem in cordibus suis, diligentes Deum qui fecit eos, et abstinentes erga proximum ab injustitia. Quibus docet, illos fide gratiaque divina instructos Dei mandata servasse, istaque obedientia magis magisque justos effectos, secundum illa Spiritus oracula : *Justus justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc* [49]. *Non cesses in æternum justificari* [50]. *Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ* [51]. *Habenti dabitur, et abundabit* [52], etc. Secundo, admittamus Centuriatoribus Irenæum dixisse, patres sanctificatos lege naturæ. Quid tum incommodi absurdive consequetur? Nonne eo loco expressi verbi divini auctoritate probat Enoch ante legem Mosaicam placuisse Deo? Noe fuisse virum justum atque perfectum? Abraham amicum Dei appellatum? Isaac, Jacob, Joseph, Job, Deo viventi charissimos servos? Evangelio quoque Abelis justitiam commendari? Sed sola fide, responsabunt viri improbi ac molesti, justi fuerunt : non observatione legis naturæ. At solius fidei justitiam nunquam probare poterunt expresso verbo Dei : nos autem solam fidem mortuam et inefficacem esse ad justitiam comprobamus. Deinde, veterum testimoniis evincimus, solius fidei constitutionem, crassissimum fuisse Simonis Magi, Valentinianorum, Eunomianorum, imo et pseudoapostolorum errorem, a Petro, Joanne et Jacobo data opera in epistolis suis damnatum. Postremo legis naturæ observationi semper Dei omnipotentis gratiam prævenientem, comitantem, cooperantem, et opera bona coronantem, tam Irenæus, quam reliqui deinceps adjunctam volunt theologi [53] : sicque nihil habent, de quo juste conquerantur viri morosi.

At, ne semper mentiri videantur, aliquid tandem verum, nec tamen omnino sine manifesta impostura subnectunt : *Christum ait baptizatum quidem esse anno trigesimo, docuisse vero quadragesimo, et passum esse quinquagesimo.* Siquant enim lib. II, cap. 34, in quo nihil hujusmodi prorsus habetur. Cap. porro 39 ejusdem libri ait quidem Irenæus, Christum ætatem magistri, id est quadragesimum annum habentem docuisse : quod ibi et proximo capite quibusdam conjecturis stabilire nititur. Sed hoc sanctissimo Patri excidit, eo disputationis fervore, quo Gnosticos, unum tantum prædicationis annum eidem Christi concedentes refellens, in contrariam sententiam longius abreptus est : quod doctissimis et prudentissimis etiam viris non raro contingere solere ostendunt Augustini quoque et Chrysostomi nonnullæ sententiæ. Mitto enim opinionem ejus, qui putat istud Irenæi libris superadditum fuisse, quoniam et codices omnes consentiunt; et dicendi character, cum sequentibus adjectis probationibus, id eum ita sensisse palam ostendunt.

Fremunt porro, ac extra se rapiuntur, quod de oblatione corporis et sanguinis Christi in eucharistia sic proprie et diserte loquitur, veluti adversus eorum hæreses sibi tum fuisset confligendum. *De oblatione,* inquiunt, *et Irenæus lib.* IV, *cap.* 32 (*si tamen locus frande ac mendo vacat*) *satis videtur loqui incommode, cum ait : Novi testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo. Sed Irenæus sese in sequentibus, ac præcipue cap.* 34, *copiose declarat, quod nequaquam intelligat oblationem consecrati panis, sed adhuc consecrandi in usum cœnæ Domini, et alioquin in usum sacerdotum et pauperum* [53*]. Hæc illi : in quibus cumprimis per summam fraudem et malitiam fingunt locum corruptum esse, ut tantæ auctoritatis pondus elevent, ac suspectum reddant. At vero, omnes tam manuscripti, quam editi, etiam ab hæreticis Lausanæ et Basileæ magna diligentia recogniti, codices sic habent : nulla ergo in hoc loco fraus est, nullum mendacium; sed germanus sincerusque B. Irenæi contextus. Attende et alteram istorum ludificationem et calumniam. *Non intelligit oblationem consecrati panis,* inquiunt, *sed consecrandi in usum,* etc. Et unde hoc efficitis? Nihil enim tale apud Irenæum habetur : sed a vobis vafre et impie configitur. Deinde, si de consecrandi in usum cœnæ sacerdotum et pauperum intelligit, profecto in beatissimum martyrem injuriosi et contumeliosi estis, dicentes eum *de hac oblatione incommode loqui.* Rursus, si de pane in usum sacerdotum et pauperum oblato loquitur, quomodo novam novi testamenti oblationem vocaret illam, quæ in veteri tam vulgata et communis præcesserat? Quomodo etiam diceret illam offerri Deo, si pauperibus porrigebatur? Sic ex omni parte mentitur iniquitas sibi, et doli fraudesque in cervices auctorum suorum revolvuntur.

Vere autem de incruento corporis et sanguinis Christi in eucharistia sacrificio loquitur illic Irenæus, quod Judaicis cunctis oblationibus, ut multis prophetarum testimoniis ibidem ostendit, proprie successit : et a Christo novi testamenti auctore apostolis commendatum, ab his per universum orbem prædicatum, oblatum et traditum est, ut copiosius illic observamus et probamus. Quod autem de pane jam consecrato, non adhuc consecrando loquatur, pro certo manifestant hæc illius verba : *Christus eum, qui ex natura panis est, accepit, et gratias egit dicens : Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo* [54], etc. Ecce oblationem Deo factam, non pauperibus; novo testamento specialem, non utrique communem, ab Ecclesia, id est, sacerdotibus et pastoribus Ecclesiarum oblatam, non a cunctis promiscue, velut porriguntur eleemosynæ; et oblationem corporis Christi et sanguinis, non cruentam, qualis facta est in cruce : ergo incruentam, et sub speciebus panis et vini jam Christi omnipotentis Dei verbis consecrati : quæ omnia hæreticorum nugas et putidas cavillationes solide refellunt et damnant.

Quoniam vero imperitis fucum facere nituntur, dicentes Irenæum se in sequentibus, ac præcipue cap. 34, copiose declarare, et hunc malitiosum dolum retegamus. Ipso capitis 34 initio scribit : *Igitur Ecclesiæ oblatio, quam* **13** *Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, et acceptum est ei,* etc. An non hoc aperte sacrificium eucharistiæ confirmat, et hostes illius coarguit? Subjicit illico : *In omni simplicitate et innocentia Dominus volens nos offerre, prædicavit dicens : Cum offers munus tuum ad altare,* etc. Quid ad hæc, sacrilega et plane Turcica per Calvinianos, Anabaptistas, Lutheranos et novos Arianos passim facta sacrorum altarium demolitio? Sed ad Irenæum : *Oportet nos,* inquit ibidem, *oblationem Deo facere, et in omnibus gratos inveniri fabricatori Deo. Hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura ejus.* Denique concludit : *Nos quoque Verbum offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione.* Hæc sane egregia et clara Irenæi interpretatio, catholicam de sacrificio incruento doctrinam aperte roborat, non infirmat : hæreses autem huic contrarias omnino confutat et reprobat. Cætera videat lector locis suis.

Nec minus frendent iidem Centuriatores adver-

[49] Apoc. XXII, 11. [50] Eccli. XVIII, 22. [51] II Cor. IX, 10. [52] Matth. XXV, 29. [53] Irenæus lib. I; August. lib. de Fide et operibus. [53*] Col. 63. [54] Lib. IV, c. 32.

Digitized by Google

sus Irenenm [55] quod invocationem sanctorum asserat, dicens : *Virginis Evæ Virginem Mariam factam esse advocatam* [56]. Sed si reipsa Mater Dei facta est, quo in rebus creatis nihil præstantius aut excellentius fingi potest; cur non pro peccatoribus apud illum patrona, quod longe minus est? Annon intercedens pro convivantium in nuptiis penuria, illico edito ad ejus intercessionem miraculo exaudita est? Si judicum mundi auctoritatem apostolis, et consimilibus sæculi contemptoribus Christus repromisit; annon advocatæ patrocinium matri suæ concessit? Quod si præcellentes mediatorum, salvatorum, fratrum et amicorum tituli, hique nec vani nec inefficaces, quibusdam sanctis a Deo communicati fuerunt, ut ex sacris litteris pervium est : nefas profecto credendum, ut nec advocatæ nomen remque proprie matri suæ reliquerit. De hoc copiosius adnotationibus in eum Irenæi locum egimus.

Rumpuntur rursum audientes sum Romanam Ecclesiam cunctis aliis ut matrem dignitate et auctoritate præferre. *Novitatem quamdam illud resipere quibusdam videri posset*, aiunt illi, *quod in exemplaribus Irenæi, qualia nunc habemus, exstat lib.* III, *cap.* 3 [57]. Ad hanc Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles : in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab apostolis traditio. *Sed hæc sententia tantum de consensu in doctrina ab apostolis tradita loquitur, sicut ex contextu Irenæi manifestum est.* Audis novam rursum fraudem et malitiam, qua sancti viri cuncta exemplaria in suspicionem et contemptum adducere conantur : quasi non et similia de libris utriusque Testamenti non dixerint et sparserint Marcionitæ, Manichæi, aliique veteres hæretici, ut omnem eis fidem detraberent. Verum, si tantum de consensu in doctrina ab apostolis tradita loquatur Irenæus, cur id novitatem appellatis? cur propterea exemplarium auctoritatem elevare nitimini? cur denique ab hoc consensu doctrinæ illius receditis? Aut recedentes, minime vos esse de numero fidelium non agnoscitis? Sed verba illa *propter potentiorem principalitatem*, manifestissime demonstrant, non de solo doctrinæ consensu loqui Irenæum, verum etiam de præcellenti quadam auctoritate et jurisdictione, quam in reliquas totius universi recepit Ecclesias, ut nos ibidem multis probavimus.

Reprehendunt etiam illum, *quod lib.* II, *c.* 64, *scribat unamquamque gentem dignam habitationem percipere ante judicium* [58]. Porro si neque cœlis, neque inferis suscipiuntur animæ hinc emigrantes ante judicium, aut profecto tertius ac medius locus est quo admittantur, a quo tamen magnopere abhorretis : aut certe interea nullibi sunt, atque sic neque sunt, quod atheismum plane resipit. Superest ergo Irenæum vere ac pie dixisse hinc commigrantes spiritus ante judicium habitationibus congruis recipi : quod etiam manifeste et solide probat ex Lazari et divitis spiritibus, quorum unus cum Abraham loco consolatorio potitur, alter in inferno est cum tormentis [59]. Cum rursus animæ latronis promisit Christus : *Hodie mecum eris in paradiso* [60]; moriens proprium spiritum in manus Patris commendaverit; Stephani denique animæ e corpore recedenti cœlos aperuerit, non est dubium piorum animas ante judicium dignam percipere habitationem. Contra vero, quando constat Dathan, Core, Abiron descendisse in inferos, similesque sceleratos regnum Dei non possidere : nemo ambigere potest illos abripi in gehennam, etc.

De mille annis post resurrectionem corporum, in qua sententia Papiam et Justinum martyrem secutus est, satis copiose dicimus ad finem libri quinti.

JOANNIS ERNESTI GRABE

PROLEGOMENA

De vita et scriptis Irenæi, ipsorumque variis editionibus, et novissimæ hujus ratione ac consilio.

SECTIO I.

De tempore nativitatis et obitus Irenæi, necnon genere mortis ejus.

§ 1. Omnia quæ ad vitam et scripta Irenæi pertinent, adeo erudite et prolixe exposuit clarissimus dominus Henricus Dodwellus, Dissert. III, IV, V et VI in Irenæum, ut vix quidquam sit, quod addi queat. Atqui cum Dissertationum illarum usus omnibus eruditis, hic in Anglia præsertim, sit in promptu, nullis fere opus fuisset hanc in rem verbis, nisi de quibusdam dubium, de aliis diversa sententia animo meo insideret. Pace itaque ac venia doctissimi, mihique ob ipsa huic Irenæi editioni benevole præstita adminicula, suo loco nominanda, plurimum colendi amici atque fautoris, et dubitationes, et diversas meas aliorumve opiniones proponam; ut studiosus Irenæi lector eas æqua trutina expendere queat. Irenæum Trajano imperante natum fuisse, vir cl. Dissert. III, § 3, optime collegit ex ipsis S. Patris verbis, quibus id, quod *sub finem Domitiani* contigerat, *pene sub suo sæculo* (γενεᾷ) factum scripsit pag. 449, lin. 21, hujus semper posthac a me citandæ editionis (nunc lib. V, cap. 30, num. 3, ll.). Ut autem distinctius perspiceretur, utrum inter initia, vel sub medium, aut finem Trajani ortus fuerit Irenæus, alia ejus verba § 5 consideranda sumpsit, quibus se *adhuc puerum* et *in prima ætate* (ἡλικίᾳ), S. Polycarpum senio provectum, ac cum eo Florinum in aula regali splendide agentem, in inferiori Asia vidisse atque audivisse memoravit lib. III *Adversus hæres.*, cap. 3, ac in *Epistola ad Florinum*. Cum itaque Irenæus lib. II, cap. 39, diversas hominum ætates designans, *infantes, parvulos, pueros, juvenes, seniores* nominet, atque juvenilis ætatis principium anno trigesimo statuat; puerilem idcirco ab anno vigesimo ad trigesimum protendi, vir claris. § 6 conjicit, et mox § 8 demonstrat, πρώτην ἡλικίαν etiam in annum vigesimum primum, aut potius vigesimum quintum cadere. Hunc itaque Irenæus egisse ei videtur, cum Polycarpum atque Florinum in inferiori Asia oculis usurpavit. Annum autem Christi ei respondentem indagaturus, supponit ulterius § 10 per αὐλὴν βασιλικὴν, in qua tunc splendide vixit Florinus, non regalem, sed imperatoriam aulam intelligendam esse. Cui hypothesi confirmandæ haud abs re fuerit parallelum addere locum ex lib. IV *Adversus hæres.*, cap. 49 : *Quid autem et hi, qui in regali aula sunt fideles, nonne ex eis quæ Cæsaris sunt, habent utensilia?* Non de alio autem quam Adriano imperatore, et quidem secunda vice in Asiam veniente, Irenæi ad Florinum verba accipienda esse, luculenter ibidem probat, atque fieri non potuisse, ut is secundo in Asiam venerit ante annum Christi 122. Quem proinde cum anno vigesimo quinto ætatis Irenæi componens, hunc anno

[55] Col. 63. [56] Lib. V, c. 19. [57] Cent. 2, col. 64. [58] Col. 67. [59] Lib. II, c. 62, 63. [60] Luc. XXIII, 43.

Digitized by Google

Christi 97 sub Nerva, vel anno sequenti sub Trajano natum concludit.

§ 2. Hoc ratiocinium considerantibus mihi objecere se quidem ipsius Irenæi verba lib. II, cap. 42 : *Quinque ætates transit hominum genus; primum infans, deinde puer, deinde parvulus, et posthæc juvenis, sic deinde senior.* Ubi cum 14 *puer parvulo* præponatur, puerilis ætas intra annum decimum et vicesimum ponenda videri posset. Ast verba ibi a librario transposita, ac prior ordo omnino præferendus videtur, quo parvulus puerum præcedit; præsertim cum huic magis congruat ἡλικία, quæ ante vicesimum annum non incepit. Missa itaque ista objectione, alia proponam quæ mihi persuadent, Irenæum aliquanto serius, nempe anno Christi vulgari 108 (vero 106) natum esse. Id equidem constat, Adrianum imperatorem non ante annum Christi 122 secunda vice in Asiam venisse; non tamen necesse est, isto præcise anno id factum supponere. Imo vero anno 129 (127) secundum Adriani in Asiam adventum a Baronio recte ascriptum, ipse ejus in quamplurimis adversarius Pagius fatetur, et nummi ab eo ad annum 127, 128, 129, allati, satis probant. Idem etiam confirmant Irenæi ad Florinum de Polycarpo verba ab ipso domino Dodwello § 12 adducta : *Atque in conspectu Dei contestari possum, beatum illum et apostolicum presbyterum, si tale quid audivisset, exclamaturum sane, ac obturatis auribus pro more dicturum fuisse : Deus bone, quæ me in tempora reservasti, ut hæc sustinerem!* Quibus citatis, optime subinfert : *Plane hic innuit Irenæus ortum illum hæreticorum recentiorum sub Adriano, quo fuerit Polycarpus ad tantam indignationem excitatus; ortum, inquam, illum, qui in grandævam Polycarpi ætatem inciderit. Qui enim quæritur, aese ad ea usque tempora reservatum, is una innuebat, jam se ordinarios etiam senectutis limites esse prætergressum. Et quia σύνηθες hoc Polycarpo fuisse ait, non itaque de uno duntaxat hæresiarcha intelligendus. Id vult igitur Irenæus, dum Polycarpi discipulus esset, multos identidem ortos hæresiarchas : et quoties novi exorirentur, toties repetitam esse illam Polycarpi exclamationem. Prodierunt nimirum e Menandri schola omnium sub Adriano primi Basilides et Saturninus; secuti postea, sed brevi, ut videtur, intervallo Valentinus et Cerdon. Cerdonem denique secutus Marcion, paulo superioribus recentior. De his itaque, excepto Marcione, omnibus intelligendas crediderim Polycarpi illas toties repetitas exclamationes.* Atqui Valentinum pariter ac Cerdonem sub Hygino Romam venientes, hæreticum virus spargere cœpisse, ipse Irenæus lib. I, cap. 28, et lib. III, cap. 4, docet. Hyginus autem juxta Pearsonii rationes anno Christi 122, post 9 Augusti, aut juxta ipsius domini Dodwelli sententiam anno 123, episcopus Romæ creatus fuit. Aliquanto igitur post, exorta jam Valentini et Cerdonis secta, ita exclamare cœperit Polycarpus necesse est; ac proinde anno 127, optime istud martyris σύνηθες convenit. Provectior quoque tunc fuit ejus ætas, 66 scilicet annorum, si juxta Pearsonii rationes a domino Dodwello approbatas, anno Christi 147, martyrio defunctus est; cum contra anno 121, sexagesimum primum egerit annum, quo vix ordinarios senectæ limites superasse dici poterat.

§ 3. Sed et ipsius Irenæi historia suadet, ut πρώτην ejus ἡλικίαν, anno Christi 127, potius quam 122, ascribamus, indeque serius quam anno 97 illum natum statuamus. Constat quippe eum a Lugdunensi Ecclesia post cœptam persecutionem Marci Aurelii, cum litteris ad papam Eleutherium Romam missum fuisse. Octogenarius itaque tunc fuerit Irenæus, si dicta persecutio in annum Christi 177, juxta Eusebii in *Historia ecclesiastica* calculum, inciderit; saltem septuagenarius, si ad annum 167, ex ipsius domini Dodwelli sententia referatur. At vero Lugdunenses tantum senem ad adeo molestum iter adegisse, vix crediderim. Et quid de libris ipsius dicendum? Istos sane quinque *Adversus hæreses* saltem anno ætatis octuagesimo, alios plures, veluti *De Ogdoade*, *Contra Florinum*, *Blastum*, nec non eos, qui ad paschalem pertinebant controversiam, partim circa, partim post annum nonagesimum scripserit, necesse est, si is anno Christi 97 natus fuisset. Quis autem illum adeo senem omnia scribendo manum admovisse, et jam decrepitum tot tantosque libros elaborasse, facile sibi persuaserit? Atque hæc etiam faciunt, ut πρώτην ἡλικίαν, in qua Polycarpum se vidisse ait Irenæus, de anno vicesimo primo potius quam quinto accipiam : nam de illo etiam accipi posse, ex iis quæ vir clarissimus § 8 dixit, utique patet. Accedit denique istud, quod meliori jure gloriari potuerit auctor noster de memoria dictorum Polycarpi, ejusque formæ ac habitus, etc., si paulo junior, anno scilicet 21 eum viderit. Qui si in annum Christi 129 (127) juxta ante dicta inciderit, Irenæus anno Christi 108 (106) natus fuerit.

§ 4. Ubi de ortu S. Patris satis prolixe egerat dom. Dodwellus, postea § 21 tempus ac genus mortis ejus indagare incipit. Equidem a vulgo chronologorum et historicorum hactenus traditum fuit, illum obiisse martyrium notissima illa Severi imp. persecutione, quæ anno ejus decimo, juxta alios quinto cœpit, quando Albinum, prælio prope Lugdunum commisso, devicit, indeque capta urbe, cum civibus, præcipue Christianis, sævissime egit. Verum tanta loco citato argumenta martyrio Irenæi opposita video, ut istud pro certo affirmare nolim. Neque tamen pertinaciter inficias ire ausim, tam ob Hieronymi in cap. LXIV Isaiæ, quam Justini verba supra pag. 3 et 4 veterum testimoniis inserta; quorum ille ducentis, hic non ultra trecentos post Irenæum annos ista scripsit. Suspicionibus quippe contra Hieronymi locum aliatis tuto fidere nequeo, donec ms. cujusdam codicis auctoritas iis suffragetur. Id vero certum est, et ab ipso clariss. viro § 20 assertum, Irenæum anno Christi 189, Commodi imperatoris 10 adhuc superstitem, synodo propter paschalem controversiam in Gallia habitæ præfuisse, ac proinde πάνυ γηραλέον, ut ipse de Polycarpo scripsit, defunctum esse.

SECTIO II.

De quinque Irenæi contra omnes hæreses libris ac horum versione, aliisque deperditis ejusdem scriptis.

§ 1. Irenæum quinque *Adversus hæreses* libros primos omnium conscripsisse, ex illorum proœmio ingeniose post Feuardentium collegit clariss. Dodwellus Dissert. IV, § 1. Fatetur tamen, ista, quæ id indicare videntur, verba, οὔτε δύναμιν συγγραφέως, ἣν οὐκ ἠσκήσαμεν, ac proinde etiam præcedentia, μήτε συγγράφειν ἠθισμένοι, de simplicitate styli accipi posse. Atque ut ita accipiam, et, si non plures, unum saltem tractatum antea ab Irenæo elaboratum fuisse credam, ipsius lib. III, c. 7, inducor verbis : *Si quis secundum Pauli consuetudinem, quemadmodum ex multis et alibi ostendimus, hyperbatis eum utentem sic legerit*, etc. At vero de hoc frequenti hyperbatorum usu ne verbum quidem habet in præcedentibus : in alio igitur tractatu prius scripto hac de re egerit necesse est.

§ 2. Dictos quinque libros non uno impetu editos, sed duos priores seorsim ad amicum missos esse, vir clariss. §§ 4 et 6 recte docet ex proœmio libri III. Imo et sequentes tres, singulos prodiisse, quarti et quinti libri præfationes innuunt. Horum tamen posteriorum argumenta, ab apostolorum et Christi verbis petita, jam in animo habuisse Irenæum, cum priores scriberet, ipse lib. II, cap. 3, his testatur verbis : *Jam quidem ostendimus, unum*

Digitized by Google

esse Deum; ex ipsis autem apostolis, et ex Domini sermonibus adhuc ostendemus. Et cap. 8: *Dominus hunc* (Creatorem) *Patrem, qui est in cœlis, docet, et non alium, quemadmodum ostendemus procedente sermone.* Confer pag. 131, 1, 19 et 2, 14, 175, 1, 19 (lib. II, cap. 11, n. 1, 2), et cap. ultimo hujus secundi libri, ubi expresse *consequentes* nominat *libros.* Et sane absque his imperfecta prorsus fuisset ψευδωνύμου γνώσεως ἀνατροπὴ, quam ipsa hujus operis inscriptione pollicitus est. Cæterum tempus, quo libri isti scripti sint, statuere est difficillimum. Circa annum Christi 177, ætatis Irenæi octogesimum, episcopatus ejus nonum aut decimum, id factum citata IV Dissert. § 2 et in fine ejusdem statuitur. Non desunt autem argumenta, quæ partim post, partim ante istud tempus, volumen *Contra hæreses* elaboratum esse, probare videntur. Pro priori parte militat mentio versionis Theodotionis lib. III, cap. 24, facta, quam tamen ad Commodi tempora retulit Epiphanius, huncque secutus auctor *Chronici Alexandrini* anno sexto istius imperatoris ascripsit. Ad quæ dominus Dodwellus Dissertat. singulari *De pontificum Romanorum successione* cap. 14, § 17, regessit, ista de Theodotione verba a priori Irenæi exemplari forte abfuisse, ac postea ab ipso inserta esse. Aliam, quæ mihi magis placet, responsionem dedit Dissert. IV in Irenæum § 39 seq., ubi Theodotionis versionem jam sub Marco prodiisse, contra auctorem *Chronici Alexandrini* contendit. Et sane neque hujus, neque Epiphanii, quem is **15** allegat, auctoritas in chronologicis tanta esse debet, ut eorum æra nos turbari patiamur, ubi certior aliunde nobis suppetit ratio. Isto autem scrupulo excusso, aliud pro altera parte mihi incidit argumentum, quo fere persuasus sum, Irenæum adhuc presbyterum, ante annum 177 hæreticorum refutationem integram edidisse. Id deducitur ex ortu sectæ Cataphrygum, quæ Phrygiæ Asiæque Ecclesias vexavit: quem Eusebius in *Chronico* anno 17 Marci, Christi 171 ascripsit; cl. Dodwellus vero antiquiorem facit. In quodcunque autem inciderit tempus, duos sane priores Irenæi libros præcessisse inde colligo, quod in his nullam hujus sectæ, sed hæreseos Tatiani tanquam novissimæ fecerit mentionem; illam non omissurus, si Asiam, in quam hos mittebat libros, jam tum turbare cœpisset. Contra libro III et IV, pag. 223, col. 1, lin. 25 (lib. III, c. 2, n. 8) et pag. 349, 1, 10 (lib. IV, cap. 33, n. 6), Pseudoprophetas istos leviter perstringit; unde illos paulo post excitatas ab iis turbas scripserit necesse est: neque enim longum inter priores ac posteriores libros intercessit intervallum. Ex quo etiam colligitur, Irenæum non adeo senem, necdum episcopum, sed presbyterum hoc opus edidisse; antequam scilicet a Lugdunensibus martyribus Romam ad Eleutherium propter compescendam sectam istam mitteretur una cum litteris commendatitiis, quibus ut presbyter Ecclesiæ, et ζηλωτὴς τῆς διαθήκης τοῦ Χριστοῦ laudatur apud Euseb. lib. V, cap. 4. Merito sane, si jam causam Dei ac Christi contra hæreticos adeo strenue tot scriptis libris egerit. Atqui presbyteri etiam ordini, non autem episcopali dignitati congrua sunt, quibus prooemium libri III incipit, verba: *Tu quidem, dilectissime, præceperas nobis*, etc., nec non quæ in prooemio libri V exstant: *Quemadmodum postulasti a nobis, obedientibus tuo præcepto; quoniam in administratione sermonis positi sumus.* Nemo quippe Irenæo jam episcopo ausus fuisset *præcipere* ut calamum in hæreticos acueret: vix etiam Irenæus se *præcepto obedientem* professus esset; ac insuper *in προστασίᾳ Ecclesiæ* potius quam *in administratione sermonis* se positum dixisset, si jam tum summus Ecclesiæ Lugdunensis sacerdos fuisset. Ab Irenæo itaque adhuc presbytero libri *Adversus hæreses* elaborati fuisse videntur, inter annum Christi 170 et 174, si isto temporis intervallo enata fuerit secta Cataphrygum, et si altera quoque persecutionis Marci æra, quam in *Historia eccles.* fixit Eusebius, steterit firma. Sin vero rationes domini Dodwelli ad annum 167 dictam persecutionem referentis sequamur, et Irenæi libros antiquiores statuere necesse foret: quod tamen mentio hæreseos Tatiani, aliaque haud permittunt.

§ 3. Græco sermone hoc *Adversus hæreses* volumen scriptum fuisse, tot tantisque argumentis probavit vir doctissimus Dissert. V, § 1, usque ad 6, ut plura addere haud sit opus. Quod autem § 6 Latinam eorum versionem Tertulliano recentiorem, et exeunte demum sæculo IV factam putat, in eo me cogunt dissentire aliquot Tertulliani l.b. *Adversus Valentinianos* cap. 10 periodi, quibus Latinum Irenæi interpretem plane imitatus esse videtur. Nam de Sophia matre ait, eam *primo quidem contristari propter inconsummationem generationis; metuere postremo, ne finis quoque insisteret.* Quæ Latinæ versioni exacte consonant; a Græco autem textu aliquatenus diserepant. Quippe lib. I, cap. 1, § 3, pag. 2 (cap. 2, n. 3), interpres iisdem verbis dicit, *contristatam propter inconsummationem generationis: post deinde timuisse, ne hoc ipsum finem habeat.* Græca vero ibidem hæc sunt: Πρῶτον μὲν λυπηθῆναι διὰ τὸ ἀτελὲς τῆς γενέσεως, ἔπειτα φοβηθῆναι, μήτε αὐτὸ εἶναι τελείως ἔχειν. Ubi nota, τὸ ἀτελὲς τῆς γενέσεως *inconsummationem generationis* ab utroque verti; et Tertullianum in posteriori commate, relicto Græco Irenæo, vestigia interpretis sectari. Pergit Tertullianus, loco citato referens, *confirmatam Sophiam et conjugio restitutam: et ipsam quidem in Pleromatis censu remansisse; Enthymesin vero ejus, et illam appendicem passionem ab Horo relegatam, et crucifixam, et extra ævum* (ex Irenæi versione repone *eum*) *factam*, etc. Hæc si iterum conferas cum Latina interpretatione pag. 12 prope finem (num. 4) itidem sonante: *confirmatam Sophiam, et restitutam conjugi; separata enim intentione* (ἐνθυμήσει) *ab ea, cum appendice passione, ipsam quidem infra* (intra) *Pleroma perseverasse; concupiscentiam* (ἐνθύμησιν) *vero ejus cum passione ab Horo separatam, et crucifixam, et extra eum factam esse;* vix dubitabis, hæc Tertulliano, illa scribenti, ante oculos fuisse. Ut enim de reliquorum consonantia nihil dicam, *in Pleromatis censu remansisse*, perinde ut interpres *perseverasse*, ait, cum tamen Græca εἶναι non μεῖναι habeant; et τὸ ἐπιγινόμενον πάθος uterque reddidit *appendicem passionem:* quod fieri haud potuisset, nisi alter ab altero accepisset. S. Cyprianum etiam, quæ epist. 74 ad Pompeium de Cerdone hæretico scripsit, ex Irenæi lib. I, capitis 28 fine, et initio cap. 29 deprompsisse, inferius pag. 103, num. 5, adnotavi. At vero S. martyr nuspiam in epistolis vel tractatibus suis, quantum ego memini, ullam Græcæ linguæ peritiam prodidit: unde Latina Irenæi versione, perinde ut magister ejus Tertullianus, usus fuisse videtur. Exeunte itaque sæculo secundo, superstite adhuc vel nuper defuncto Irenæo, hos ejus libros in Latinum eumque barbarum sermonem translatos esse crediderim; et quidem a quopiam Lugdunensis, vel alterius in Gallia Ecclesiæ ministro, quia quædam in ista versione occurrunt voces, vix aliis quam Gallicanis scriptoribus usitatæ. Vide infra pag. 168 (152), not. 5, (in hæc verba *sinistræ manus*... levamen) et alibi passim. Ipsum vero Irenæum qui sui interpretem faciunt, næ illi tantum virum propria animi sui sensa ignorasse, aut perperam expressisse asserant necesse est. Latinam enim versionem a Græci textus sententia identidem diversam esse, ex plurimis, suo quibusque loco adnotatis, exemplis patet.

§ 4. Titulus ab auctore huic operi præfixus fuit Ἔλεγχος καὶ ἀνατροπὴ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, prout memoriæ proditum est ab Eusebio

Digitized by Google

lib. v *Hist. eccles.* cap. 7, suffragantibus Andrea Cæsar. in Apocalypsin serm. vi, cap. 18; Damasceno in *Parallelis mss.* passim; Photio; Œcumenio in II Epist. Petri cap. iii, pag. 543, et in Epist. Judæ pag. 628. Imo ipse Irenæus hujus rei testis est in proœmio libri ii, ubi ait: *Quapropter quod sit detectio et eversio sententiæ ipsorum, operis hujus conscriptionem ita titulavimus;* et in proœmio lib. iv, quod incipit: *Hunc quartum librum, dilectissime, transmittens tibi operis, quod est de detectione et eversione falsæ cognitionis.* Similiter in fine hujus libri vocat *opus exprobationis et eversionis falso cognominatæ agnitionis;* ac in proœmio lib. v, *opus de traductione et eversione falso cognominatæ agnitionis.* Et quidem Ἔλεγχος *detectio* sive *traductio* respicit librum primum, quo errores hæreticorum recensuit; ἀνατροπὴ autem sequentes quatuor, in quibus eos et ratiociniis, et Scripturæ S. dictis refutavit. Atque hinc non modo ab Eusebio plurimis in locis ad compendium verborum faciendum *Libri adversus hæreses*, et a Cyrillo Hierosolymitano catech. 16, *Institutiones contra hæreses* vocantur; sed et in antiquis Latinæ versionis codicibus ita inscripti sunt; in veteri Feuardentii codice: *Contra omnes hæreses libri quinque;* ac in Vossii ms. exemplari: *Contra omnes hæreticos* (al. *hæreses*) *libri numero quinque.* Cui inscriptioni suffragantur ista, quibus Irenæus librum iv claudit, verba: *Et nos ipsos, et te ad contradictionem omnium hæreticorum in quinque exercentes libris.* Cæterum quæ de titulis singulorum capitum, et tam horum, quam ipsorum librorum divisione dominus Dodwellus Dissertat. v, § 42, disseruit, istis brevitatis studio nihil addo, nisi Græcum etiam Irenæi textum in capita, et quidem minutiora, quam quæ in Latina sunt versione, jam olim distinctum fuisse; prout colligo ex Procopii Gazæi *Comment.* in cap. iii Geneseos pag. 76, ubi ea quæ auctor noster lib. iii, cap. 37, de pelliceo Adami vestimento docet, tanquam cap. 59 et 65 ejusdem libri dicta allegat.

§ 5. Cæterum de dictorum quinque librorum codicibus, quibus utimur, aliqua dicenda restant. *Græcum codicem ms. in universo orbe nullum habemus, vel mutilum*, inquit clariss. Dodwellus Dissertat. v, § 11. Equidem Feuardentius in *Commonitione ad lectores* suæ editioni præfixa, refert fuisse quosdam, qui Græcum exemplar in Venetiana bibliotheca se legisse testati sunt, aliosque in Vaticana visum dixisse; addit tamen, *ea ibi frustra quæsita esse.* Neque nunc in Vaticana bibliotheca Græcum Irenæum reperiri, per litteras certiorem me fecit dignissimus illius præfectus, Dn. Laurentius Alexander Zacagnius; de Venetiana vero exacte inquirendi occasio mihi defuit. Per *mutilum* autem Irenæi *codicem Græcum* intellexit procul dubio vir ante laudatus maximam libri i partem, in Epiphanii *Panario* contra hæreses Græce conservatam, nec non alia plura fragmenta ab Eusebio, Theodoreto, etc., excerpta, maxime a Joanne Damasceno in libris *Parallelorum*, quos inscripsit, vel ab horum interpolatore. Ista enim quæ in Claromontanis membranis exstant Irenæi dicta, ab ipso Joanne Damasceno inserta esse jam dubito, quia nec in Latina *Parallelorum* istorum versione a Billio edita, nec in ms. Vaticano codice Græco ea reperiuntur, si breves quasdam sententias excipias. Accedit, quod in pericope de nomine Antichristi lib. v, cap. 30, loco ultimæ appellationis Τειτῶν, quam omnia Irenæi exemplaria habent, et integer contextus confirmat, in Claromontano codice legatur Παπίσκος. Atqui hoc quidem nomen fuit Judæi Alexandrini, quem cum Jasone Christiano disputantem repræsentavit Aristo Pellæus (de quo vide *Spicilegium Patrum* sæculi ii, pag. 127 seq.) ac proinde Antichristo, ex unanimi sententia Patrum illidem Judæo, ac acerrimo Christianorum hosti futuro, satis aptum. Attamen nullam invenire possum rationem, quare hoc potius nomen, altero *Titanis* rejecto, sit acceptum, et cum alio, Λατεῖνος, recensitum; nisi quod forte recentior quispiam Græcus, Romanum pontificem, aut factum, aut futurum Antichristum opinatus, diminutivum nominis papæ Παπίσκος ei accommodandum duxerit. Quas meas de interpolatione Claromontani *Parallelorum* codicis conjecturas hoc loco proponere volui, quia in notis semper, quantum memini, ipsi Damasceno collectionem Græcorum istorum Irenæi fragmentorum ascripsi. A cujuscunque autem manu ea profecta fuerint, illi sane multas debemus gratias; quod quintam fere libri v Irenæi partem Græce nobis conservaverit; ut de ii et iv libri fragmentis nil dicam.

§ 6. Latina denique exemplaria si spectes, istud, quod inter mss. Isaaci Vossii libros servatur, quodque idem cum veteri Feuardentii codice esse fertur, ego vero ob variantes quasdam lectiones diversum esse arbitror, pro perfecto ac nulla parte mutilo habet vir doctissimus loco paulo ante citato. Ac de primis quatuor quidem libris id verissimum est, excepto unico forte loco pag. 219, col. 2, lin. 26 (pag. 109, col. 2, lin. 5). Sed librum v in fine magna parte mutilum esse, haud dubitare me sinit ejus præfatio, et libri iv conclusio. Illa quippe ita sonat: *Manifestatis* (libro iv) *pluribus, quæ a Domino per parabolas et dicta sunt, et facta, in hoc libro quinto... ex reliquis doctrinis Domini, et ex apostolicis Epistolis, conabimur ostensiones facere.* Hæc sequentibus constat verbis: *Reliquos igitur sermones Domini, quos quidem non per parabolas, sed simpliciter ipsis dictionibus docuit de Patre, et expositionem Epistolarum beati Pauli apostoli in alio libro disponentes, integrum tibi opus præbebimus.* Istos scilicet Domini sermones hæreticis opponere voluit, qui *unum et eumdem annuntiant Patrem factorem mundi hujus*, ut paulo ante scribit. Similiter ex Epistolis S. Pauli demonstrare sibi proposuit, illum *docuisse unum Deum Patrem, eum qui locutus sit ad Abraham, qui legislationem fecerit, qui prophetas præmiserit, qui Filium suum miserit, salutem suo plasmati donans, quod est carnis substantia.* Et carnis quidem salutem, id est resurrectionem ac vitam æternam variis argumentis, ipsisque Pauli apostoli dictis demonstrat, et in contrarium objectam ab hæreticis sententiam I Cor. xv: *Caro et sanguis regnum Dei non hæreditabunt*, prolixe explicat Irenæus a cap. 2 libri v usque ad caput 15, inque hoc ex S. Litteris probat, quod Demiurgus resurrectionis ac incorruptelæ carnis sit auctor; ut adeo mutato, nescio quare, consilio, quod in fine libri v tractare proposuerat, priori ejusdem parte præstiterit. Promissam vero ex verbis Christi, citra parabolarum involucrum prolatis, demonstrationem de uno Deo, mundi creatore, eodemque Patre Servatoris nostri, cap. 21 demum aggreditur, et ex allegatione legis Mosaicæ contra tentationes diaboli primum deduxit argumentum, quod est et ultimum: siquidem ex verbis nequissimi spiritus: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me*, etc., occasionem longius digrediendi cepit, primum de diaboli mendaciis ac conatu, quo id agit, ut loco Dei adoretur, disserens; deinde a cap. 25 usque ad finem nostri textus, doctrinam de Antichristo, hujusque interitum secuturo regno Christi millenario prolixe prosecutus. Reliquæ igitur ex verbis Christi et apostoli Pauli scriptis petitæ demonstrationes unius et ejusdem in Vet. et Nov. Testamento Dei perierunt, quod librarii exosam sequiori ætate millenarii regni doctrinam ulterius describere nollent, ideoque illum abrumperent.

§ 7. De aliis auctoris nostri operibus prolixe agitur dissertatione vi in Irenæum. Unum tamen atque alterum de iis, quorum fragmenta inferius subnexa sunt, scriptis observare haud abs re erit. Agmen ibi ducit clausula libri *De Ogdoade*, quem non quidem Florino instar epistolæ scriptum puto; attamen

Digitized by Google

propter illum Valentini errore abreptum, sive ad confutationem illius, ab Irenæo elaboratum credo, prout diserte traditum est ab Eusebio lib. v *Hist. eccles.*, cap. 20. De cætero quod in Hieronymi *Catalogo script. eccles.* istud στρύδασμα, uti vocat Eusebius, inscriptum legitur Περὶ Ὀγδοαστῶν, id recentiorum librariorum vel editorum, qui Sophronium, interpretem Græcum, secuti sunt, non ipsius Hieronymi erratum fuisse videtur. In manu exaratis enim bibliothecæ Bodleianæ codicibus nec non in illo, quo Freculphus sæc. IX usus est, *De octava* scriptum est. Ita igitur Hieronymum puto titulum Περὶ Ὀγδοάδος Latine vertisse; neque sic tamen bene: quippe *Octonationem* potius cum veteri Irenæi interprete reddere, aut magis Latine *De octonario Æonum numero* dicere debuisset. Deinde sequitur dicto loco fragmentum *epistolæ ad Florinum* Περὶ μοναρχίας, ἢ περὶ τοῦ μὴ εἶναι τὸν Θεὸν ποιητὴν κακῶν, *De monarchia sive quod Deus non sit conditor malorum*; prout titulum vel summam hujus scripti expressit Eusebius citato lib. v, cap. 20. Ex quo Valesius in Notis perperam collegit, *Florinum duo principia invexisse, et Marcionis ac Cerdonis dogmatibus adhæsisse: et alterum quidem bonorum, alterum mali auctorem affirmasse.* Obstant enim verba ipsius Irenæi, Florino exprobrantis: *Hæc dogmata ne quidem hæretici extra Ecclesiam positi proferre unquam ausi sunt.* Diversum itaque a Marcionis vel alterius cujusdam hæretici errore, atque magis impium fuit dogma Florini; ac videtur ille monarchiam Creatoris mundi, tanquam supremi Dei, ita contra Marcionitas, aliosque hæreticos asseruisse, ut eumdem conditorem atque causam malorum fecerit: quod sane ne ipsi quidem hæretici istius ævi hactenus ausi fuerant. Irenæus itaque, strenuus bonitatis supremi Dei vindex, monarchiam ejus, rejecto altero deo, malorum principio, ita tenendam Florino demonstravit, ut tamen ipse haud statuatur conditor malorum, sive auctor criminum, quæ ab hominibus committuntur; quo nihil magis impium dici potest. Lege clariss. Dodwellum § 2. Porro epistolam Irenæi ad Victorem, cujus duo fragmenta suo loco subjeci, et λόγον *de Paschate*, quem a Justino allegatum itidem notavi, pro uno eodemque scripto habet vir doctissimus § 21. Sed quoniam epistolam voce λόγου a nullo scriptore denotatam memini, λόγον περὶ Πάσχα potius *homiliam de Paschate* ipso hoc festo peroratam interpretor, hancque puto fuisse unam διαφόρων διαλέξεων, quarum Euseb. lib. v, cap. 26, mentionem facit, et Hieronymus *De scriptoribus eccles.*, qui *varios tractatus* appellat, id est sermones ad populum in ecclesia habitos; quo modo etiam Sophronius accepit, βιβλίον ποικίλων ὁμιλιῶν reddens. Atque exinde depromptam quoque puto sententiam *de meditatione mortis* pag. 468 ex Damasceni *Parallelis* descriptam, ubi ita citatur: τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου ἐκ τῶν δ' Λέξεων. Legendum enim esse διαλέξεων haud dubito: quæ conjectura mihi non succurrebat, cum adnotationem 4, pag. 468, scriberem. Sic dies diem docet, et plura forte de his aliisque Irenæi scriptis posthæc docebit.

SECTIO III.

De variis quinque Irenæi librorum adversus hæreses editionibus, ac hujus novissimæ ratione atque consilio.

§ 1. Irenæi quinque *Adversus hæreses* librorum versionem Latinam antiquissimam primus in lucem edidit in folio Desiderius Erasmus Roterodamus, cum hac inscriptione: *Opus eruditissimum divi Irenæi episcopi Lugdunensis, in quinque libros digestum, in quibus mire retegit et confutat veterum hæreseon impias ac portentosas opiniones, ex vetustissimorum codicum collatione, quantum licuit, emendatum, opera Desiderii Erasmi Roterodami, ac nunc primum in lucem editum operæ Joannis Frobenii. Additus est index rerum scitu dignarum. Apud inclytam Basileam anno* MDXXVI *cum gratia et privilegio Cæsareo.* Opus istud dedicavit Bernardo, tunc temporis episcopo Tridentino, ad quem data epistola nuncupatoria non modo in principio istius voluminis, sed et in collectione epistolarum Erasmi, Londini anno 1642 excusa, lib. XXVIII, num. 5, legi potest. Epistolam nuncupatoriam sequitur *Divi Irenæi obtestatio ad scribas: Adjuro te*, etc., non quidem his *Adversus hæreses* libris, sed alteri *De Ogdoade* tractatui ab ipso suffixa. Continuo sequitur textus Irenæi, variis quibusdam lectionibus, et Græcorum, quas interpres retinuit, atque Latinarum vocum minus usitatarum interpretationibus in margine appositis. Præfixit autem quatuor prioribus libris antiquos singulorum capitum titulos, et quatuor posterioribus proprias præfationes seu *argumenta*, uti vocat.

§ 2. Biennio post, nempe anno 1528, alia ex officina Frobeniana Basileæ prodiit editio in folio, mox anno 1534 recusa, in cujus titulo post verba, *emendatum opera Desiderii Erasmi Roterodami*, sequitur: *ac nunc ejusdem opera recognitum, correctis iis, quæ prius suffugerant;* adeo ut ipse Erasmus secunda cura quædam sustulisse videatur mendæ. Cæterum nil novi ad istam accessit editionem, nisi quod præfatio lib. v sit auctior. Post ista enim verba: *De purgatorio nulla mentio*, ita pergit: *Quin potius videtur*, etc.

Eodem anno 1534, Parisiis Irenæum in lucem prodiisse memorat Dupinius in *Bibliotheca nova ecclesiasticorum auctorum*; sed illam editionem videre mihi haud contigit. Vidi vero aliam ab ipso non nominatam Parisiensem 1545, in octava forma, cujus titulus quidem profitetur, *libros Irenæi longe castigatiores quam antehac in lucem datos esse.* Ast hæc fraudi bibliopolæ deputo, quia nullas ibi deprehendo emendationes. Cæterum quas Dupinius recenset editiones Basileenses 1543, 1548, 1554, ignotas mihi esse fateor: neque tamen id ægre fero, quia recentior Basileensis 1560 in folio mihi ad manus fuit; in nullo tamen præcedentibus præstantior, nisi quod loco nudæ adjurationis Irenæi, qua scribas obtestatus est, integra habeat Hieronymi in *Catalogo scriptorum ecclesiasticorum* de Irenæo verba, quæ veterum testimoniis suo loco inserui, quodque index rerum sit locupletior, ut vel ex prima littera *A* patet. Atque ab ista Basileensi editione nihil differunt Parisienses in-8° 1563 et 1567.

§ 3. Posthæc Nicolaus Gallasius, S. theologiæ professor, Genevæ 1570 hos Irenæi libros excudi fecit, Edmundo Grindallo episcopo Londinensi dedicatos; præmissa *præfatione ad lectorem* de instituto totius operis, de utilitate colligenda ex lectione vetorum doctorum, una cum alphabetica serie Græcarum vocum, quæ in Irenæo occurrunt, Latine expositarum, ac testimoniis Eusebii atque Hieronymi de vita et scriptis Irenæi. Dehinc omnia fere, quæ Epiphanius ex lib. I Irenæi citavit, Græca verba apposuit una cum nova Latina versione, retenta simul veteri; quam quidem *collatis exemplaribus accurate emendatam* se dare dicit, Erasmi scilicet editionibus, sæpius recusis: neque enim ullis manuscriptis codicibus eum usum esse patet. Quintum porro librum, quem nemo hactenus per sectiones diviserat, ipse in capita distinxit: quibus, ut et aliis quatuor priorum librorum capitibus, summas rerum et sententiarum præfixit: atque ad marginem loca Scripturæ ab Irenæo allegata maximam partem apposuit; denique in fine operis adnotationes quasdam adjecit, quarum pleræque haud magni sunt momenti, et ad textum Irenæi emendandum aut explicandum nihil fere conferunt. Proxime sequenti anno Joannes Jacobus Grynæus Basileæ edidit Irenæi *Adversus hæreses* opus, quod vocat *eruditissimum, nova libri primi conversione, singulorum capitum argumentis et variæ lectionis*

Digitized by Google

observatione illustratum et recognitum, prout inscriptio libri sonat. Quam planius declarant sequentia, quæ in dedicatoria ad Bernardum Brandum, Basileensis reipubl. tribunum plebis primarium, epistola habet verba : *Factum est singulari beneficio Dei, studioque bonorum et eruditorum quorumdam virorum, ut postquam apud superos agere cœpit Erasmus, prodiret in lucem Epiphanii, episcopi Constantiæ Cypri, eximium opus contra octoginta hæreses, in quo cum multa ad verbum ex Irenæi libris descripta exstarent, maximam libri i partem ex Epiphanio restituere, et multo meliori Jani Cornarii versione uti nobis licuit. Deinde cum ineptissimæ et plerumque οὐδὲν πρὸς ἔπος facientes summulæ, et libris, et capitibus præfixæ, errorum potius quam scopi præmonstratices, exstarent in hoc opere, illas maxima ex parte sublatis, breves περιοχὰς capitum adjeci, ut de consilio Irenæi ac disputationum statibus commonefacerem legentes. Postremo totum opus recognitum, a mendis non paucis vindicatum, cum aliis exemplaribus contuli, variam lectionem notavi in margine, ac σχηματισμῷ involutam et monstrosam de* XXX *sæculis δοξομανίαν illustriorem reddere studui.* Ac quod veterem quidem versionem et priscas summulas plane abjecerit, malo ab eo factum; postremum autem de quo gloriatur, prorsus infectum puto : neque enim ullas in margine varias lectiones reperio.

§ 4. Denique Franciscus Feuardentius, theologiæ doctor Parisiensis, quinque Irenæi *Adversus hæreses* libros, ex veteri manuscripto domini Joannis San-Andreani, Ecclesiæ Parisiensis canonici, codice plurimis in locis emendatos, et quinque capitibus in fine libri quinti auctos, apud Nivellum Parisiis edendos curavit anno 1575 et 1576, ut ex cl. Dupinii *nova ecclesiasticorum auctorum Bibliotheca* didici : neque enim ipse hanc editionem in Oxoniensibus bibliothecis nostris, vel Londini invenire potui. Id tamen parum refert : siquidem posterior editio Coloniæ Agrippinæ anno 1596 excusa, ac ibidem anno 1625, nec non Parisiis 1639, ac posthæc recusa, priori melior est, ut ipse Dupinius animadvertit, quia Græca Irenæi loca ex variis scriptoribus inserta habet. Sed ipsum potius Feuardentium tam de hoc, quam de aliis ad posteriorem editionem suam additamentis præfantem audiamus :

Libri primi decem et octo priora capita, ab Epiphanio quondam ad verbum ex Irenæo Græce transcripta, deinde ex Eusebio fragmenta viginti et duo, ex Theodoreto quatuordecim (lege sexdecim), *ex Basilio duo, ex Melissa totidem, unum ex Anastasio Nicæno, suis locis Græce, prout ab Irenæo primum descripta, hinc ab his Patribus laudata fuerunt, typis evulganda curavimus. Deinde ad finem operis sex alia ex diversis ejusdem Irenæi operibus fragmenta, ex auctore* Quæst. et Responsionum ad orthodoxos *apud Justinum martyrem, Eusebio, et Demetrio Diacopo* (diacono) *collecta, Græce subjecimus : et tam illa, quam ista majori parte a laudatissimo viro Jacobo Billio, reliqua a doctiss. interpretibus Joanne Christophorsono, Herveto, Erasmo, Fabro, Latine reddita, quam decenti fieri potuit ordine collocavimus. Superiora decem et octo libri primi capita Græca idem Billius scholiis, deinde R. P. Fronto Ducæus, societatis Jesu, tam pius quam doctus theologus, suis notis ad Epiphanii Græca exemplaria contulerunt, emendarunt et illustrarunt. Nos quoque non solum ad illa, sed ad singula librorum capita et adjecta de novo fragmenta, adnotationes locupletissimas addidimus, quibus emendationum rationes reddimus, obscuriora et ambigua plurima loca, multasque Græcas et Latinis minus usitatas phrases explicamus*, etc. Cæterum novissimæ Feuardentii editioni adjecta sunt ad calcem Græca Irenæi loca, quæ Halloixius e Claromontano *Parallelorum* Damasceni codice præcipue descripta, in *Vita Irenæi* cap. 15 ediderat.

§ 5. Hanc nostram quod attinet editionem (cujus suscipiendæ primus mihi auctor idem qui præcipuus in Anglia Mæcenas fuit, reverendus dominus D. Henricus Aldrich, Ædis Christi decanus mihi plurimum colendus), exhibet ea antiquissimam versionem Latinam, ad exemplar Feuardentii recusam, sed 4 mss. codicum, quandoque etiam Erasmi ac Gallasii, ut et Græcorum exemplarium ope, adhibitis haud raro nostris aliorumque conjecturis, ducentis ferme in locis emendatam, ac rectius, quam hucusque factum fuerat, per commata, cola, parentheses, periodos, capita distinctam. Sistit ea dimidiam prope Græci textus (si citata Scripturæ loca demas), partem, ac tam a Feuardentio et Halloixio, quam a Combefisio undique conquisita, denique a memetipso ex editis et manuscriptis *Catenis*, quas vocant, Patrum aliisque codicibus suo loco indicatis, collecta fragmenta, illaque emendatiora, ac suis quæque locis inserta; additis insuper pluribus deperditorum Irenæi tractatuum haud spernendis particulis ac sententiis, velut ex naufragio collectis. Continet ea selectiores Gallasii, Feuardentii, Billii, Frontonis Ducæi, Leopardi, Scaligeri, Petavii, Halloixii, Valesii, Isaaci Vossii, Cotelerii, Dodwelli, aliorumque, ac meas insuper adnotationes textui subjunctas, nec non varias dictorum exemplarium lectiones inferius subnotatas. Porro necessarium visum fuit, duos locupletissimos conficere indices, locorum S. Scripturæ alterum, alterum rerum in Irenæi textu occurrentium. Hos sequitur triplex glossarium : Latino-Græcum, quod Græca Irenæi verba, quæ Latinis antiqui interpretis vocabulis respondent, ordine recenset; Græco-Latinum, quod Græcas voces ac phrases rarioris usus exhibet; Latinum denique, quo inusitata eaque obscuriora Latini interpretis verba usitatis clarioribusque explicantur. Postremo, ne quid ad Irenæi nostri illustrationem deesse videretur, Joannis Croii *Specimen conjecturarum* **18** *et observationum in Irenæum, Epiphanium*, etc., ob exemplarium raritatem recusum, ac mantissæ loco adjectum est.

§ 6. Prius autem quam præfandi finem faciam, amicis qui de me meoque Irenæo bene meriti sunt, debitas publice ago gratias. Horum primus est, ante laudatus celeberrimus dominus Dodwellus, qui jam pridem novam operum Irenæi editionem meditatus, isto consilio optimum Isaaci Vossii codicem manuscriptum accuratissime cum Feuardentii exemplari contulit, indeque collectas varias lectiones omnes pro singulari erga me et quoscunque ecclesiasticæ antiquitatis studiosos affectu libentissime communicavit, ut et apographum variantium lectionum, quas a Josua Mercero olim e duobus mss. codicibus, nescio quibus, erutas, idem Vossius ipsi domino Dodwello describendas dederat. Codicem Arundelianum in bibliotheca Regiæ Societatis Londini jam asservatum, quem quadringentorum annorum esse arbitror, ipsemet quidem ante triennium cum Feuardentii editione diligenter contuli; utpote cujus usum vir supra modum humanus Du. Woodward, medicinæ doctor, ac dictæ societatis sodalis, mihi benignissime impetraverat. Attamen cum reverendus D. Battely, canonicus Cantuariensis, postea suum Irenæi exemplar, in quo magnam variantium dicti codicis lectionum partem adnotaverat, sponte mihi transmiserit, hanc ejus benevolentiam tacere nolui, præsertim quod una atque altera ad oram ascripta ejus observatione usus fuerim. Fragmentum e codice bibliothecæ Vindebonensis pag. ultima hujus editionis pro singulari humanitate sua mihi transmisit clariss. Dn. Edmundus Gibson, reverendissimo archiepiscopo Cantuariensi a sacris et bibliotheca : quanquam istud antea e schedis eruditissimi D. Ab. Selleri Londini descripseram. Multas vero gratias habeo viro ob eximium candorem, nec minorem eruditionem, mihi dilectissimo D. Joanni Pottero, col-

Digitized by Google

legii Lincolniensis socio, qui glossarium Græcum integrum fere, me rogante, conficere haud gravatus est, quod ad prolegomena conscribenda temporis præfiniti angustia me adigeret. Cæterum per universum hoc opus, ubi dubius quandoque hæsi, præsertim circa loca quædam Scripturæ, ab Irenæo paulo aliter ac nos ea legimus, citata, honoratissimum fautorem meum D. Joannem Millium, S. theologiæ professorem doctissimum consului, cujus monitis, et pereruditis in Novum Testamentum adnotationibus me haud parum profecisse gratus profiteor. Inter exteros unicus mihi nominandus R. P. Michael Lequien, ordinis Prædicatorum theologus Parisiensis; cujus inusitatæ ad meam omnemque rem litterariam juvandam alacritati debeo omnia, quæcunque a Gallicanis codicibus descripta aut emendata dedi. Hisce igitur, benevole lector, utere, et Deum pro mea salute ora.

VARIORUM NOTÆ
IN LIBROS S. IRENÆI CONTRA HÆRESES.

IN LIBRUM PRIMUM.

(Quæ indicantur paginarum numerales notæ, lectorem ad numeros revocant quos typis crassioribus textui inseruimus.)

Ex adnotationibus Nicolai Gallasii in proœmium libri I.

Pag. 1. *Quatenus.* Mendosum codicem traductori fuisse oportuit, qui pro ἐπί legit ἐπεί. Unde etiam longum hyperbatum et ἀνανταπόδοτον secutum est. Nunc sublata litterula una, sensus tibi redditur planior. Quamvis enim σχοινοτενὴς sit oratio, tamen et distincte singula secernit, et efficit ut anterioribus posteriora apte respondeant. Hinc facile conjicies Irenæum librum suum non convertisse : nec enim in vocula falli potuisset, quæcunque illi exemplaria objecta essent. Non est igitur quod mireris tam multa obscura, perplexa et confusa in toto libro reperiri. Nam præterquam quod mendoso exemplari interpretem usum esse aperte constat, is sane Græcus fuit, neque satis tenuit proprietatem et puritatem linguæ Latinæ, idque vel ex solo verbo παραπέμπεσθαι facile perspicies. Nam illud accepit pro *rejicere* vel *aversari :* pro quo *refutandi* verbum usurpavit; quod tamen in ea significatione proprie accipi non potest. Intellexit autem traductor, quosdam esse qui adversantur veritati, eamque rejiciunt, ut Gallice vulgo dicere solemus de eo quod non admittitur, *renvoyer.* At proprie accipienda est hæc dictio de iis qui falso prætextu in veritatem ipsam emissi sunt. Nec simpliciter dicit, πεμπομένους, quia nullam missionem aut vocationem legitimam habent falsi doctores, sed παραπεμπομένους, quod præter rationem et ordinem a Satana et ejus asseclis emissi essent : ut etiam idem hic auctor dicit eos παραδιδάσκειν, quod præter verbum Dei falsa et ementita annuntient : quemadmodum a Demosthene παραπρεσβεία, falsa et ementita legatio appellatur. Atque hæc quidem ab initio ipso admonere volui, ut reliqua expendant diligenter lectores, quæ si mihi singula enumeranda atque adnotanda essent, tum essem prolixior, tum etiam de judicio eorum qui non omnino oscitantes et supini erunt, viderer nimium diffidere. Itaque illa quæ animadversione digniora erunt, tantum adnotabo.

Pag. 2. *Suadenter illi quidem.* Est hic elegans antithesis, quam non expressit vetus interpres, πειθανῶς, Ἀπειθάνως. Idem est ac si diceret : Probabili quidem ratione niti videri possunt, dum homines imperitos et minime malos incitant ad inquirendum. Quis enim vetet inquirere de iis quæ nos scire oportet? Præsertim cum dicat Christus : *Quærite, et invenietis*[60]. Sed nulla probabili ratione excusare possunt, quod inquirendi modum excedentes, perdunt eos, quos ad impietatem et horrendas blasphemias impellunt.

Pag. 3. *Quia non omnes cerebrum habent.* Legitur in Græco, ἐπεὶ μὴ πάντες τὸν ἐγκέφαλον ἐξεπτύκασιν, id est, *non omnes cerebrum exspuerunt :* τὸν ἐγκέφαλον ἐξεπτυκέναι dicitur de iis, quorum cerebrum non impeditur crassis humoribus, quominus rem latentem implexamque et involutam eruant ac denudent. Qui denique nec elleboro indigent nec apophlegmatismis, ut cerebrum expurgent, ii dici possunt cerebrum exspuisse, id est purgasse et defæcasse. Ductum videtur a medicis, qui gravata humoribus capita tum errhinis, tum aliis remediis pituitam et sputa educentibus repurgare solent. Hæc igitur profunda Valentinianorum mysteria, non ab omnibus comprehendi posse dicit Irenæus, quod non omnes solertia ac perspicacia prædili sint. Posset etiam in contrariam partem accipi in eos qui nimis exquisite purgantur, ita ut non solum superfluos humores, sed cerebrum ipsum exspuant et ejiciant, Ita sensus esset, non admitti ab omnibus deliria et portenta illorum hominum, quia tametsi rudes plerique videantur, tamen cerebro non carent. Et convenit proverbium, ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει. Ac certe præstat paulo crassiorem, quam ita solertem esse in rebus perniciosis, et hoc modo ἀεροβατεῖν, ut neque cœlum, neque terram attingas. Sed priorem expositionem sequi malo, quod proposito Irenæi melius convenire videatur.

Scholia Billii in proœmium Irenæi.

Pag. 1. *Quoniam nonnulli.* Græci exemplaris vitium, a Gallasio non animadversum, densas ei nebulas offundit. Legendum enim est ἐπεί, non ἐπί, ut facile perspiciet, qui propius animum attenderit. Longissima autem est hæc periodus, utpote in quam multa Irenæus inculcarit. Potuisset enim breviter ita dicere : *Quoniam nonnulli falsas doctrinas invehunt, eas tibi indicandas duxi, ut eas iis, qui tecum versantur, perspicuas facias, deque*

[60] Matth. VII, 7; Luc. XI, 9.

Digitized by Google

operam ne quisquam in prodigiosos hujusmodi errores præceps ruat.

Repudiata veritate. Τὴν ἀλήθειαν παραπεμπόμενοι, id est, ut Apostolus loquitur, ἀποστρεφόμενοι, *rejicientes, aversantes :* non, ut inepte vertit Gallasius, præter jus fasque demissi.

Falsos. Addo ψεύδεις in Græco, ex vet. interp.

Pag. 2. *Depravandis.* Ῥαδιουργεῖν τὰ θεῖα λόγια, est oracula divina male fide exponere. Verba sunt Apostoli II Tim. II.

Inscite. Ἀπιθάνως, *inscite, frigide*, parum ad persuadendum apposite.

Ut qui falsum. In Græco pro μηδὲ ἐν ᾧ διακρίνειν, legendum μὴ διακρίνειν, quemadmodum etiam habet vetus translatio, ut quidem nunc exstat.

Fraus et impostura. Πλάνη enim idem est quod ἀπάτη.

Pag. 3. *Esse videatur.* In Græc. pro φαίνεσθαι, legendum φαίνεται.

Artis solertia. Vetus interpres legisse videtur τέχνην in accusativo. Vertit enim, *artificium arguere, quod subdole sit factum.*

Integumentum. Ἐπιβολὴν lego, non ἐπιβουλὴν, astipulante 19 etiam veteri interprete, qui vertit, *superindumentum.*

Cerebrum exspuerunt. Id est ingenii perspicacia præditi sunt. Vel etiam contrario modo, ut idem sit cerebrum exspuisse, quod cerebro carere. Prior tamen sensus mihi simplicior ac rectior videtur. Existimo enim hoc velle Irenæum, idcirco non omnes capaces esse doctrinæ Valentinianæ, quod multi saniore sint cerebro, quam ut portentosa hujusmodi dogmata audire sustineant.

Pag. 4. *Voraginem.* Βυθόν, alludit jam ad Bythum, de quo mox verba facturus est : βυθὸς enim *profundum* significat.

Inter Gallos. In Græc. pro Δελφοῖς, Κέλταις restituendum est.

Imbecilliter. Legendum in Græco, ἀσθενῶς.

In præfationem notæ ex adversariis Frontonis Ducæi.

Pag. 1. *Quatenus veritatem.* Restitutus est hic locus ex emendatione V. C. Jac. Billii, rejecta Gallasii interpretatione, qui vertit : *Nonnulli in veritatem præter jus et fas demissi, introducunt fabulas.* At enim ut aliquo tibicine ruinosum parietem fulciret, vel potius ut se in ipso limine defecisse ostenderet, congessit exempla, ut verbum παραπέμπεσθαι doceret de iis accipiendum, qui falso prætextu in veritatem ipsam emissi sunt, nullamque missionem aut vocationem legitimam habent falsi doctores, sed præter rationem et ordinem a Satana emissi sunt, quos et hic auctor dicit παραδιδάσκειν, ut a Demosthene παραπρεσβεία, falsa legatio appellatur. Atqui eum vel ipsa vulgata lexica docere potuerunt, παραπέμπειν, idem esse quod *spernere*, vel *rejicere*. Esther cap. XIII, vers. 3 : Παραπέμποντας διηνεκῶς τὰ τῶν βασιλέων διατάγματα. Clem. Alexan. III *Pæd.* : Ἡδονῆς ἕνεκα λούεσθαι παραπεμπτέον. Gregor. Nazianz. : Παραπέμπεσθαι σιωπῇ. Chrysost. : Παραπεμπόμεθα τὰς αὐτῶν ἱκετηρίας. Hæc ideo repetenda fuerunt, ne quis ei assentiatur, hoc tanquam ariete valido veteris interpretis auctoritatem primo impetu labefacianti : quem si consulere sæpius gravatus non esset, tot novis erroribus Cornarii interpretationem non depravasset, neque id nobis negotii exhibuisset, ut quamplurima, quæ ab ipso fuerant immutata, vel ex collatione Basiliensis editionis Epiphanii MDXLIV, vel ex doctiss. Billii scholiis, vel ex nostra conjectura, duce veteri interprete, restituenda superessent. Porro *veritatem refutantes*, dixit, quomodo et Cicero : *Refutetur ac rejiciatur Philoctetes ille clamor ; et, non modo non aspernari, ac refutare, sed complecti.*

Verba falsa. Recte monet Billius addendum esse ψεύδεις post λόγους, quod tamen in ejus interpretatione, sive typographi, sive amanuensis ejus culpa prætermissum est vocabulum, in qua sic potes scribere : *sermones falsos et genealogias vanas inducunt.* Tametsi vetus interpres non ματαίας legisse videtur, sed ἀπεράντους, dum vertit, *infinitas :* ut est apud Ambrosium I ad Timoth. I, 4, Latina Vulg., *genealogiis interminatis ;* Tertull. *De præscript., cum genealogias indeterminatas nominat, Valentinus agnoscitur.* Cornarius etiam vocem ψεύδεις videtur legisse : scribit enim, *sermones falsos, et genealogias vanas.*

Pag. 2. *Vitreum in ejus contumeliam.* Græce ὕαλος, *vitrum*, ut apud Hieronymum epist. 8 in proverbio, quod natum videtur ex hac consuetudine adulterandi gemmas : *Tanti, ut dicitur, vitrum, quanti margaritum?* Sed apud Tertullianum *Ad martyres*, cap. 4, legimus : *Tanti vitreum, quanti verum margaritum?* Ne in usu tantum putetur hæc vox numero multitud. apud Plin. et Petron. *vitrea fracta.*

Pag. 3. *Rudis cum sit.* Interpres legisse videtur ἀκέραιος, non ἀκεραίως ; *simplex cum sit*, non, *incorrupte, sincere :* ita paulo ante, φαίνεται τοῖς ἀπειροτέροις, *ut decipiat rudiores.*

Quæ est in Deum blasphemationis. Græcus liber habet, εἰς Χριστὸν βλασφημίας ; vetus legisse videtur, εἰς Θεόν. Paulo ante pro ἐπεὶ μὴ πάντες τὸν ἐγκέφαλον ἐξεπτύκασιν, reddidit, *quia non omnes cerebrum habent*, quod priorem expositionem Billii confirmat, quasi idem sit exspuisse cerebrum, quod ingenii perspicacia præditum esse ; sive, ut monet Gallasius, ductum sit hoc genus loquendi a medicis, qui gravata humoribus capita tum errhinis, tum aliis remediis pituitam et sputa educentibus repurgare solent ; sive ab iis, qui natura cerebrum non habent iis humoribus impeditum. Ideo ergo hæc convincit, quia non omnes suo Marte illa deprehendere possunt ; nam cum addit : *Ut et tu cognoscens ea, omnibus manifesta facias ;* profecto videtur velle, ea cognosci portenta, ut ipsorum absurditate perspecta vitentur, ac damnentur. Ut cum quis, quod porrigitur pro gemma vitrum, noverit esse vitrum, rejicit protinus et contemnit. Irenæus lib. I, cap. 35 : *Adversus eos victoria est, sententiæ eorum manifestatio.* Hieron. *ad Ctesiphontem : Sententias vestras prodidisse, superasse est :*

Adnotationes Fr. Feuardentii.

Pag. 1. *D. Irenæi.* Hanc vulgatam librorum D. Irenæi inscriptionem initio mihi suspectam reddiderat, non solum vetus codex manuscriptus, qui paulo diversam habet, ut in margine signavimus ; verum etiam Eusebius [61], qui hos nominat, Ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως βιβλία πέντε, *Reprehensionis ac eversionis falso nominatæ scientiæ libros quinque.* Subscribunt ei Andreas Cæsariensis et Arethas in cap. XVI Apocalypsis ; Œcumenius quoque, Joan. Hentenio interprete, eosdem appellat [62], *Libros adversus falso dictam sapientiam ;* item : *Confutationem falso dictæ scientiæ.* Sed amplius me moverat idem Irenæus, qui præfatione in librum secundum ad hanc inscriptionem alludens, ait, se *arguere falsi nominis agnitionem.* Et paulo post eadem ita confirmat : *Quod sit detectio et eversio sententiæ ipsorum* (hæreticorum), *operis hujus conscriptionem ita titulavimus.* Rursumque præfatione in librum quartum idem ait : *Hunc quartum librum transmittens tibi operis, quod est de detectione et eversione falsæ cognitionis.* Et iterum, ad quarti libri finem scribit : *Integrum tibi opus exprobationis et eversionis falso cognominatæ agnitionis, præstante Deo, præbebimus.* Præ-

[61] Lib. V Hist., cap. 7. [62] In cap. II primæ Petri, et in Epist. Judæ.

Digitized by Google

fatione denique in librum quintum ait : *In hoc lib. v qui est de traductione operis universi, et eversione falso cognominatæ agnitionis*, etc., quibus assignata per Eusebium inscriptio dilucide probatur. Constat præterea Irenæum Ἔλεγχον ad librum primum, in quo hæreticorum errores retegit tantum; Ἀνατροπὴν autem ad sequentes quatuor, in quibus pluribus gravissimisque di putationibus eos revincit, concinne retulisse.

Quia tamen pro eadem vulgata Latinaque inscriptione facit, quod apud eumdem Eusebium prius in eodem capite ita citantur Græce, ut fert vetus inscriptio : rursusque libro quarto *Historiæ*, c. 11, idem dicit : Ταῦτα δέ φησιν ἐν τρίτῳ τῶν πρὸς αἱρέσεις, et cap. 14 : Οὕτως ἔχουσαν, ἀπὸ τοῦ τρίτου τῶν πρὸς αἱρέσεις. *Hæc dicit in tertio adversus hæreses libro.* Idemque rursum Eusebius, interprete Rufino, ejusdem libri c. 18 et 29 appellat libros *Contra hæreses*. Insuper, Cyrillus Jerosol. [63] *Institutiones contra hæreses :* Hieron. quoque in *Catalogo*, item Theodoretus [64] et Procopius Gazæus [65] interpretes, *Libros contra hæreses :* Anastasius Nicenus [66], *Sermones contra hæreses :* idem postremo Irenæus scribit : *Qui istas hæreses expugnarit, cæteras omnes facile eversurum ;* hanc eamdem vulgatam antiquam inscriptionem etiam nunc cum vetere interprete retinendam existimo; ut Græcis fragmentis altera præfigenda esset. Hæc enim eo videtur mihi elegantior, quod allusionem habeat ad Gnosticorum appellationem, simulque apostoli Pauli conveniat verbis, quibus evitandas ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως graviter sancteque præmonet.

Quatenus veritatem refutantes quidam. Longum est hujus principii hyperbatum, sed huic auctori familiare, librorum præcipuum initiis : nec potest hic facile deprehendi, atque in Græco. Ego ibi tandiu lectorem suspendi membrorum multitudine, longaque illa parenthesi, ex Patrum aliquo familiari fortasse, potius quam scripto sermone arbitror, donec ad verbum præcipuum ἀναγκαῖον ἡγησάμην, veniatur. Omnino autem ἐπεί legendum esse apparet, iidemque Irenæo sunt παραπεμπόμενοι ἀλήθειαν, qui Paulo ad Titum I, ἀποστρεφόμενοι. Fuisset igitur pura magis et facilis interpretatio si, *Quoniam veritatem adversantes quidam* dixisset interpres : sed venerandam et retinendam veterem interpretationem vel eo sum arbitratus, quod quæ Græca supersunt fragmenta, atque etiam integrum opus, si quando Græce in lucem prodeat, emendare, multisque locis restituere possit.

Genealogias infinitas. Inanibus Judæorum fabulis, et genealogiis interminatis, quibus attendere prohibet Apostolus, aptissime comparat Gnosticorum deliramenta. Siquidem oracula prophetarum rabbini detorquebant ad impura somnia, quibus totum orbem longe lateque jam pervaganti apostolicæ prædicationi de Christo vero Messia, tetram caliginem offunderent. Archisynagogus Trypho apud Justinum dicit, Messiam nullam potestatem habiturum, imo ne seipsum quidem agniturum, donec venerit Elias, qui unctione ipsum inauguret. *Primo homini affingebant duas uxores*, ait Augustinus, *ex quibus genealogias infinitas texebant, et infructuosissimas quæstiones* [67]. Vaniora vero et deteriora istis audebant contra fidei nostræ præcipua capita 20 Gnosticorum antesignani. Simon omnium horum caput, Selenen (alii vocant Helenam) quamdam sibi e prostibulo assumptam mulierculam, Minervam; se vero Jovem inter gentes; Deum Patrem inter Samaritanos; et Filium Dei apud Judæos, autumabat : nec deerant, qui fidem dictis adhiberent. Testis est statua, quam nomini illius erexerunt Romani, cum hac inscriptione : Simoni Deo sancto [68]. Testis et Nero imperator, qui in ejus gratiam Petrum apostolum neci tradidit [69]. Nicolaitarum impuritates, Ophitarum idolomaniæ, Carpocratis fœditates, Caineorum impietates, et Marcionis blasphemiæ, Judaica commenta multis parasangis antevertebant. Quid utilitatis conferebant Basilidis, et Valentini conjugationes Æonum, Profundi, Silentii, Pleromatis, Syncraseos, Propatoris fabulæ, ogdoadum, decadum et duodecadum omnibus labyrintis inextricabiliores anfractus? Isthæc igitur, et cætera id genus portenta merito aversari docemur.

Pag. 2. *Exercitata.* Ita vetus codex : delevimus autem, *exercita*. Vult vero artem persuadendi, qua in nassam suam multos pertrahebant Gnostici, veteratorie instructam, et non nisi ad fraudem ab illis comparatam fuisse.

Verba Domini. Delevimus *verbum*, auctoritate veteris cod. cui consentit lectio Græca apud Epiph. τὰ λόγια habens.

Interpretatores mali. Errores non ex sacrarum Litterarum fonte, sed perversarum interpretationum lacunis hauriri ostendit : qua de re Vigilius martyr lib. II *Contra Eutychen* his verbis conqueritur : *Origo cunctarum impietatum hæc est, dum cœlestium dictorum virtus, vitio malæ intelligentiæ temerata, non secundum qualitatem sui sensus perpenditur, sed in alias res pro arbitrio legentis, secus quam veri ratio postulat, derivatur.* Et post pauca : *Maxime dolendum, hominem inde impium fieri, unde alius pius existit : inde miserabiles captivitatis sortiri ærumnas, unde libertas acquiritur. Nunquam igitur nos terrenus, aut sibi blandiantur*, ait Hieronymus [70], *si de Scripturarum capitulis, sibi videntur affirmare quod dicunt : cum et diabolus de Scripturis aliqua sit locutus, et Scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo.*

Per verborum artem. Expunximus, *per bonorum morem*, alias, *mortem*, quod supposuerat Erasmus, qui si Epiphanium consuluisset, ab eo legendum esse didicisset, διὰ λόγων τέχνης : consentit Epiphanio vetus cod. Porro, loci hujus optimus interpres erit Tertullianus [71] scribens, illos errones importune inculcasse illud : *Quærite et invenietis ;* quo anxia curiositate Catholicorum animos, spreta Ecclesiæ doctrina, ad investigandum alium Deum, retroactis sæculis ignotum concitarent, et sic eos in casses suas pertraherent. At *nobis*, inflt ille, *curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium. Cæterum, si quærere debemus, quando finis quærendi? Ubi statio credendi? Ubi expunctio inveniendi? Apud Marcionem? Sed et Valentinus proponit :* Quærite et invenietis. *Apud Valentinum? Sed et Apelles hæc me pronuntiatione pulsavit, et Ebion, et Simon, et omnes ex ordine non habent aliud quo se mihi insinuantes, me sibi adducant*, etc. Observandum, hæreticos sinuosi anguis illius halitum spirantes, variarum quæstionum machinis, simplicium mentes perpetuo pulsasse. *Quare*, et *Quomodo*, Judaica vocabula continue occinentes : quæ a fidei rebus procul relegauda, ante Theophylactum, et Cyrillum Alex. [72] multis sæculis docuit Justinus martyr lib. *De Trinit.*

In eo quod blasphemam. Viginti tres has voces, veteris cod. auctoritate, et Græcorum miro consensu restituimus : delevimus autem, *iniqui, et impiam sententiam ipsorum factam non ostendunt.*

Quemadmodum a meliore nobis. Observavit pridem Eusebius lib. v *Hist.* Irenæum cujusdam viri apostolici, cujus nomen reticet, sermonum frequenter meminisse : quod ex cap. 2 libri hujus, 19 et 35 tertii, et 45 quarti, clarum est. Quis au-

[63] Catech. 16. [64] Dialog. 1. [65] In c. III Gen. [66] Quæstion. in Scriptur. [67] Lib. II Cont. advers. legis, cap. 1. [68] Justinus Apolog. 2. [69] August lib. de Hær. [70] Apolog. contra Lucif. [71] Lib. Præscript. [72] In VI c. Joan.

Digitized by Google

tem ille sit, cum Eusebii acerrimum judicium fugerit, non a me exspectes. Id tantum ausim affirmare, nusquam illa quæ recitat, in publicatis libris eorum, quæ ætatem illius præcesserunt, inveniri. Perspicis interea, B. hunc martyrem, non tantum scripta, sed et tradita a Patribus, adversus hæreses producere.

Cæterum, non solus Irenæus, sed et Tertullianus aperte notat, Valentinianos non aperte aut candide proposita sua prædicasse; sed multis strophis et ambagibus occultasse. *Nihil magis curant*, inquit [78], *quam occultare quod prædicant, si tamen prædicant, qui occultant.* Deinde, illa comparans cum Eleusiniis gentilium sacris, quæ ob sui fœditatem occultabantur, subdit, istos sanctis nominibus et titulis, et argumentis veræ religionis vanissima atque turpissima figmenta sua conflgurasse, etc.

Pag. 3. *Ne forte et cum nostro delicto.* Ecclesiarum pastores Dominicæ illius comminationis submonere videtur, qua sanguis pereuntium de manibus illorum reposcetur: cujus terror querulosas et uberioribus lacrymis interlitas voces has excussit Augustino, cum in consortium episcopatus vocaretur a Valerio [74]: *Nihil apud Deum miserius, tristius et damnabilius, episcopi, presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie res agatur.* Sacer Ignatius scribit [75], episcopum non tam sui ipsius esse, quam aliorum. Hinc eligendus Ambrosius, fugam meditatur [76]; Ammonius aurem sibi amputat [77]; Synesius hoc ministerio multas præeligit mortes; sese occultat Basilius magnus [78]; Chrysostomus, quantum potest onus detrectat [79]; et quidam apud B. Hieronymum formidat, ne de damnatorum numero esset, si episcopus fuisset [80]. Horrendum illud fulgur, nunc a multis inane spectrum existimari videtur.

Ovilis pellis. Nisi legas *ovillæ*, id est ovinæ (est enim utrumque usitatum) solœcismus est: habet tamen *ovilis* vetus cod.

Cæterum, hunc Irenæi locum egregie æmulatum ac interpretatum esse existimo Cyrillum Hierosol. Catechesi quarta, his ex interprete verbis: quæ etiam sequentem illustrabunt notam. *Imitatur virtutem improbitas, et zizania contendit triticum videri: quod quidem specie quadam tritico assimilatur, gustu autem a sentientibus facile discernitur. Et diabolus quoque transformatur in angelum lucis, ut homines cæcitatis caligine, et incredulitatis pestilentia irretiat. Multi lupi obambulant in vestimentis ovium, et vestes quidem ovium nanciscuntur: sed non ungues aut dentes. Ac pelle quidem mansueta induti, specie probitatis decipiunt: perniciosum vero venenum ex dentibus emittunt. Opus est igitur divina gratia, et sobria mente, et vigilantibus oculis, ne zizaniis pro tritico vescentes, imprudenter pereamus; neve lupum existimantes esse ovem, capiamur; neve perditorem nostrum diabolum, bonum esse angelum putantes, deglutiamur.* Ad id etiam spectat, quod Cyprianus martyr refert [81] Novatianos hæreticos, luporum more, tenebrosam caliginem optasse, qua facile possent ferina sua crudelitate oves a pastoribus direptas, tenebrosis speluncis suis laniare. De hisque ac similibus Dominum prædixisse: multos rapaces lupos esse venturos sub pellibus ovium. Et alibi scribit, hujusmodi animarum proditores mentiri ut fallant, blandiri ut noceant, bona promittere ut malum tribuant, et vitam polliceri ut perimant; Epistola ad plebem, de quinque presbyteris schismaticis. Legatur et Chrysostomus, tomo primo, homilia de jejuniis et Geneseos lectione.

Similia quidem nobis loquentes. Et aliam fraudem Gnosticorum retegit, qua prima verborum specie, cum orthodoxis facere videbantur; reipsa tamen simpliciorum oculos, præstigiatorum instar, tantum perstringebant, longe diversa sentientes. Cavendum semper igitur ab hæreticis, ne incautis imponant, *quia quando urgeri cœperint, aut scribendum illis fuerit*, ait Hieronymus [82], *miras strophas videas: sic verba tempetant, sic ordinem vertunt, et ambigua quæque concinnant, ut et nostra, et adversariorum confessionem teneant, ut aliter hæreticus, aliter catholicus audiat.* Pelagianos hujus fraudis ita reos agit idem [83]: *Aliud audiunt cubiculorum secreta, aliud rostrorum populi*, etc. Quam strenue hoc idem præstent inter posteriorum Gnosticorum sectas sacramentarii, nemo nescit. Vocibus quidem, Deum omnipotentem esse; veræ carnis Christi substantiam nobis offerri; Christum ad inferos descendisse; et alia permulta nobiscum credere se fingunt: interpretationibus vero pugnantibus et plane blasphemis adjectis, vanissimos et perniciosissimos se ostendunt illusores. *Fides vero pura*, scribit idem Hieronymus [84], *non quærit strophas: quod simpliciter creditur, simpliciter confitendum est.* Et Tertullianus *Contra Valentinianos: Nihil veritas erubescit, nisi tantum abscondi.*

Cum legerim commentarios ipsorum. Non solum ergo Valentinus hæresiarcha quædam scriptis evulgavit, velut Evangelium, Psalmos, et Sophiam, ut est apud Tertullianum [85], Clementem Alexandr. [86] ac Epiphanium, verum etiam discipulos habuit polygraphos, quorum commentarios post Irenæum se legisse profitetur Tertullianus libro *De carne Christi*, cap. 15, 16, 17 et 20. An vero lectio librorum hæreticorum quibusvis permittenda sit, discutiemus postea.

Qui sunt citra Ptolemæum. De hoc plura refert idem Irenæus ad finem capitis primi libri primi: item libro secundo **21** capite quarto et quadragesimo, Tertullianus sub calcem libri præscribit eum cum Valentino per omnia sensisse, adjectis tantum octo novis Æonibus ad triginta, et negando Æonem tricesimum excessisse de Pleromate. Ejusdem rursum meminit libro *Adversus Valent.*, cap. quarto, octavo et duodecimo. Nicetas Choniates libro quarto *Thesauri orthodoxiæ*, cap. quinto, testatur hunc Bytho, quem Deum vocabat, duas affinxisse conjuges, Ennœam seu cogitationem, et Thelema seu voluntatem. Insuper, epistola ad Floram (quam transcripsit Epiphanius) in Moysis legem invectum solum Decalogum, veluti a Deo datum hominibus, admittendum esse. Hujus porro errores post Irenæum, solide refellunt Epiphanius, Euthymius, Nicetas, et Theodorus Scutariotes.

Ostendemus. Quia Græca vox ἀπαγγελοῦμεν, est futuri temporis, et ita legit vetus codex, loco dejecimus *ostendimus.*

Et aliis occasiones dabimus. Cupit omnes alios qui scribendi et dicendi arte pollebant, suo exemplo adversus hæreticos decertare, et nullo pacto in eorum sceleribus maximis connivere. Gloriatur Hieronymus se nunquam hæreticis pepercisse, sed omni egisse studio, ut hostes Ecclesiæ, sui quoque fierent, in proœmio *Dialogi contra Pelagian.* Hortatur idem Augustinum, ad eum data epistola, pro signo maximæ gloriæ ducere, quod eum omnes hæretici detestarentur, secumque pari odio prosequerentur, ut quos gladiis nequibant, votis saltem interficerent.

Neque scribere consueti. Non inepte forsan quis ex hoc divinare posset, hos quinque libros primum esse fetum Irenæi, quem sub annum Christi centesimum octogesimum, pontificatus vero Eleutherii

[78] L. adv. Valent., cap. 1. [74] Epist. 148. [75] Epist. 1. [76] Paul. in Vit. Ambros. [77] Niceph. l. II. [78] Epist. 2. [79] Chrysost. lib. de Sacer. [80] In Reg. mon. [81] Epist. ad Novatianum. [82] Epist. ad Oceanum et Pamma. [83] Epist. ad Ctesiphontem. [84] Epist. ad Theophilum. [85] Lib. Præscrip. [86] Lib. II Strom.

Digitized by Google

papæ secundum, emiserit adversus Valentinum : antequam in Florinum et Blastum ejusdem impietatis sectatores stylum acueret.

Pag. 4. *Non autem exquires a nobis.* Observa, Patres veritati et simplicitati, magis quam eloquentiæ studuisse. Hinc Cyprianus epist. ad Donatum : *In concione pro rostris, opulenta facundia volubili ambitione jactetur ; cum autem de Deo vox est, vocis pura sinceritas non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, sed rebus.* Et Augustinus, quarto *De doctrina Christian.*, cap. decimo quinto : *Agat doctor Ecclesiæ, quantum potest, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur : et hæc se posse, pietate magis orationum, quam oratorum facultate non dubitet, ut orando pro se, ac pro illis quos est allocuturus, sit orator, antequam doctor.*

Qui apud Celtas. Plinius libro quarto, cap. decimo septimo, scribit Galliæ Comatæ tertiam partem Celticam et Lugdunensem vocari, eam nimirum quæ est inter Sequanam et Garumnam. De his infra libro primo, capite tertio, adnot. 5, et apud Tertul. lib. *De anima* cap. 57, item Strabonem, Pomponium, Cæsarem, etc.

Idiotice. Id est, vulgari more, vel forsan rectius, privatim : ut referatur ad pronomen *tibi.*

Et in lati udine sensus tui. Apertius : Et pro ingenii tui fecunditate, quæ paucis a nobis dicta sunt, uberiora longe facies.

Subministrationem dare. Græce ἐφόδια δοῦναι, eleganter dicimus, viaticum præbere. Hic idem quod ἀφορμήν, *opitulationem, auxilium, aut subsidium* significat.

Ex Joannis Ernesti Grabii adnotationibus in præfationem libri I.

Pag. 2. Ὑχηλότερόν τι. Tertullianus lib. *Contra Valentinianos* cap. 1 : *Concreto vultu, suspenso supercilio, Altum est, aiunt.*

Ἔχοντες ἐπιδεῖξαι. *Habentes ostendere.* Sæpius occurret in hoc libro hæc loquendi forma (quæ plane Græca est) *habere* pro *posse.* De hac igitur sat erit hoc initio admonuisse. GALLAS.

Ἀπιθάνως. Est hic elegans antithesis inter πιθανῶς et ἀπιθάνως, quam non expressit vetus interpres, dum posterius verbum in generali accipiens significatione reddidit male. Idem autem est ac si diceret : *Probabili quidem ratione* niti videri possunt, dum homines imperitos et minime malos incitant ad inquirendum ; quis enim vetet inquirere de iis, quæ nos scire oportet ? præsertim cum dicat Christus : *Quærite et invenietis*[87]. Sed *nulla probabili ratione* excusare possunt, quod inquirendi modum excedentes, perdunt eos, quos ad impietatem et horrendas blasphemias impellunt.

Pag. 3. Ὅμοια μὲν λαλοῦντας, etc. Ita et Tertullianus *Contra Valentinianos* cap. 1 : *Si subtiliter tentes,* inquit de illis, *per ambiguitates bilingues communem fidem affirmant.* Et paulo ante : *Sanctis nominibus, et titulis, et argumentis veræ religionis, vanissima atque turpissima figmenta configurantes.*

Μὴ πάντες τὸν ἐγκέφαλον ἐξεπτύκασιν. Interpres male ἐσχήκασιν. Cæterum hæc phrasis dupliciter exponi potest, vel de illis, qui pravis humoribus per sputa ejectis defæcatum habent cerebrum, ita ut res obscurissimas perspicere queant ; vel de iis, qui nimis purgantur, adeo ut et superfluos humores, et ipsum cerebrum exspuant, iisque competat proverbium : ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει, *caret sensu.* Priori modo Gallasius vult ironice ab Irenæo dictum, non omnes tanta perspicacia præditos esse, ut in profunda Valentinianorum mysteria penetrare queant. Quam expositionem Billius quoque se probare profitetur, cum tamen reapse posteriorem sequatur, mihi omnino genuinam visam. Serio nempe Irenæus ait, non omnes portentosa hæreticorum commenta admittere, quod non omnes cerebrum exspuerint, sed plurimi integrum sanumque habeant caput.

Μήτε συγγράφειν εἰθισμένοι. Solerter inde collegit Feuard. hos *Contra hæreses* libros primum Irenæi opus esse. Cæterum notanda hic verba scholiastæ in initium lib. I Thucydidis : Συγγράψαι, τὸ μετ' ἐπιμελείας καὶ σπουδαίως συντάξαι, γράψαι δὲ καὶ τὸ ἁπλῶς καὶ μὴ ἐπιμελῶς τὴν ἀλήθειαν ἀνευρεῖν. Atque hinc paulo post δυνάμει συγγραφέως se destitutum ait Irenæus.

Pag. 4. Κελτοῖς. Ita recte in Petaviana editione Epiphanii legitur pro Δελφοῖς, quod erat in Basilecnsi, indeque in editiones Irenæi transcriptum. Cæterum Celtas istius Galliæ partis incolas dictos fuisse, in qua est urbs Lugdunensis, cujus episcopus fuit S. Irenæus, ex Cæsaris lib. I *Commentariorum*, et Plinii lib. IV, cap. 17, constat, vulgares geographos ut taceam.

Συγγραφέως. De hac voce vide Suidam, ac Harpocrat. et in hunc Valesii notas. Cæterum titulum συγγραφέως, quem auctor noster sibi sumere modeste recusavit, eidem merito alii asscripserunt : sic in ms. cod. **22**, in archivo Bodleiano B. quædam citantur ἐξ ἑτέρου βιβλίου Εἰρηναίου συγγραφέως, suo loco recitanda.

Ἰδιωτικῶς. Hæc vox vel significat *privatim*, id est *seorsim ;* vel *vulgariter*, id est *ruditer, sine exteriori ornatu.* Priorem significationem præfert Feuard. spectans id quod sequitur : *tibi scripta sunt ;* ego posteriorem, quod præcedentibus verbis, ad quæ apte refertur, magis congruat.

Ex adnotationibus Nicolai Gallasii in cap. 1.

Pag. 31. *Quicunque in sæculo est, et uxorem non amat.* Locus hic, quia difficilis est, indiget explicatione. Ac primum notanda est illa differentia quam statuebant Valentiniani inter εἶναι ἐν κόσμῳ et ἀπὸ κόσμου. Dicebant enim se in mundo esse, sed non de mundo, propterea quod spirituales erant, neque corrumpi vitiis et sordibus hujus mundi, etiamsi in iis mergerentur, quod interior esset eorum puritas et perfectio, quæ non poterat sordibus externis pollui aut inquinari : quemadmodum prius id ex auri similitudine declaratum est. Cæteros vero qui non erant illius sectæ dicebant ἀπὸ κόσμου sive ἐκ κόσμου γίνεσθαι : quia regeniti non erant, nec habebant semen electionis. Ideo ψυχικοὺς ipsos vocabant, quod non a spiritu, sed ab anima humana regerentur. Hos ergo negabant ex veritate esse, aut esse ad illam pervenire, quoniam vincebantur sua concupiscentia. Atque hic observa non recte legi in aliis exemplaribus Græcis, μὴ ἐν ἐπιθυμίᾳ. Est enim tollenda negatio, quæ sententiam prorsus conturbat atque evertit. Nam Valentiniani, etiamsi libidinibus parerent, negabant se vinci cupiditate, quia semine interiori se conservari putabant : cæteros vero, qui carebant illo semine, dicebant pollui, et a mulieribus superari. Ergo falsa illa persuasione imbuti ; vani et impii homines efferebantur, et se tanquam puros jactabant, atque licentiose et effrenate se in omni scelerum et flagitiorum cœno provolvebant. Hic etiam παρέργως notanda transformatio illa verborum, qua gloriam sibi et laudem in stupris et adulteriis tribuunt, cæteris vero in iisdem facinoribus pudorem et ignominiam. Nam cum de suis loquuntur, qui solummodo in mundo sunt, aiunt mulieres quibus fœde abutuntur, venire in ipsorum potestatem, αὐτὴν κρατηθῆναι : alios vero qui e mundo sunt, quod semine spirituali careant, per concupiscentiam teneri a muliere, ac veluti captivos possideri : ἐν ἐπιθυμίᾳ κρατηθῆναι γυναικός. Hunc locum Tertullianus attigit, cum ait : *Alioqui degenerem nec legitimum veritatis, qui deversatus in mundo non amarit feminam,* **22** *nec se ei junxerit. Et quid facient spadones, quos videmus apud illos?* Cæterum

[87] Matth. VII, 7.

Digitized by Google

ex iis quæ dicta sunt, colligere possumus γυναικός non esse hic capiendum pro uxore, cujus amor est bonus et legitimus, sed pro quavis muliere, cujus amore quis capiatur. Nam certum est promiscuas apud illos fuisse libidines, ita ut sine delectu cum quavis, modo placeret, miscerentur, atque in omnem intemperantiam, lasciviam et turpitudinem sese effunderent. Illos denique, ait Tertullianus, *de passivitate vitæ* (sic enim loquitur), *et diligentia delictorum generositatem suam vindicasse*. Hujusmodi monstra exstiterunt (utinam vero ne jam illi exstent) nostris temporibus, qui ex Anabaptistarum secta prodierunt. Ili Libertini vocati sunt, ob falsam libertatem quam jactabant nomine religionis. At potius cum licentiam omnem scelerum, libidinum, atque omnis corruptelæ captent, servili nomine insigniendi fuerunt. Sunt enim mancipia ventris, Veneris, omniumque flagitiorum. Illorum morem ita describit Irenæus, ut videantur ejus tempore exstitisse. At exstiterunt illorum proavi et majores, quos perbelle imitantur. Etenim vivam istorum imaginem sic depinxit, ut non dubitemus in eodem ludo edoctos, atque eodem usos magistro, eodemque semine erroris prognatos ab illis majoribus. Jactant enim se, quantumvis indulgeant vino et crapulæ, quamvis scortentur, furentur, detrahant, maledicant, occidant, nullius culpæ reos esse, nec ullo modo pollui aut contaminari : quia novi sunt homines, liberati a condemnatione Adæ, non attingi aut inquinari interiorem ipsorum hominem, nec spiritum ipsorum iis quæ a corpore fiunt, consentire. Ita se manumissos aiunt et liberos, ut quidvis ipsis liceat; ac reliquos qui Dei timore et conscientia retinentur, subsannant ut rudes et idiotas; quod adhuc in Adamo sint, necdum se norint vindicare in libertatem. Verum ut planius intelligas quid simile aut dissimile cum istis habeant, legito libellum quem a Joanne Calvino adversus Libertinos Gallice scriptum, nos jam a multis annis in Latinum sermonem convertimus.

Scholia Billii in cap. 1.

Pag. 5. *Proarchen*. Hanc vocem addo et ex vet. interp. et ex Tertul.

Bythum. Parum congruenter hoc nomen a Valentinianis tributum esse scribit Tertul. lib. *adversus Valent*. ei qui in sublimitatibus habitat. Bythus enim *profundum* significat. Bythium tamen dicit ille, non Bythum.

Monogenem. Hunc item Protogenem aptius vocandum fuisse ait Tertul. quam Monogenem, cum eum non unigenitum, sed primogenitum fingant.

Quam et Charin et Sigen vocant. Hæc verba in Græco exemplari desiderantur, quæ ex veteri interpr. adjecimus.

Pythagoricam quaternitatem. Tetradem et quadrigam dicit Tertullianus. Pythagoricam autem eam vocat, quod philosophus ille quaternarium numerum in tanto honore haberet, ut etiam hanc formulam jurandi discipulis suis præscriberet, οὐ μὰ τὸν ἡμετέρᾳ γενεᾷ παραδόντα τετρακτύν.

Pag. 8. *Adducere cuperet*. Vetus translatio habet *nollet*. Tertullianus tamen Græcæ lectioni suffragatur.

Derivavit. Ita reddit Tertullianus hoc verbum ἀπέσκηψε, similitudinemque ducit a vitiis, quæ in corpore alibi enata, in aliud membrum perniciem suam efflant. ἀπέσκηψε, Gallice *se déchargea*, ingruit, impetu desiit.

Temeritate. Non enim æmulabatur, solum de patre gaudentem. Tertull.

Pag. 9. *Femina*. Θήλεια lego cum vet.

Ne esse quoque ipsum finem haberet. Græcus codex habet, μηδὲ αὐτὸ τὸ εἶναι τελείως ἔχειν. Sed apparet ex veteri interprete legendum esse, μὴ καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι τέλος ἔχῃ. Quam etiam lectionem confirmat Tertullianus. Sic enim ait : *Et metuere postremo, ne finis quoque insisteret.*

A *Id quod accideret*. Epiphanii codex habet τὸ γένος. Sed γεγονός malo cum vet. interpr., præsertim cum ab hac sententia stet Tertull. qui *casum*, non *genus* dicit.

Pag. 10. *Materiæ essentiam*. Τῆς ὕλης addo in Græco ex vet. interpr. et ex Tertull.

Conjugis experte. Sic vertendum esse apparet tum ex vet. interpr. tum ex Tertull., qui *imaginem femina-marem* dicit, ac denique ex his quæ sequuntur. Neque enim hæc ratio, quam subjicit, satis quadraret, si ἀσύζυγος ἀῤῥενόθηλυς ad Horum referrentur.

Patrem enim. Add. in Græco πατέρα.

Et crucem et lytrotem. In Græco corruptè legitur συλλυτρωτήν : pro quo reponendum ex vet. interpr. et Tertull. σταυρὸν καὶ λυτρωτήν.

Pag. 11. *Cruci affixam esse*. Pro ἀποστερηθῆναι, in Græco legendum ἀποσταυρωθῆναι. Crucifixam enim et vetus interpres, et Tertullianus habent,

B non privatam.

Id videlicet agentis. Hæc desunt in veteri translatione, sed ex Græco supplenda sunt et Tertull.

Hoc est, Christum et Spiritum sanctum. Merito hanc conjugationem ridet Tertullianus, ut turpissimam, nempe duorum marium.

Quodque in quibus. Hoc loco Tertulliano non convenit cum veteri interprete : cujus ego vestigia secutus, ita hæc verti, quasi in Græco sit, ἀγεννήτου κατάληψιν γινώσκοντας ἑαυτοῖς ἱκανοὺς εἶναι. Tertullianus, inducere (id est docere) innati generationem, et idoneos efficere generandi in se agnitionem patris, videtur legisse in Græco non ἀναγορεῦσαι, id est *prædicare*, sed ἀναγεννῆσαι.

Pag. 12. *Nisi Monogenis beneficio*. Ad verbum, per Monogenem. In Græco expungendum est verbum, γινώσκεται.

C *Cur ii omnes perpetui sint*. Αἰώνιον διαμονην *perpetuitatem* vertit Tertullianus, rideteque vecordiam Valentinianorum, qui hanc perpetuitatis Æonum causam afferant. Ex ea enim sequi, ut Æonibus præstiterit Patrem non comprehendisse, quam si eum comprehendissent. Hinc enim perpetuitatem ipsis comparatam esse, cum ex ipsius comprehensibilitate, hoc est ex Filio, formam tantum acceperint.

Ortus. Dele in Græc. αὐτοῦ.

Hoc est, in Filio. In Græc. corrupte habetur ᾧ δὴ ἴσος ἐστί. Legendum enim est ὃ δὴ ὁ υἱός ἐστι, suffragante non modo veteri interprete, sed etiam Tertulliano, qui his verbis utitur : Filium autem statuunt apprehensibilem Patris. Ubi tamen legendum apprehensibile, id est τὸ καταληπτόν.

D *Omnes Noas, omnes Sermones*. Ovidius *Metamorphoses* suas delevisset, si majorem cognovisset. Tertull.

Pag. 13. *Produxisse*. Græc. προβαλέσθαι προβλήματα. Legendum πρόβλημα. Neque enim hic agitur nisi de Jesu. Ridet autem hic quoque Tertullianus Valentinianorum amentiam, qui Æonas suos velut ex ære collatitio Jesum ornasse statuant, cum tamen eos unum omnes effectos fuisse asserant. Si enim, inquit, omnes unum erant ex supradicta peræquatione, vacabat symbolæ ratio, quæ ferme ex varietatis gratia constat. Opportuneque hoc loco Pandoræ Hesiodi mentionem facit, quemadmodum et Irenæus lib. II, cap. 19.

Ac denique omnia. Legendum in Græc. καὶ πάντα, non καὶ κατὰ πάντα, astipulantibus vet. interp. et Tertull. Sicque ead. lin. pro αὐτῶν, reponendum αὐτῷ.

Pag. 13. *Ac pene*. Existimo legendum in Græc. κατά, vel παρά, non μετά.

Et Æonum. Sic lego cum veteri. In codice Epiphanii non est καὶ αἰώνων, sed ἑξάγωνος, id est *sexangula*. Quod si quis ita legere malit, referendum erit hoc vocabulum ad sex Hori nomina, quæ præcedunt.

Digitized by Google

Pag. 14. *Eorum.* Addo αὐτῶν ex vet.

Duodecadis autem. Corrigendus est Græcus Theodoreti codex libro primo *Hæreticarum fabularum* in hæresi Valentini, ac pro τὸν δύο καὶ τὸν δέκα, legendum τὸν δυοκαίδεκα. Duodenarium enim summo in pretio habebant Valentiniani.

Significari asserunt. Græca transposita sunt. Nam pro σημαίνουσι λέγεσθαι, reponendum est σημαίνεσθαι λέγουσι.

Pag. 15. *Innui.* Pro ὑπερσημαίνεσθαι legendum ὑποσημαίνεσθαι, et ead. lin. pro τῆς ἀποστασίας τοῦ Ἰούδα, διὰ Ἰούδαν restituendum ex vet. inter. et ita postulante sensu.

Cujus. Pro αὐτῆς legendum αὐτῇ, et paulo post, ante εἰ μή, ponenda est particula copulativa καί ex vet.

Resoluta fuisset. Vet. interp. hic mihi lapsus esse videtur. Vertit enim, advenisse in omnem essentiam suam : perinde ac si in Græco haberetur ἀνελήλυθει. Sed verior est lectio ἀνελύθη ἄν, id est *redacta ac resoluta fuisset* : quemadmodum patet ex his quæ superius dixit Irenæus, cum de Sophiæ calamitate verba faceret.

Pag. 16 *Egressa virtus a Filio.* Ex vet. interpret. pro τούτου restitue τοῦ Υἱοῦ. Ibidem pro ταύτης legendum ταύτην.

Atque extra complementum. Græc. καὶ ἐξορισθείσης ἐκτὸς τοῦ Πληρώματος, ἣν δὴ καὶ δευτέραν ὀγδοάδα καλοῦσι, περὶ ἧς μικρὸν ὕστερον ἐροῦμεν. Quæ quidem verba, tametsi in veteri quoque interpretatione exstant, meo tamen judicio delenda sunt. Nec enim quidquam ad rem faciunt, nec sententiam absolutam habent. Ac præterea falsum est Valentinianos Enthymesin secundam ogdoadem appellare.

23 *Salvatorem porro.* In Græc. pro τὸν μὲν Ὅρον, legendum τὸν δὲ Σωτῆρα.

Pag. 17. *Ventilabrum enim illud.* Ἐκεῖνο lego cum vet.

Nam cum multæ. Veterem interpretem hoc loco sequor, qui hæc verba ἕτεροι δέ haudquaquam agnoscit ; et certe redundant.

Pag. 18. *Et vacuitatis loca.* In Græc. pro σκηνώματος, reponendum κενώματος, ex Theod. libro 1 *Hæret. fab.*, ut etiam legit vetus interpres, et Tertul. consentit, qui Enthymesin in loca luminis aliena (hoc est σκιᾶς) et in vacuum illud et inane Epicuri explosam fuisse ait.

Superiorem. Addo ἄνω, ex veteri : quemadmodum et paulo post αὐτήν post καταλιπεῖν.

In se. Pro αὐτήν, legendum αὐτῇ ὑπό, ex vet. interpr.

Pag. 19. *Invisibiliter.* Lego ἀοράτως cum vet.

Atque in omnium. Veterem hoc loco sequor, qui ita legit, ἀγνοοῦσα δὲ τὰ πάντα οὐ καθάπερ, etc. Hæc enim lectio mihi simplicior videtur.

Et omnem. Καὶ addo ex vet.

Pag. 20. *Enim vero gestit animus.* Habuit, inquit Tertull. et falsas et amaras et dulces et frigidas guttas, et bituminosas et ferruginantes et sulphurantes et venenatas, etc.

Pag. 21. *Ab ipsius sudoribus.* Græca hoc loco mendosa sunt. Legendum enim γένεσιν ἐσχηκέναι ἀπὸ τῶν ἱδρώτων αὐτῆς, ut legit vetus interpr. et postulat sensus.

Quoniam autem. Lege ἐπεὶ δέ.

Pursus descendere. Apud Theod. loco supra citato mendose legitur μετελθεῖν pro κατελθεῖν.

Ad eam. Legendum in Græco πρὸς αὐτήν, vel αὐτῇ.

Atque item Æonibus. Hic quoque in Græco mendum irrepsit. Nam pro δεόμενος legendum δὲ ὁμοίως, ut vetus interpr.

Sibi obduxit. Malo *sibi* legere, cum Tertulliano, ut ad ipsam Achamoth referatur, quam *ei*, cum vet. interp.

Pag. 22. *Scientiæ formam.* Apud Tertull. corrupte hoc loco habetur, *confirmavit* : legendum est enim *conformavit.*

Secretas eas. Corruptus est hic locus in Græco : pro χωρήσει τοῦ enim χωρὶς substituendum est. Non enim hoc vult Irenæus, has passiones minime confusas fuisse, sed contra potius permistas inter se atque confusas.

In corpoream materiam. In Græco pro ἀσώματον legendum ἐνσώματον, ex vet. interp. et Tertul.

Altera mala. Tertul. de vitiis pessima : de conversione passionalis : Græce ἐμπαθής.

Achamoth autem. Δέ legendum, quemadmodum seq. lin. σὺν αὐτῷ, non ἐν αὐτῷ, ex vet. interp.

Pag. 23. *Arripuisse.* Locus hic magnopere me torsit. Nam cum συλλαβεῖν hoc loco idem esse existimarem quod *concipere*, non videbam quænam esset hæc contemplationis angelorum conceptio. Illuc etiam accedebat, quod aliquanto inferius Achamoth non contemplationem peperisse, sed κατὰ τὴν ἐκείνων θεωρίαν, fetum edidisse scribitur. Ne dicam quod si hic συλλαβεῖν idem esset quod *concipere*, conceptio congressum antecederet. Id quod vel cogitare absurdum est. Denique Tertullianus ipse eam angelicorum luminum contemplatione tantummodo concalefactam esse ac velut ad Venerem exarsisse scribit, non autem contemplationem concepisse. Quare hoc loco συλλαβεῖν τὴν θεωρίαν, nihil mihi aliud significare videtur, quam θεωρεῖν.

Cumque ipsis congressam. Ἐγκισσᾶν hoc loco est ad Venerem admittere. Tertul. vertit *subare.*

Ad similitudinem effectum. Legendum in Græco γεγονός, non γεγονότων.

Ita formasse. Μεμορφωκέναι. Mendose legitur apud Theod. ἰδιοποιῆσαι pro εἰδοποιῆσαι.

Pag. 24. *Ac nihil ejusmodi sentiens.* Hæc verba addo ex Tertul. perspicuitatis causa. Illic tamen pro *a quo*, reponendum *a qua.*

Quæ post eum. Lego μετά cum vet. interp.

Hoc est, hylicorum. Apud Tertull. pro *materiam*, legendum *materialium.*

Ex ipso procreatos. Τούτου lego ex veteri interp. et Tertul.

Spirituales. Νοητούς, id est qui intelligentia tantum comprehenduntur, non autem in aspectum cadunt. Delenda porro hic in Græco est particula negativa, ut apparet ex vet. interp. et Tertul., qui tamen νοερούς legit, non νοητούς, quod mihi magis placet.

Pag. 25. *Hujusce opinionis.* Οἰήσεως enim habet Epiphanii codex. Tamen ποιήσεως legit vet. interp. Vertit enim *operationis.* Prior tamen lectio magis convenire videtur cum his quæ antecedunt.

Pag. 26. *Quia imbecillior.* Græce, ἀτονώτερον αὐτὸν ὑπάρχοντα, vet. interpr., ἀνώτερον αὐτὸν ὑπάρχοντα προγινώσκειν. Ita enim habet, *superiorem ipsum existentem præscire.* Sed hæc lectio parum congruit cum auctoris sensu.

Psychicum filium. Addo ψυχικόν ex vet.

Quia psychicus sit. In Græco pro ψυχικά substituendum ψυχικόν ex vet. interp.

In subcœlesti. Legendum est in Græco ὑποπουράνιον, ut opponatur τῷ ὑπερουρανίῳ, in quo mater sedem habet.

Cosmocratorem autem. Κοσμοκράτορα lego, non παντοκράτορα, Diabolum enim intelligit. Consentiunt vetus interp. et Tertull.

Terram nimirum. Γῆν lego, non τήν, ex veter. et Tertull.

Metus motionem. Delenda videntur hæc verba in Græco, τῶν δακρύων, nec ea agnoscit vetus interp.

Mœroris concretionem. Λύπης. Vetus legit ὕλης, sed male.

Insitum esse. Legendum ἐμπεφυκέναι, non ἐκπε-

Digitized by Google

φυκέναι. Ridet autem hoc loco Tertull. Valentinianos, qui unde ignis exstiterit, minime prodant. Itaque ait, credibile esse Achamoth in tantis vexationibus febricitasse, ex eoque æstu ignem prodiisse.

Pag. 27. *Et fusili.* Addo καί, ex vet.

Ut quæ. Addo ἅτε ex vet.

Perfecti sermonis. Addo λόγου ex vet. et Tertull.

Spiritualis homo. Lego ἄνθρωπος ex vet. et cod. lin. δυνάμει καί.

Pag. 28. *Atque hunc esse.* Græca ex veter. interp. ita corrigenda sunt, καὶ τοῦτον εἶναι τὸν ἐν αὐτοῖς ἄνθρωπον ἀξιοῦσιν.

Corpus a terra, carnem a materia. Hæc duo pro uno accipienda sunt. Nam cum paulo post tria genera inducit, hylicum duo hæc complectitur.

Recipere queat. In Græco veterem interpretem secutus ἐπιδέξασθαι lego, non ἐπιδείξασθαι.

Sese inflexerit. Legendum in Græco πρόσκλισιν, non πρόσκλησιν.

Salem. Alludit ad hunc, ut opinor, locum : *Vos estis sal terræ* [88], quo Valentiniani abutebantur.

Psychicum etenim. In Græco pro τῶν ψυχικῶν, substituendum est τῷ ψυχικῷ. Sicque non modo vetus interpres habet, sed etiam Tertullianus; cujus hæc verba sunt : *Indiguisse enim animalem etiam sensibilium disciplinarum.*

Ob eamque causam. Pro δ' ὧν, lego διό cum veter.

Primitias. Ἀπαρχάς. Tertull. *prospicientias*, parum commode.

A dispensatione. Οἰκονομίας. Tertull., *administrationis vi.*

Ut et visibile. In Græco lego καὶ ὁρατὸν, καὶ ψηλάφητον cum vet. interp. et Theod. et Tertull.

Pag. 29. *Et ab Achamoth.* Græca hoc loco ita emendanda sunt ex vet. interp., καὶ ὑπὸ τῆς Ἀχαμὼθ μεμνημένους τὰ μυστήρια, ἑαυτοὺς δὲ τούτους ὑποτίθενται.

Quod ipsi esse volunt. Sic enim lego cum vet., ὃ θέλουσιν αὐτοί : Græca enim hoc quoque loco corrupta sunt.

Potest. Post ἀδικῆσαι addo δυναμένου ex vet.

Pag. 30. *Libere ac sine.* Legend. in Græc. ἀδιαφόρως.

Indoctos. Ἰδιωτῶν unica voce legendum.

Pag. 31. *In usu.* Χρήσει. Opponitur autem τῇ κτήσει.

Nobis adimatur. His verbis alludit ad illud Evangelii : *Habenti dabitur, ei autem qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo* [89].

Quisquis in mundo. Degenerem nec legitimum veritatis aiunt, inquit Tertull., *qui diversatus in mundo, non amaverit feminam, nec se ei junxerit.* Itaque merito eos *de passivitate vitæ et diligentia delictorum generositatem suam vindicare* ait. Quo loco, ut obiter id admoneam, *passivitas* non deducitur ab adverbio passim, ut adnotat Rhenanus, sed vocabulum est de Græco redditum. Quod enim ἐμπάθειαν Græci dicunt, id ille *passivitatem* transtulit. Porro ut ad auctoris nostri verba redeam, hæc verba *in mundo, et de mundo*, a Valentinianis petita esse videntur ex c. XVII Joan., ubi Christus discipulos suos in mundo, sed non de mundo, esse ait. Quæ quidem verba impurissimi homines falso de se usurpabant.

Mulieri succubuit. Κρατηθῆναι hoc loco ita verto, ut dilucidior sit sensus. Aiebant enim Valentiniani se ex Venereo congressu nihil spurcitiei contrahere, quod spirituales essent : reliquos contra inquinari, ac per concupiscentiam a mulieribus, quibuscum rem haberent, victos ac velut constrictos teneri.

Nobis quidem. Lego cum vet. Ἡμῖν μὲν, οὓς ψυχικοὺς ὀνομάζουσι, καὶ ἐκ κόσμου εἶναι λέγουσιν, ἀναγκαίαν τὴν, etc.

24 Pag. 32. *Per sponsum et sponsam.* In iis nimirum Evangelii verbis : *Exite obviam sponso et sponsæ* [90].

Per cubiculum nuptiale. Alludit, ut opinor, ad hunc locum : *Nunquid possunt filii, sponsi jejunare* [91], etc. Illic enim in Græco est νυμφῶνος, quæ vox *cubiculum nuptiale*, sive *thalamum* significat. Hoc porro vocabulo Pleroma suum significari Valentiniani contendebant.

Sed animalem. Delendum καί in Græc. et reponendum post ψυχικόν.

Pag. 33. *Atque hunc quidem.* Supple, Salvatorem, qui in columbæ specie in eum descenderat. Sic enim Tertull. exponit, legendumque est τοῦτον ex vet.

Utpote spirituale. Pro τό, repono ἅτε ex vet.

Per eum. Addenda præpositio διά ex vet. et delendum paulo post εἶναι.

Pag. 34. *Ab hoc semine.* Vetus, *de semine.*

Complexionem deteriorum. Χειρόνων lego cum vet.

Perstitisse. Διατετελεκέναι. Quam lectionem probo. Nam διατετηρηκέναι, ut legisse videtur vet. interp., parum ad auctoris sensum quadrat. Paulo post Σωτῆρος cum eo lego, non Κυρίου.

In mundi administrandi munere. Tertull. dispensationem mundi exsequitur.

Pag. 35. *Ut ex his etiam.* In Græco ante hæc verba καὶ ἐκ τούτων, ponenda hæc sunt, ἵνα ἐπιδείξῃ, ex vet.

Conquieturum. Ἀναπαύσεσθαι in futuro legit vet. inter.

Justorum animis. Hoc loco pro δικαίαις vet. interp. legit δι' καί, sed male.

In sponsas. Hæc eleganter irridentur a Tertul. *Distribuentur*, inquit, *angelis Soteris. In filios putas? Non. Sed in apparitores? Ne istud quidem. Sed in imagines? Utinam vel hoc. In quid ergo, si non pudet dicere? In sponsas. Tunc illi Sabinas raptas jure matrimonii plaudent.*

Has ipsas animas. Pro ψυχικάς repono ψυχάς ex vet. interp.

Pag. 36. *Argutiam.* Σοφίαν. Vetus interp. legit φαντάσματι, id est *spectro*, quod vocabulum optime quadrat in hos detortorum Scripturæ locorum consarcinatores, qui non solidum quoddam utilis doctrinæ corpus afferunt, sed velut spectrum inane confingunt.

Pag. 37. *Interno Pleromatis cœtui.* In Græco pro ἐν τοῖς τοῦ legendum cum vet. int. τοῖς ἐντὸς τοῦ.

Ipsorum Christus. Lego αὐτῶν cum vet. quemadmodum et vers. eod. αὐτήν pro αὐτῇ, et οὖσῃ pro οὔσης.

Pag. 38. *Renuntiare his qui in domo mea sunt.* Ἀποτάξασθαι τοῖς ἐν τῷ οἴκῳ μου. Verti etiam potest, *extremum salutare domesticos meos.*

Pag. 39. *Jam quod eorum.* In Græco pro ὅτι ἰδών, legendum ὅτι δ' ὧν.

Si radix sancta. Gallasii scitantiam non queo non mirari, qui ne hic quoque mendum Græci codicis deprehenderit, sed in apertissimo Scripturæ loco tanquam in meridiana luce hallucinatus sit. Vertit enim, *et erant primitiæ sanctæ.* In Græco autem pro ἦν legendum ἦν, quemadmodum cuivis, nisi plane cæco, perspicuum est.

Atque in se contraxisse. Συνεσταλκέναι. Mendosum hoc loco fuisse codicem vet. interp. suspicor, qui *erexisse* vertit, quasi in Græco esset συνανεστηκέναι.

Ad ovem quæ. Deest vocabulum πρόβατον in Græco.

Pag. 40. *Deo gratias egit.* Θεῷ lego cum vet., non αὐτῷ, et ita legendum esse patet ex ipsius cantico.

Qui veniente. Ὃς legendum, non ὡς.

[88] Matth. v, 13 [89] Matth. XIII, 12. [90] Matth. XXV, 1, 6. [91] Matth. IX, 15.

Digitized by Google

Sedem figens. Lege μένουσα unico vocabulo.

Et Nun. Hæc addo ex vet.

Pag. 41. *In principio autem.* Addendum in Græc. ἐν ἀρχῇ δέ, ex vet.

Conjunctior ei est. Οἰκειοτέρα, *propinquior, familiarior.* Atque hic delenda est præpositio ἐν.

Frugescit. Tertullianus pro verbo καρποφορεῖν, interdum *fruticare*, interdum *frugescere*, reduit ad verbum, *fructificare.*

Hominis nimirum. In veteri translatione pro *homines*, legendum *hominem.* Eod. vers. delenda sunt hæc verba, τῷ ἀνθρώπῳ.

Pag. 42. *Totius Pleromatis.* Παντὸς τοῦ πληρώματος. Vetus tamen interpres non παντός, sed ἐντός legisse videtur. Vertit enim *intra:* sed priori lectioni magis assentior.

Quæ ex passione. Lego πάντα τὰ cum vet. quemadmodum et ead. lin. μορφώσας pro ἁρμόσας.

Pag. 43. *Atque in hunc modum Ptolemæus.* Hæc verba addo ex veteri.

Ipsas quoque. Αὐτάς lego cum vet.

Joanni propositum. Legendum in dat. Ἰωάννῃ.

Et non tanto post intervallo. Delenda sunt in Græco hæc verba, τοσοῦτον διεχθῇ τῆς ὀγδοάδος καὶ οὐκ ἂν μετά.

Aut si reliquorum. Legendum in Græco ἢ εἰ τῶν.

Pag. 44. *Ac nominibus abutentes.* Addenda est in Græc. copulativa particula.

Mentionem nullam. Hic quoque negativa particula μή in Græco addenda est.

Qui ex omnibus ortus est. Lego cum veteri ὁ ἐκ πάντων γεγονώς, non, ut est apud Epiphanium, ὁ τῆς οἰκονομίας. His enim verbis fictitium illum Valentinianorum Salvatorem intelligit, qui ex omnibus Æonibus ortum traxit, ac proinde sermone illo, qui primæ Æonum classis est, natu posterior est.

Pag. 45. *Ille, inquam, unius.* Vetus Irenæi interpres videtur legisse ἀπὸ τοῦ, non ὁ τοῦ: sed utrumque eodem fere recidit.

Verba fecit. In Græco pro ἐμπεποίηται, legendum πεποίηται, et seq. vers. pro λέγουσι δέ, ‹ λέγουσι γάρ. ›

Princeps eorum. Addo γάρ in Græc. ex vet.

Quam falso. Pro ψευδῶς videtur legisse vetus interpres ψευδονύμως: vertit enim, *falso nomine.*

Pag. 46. *Hæc ait atque alto.* Tota centonis hujus, ex Homeri versibus consuti, gratia in interpretatione Latina perit. Sed multa in eodem genere apud Latinos exstant, ac præcipue apud Ausonium. Apte autem Homerocentonibus hæreticos confert Irenæus, qui ut prodigiosæ doctrinæ suæ gratiam fidemque conciliarent, ex variis Scripturæ locis, tanquam centonibus quibusdam eam consarcinabant.

Comitantur euntem. Κίοντες legisse videtur vetus interp. Sed κίοντα mihi magis arridet, ut ad Herculem referatur.

Versus quidem agnoscet. In Græco post ἐπιγνώσεται, hæc ex vet. addenda sunt: μὲν τὰ ἑπῆ, τὴν δὲ ὑπόθεσιν οὐκ ἐπιγνώσεται.

Libro suo. Βίβλῳ addo ex veter., quemadmodum et eod vers. post τὴν, παροῦσαν.

Pag. 47. *Quoniam autem.* Lego ἐπεὶ δέ cum vet.

Redemptio. De Valentinianorum redemptione late postea disseret. Gallasius hic toto cœlo errat, quod quid hæc redemptio sibi velit, non intelligat; idque cum ipsemet hanc fabulam interpretetur. Quod sane flagitiosæ est oscitantiæ. Hinc neque mihi fit verisimile, eum versionem suam unquam relegisse. Alioqui enim haud dubie hunc locum ex 18 cap. hujus lib., ubi redemptionis fabula exponitur, emendasset.

Eorum Minium emensus. Μῖμον αὐτῶν lego cum veteri. Emetiri autem hoc loco, Græc. περαιῶσαι, idem est quod *transmeare, trajicere.* Vetus interpres quid legerit, non queo conjicere. Vertit enim *explicans*, quod longe a significatione verbi περαιῶσαι.

Hujusce fabulæ. Μύθου lego cum vet., non θυμοῦ, ut corrupte legitur in Epiphanii codice. Sensus enim perspicue postulat ut μύθου legamus.

Subjungat. In Græco pro ἐπενεγκεῖν, καλῶς ἔχειν ὑπερλάβομεν, reponendum est ἐπενέγκῃ, καλῶς ἔχειν ὑπελάβομεν.

Notæ ex adversariis Frontonis Ducæi in cap. 1.

Pag. 5. *Hunc autem et Proarchen.* Vocem hanc etiam agnoscit Theodoretus lib. 1 *Hæretic. fabularum*, de Valentino, ubi legendum forte: *Ante principium.* Tertullianus *adversus Valentin.*, capit. 8, et Græcam vocem retinuit Προαρχην, et *Proarchen* scripsit c. 35.

Esse autem illum invisibilem, et quem nulla res capere possit. Hæc absunt a Græco; verum Tertullianus simul ista profert: *Innatum, immensum, infinitum, invisibilem, æternumque definiunt.*

Et aliquando voluisse. In Græco delendum est illud καί, quod est ante καθέσθαι, ut consentiant Græca cum interpretatione Billii, in qua omissum est καθάπερ σπέρμα, *ac tanquam semen, hanc, quam in animum induxerat.*

Pag. 6. *Apud eos nuncupatam.* Addimus in margine, καλουμένην pro καλουμένων.

Masculo-feminam. Ἀρρενόθηλυν. Tertull. c. 34: *Ne apud solos Lunenses Hermaphroditum existimet Fenestella.*

Emissiones in conjugationem. Græce scripsimus προβολὰς ἐν συζυγίᾳ, ex quo legendum esset hic, *in conjugatione.*

Bythius et Mixis. Græce Βύθιος, non Βυθός, quo pacto et apud Tertullianum c. 8, *Bythius et Mixis*, et ita in manuscriptis omnibus legebatur, teste Pamelio, qui et hic, et lib. II, cap. 19 Irenæi sic legendum censet; et Theodoretum, apud quem cum reperisset interpres Βυθόν, vertit *Profundum* et *Mixtionem:* hunc que Bythium ad differentiam primi parentis Bythi sic dictum suspicatur.

25 *Ageratos.* Cap. 19, lib. II, redditur Latine, *innascibilem*, vel, ut est in margine, *insensibilem;* forte, *insenescibilem;* vel, *insenilem:* apud interpretem Theodoreti lego, *senii expertem, unionem et per se nascentem:* hoc ultimum est Autophyes.

Pag. 7. *Æthos et Synesis.* Scribendum hic, et apud Billium: *Ainos et Synesis.*

Theletos et Sophia. Non *Teletos;* nam sæpe τῆς θελήσεως, et τοῦ θελήματος meminit in his mysteriis hæreticorum Irenæus, ut cap. 6 hujus libri: etsi aliter Pamelio videtur. Billius certe semper *Theleti* scripsit, neque mihi unquam occurrit τελεστός, *perfectus:* θελητόν habes I Reg. xv, 22, εἰ θελητὸν τῷ Κυρίῳ, *si volitum Domino:* itaque melius *voluntate expetitum* reddidissent interpretes, quam ut Cornarius, *voluntatem*, et alius, *voluntarium.*

Quid eorum quæ dicuntur in Scripturis. Græce, εἴπου τι τῶν ἐν πλήθει εἰρημένων ἐν ταῖς Γραφαῖς. Billius et Cornarius omiserunt illud ἐν πλήθει. Gallasius: *Eorum, quæ multa dicuntur in Scripturis.* Suspicari possumus hoc velle Irenæum. Si quid in Scripturis dictum esset, numero aliquo multitudinis expresso, ut post triginta annos baptizari, duodecim apostolos deligi, triginta cubitis altum esse; id arreptum statim Gnosticos ad suos errores adumbrandos traduxisse. Vide cap. 15 sub finem.

Pag. 8. *Sine complexu conjugis Theleti.* In Græco hic pro ζυγοῦ legendum, ἄνευ τῆς συμπλοκῆς τοῦ συζύγου, *sine complexu conjugis.* Lib. II, cap. 14, *sine permistione conjugis.* Tertull., *sine conjugis Phileti societate.* L. Latinius illic frustra est, qui corrigit: *sine conjugis Phileti satietate.*

Digitized by Google

Pag. 9. *Novissime forte absorptum.* Scribe, *Novissime forte absorptum fuisse*, aut, *absorptus fuisset*, Æon scilicet. Pamelius in Tertull. pro *forte*, aut quod hic est in margine, *vere*, legendum vult, *fere*: potest tamen retineri, *forte*. Τελευταῖον ἂν καταπεπόσθαι: Tertull. *Modico abfuit, præ vi dulcedinis et laboris, devorari.* Refutatur hæc nænia lib. II, cap. 24 et 28.

Qualem naturam habebat femina. Græce fuit θήλειαν τεκεῖν: Tert., *et procreat feminam.* Ac Billius quidem legit ex veteri interp., θήλεια τεκεῖν. Itaque Cornarius verterat, *qualem femineam natura parere poterat.* Sed cum non solum marem, sed neque feminam sola possit parere femina, suspicari posset quis, ita distinctum fuisse, οἷαν φύσιν εἶχε, θήλειαν τεκεῖν, *qualem naturam habebat, feminam peperisse;* ut scilicet Æon ille natura feminea, sic et illa substantia informis eadem feminea natura prædita fuit. Atque ita commodius deleretur prius illud τεκεῖν, quod redundare sua interpretatione innuit Billius.

Pag. 10. *In imagine sua sine conjuge.* Retrahenda e margine vera lectio, *sua sine conjuge masculo-femina.* Tertull., cap. 10: *Horon in hac promit in imagine sua femina-mare.* Billius: *In imagine sua conjugii experte, ac masculo-femina producit.* In Græc. ergo pro ἄζυγον ἀθήλυντον, corrigendum est, ἀζύγῳ ἀῤῥενοθήλει, ut Greg. Nazianz. ἀῤῥενοθήλεος σωματότητος. Cæterum *Metagogea* Tert. exponit *circumductorem.*

Pag. 12. *Et causam quidem.* Corrige: *Et causam quidem æternæ perseverationis iis omnibus incomprehensibile Patris esse.* Tertull. cap. 11: *Docebantur incomprehensibile quidem Patris causam esse perpetuitatis ipsorum.*

Pag. 13. *Satellites quoque.* Lectionem ex ea quæ in margine, et quæ in contextu conflatam Græca exposcunt: *Satellites quoque ei in honorem ipsorum ejusdem generis angelos.* Tertull. cap. 12: *Satellites ei angelos proferunt.* Græc., δορυφόρους τε αὐτῷ. Theodoretus: *Ut essent ejus satellites.*

Et crucis ipsorum. Vox *ipsorum* abest a Græco, in quo pro στύλου ita scribendum: καὶ τοῦ ὄρους καὶ σταυροῦ καὶ λυτρωτοῦ: verior item lectio ex margine repetenda, *de pœnitentia*, ἐκ μετανοίας.

Pag. 14. *In universas generationes.* Græce τῶν αἰώνων τοῦ αἰῶνος, *sæculorum sæculi.* At Ephes. III, 21, legimus, τοῦ αἰῶνος τῶν αἰώνων, ut habet vet. interpres. Paulo post in nomine Ἰησοῦς, *iota* intellige valere decem, *eta* autem octo, sicque fiunt ex duabus prioribus litteris, octodecim.

Pag. 15. *Qui est veritatis primæ.* Emenda, *qui est veritas primæ tetradis;* vel, *hoc est, veritatem primæ tetradis.*

Pag. 17. *Tollens crucem, sequere.* Legendum in Græco ἀκολούθει μοι. Quæ verba leguntur in Græco Marci X, 22, καὶ δεῦρο ἀκολούθει μοι ἄρας τὸν σταυρόν. Epiphanii interpres: *Tollens crucem suam, et sequitur me;* minus recte, quam hic vetus: *Tollens crucem, sequere me.* Abest a Vulgata illud ἄρας τὸν σταυρόν. Erasmus quoque non esse in veteribus codicibus ait, nec apud alios evangelistas reperiri, ut illinc huc transcriptum videri possit. Legit tamen, præter hunc Irenæum, Theophylactus in Marcum: *Et sequere me, sublata cruce;* hoc est, præparato teipsum ad mortem pro me; et ut videtur Nicetæ, Greg. Nazianzenus orat. in Pascha 2: Σὺ δὲ ἀποθήσῃ καὶ τὰ δικαίως κτηθέντα προθύμως, ἵνα κοῦφος τὸν σταυρὸν αἴρῃς, καὶ πλουτήσῃς τὰ μὴ ὁρώμενα. *Tu vero justis etiam rationibus quæsitas opes excutes, ut leviter crucem tollas, et divitias quæ non cernuntur, assequaris.*

Ventilabrum ejus in manu. Lege, *et emundabit aream, et colliget:* nisi forte Hellenismum esse voluit, τοῦ καθαίρειν ἕνεκα τὴν ἅλωνα.

Plasmate universorum. Πάντων legit, non πάντες, ut habent Græca, ex quibus sic scribendum esset, *et plasmate universi*, vel *omnes*, dicunt. Paulo post, expungenda est vox *quando*, et legendum, *cum multæ parabolæ.*

Pag. 18. *In umbratæ vanitatis.* Corrige ex Græc. et vestigiis manuscripti: *In umbræ, et vacuitatis locis deferbuisse.* Ita paulo post: *quod derelicta sola esset in tenebris et in vacuo:* ἐν τῷ κενώματι: quod confirmat Billii correctionem et interpret., *in umbras et vacuitatis loca velut æstu quodam abreptam.* Sed illud ἐκβεβράσθαι simplicius vertit Tert. c. 14: *Explosa est in loca luminis aliena:* quasi nihil aliud velit, quam expulsam et ejectam, addit, *in vacuum et inane illud Epicuri:* cum quo vacuitatem hanc comparat etiam Iren. l. II, c. 19: *Umbram autem et vacuum ipsorum a Democrito et Epicuro sumentes.* Sed in Græc. forte ex manusc., ἐν σκιᾷς καὶ κενώματος. Theod.: *Et in umbra quadam et inani degere.*

Pag. 19. *Formatam ante.* Verius, *formatam autem.*

Statim autem evacuatam. Lego Græc. Κενωθεῖσαν ὑπὸ τοῦ ἀοράτως αὐτῇ.

Ne adversarius. Ne anterius irrueret. Porro Tertul. c. 14 *in Valent.* legit, *Jao*, non *Jaioth*: in quem locum Pamelius admonet, *Jaioth* hic legendum non videri, quod ea vox fuerit potius Basilidianorum, quam Valentinianorum. Certe manusc. *Jao* habet.

Omni parte passionis. Omni parti passionis succub. mult. et var. exsistentis. Tert. *Omni genere passionis cœpit affligi.*

Mater ejus prima Sophia. Prima Sophia et Æon, *demutationem*, etc.

Pag. 20. *Quis enim non eroget.* Pro *quæ ex passione Æonis*, Gr. ad verbum, *qui est passi Æonis*, τῆς ἐνθυμήσεως τοῦ πεπονθότος αἰῶνος. Tert. c. 15: *Nam ex lacrymis ejus universa aquarum natura manavit.* Bill., *calamitosi illius Æonis.* Corn., *afflicti sæculi:* sed mallem passionis nomen exprimi, nam Tertul. et Iren. omni genere passionis dixerunt affligi, παντὶ μέρει τοῦ πάθους. Gallas., *a lacrymis Æonis cogitatione perturbati.* Non vidit scilicet, ἐνθυμήσιν nomen esse Æonis.

Pag. 21. *Præstante ei virtutem.* Lego, *præstante ei virtutem omnem Patre.* Præter Græci textus patrocinium, ita Tertul. c. 16: *Largito ei Patre universorum Æonum summam potestatem, subjiciendis eis omnibus.*

Achamoth reverita. Achamoth reveritam eum dicunt, primo quidem coopertionem imposuisse ei propter reverentiam. In Græc. deest vox αὐτῇ· κάλυμμα ἐπιθέσθαι αὐτῇ, vel ἑαυτῇ, δι' αἰδῶ. Tert.: *Protinus velamentum sibi obduxit, ex officio primo veneralionis.* Paulo post: *separantem eas ab ea, et non eas neglexisse.*

Pag. 22. *Habilia et possibilia essent.* Ἕκτικὰ καὶ δυνατά. Bil.: *Quod radices egissent, et robur contraxissent.* Tert.: *exercitata et usu viriosa.* Corn. *quod in habitum jam cessissent.*

Sed segregantem. Lege, *separatim commiscuisse et coagulasse.* Quod Bill. corrigit χωρίς, confirmat Tertul.: *Defixit seorsum in materiæ corporalem paraturam.*; et Theodor.: *Separavit, eaque separata compegit.*

Altera autem conversionis. Scribe, *conversionis passibilis:* sic enim verti potest ἐμπαθῆ, neque vocem Tertullian. usurpare necesse est, ut vult Rhenanus: *Ut duplex substantiarum conditio ordinaretur: de vitiis pessima; de conversione passionalis.* Hinc tamen disce melius potuisse verti: *Altera autem ex conversione passibilis*, id est obnoxia passioni.

Et propter hoc virtutem. Et propter hoc virtute Salvatorem: et, *concepisse de gratulatione eorum, quæ cum ipso sunt, luminum visionem.* Dele ex margine lectionem nihili, *conceptu.*

Pag. 23. *Sed spiritale quidem.* Græc. legendum est, μὴ δεδυνῆσθαι αὐτὴν μορφῶσαι, *non potuisse eum formare.* Tertul. c. 18: *Sed spiritale quidem*

Digitized by Google

non ita potuit attingere. Hellenismus porro est, *ejusdem substantiæ ei erat*, ὁμοούσιον αὐτῇ. Tertul. *consubstantiva* dixit. Paulo post lege : *Conversam autem in formationem ejus.* Denique illud : *quas dextras vocant*, vertendum **26** est e Græco : *quæ dextra vocant;* et, *quæ sinistra dicunt :* nisi intelligas substantias animales, ut loquitur Tert., *quas ad dexteram commendant;* et, *ad lævam delegant.* Apud Theod. mendum est, *qui eamdem cum ipso habent animam*, pro *habent substantiam.*

Ea enim quæ post eum. Græc., *omnia enim quæ post eum sunt.*

Pag. 24. *Demiurgum et fratrem.* Demiurgum et patrem vocant.

Imaginem dicunt fecisse. Imagines dicunt f. Tertull., 19 : *Achamoth in honorem Æonum imagines commentatum.*

Et ipsam quidem in imagine. Gr., ἐν εἰκόνι. Pamelius in c. 19 Tertull. εἰκόνα legi vult, et Latine pro *in imagine, imaginem invisibilis Patris conservasse*, corrigendumque utrumque exemplar, quod sequatur, *hunc autem unigeniti Filii* (sic enim legendum est), τοῦτον δὲ τοῦ μονογενοῦς Υἱοῦ, supple εἰκόνα, *imaginem*, non, *in imagine.* Ait enim Irenæus, Salvatorem fecisse Achamoth imaginem Patris, et eumdem Salvatorem fecisse hunc Demiurgum imaginem Nu, Unigeniti, seu Monogenis filii Propatoris; Demiurgum vero fecisse Angelos et Archangelos, qui sunt imagines reliquorum Æonum. Indicat hoc Tertull. : *Qui* (Soter) *per illam sit operatus, ut ipsam quidem imaginem Patris invisibilis et incogniti daret.* Idem constare addit ex Iren. l. II, c. 5, ubi hæc refutat.

Pag. 25. *Virtutem archangelum quartum.* Græc. sonant, *virtute angelum quartum dicunt esse*, δυνάμει ἄγγελον. Tertull. 20 : *Angelum quartum, quoniam et hunc supra cœlum tertium pungunt.* Refutantur hæc l. II, c. 55.

Hæc autem Demiurgum. Hæc manca et obscura sic restituenda sunt : *Hæc autem Demiurgum dicunt a semetipso quidem et putasse fabricasse, fecisse autem ea Achamoth producente.* Paulo post in Græc. legendum est, ἠγνοηκέναι αὐτὸν τὰς ἰδέας : vertit enim vet., *ignorasse eum figuras.*

De timore autem. Græc. *omnem animalem substantiam, ut bratorum animalium et ferarum et hominum.*

Et propter hoc superiorem. Ἀνώτερον αὐτὸν ὑπάρχοντα προγιγνώσκειν legit, pro ἀτονώτερον, e. c., minus recte, ut Bil. monet : melius enim convenit sensui auctoris : *ut propter hoc imbecilliorem eum existentem ad sciendum quæ sunt spiritalia, se putasse solum Deum.* Ideoque videndum an apud Tertull. cap. 21 commodius legi possit : *Adeo rerum non erat compos, de animali scilicet censu, invalidus spiritalia accedere, ut, se solum ratus, concionaretur : Ego Deus et absque me non est;* qui locus est Isaiæ XLV, 6. Sic. cap. 19, *animali censui inscriptas*, idem Tertull. dixit.

Pag. 26. *Sed Demiurgum quidem.* Defendum est alterum vocabulum, *Filium.* Itaque legendum, *psychicum, filium matris suæ dicunt;* et ita Bil. In Græco tamen est, τῆς μητρὸς αὐτῶν : unde Cornarius, *matris ipsorum*, non αὐτοῦ, ut in margine scripsimus. Sequitur autem : *Habitare autem matrem quidem ipsorum in eo qui sit cœlestis locus :* ubi Græce ὑπερουράνιος, *supercœlestis.* Rursus pro eo quod sequitur, *in eo, qui sit in cœlo, locus;* Græc., ὑπουράνιον, pro ὑπερουράνιον legit B.ll. *in eo, qui sit sub cœlo, locus.* Videndum tamen num editam lectionem tueatur quod sequitur, *hoc est, hebdomade*, qua voce septem cœli designari videntur. Tertull. c. 23 : *Subest enim Demiurgus in hebdomade sua, magis diabolus in isto nubiscum communi mundo;* hoc est, ut exponit Pamelius, magis diabolus subest in nostro mundo, qui cœlis subest. *Septem quoque cœlos fecisse, super quos Demiurgum ipsi dicunt, et propter hoc hebdomadam vocant eum.* Et l. II, c. 55 : *S. Paulo reliquum fuisse quartum cœlum, ut appropinquaret Demiurgo.* Quod si quæras quid opponatur τῷ ὑπερουρανίῳ, sequitur locus Cosmocratoris, sive, ut Tertull., Mundi tenentis, *in eo qui secundum nos mundo.* Itaque perperam mutavit locum Tertull. Pamelius c. 31 : *Et Demiurgus tunc de hebdomade subcœlesti in superiora mutabit :* recte legebatur antea, *de hebdomade cœlesti.* Lege igitur, me auctore, hic, εἰς τὸν οὐράνιον, τοῦτ' ἔστιν ἐν τῇ ἑβδομάδι. Est et apud eumdem Tertull. locus c. 23 corrigendus ex iis quæ hunc sequuntur, *ex Sophiæ utilissimis casibus*, melius forte, *vilissimis casibus*; Iren., *de vesaniori materia*, ἐκ τοῦ ἀσημοτέρου; Billius, *velut ex ignobili stirpe.*

Pag. 27. *Angelorum qui sunt erga.* Non dubium quin error sit librarii, pro *circa Salvatorem*, περὶ τὸν Σωτῆρα, ut alibi eodem hoc capit., *iis qui circa Salvatorem sunt Angelis.* Tertull. satellites ejus appellat; Iren., δορυφόρους.

Ejusdem substantiæ matris suæ spiritalis. Scribe, *matri suæ spiritalem ;* ὁμοούσιον τῇ μητρὶ πνευματικόν; saltem ita solet interpres noster vertere similia verba, ut paulo ante, οὐχ ὁμοούσιον τῷ Θεῷ, *non ejusdem substantiæ esse Deo.*

Perfectæ rationis. Legit interpres τοῦ θελείου λόγου, sed erravit, dum vertit, *perfectæ rationis*, si quidem illi potius, quam Tertulliano assentiendum non est, c. 25 *Advers. Valent. Idoneum inveniretur suspiciendo quandoque sermoni perfecto.* Unde et ex aliis ejusmodi colligere quis posset, auctorem hujus Latinæ editionis non esse Irenæum. Billius certe, etsi eum in emendatione Græci codicis sequitur, non tamen in interpretatione.

Pag. 28. *Et hunc esse in semetipsis.* Pamelius in 25 Tertull. hic legi vult, *et hunc esse ex semetipsis hominem volunt, ut habeat.* Sed necesse non est, cum non habeat Epiphanius, ut ipse vult, ex figmento suo, et veterem sequatur Billius. Hic vero paulo post loco illorum, *primitias eum suscepisse dicunt*, admonet Tertullianum scripsisse, *prospicientias*, parum commode : sed animadvertit postea Latinius, aut Petrus Ciaconius legendum esse, *prosicias earum substantiarum induisse.* Glossarium, *prosiciæ*, ἀκροθίνια. Item, *prosiciæ*, αἱ τῶν θυμάτων ἀπαρχαί : vide Festum. Pamelio quoque non assentior, qui paulo post, pro *a dispositione circumdatum*, legi vult, *a dispensatione.* Utroque enim modo verti potest οἰκονομίας : et sæpius solet reddere hic noster, *dispositione*, ut alibi, *et de dispositione quod erat :* ἐκ τῆς οἰκονομίας.

Pag. 30. *In honore eorum.* Gr., εἰς τιμὴν τῶν εἰδώλων : *in honorem idolorum*, vel certe deorum.

Apud homines odiosum muneris. Græcus voces duas expressit, θηριομάχων καὶ μονομαχίας, *bestiariorum et gladiatorum.*

Pag. 31. *Insensibilibus iis sermonibus.* Insensibiles cape homines, non sermones; ἀνοήτους stolidos homines appellat. Paulo post verior lectio in marg., *emissum.*

Pag. 32. *Spiritales vero.* Interpungenda hæc sunt hoc pacto : *Spiritales vero exspoliatos animas, et spirituales factos*, etc., *intra Pleroma.* Tertull. c. 32 : *Despoliari est autem deponere animas, quibus inducti videbantur.*

Refrigerare et ipsas. Ἀναπαύεσθαι (non aliter solet futura vertere, ut paulo ante προστεθήσεσθαι, *adjici*), pro in refrigerio fore. Bill., *in quiete futuras esse.*

Iis autem factis. Non exprimitur ab interprete τὸ ἐκλάμψαν, redduntur que futura præsentibus temporibus, quæ et ita restituenda essent : « His autem factis ita, is qui latet in mundo ignis effulgens, et exardescens, comprehendens universam materiam consumit, et ipse simul consumptus abit in id, ut jam non sit. » Tert. c. 32 : « Hunc credo

Digitized by Google

ignis ille arcanus erumpet, et universam substantiam depopulatus, ipse quoque decinceratis omnib. in nihilum finietur. »

Pag. 33. *Primogenitæ et primæ quaternionis.* Primogeniti et primi; Gr., τῆς τετραχτύος, nisi forte scripsit. *quaternationis.*

Cum traderetur. Melius, *traheretur*, προσαγομένου.

Quapropter et in prophetas. In manuscripto legebatur *eos*, sicut et Græce αὐτούς, sed probabilius secutus est Bill. *Quocirca eas in prophetas.* Itaque in Græco scribendum, ἔτασσεν αὐτάς : simile quid Apoc. v, 10. Tert. 29 : *Ex earum ergo laterculo et in reges et in sacerdotes allegere consueverat.*

Pag. 34. *Exponunt quippe eum.* Lege, *dicta per prophetas exponunt : quippe id altioris naturæ esse*, semen scilicet; quanquam suspicari quis posset fuisse scriptum, *quippe eas altioris*, cum sit Græce ἅτε ὑψηλοτέρας φύσεως ὑπαρχούσας; ut referatur ad animas, quæ in reges et sacerdotes allegebantur, quod essent naturæ sublimioris, et quæ de semine addantur, inseria sint per parenthesin. Paulo post scribe, *et Jesum quidem aliquid a Salvatore dixisse*, ἀπὸ τοῦ Σωτῆρος, Salvatoris instinctu.

Quam spiritus qui prophetat. Interpres male vertit ἡ. Scribe, *sive spiritum, qui prophetat*; et paulo post, *conservasse*, sic accipe quasi esset dictum, *perseverasse.*

Et in gaudium et cessisse. Gr., καὶ ἄσμενον αὐτῷ προσχωρῆσαντα : ubi commodius fortasse legeretur προσχωρῆσαι : et Lat., *in gaudio ei accessisse*, vel, *cum gaudio ad eum accessisse.* Tertull. c. 28 : *Propere et evanter accurrit, cum omnibus viribus suis.*

Pag. 35. *In loco medietatis refrigeraturum.* Hoc est, in refrigerio futurum; ἀναπαύεσθαι, ut postea *refrigeraturis*; ἀναπαυσομένων, *requieturis.*

Spiritalia vero. Hæc perturbata sunt, et imperfecte reddita sive a librario, sive ab interprete; melius ita legentur : « Spiritalia vero, quæ seminarit Achamoth, ex illo tempore usque nunc in animabus justis erudita et enutrita, quia pusilla emittantur, post deinde perfectione, » etc. Tertull. cap. 29 : « Id ergo granum seminis spiritalis modicum et parvulum jactu, sed erudita hujus fides augetur atque movebitur. »

27 Pag. 36. *Fide digna.* Ἀξιοπίστως, fide digne, etc. Paulo post, ψηφῖδας, lapillos sive calculos, aut testulas tales intelligere potes, quales ad museum opus, sive musivum, ut appellat Plinius, conficiendum adhibebantur, cum vermiculata pavimenta tesserulis, aut emblemata pingebantur, aut variegatis ad effigiem rerum et animalium crustis. Spartianus de Pescennio Nigro imperatore : *Hunc in Commod. anis hartis in porticu curva pictum de musivo inter Commodi amicissimos videmus sacra Isidis ferentem.*

Pag. 37. *Anicularum fabulas assumentes.* Gr., συγκαττύσαντες μύθους, fabulis consutis. Videtur scripsisse, *fabulas assuentes*, et, *hinc inde auferentes adaptare volunt.* Justinus *ad Zenam*, συναλλάγματα βλαῖα συγκαττύοντας.

In abortionis partu. Ἐν ἐκτρώματος μοίρᾳ, abortus cujusdam instar. Vetus scripserat, *parte.*

Et passiones. Præcedunt ista quædam de Moyse in Græco, quæ ex Billii interpretatione peti possunt. In his deficit vetus interpretatio, sed redundat in illis quæ sequuntur : *In hoc quidem quod derelicta est a lumine*; quæ absunt a Græco, et nullo sententiæ damno deleri possunt.

Pag. 38. *Quam tristis est anima.* A Græco abest illud, *quam*, et λύπη melius *tristitia* reddita esset, *quam tædium.*

Dicenti, Sequar te? Non habet. Græc., ἐν τῷ εἰπεῖν τῷ ἐρωτήσαντι, Ἀκολουθήσω σοι; *Et qui interrogaverat Sequar te? dixerit, Non habet.* Hoc doctiss. Billius vertit, ut est Matth. VIII, v. 19. Sed perperam ista citare potuerunt hæretici, ex quorum myrotheciis ista proferuntur. Recte hoc converterat Cornarius, et cum secutus Gallas., sed locutum ipsius interpretationis male explevit in altero Evangelii loco : *Permitte mihi, ut prius constituam de iis, quæ sunt domi meæ*; melius enim vertitur a veteribus Evangelii et Irenæi interpretibus : *renuntiare domesticis*, vel *iis qui domi sunt* : nam altera lectio Vulgatæ Lucæ IX, v, 61, hinc confirmatur, et illo Tertulliani IV *in Marcionem*, 23 : *prius suis valedicere parantem prohibet retro spectare.* Justinus, *Dialog.*, μετανοίας καὶ ἀποταγῆς πρὸς ἀδικίαν. Quid sit ἀποτάττεσθαι et ἀποταγή, discat Gallasius ex Isidoro Pelusiota, si quid novum et insolens sibi velit cognoscere.

De mediis esse. In Græco legas fortasse rectius τῶν μέσων, quam μέσον, vel certe ἐκ τῶν μέσων. Bill., *hunc mediæ classis esse.*

Pag. 39. *Sata tria.* Addenda in Græco vox τρία post σάτα. Post pauca sic distinguenda sunt illa : *Spiritalis examinat omnia. Animalis autem non percipit quæ sunt spiritus*, etc. Græc., Τὸ δὲ, ψυχικὸς οὐ δέχεται. *Illud autem, animalis non percipit.*

Conspersiones autem. Verior lectio, *conspersionem*, φύραμα. Cæterum in interpret. doctiss. Billii scribendum est, *testatum esse. Et si delibatio sancta, utique et massa.* Quo loco per delibationem, id quod spirituale est significari docent; vide Rom. XI, v. 16. Plane enim μνημονικὸν ἁμάρτημα tanti viri esse censeo, vel amanuensis ejus : non enim solet a Vulgatæ verbis discedere; quæ sicut alibi, ἀπαρχήν, *primitias et delibationem*, ita φύραμα *conspersionem* vertit, aut *massam* cum veteri interpr. Irenæi.

Pag. 40. *In Evangelio.* Adde e Græco : *Prophetissa dicitur septem annis*, etc.

Quod etiam Nun vocat. Græca sonant, *quem etiam Filium unigenitum et Deum vocavit, in quo omnia Pater præmisit* (vel emisit) *seminaliter* : et, *in eo omnem Æonum substantiam.* Vocem *Nun*, vel *Mentem* non reperio apud Joannem; nec illius postea fit mentio hoc loco, dum cætera Evangelii verba expenduntur.

Pag. 41. *Quoniam igitur.* Ita distingue : *Quoniam de prima genesi dicit; bene a principio, hoc est, a Deo et Verbo doctrinam facit.* Billius quoque hoc sanum habet, *a principio, hoc est a Deo et Sermone doctrinam suam instituit.* Delenda ergo vox, *Filio*, cum absit a Græco.

Pag. 42. *Quod est formatum et manifestatum.* Interpres fortasse scripsit, *quod est formatum esse et manifestatum*, pro *formati sunt et manifestati.* Sic legit postea ειρῆται, pro εἰρῆσθαι, *lumen dictum est. Quaternionem secundum* paulo post, et alibi dicit, familiari solœcismo, nisi *quaternionem* mavis ibi fuisse; ut in aliis locis.

Dicit autem sic : Et Verbum. Hæc verba usque ad *Diligenter igitur*, cum et apud Epiphanium, et apud vet. interpr. reperirentur, miror in Billii interpretatione omissa esse. Porro illud πλήρης, cum priori loco ita reddidisset Gallasius, ut referret ad *gloriam, plena gratia* et *veritate*; posteriore ita vertit, ut Cornario sapientior videretur, et repudiata voce *Verbum*, novam usurparet : *Et Sermo factus est caro, et habitavit in nobis*, etc., *et contemplati vidimus gloriam ut unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Ubi insigniter lapsus est : nam ut eum docere potuit Erasmus, πλήρης refertur ad Λόγος, ut sit sensus, *Verbum factum est caro, et habitavit in nobis, plenum gratiæ et veritatis* : atque ita Vulgatæ auctor. Interpres autem Irenæi retulit ad *gloriam*, et vertit, *plena gratia*, posteriore loco; ubi tamen *plenam* debuit reddere ex eorum sententia, qui putant Theophylactum non πλήρης, sed πλήρη legisse. Cyrillus quoque in Joan. lib. I, cap. 17 : *Sed si plena est gloria ejus gratiæ, quomodo gratia profecisse apud Lucam scribitur?* Nonnus vero, *Καὶ χάριτος πέπληθε καὶ ἀτρεκίης γενετῆρος.*

Pag. 43. *Aut si reliquorum conjugationes.* Græc. συζύγους, *conjuges*, ut postea, *manifestasset eum*

Digitized by Google

jugem. Sed corrigendus est Græcus liber, συζυγίας· nam et sic ait postea : ὅτι δὲ οὐ περὶ τῶν συζυγιῶν. Ita quoque Billius vertit.

Non remisisset. Hoc est, *non permisisset.*

Pag. 44. *Et alterum Christum.* Expungendum est illud, *id est*, ut alienum a sententia, videturque superesse ex interpretatione vocis Χριστόν ; forte erat, *id est, unctum*, ut ante dixit, *Monogenis, id est, unigeniti.* Sequitur Hellenismus, *memoriam non fecerit*, μνείαν οὐ ποιεῖσθαι, *mentionem non fecerit. Et, quod ei in principio dictum est*, τοῦ εἰρημένου αὐτῷ ἄνω ἐν ἀρχῇ λόγου, hoc est, *quod ab eo dictum est.* Verum hæc paulo aliter fortasse vertenda sunt hoc modo : *Recapitulans enim de eo, quod ab eo dictum est in principio fuisse Verbum, insuper exponit.* Quasi dicat, illud ipsum Verbum quod statim antea initio dixerat fuisse in principio, factum esse carnem addidisse.

Pag. 45. *Si autem Verbum Patris.* Verte, *Verbum Patris quod descendit.*

Pag. 46. *Irent, at ipse.* Vera lectio ex margine retrahenda in contextum, atque ita conveniet cum Græco, κιόντα, non κιόντες, *ac si mortem iret ad ipsam.*

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 1.

Pag. 5. *Narratio omnis argumenti Valentini discipulorum.* Quis vel qualis fuerit hic Valentinus, a quo Valentiniani, operæ pretium dicendum. Epiphanius [91] ex fama refert hunc fuisse Phrebonitem (alias Phœbonitem, et Phibionitem) Ægypti maritimum, in Alexandria vero institutum Græcorum litteris. Unde et imitatio Theogoniæ Hesiodi, deorum triginta apud ipsum Hesiodum relatorum. Et ipse fabulosa gentium poesi in mente sua concepta, et ab his qui cum ipso et ante ipsum a veritate exciderunt, opinionem adeptus; etiam ipse, velut Hesiodus, aliis nominibus in alia transmutatis, mundum decipere voluit. Nam et hic triginta deos ac cœlos adducere vult, quorum primum est Profundum, quomodo et Hesiodus Chaos primum deorum dixit. Clarum est autem, Chaos et Profundum eamdem significationem habere. Tradit rursum, illum initio prædicasse fidem catholicam in Ægypto, itemque in Ecclesia Romana; cui consentit Tertull.[92]; sed in Cyprum venientem, passum esse fidei naufragium. Quomodo autem sit lapsus in hæresim, Tertullianus his verbis recitat : *Speraverat episcopatum Valentinus, quia et ingenio poterat et eloquio : sed alium ex martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit (ut solent animi pro prioratu excitli præsumptione ultionis accendi), ad expungendam conversus veritatem, et cujusdam veteris opinionis semmi* (non modo scilicet Basilidis, qui summum Deum Abraxas cum CCCLXV editionibus commentatus est ; sed et Hesiodi poetæ ethnici *Theogoniæ*, ut docet Lactantius l. I, c. 5), *actu colubroso viam deliniavit* [93]. Exortum autem volunt eum Irenæus lib. II, c. 4, Eusebius in *Chronico*, et Theodoretus lib. I *Hæreticarum fabularum*, circa annum Christi 145. Telesphoro summo Ecclesiæ pontifice, et Antonino Pio Romanis imperante. Diu porro monstrum hoc Ecclesiæ negotium fecisse facile colligitur ex Irenæo scribente, Valentinum Romam venisse sub Hygino, Telesphori proximo successore, increvisse sub Pio, et prorogasse tempus usque ad Anicetum [94]. Quæ tempora incidere in ætatem Antonini primi, Theodoretus lib. I *Hæret. fab.* observavit.

Dicunt esse quemdam, etc. Obscurum et prolixum satis hoc caput, contractioribus et apertioribus verbis habes apud Tertull. libro *Contra Valent.* et Theod. l.b. I *Hæret. fab.* Quod si ad amussim non intellexeris, non multum studiis tuis decedere puta. Nam et ipsi fabularum tantarum consarcinatores, ob præcedentia sua peccata, justa cæcitate percussi, cæcutiebant in meridie, non intelligentes (ut ait Paulus) **28** quæ loquebantur, nec de quibus affirmabant, sibi ipsis talis ignorantiæ auctores et causæ exsistentes. His ita subscribit lib. *De hæres.* August. : *Illi, ut ita dixerim, fabulones, id est, qui fabulas vanas, easque longas et perplexas contexuerunt, tam multis falsis dogmatibus pleni sunt, ut ipsi quoque illa numerare non possint, aut difficillime possint. Nec ulli alieno ulla hæresis facile sic innotescit, ut suis.*

In immensis Æonibus. Id est, per infinita sæculorum tempora, vel infinitis retro ævis, ut scripsit Tertull., Deum scilicet otiosum, qualem voluit Epicurus, fingentes. Sententia porro Gnosticorum, ac hujus loci est hujusmodi : *Primus Æonum, qui et perfectus, et ante principium, et primus Pater, et Profundum dicitur, vere est solus et æternus, invisibilis, ingenitus et incomprehensibilis.* Illis autem prodigiosis et fabulosis nominibus maluerunt Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi designare, quam cum prophetis, apostolis, et Christianis omnibus profiteri Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ. « Adfuit etiam illi (subjiciunt) Ennœa, id est intellectus, intentio, seu cogitatio, et Gratia, et Silentium. Volens autem Bythus rerum omnium initium per Silentium emittere, genuit Intelligentiam sibi æqualem, quæ et Unigenitus, et Pater, et Principium cunctorum dicitur : simulque Veritatem emisit, » etc. Non dubito autem fanaticos illos homines per hujusmodi fabulas et nugas ineffabilem æternamque Filii a Patre generationem deformare ; simulque principium Evangelii B. Joannis, quo sanctissime et quantum capere potest humana mens, describitur, diabolico plane astu depravare studuisse; quod in Transylvania, Lithuania, et Polonia scriptis Calvinianorum instructi novi Ariani, nunc incredibili conantur malitia.

Præmitti voluit. Delevimus *voluit*, tum veteris codicis ms. tum Græcæ lectionis auctoritate : verba enim fact de Bythi cogitatione ac intentione.

Et solum capientem. Sic deformabant, quod clare in Evangelio dicitur : *Neque Patrem quis novit, nisi Filius* [95], etc. Quod August. explicans ait : *Soli tibi integre nota es, Trinitas sancta et omnipotens* [96].

Et hunc esse primam. Pythagorici omnia pene numeris tribuentes, quaternarium ideo cæteris præferebant, quod denaria perficeretur multitudine: denarius vero quaternarii esset compositio [97]. « Omnia quæ sunt, » aiebant, « quaternarium colligasse, elementa, ventos principes, orbis lines, ætatum compagines. » Figuram quadratam aliis omnibus perfectiorem, quod contineatur quatuor lineis æqualibus, totidemque angulos æquales habeat. Corpus quadratum, ut est cubus, perfectum : habet enim sex superficies quadratas æquales, quarum unaquæque quatuor habeat lineas, et quatuor angulos ; et quomodocunque jaceat, semper est rectus. Hinc virum bonum quadratum dixerunt et tetragonum. Quin et animam rationis compotem quadam quaternitate constare, videlicet, mente, scientia, opinione atque sensu, docentes, ex eo jusjurandi sibi religionem fecerant, unde illud : « Per quaternitatem, animæ nostræ tradentem perennis fontem naturæ. » Quid si agnovissent præcipuum nomen Dei, omnium fere gentium mirabili consensione, quatuor tantum litteris efferri? Nam qui a nobis dicitur *Deus*, a Græcis Θεός, ab Hebræis יהוה, ab Arabibus, Turcis et Mahometanis *Alla*, a

[91] Contra hæres., 31. [92] Tertull. lib. Præscr., c. 30. [93] L. Advers. Valent. c. 4. [94] Lib. III, c. 4. [95] Matth. XI, 27. [96] Sol loquiorum c. 31 et Medit. cap. 29. [97] Plut. lib. I de Plac. Philos., Diog. Laert. Rhodigin. lib. XVIII, c. 13, et lib. XXII, cap. 9. Volat. lib. XXXV. Philolog. Paul. Greg. Comment. in lib. VI Syntaxis artis admirab. c. 18.

Digitized by Google

Persis *Syre*, a Magis *Orsi* appellatur. Sed infelices Gnostici his antiquorum mysteriis, ut et divinis Scripturis, ad suas deliriationes constituendas nequiter abutebantur.

Pag. 6. *Sentientem autem Unigenitum.* Locum hunc ita refert Tertull. : « Nus simul accepit prolationis suæ officium, emittit et ipse ex semetipso Sermonem et Vitam. » Miserrimi vero præstigiatores, qui Filium Dei unigenitum alium constituebant a Λόγῳ, id est a Verbo et Vita : cum aperte doceat Evangelista : *Deus erat Verbum : in ipso vita erat.*

De Logo autem. Tertull. : « Sed et hæc soboles ad initium universitatis, et formati Pleromatis totius emissa, facit fructum; Hominem et Ecclesiam procreat. »

Esse enim illorum. Quamdam, sed ineffabilem ac hominibus et angelis incomprehensibilem, esse in divinis fecunditatem, patefaciunt Filii ac Spiritus sancti distinctæ emanationes. Confirmant et ista summorum prophetarum oracula : « Qui alios parere facio, nunquid sterilis ero? Ego hodie genui. Ex utero ante Luciferum genui te. Ante omnes colles genuit me Dominus [93], » etc. Cum hanc ergo impuri Gnostici simpliciter credere nollent, aut capere non possent, eam Hesiodi, Orphei et aliorum profanorum ethnicorumque poetarum more describendam, imo et deturpandam sumpserunt, diversos sexus, conjugia impuraque commissiones in divinis confingentes; ut post Lactantium lib. IV, cap. 8, diligenter observat Epiphanius, contra hæresim 31.

Acinctos. Sic pro *Agne* reposuimus, ex Theodor., Epiphan., Tertullian. et sequentibus Irenæi.

Donant. Ita restituimus ex manuscript. exemp. et Græca lec. quæ habet, ταῦτα τὰ ὀνόματα χαρίζονται, in plurali numero : delevimus vero *donavit.*

Pag. 7. *Hi sunt triginta.* Ad hunc locum respiciens Cyrillus Jeros. contendit [94], Valentinianos triginta deorum (nam Æones instar deorum habebant) prædicatores, ethnicis, paucos tantum confingentibus, longe deteriores fuisse. Athanasius quoque, orat. 5 contra Arianos, ait, istos pro veritate et rerum fide, inania simulacra introduxisse.

Nec enim Dominum, etc. Domini appellationem priscis Christianis non vulgari religione observatam fuisse indicat Tertull. *Apolog.* : « Augustus, ait, ne Dominum quidem dici volebat. Et hoc enim Dei est cognomen. Dicam plane et imperatorem Dominum, sed more communi : sed quando non cogor ut vice Dei dicam. Dominus meus unus est, omnipotens, Deus æternus, idem qui et ipsius. » Et lib. *Contra Hermog.* : « Deus nominatur ab initio, Dominus autem nonnisi post condita omnia. » Proinde dum sine addito enuntiatur, solius Dei est, semperque ἐκ τῶν πρός τι, et nonnisi comparatione ad servos dicitur, quibus creationis et providentiæ jure imperat. Cum igitur orbem ab alio conditum autumarent; quin et Christo Jesu seipsos similes, aliasque secundum aliquid, ut scribit Irenæus [1], etiam eo se fortiores mentirentur : idcirco non mirum, si Christo et Dei, et Domini nomen inviderent. Observabis simul hæreticos, spreto veteri et catholico more dicendi, sibi peregrinas et recentes formulas finxisse, profanasque vocum novitates, quas devitare jubet Apostolus. In hunc errorem disputat l. III, c. 6. Accedit quod proprium nomen Dei יהוה Græci vertebant per Κύριος, *Dominus;* quapropter sicut hi Christum verum ac æternum Deum esse negabant, sic et Dominum. Contra vero idem ille et Deus et Dominus appellatur, Psal. XLIV et CIX; Isa. IX; Jerem. XXIII; Joan. XIII et XX; Rom. VIII; Hebr. III; et in Symbolo apostolorum profiteri jubemur : « Et in Jesum Christum, Filium Dei unicum, Dominum nostrum. »

Nihil fecisse. Imo vero puerum ad se magos duce stella perduxit, circumcisus, et oblatus est in templum, fugit in Ægyptum, duodennis disseruit in templo cum doctoribus, singulis annis cum parentibus Hierosolymam ad dies festos religiosissime conscendit. Et reversus in Galilæam, Justini martyris, Basilii Magni et aliquot aliorum primæ notæ auctorum sententia, cum Josepho fabrilem artem aliquando exercuit, tum ut mechanicas artes sanctificaret, tum maxime ut otium hoc exemplo fugiendum cunctos nos doceret.

Pag. 8. *Reliquis vero omnibus.* Codices excusi, *hominibus;* sed vet. cod. cum Græca lectione, λοιποῖς πᾶσιν, id est *reliquis omnibus*, habet.

Reliquis quoque Æonibus. Codic. ex., *reliquos quoque Æonas participare :* quæ propter exemplar manuscriptum et lectionem Græcam immutavimus.

Quoniam vellet. Codices excusi, *nollet :* sed vetus codex et Græca lect., διὰ τὸ θέλειν, ut restituimus.

Tert. : « Plane Nus, quantum in ipso fuit, et voluerat et tentaverat cæteris quoque, » etc.

Quæ exorsa. Codices excusi, *exors.* Deinde *erga Nun* restituimus pro *vitergu :* utrumque ex Græca lectione et codice manuscripto.

Pag. 9. *Dulcedine.* Codices excusi habebant, *ad ultionem;* restituimus vero ex manuscripto exemplari, consentientibus Epiph. et Tertull. Græcaque lectione : ὑπὸ τῆς γλυκύτητος.

Abstentum. Sic pro *absentem* visum est reponere ex veteri codice. Abstentus autem jurisperitis est, qui tutoris auctoritate ab adeunda hæreditate revocatus est. Ea voce utitur beatus Cyprianus epistola 18 ad Cornelium, et epistola 42 ad Stephanum. Abstenti vero a nostris dicuntur, qui a communione Ecclesiæ, et sacrorum perceptione moti rejectique sunt.

Peperisse substantiam informem. Gravissimo sarcasmo hoc ita repetit Tertull. : « Dehinc ex illo mœrore, et semetipsa sola, nulla opera conjugii, concepit, et procreat feminam. Miraris hæc? Et gallina sortita est de suo parere. Sed et vultures feminas tantum parere aiunt, et tamen sine masculo mater. »

29. *Absconderent.* Ita reposuimus, pro *absconderat*, ex vet. cod. et Græc.

Pag. 10. *Patrem enim aliquando*, etc. Proh pudor! fanatici tenebriones sexus varios, commistiones salacissimas, partus, fetus, et Hermaphroditum in divinis rebus constituebant, ut ex hoc loco et fine capitis quinti libri hujus colligitur; qualia impuri poetæ de diis gentium fabulantur. Trismegisto Hermeti hanc insaniam exprobrat Lactantius, libro quarto, capite decimo octavo : quam egregie evertit, lib. primo, capite octavo. Hanc dementiam ridens Tert. : *Pudiciores*, ait, *maluerunt, Bytho nullum sexum deputare : et fortasse* HOC DEUM, *non*, HIC DEUS, *neutro genere pronuntiant. Alii contra magis, et masculum et femininam dicunt, ne apud solos Lunenses Hermaphroditum existimet Annaeium commentator Fenestella.*

Pag. 11. *Mundatam.* Delevimus *mandatum*, quia vetus codex sic habebat. Tertull., *repressum ab illicitis, et purgatam a malis.*

Cognoscentes sufficientes sibi, etc. Codices ex. *cognoscentem :* restituimus autem ex vetere codice et Græca lectione.

Pag. 12. *Comprehensibile.* Sic legendum proponimus ex Tertulliano, Epiphanio, et veteri codice, quanquam *comprehensibilia* haberent excusi cod.

Omnes Christos. Hæc adjecimus ex codice veteri, Epiphanioque.

Hymnizare Propatorem, etc. Græcismum hunc sic exprimit Tertull. : *Magno cum gaudii fructu hymnis Patrem concinunt. Diffundebatur et ipse lætitia,*

[93] Isa. LXVI, 9; Psal. II, 7; CIX, 3; Sap. VIII, 25. [94] Catech. 6. [1] Lib. I, c. 24.

Digitized by Google

utique bene cantantibus filiis et nepotibus. Quidni diffunderetur omni jucunditate, Pleromate liberato?

Æonum. Sic habet codex vetus, cum Epiphanio: excusi vero codices, *eo quod*, habebant.

Pag. 13. *Et in gloriam Bythi.* Sic codex vetus et Epiphan.: delevimus *gloriam Hori.*

Satellites quoque ei in honorem ipsorum. Ex hoc autem Athanasius, orat. 2 contra Arianos, magnam Valentinianorum impudentiam coarguit, quod angelos per Christum conditos (omnia namque per ipsum facta sunt), congeneres Christo pronuntiarent.

Negotiatio. Prius legebatur, *negatio*; Græc., πραγματεία· consentit vet. cod.

De pœnitentia. Ex veteri codice et Græca lectione, ἐκ μετανοίας, sic legimus, pro *dependentia.*

Pag. 14. *Et Paulum manifestissime.* Quanta, quæso, dementia, ex eo quod Paulus nomen sæculi frequenter usurpat, colligere triginta sæcula esse, eaque in numerum octonarium, denarium, et duodenarium esse distributa, eademque partim mascula, partim feminina esse, aliaque ex aliis genita? Sed hi sunt frequentes topici hæreticorum, argumentari nimirum (quod dicitur) a baculo ad angulum.

Sed et nos ipsos in gratiarum actionibus, etc. Hæ sunt procul dubio gratiarum actiones, quas primum omnium fieri obsecrat Apostolus I ad Timoth. II, quasque universa per orbem frequentat Ecclesia in celebratione eucharistiæ, interpretibus Augustino epist. 57 (nunc 149), Ambrosio, Chrysostomo, et Prospero lib. I *De vocatione gentium*, cap. 4. In ea vero sacerdos preces, vota, supplicationesque universas, hac coronide absolvit: *Per omnia sæcula sæculorum:* quod apostolorum traditioni accepto ferendum, non tantum hoc loco Irenæus, sed et omnium PatrumLiturgiæ luce clarius ostendunt. In ea enim, quæ est B. Jacobi, decem et octo; quæ Clementis, tribus; quæ Basilii, sexdecim; quæ vero Chrysostomi, viginti tribus vicibus, ea verba repetita comperies. Ex hoc autem suorum Æonum figmenta asserere contendebant æqua impietate Valentiniani, qua inscitia sacramentarii corpus Christi arcere ab altari conantur ex his Præfationis nostræ verbis: *Sursum corda, habemus ad Dominum*, quæ tamen ab eisdem apostolis accepta, constanter retinemus. Testes sunt omni exceptione majores, Augustin. lib. *De sancta virginitate*, c. 16 et lib. *De dono perser.* c. 13, Chrysost. homil. de encæniis, et in Liturgia; Basilius in Liturgia; Clemens Romanus lib. VIII *Constit. apost.* cap. 16, Jacob. in Liturgia; Cyprianus *De orat. Dominica.*

Octodecim mensibus. Hoc manifestissime falsum esse docet B. Lucas evangelista, scribens per dies quadraginta Christum apparuisse discipulis[1]. Dies autem 40 unicum duntaxat mensem, cum aliquot diebus efficiunt, non octodecim.

Pag. 15. *Uno enim anno*, etc. Hanc Valentini opinionem firmissimis Scripturis et rationibus Irenæus refutat lib. II, cap. 38 et 39, quo fit, ut existimem clarissimos Patres Tertull., Clementem Alexandr., Jul. Africanum, Lactantium, Orosium, et Gaudentium Brixianum, fervore disputationis ulterius distractos, hunc locum parum animadvertisse, cum similem fere sequantur opinionem. Verba Tertulliani sunt lib. *cont. Judæos*, quæ et Eusebius in *Chronico* ante nos observarat: *Quinto decimo anno Tiberii passus ex Christus, annos habens quasi triginta cum pateretur.* Clementis vero lib. I *Strom.*: *Quod anno solo oporteret Dominum prædicare, hoc quoque sic scriptum est:* « *Annum acceptabilem Domini prædicatum misit me.* » *Quinto decimo ergo anno Tiberii, et quinto decimo Augusti, sic implentur triginta anni, usque ad tempus quo passus est*, etc. Rectius porro sentiunt, qui ætatis anno 33 passum Christum docent.

Pag. 16. *Omne esse.* Codices ex. *omnia esse:* at codex vetus et Græc. habent ut restituimus. Tertull. vero sic: *Jesum Soterem cognominant, et Christum, et Sermonem. . . . . , et Omnia jam, ut ex omnium defloratione constructum, graculum Æsopi, Pandoram Hesiodi, Acci Patinam, Nestoris Cocetum, Miscellaneam Ptolemæi.*

Quam etiam. Auctoritate veteris cod. et lectionis Gr. delevimus, *quod.*

Pag. 17. *Non solum autem ex Evang.*, etc. Adhibita similitudine aptissima in calce hujus capitis, isthæc hæreticorum sacrilegia in sacras litteras fusius declarabit.

Quam et Achamoth. Tertull. lib. *cont. Valen.* apud illos nomen ininterpretabile fuisse dicit. Epiphan. contra hæresim trigesimam primam, Salvatorem, et Terminum, et Crucem, sic eos vocasse asserit. Theod. lib. I *Hæretic. fabularum*, fetum informem, et Sapientiæ cogitationem, hoc nomine appellasse putat. Vocis porro hujus etymon ab Heb. חכמה deducitur, quod sapientiam significat, a radice חכם, id est, *sapiens fuit, sapuit.*

In umbræ et vacuitatis loris deferbuisse. Sic ex veteri codice, Græca littera, et R. P. Frontonis judicio lectionem restituimus. Codices hactenus excusi, *in umbratæ vanitatis locis desernisse.*

Odorationem. Sic restituimus ex codice veteri et Græc. lection. Tertull.: *Iteratur odor incorruptibilitatis*, etc. Codices ex.: *adorationem.*

Pag. 19. *Omni parti passionis succubuisse multifariæ et variæ existentis.* Ita ex manuscripto codice locum restituimus, pro eo quod excusi habebant, *omni parte passionis succubuisse multifariæ et variæ exsistenti.*

Dixisse Jao. Vetus codex *Joath* habebat. Sed magno consensu Tertull., Epiphan., Theod. *Jao* legunt. At Tertullianus quid hoc velit, non aliter explicat, quam si quis exclamaret: *Porro Quirites, aut: Fidem Cæsaris*[2]. Epiphanius contra hæres. vigesimam sextam, principem in primo cœlo ab illis collocatum scribit. Macrobius lib. I *Satur.*, c. 18, inter plura alia, et hoc nomen a paganis attributum fuisse soli, probat hoc oraculo Apollinis Clarii:

Φράξεο τὸν πάντων, ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰάω,

id est, *Intellige Jao esse omnium summum Deum.* Diodorus Siculus lib. V *Biblioth.* cap. 5, ignorantia vocis *Jehovæ* deceptus, somniat Moysem apud Judæos, a Deo qui vocetur *Jao*, leges acceptas tulisse. Eusebius lib. IV *Demonstrationis evang.* cap. 29: *Jaho est salus, hoc est, Dei salutare.*

Ne quemadmodum, etc. Ex codice veteri et Græc. lection. decem voces adjecimus, quas omnes editiones veteres omiserant. Tertullianus habet: *ne sicut luce, ita et vitu orbaretur: conservatione, tum ignorantia.*

Conversionis. Ex cod. veter., Tertul. et Græc. lectione ita scripsimus. Codices excusi habebant, *conversationis.*

Pag. 20. *Quæ etiam convenienter*, etc. Quo pacto turpissima figmenta sua occuluerint Valentiniani, his graphice explicat Tertullianus: *Si bona fide quæras; concreto vultu, suspenso supercilio,* « *Alium est,* » *aiunt. Si subtiliter tentes; per ambiguitates bilingues, communem fidem affirmant. Si scire te ostendas; negant quidquid agnoscunt. Si cominus certes; tuam simplicitatem sua cæde dispergunt. Ne discipulis quidem propriis ante committunt, quam suos fecerint*, etc.

Sed solos illos, qui grandes mercedes, etc. Duæ sunt res, quæ maxime homines ad maleficia impellunt, luxuries et avaritia, quia nihil tam sanc-

[1] Act. I. [2] L. Præscript. c. 49, et lib. advers. Valent. c. 14.

Digitized by Google

tum, quod non violari; nihil tam munitum, quod non expugnari; nihil tam purum, quod non fœdari, pecunia possit. Et

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames[4]?

Hæreticos autem utroque morbo omnibus sæculis laborasse, et sectarum nostri sæculi cædes, rapinæ, incendia, sacrilegiaque, et veterum auctorum istorum lectio, indicant. Ignatius epist. 3, eos vocat, « mulierum corruptores, alienorum appetitores, pecuniarum 30 rapaces, et quasi vortices. » Post Optatum Milevitanum, graviter conqueritur Augustin. lib. I *contra litteras Petil.* c. 64 et lib. III *contra Cresc.* c. 42, de tyrannicis rapinis, invasionibus, furtis, et deprædationibus Donatistarum, omnino similibus eis, quibus Calvinistæ Gallias nostras a triginta annis funestissime devastarunt.

Volo autem et aliquid, etc. Ironia est, qua et Tertullianus chimericas istiusmodi nugas his festive traducit: « Hic æstimandum est, quem exitum duxerit, quantis lacrymarum generibus insudaverit. Habuit et salsas, habuit et amaras, et dulces, et calidas, et frigidas guttas, et bituminosas, et ferruginantes, et sulphurantes, utique et venenatas, ut et Nonacris » (aquam mortiferam in Arcadia scripserunt esse Vitruvius, Pausanias et Seneca) « sudaverit, quæ Alexandrum occidit; et Lyncestarum » (de his Livius lib. II, c. 103) « inde defluxerit, quæ ebrios efficit; et Salmacis » (lege Vitruvium lib. II *Archi.*) « inde se solverit, quæ masculos molles facit. Cœlestes imbres pipiavit Achamoth. » Cæterum, Deum omnipotentem aquarum, ut et aliorum omnium, conditorem esse, passim explicant Scripturæ, Genes. I, Exod. XV, Job XXVI, Psalm. LXXVI, CIII, CXLVIII.

Pag. 21. *Hanc autem Achamoth.* Græca lectione, et R. P. Frontonis judicio, *reveritam eum*, pro, *eam: et coopertionem*, pro *cooperationem* substituimus. Et paulo post: *et non eas neglexisse*, pro *eum:* item *separatim*, pro *separavit:* et *passibilis*, pro *passibile*.

Pag. 22. *Priores.* Codices excusi, *prioris*, sed mutavimus ex cod. veteri et Græc. lectione. Epiphanii interpres: « Non enim possibile erat ipsas deleri, velut illas priores, propterea quod in habitum jam cessissent, et validæ essent. »

Pag. 23. *Ejusdem subst.* Codices excusi, *ejus substantiæ*; sed cod. vetus, *ejusdem*. Billius, novus Irenæi interpres, aliique apud Epiphanium lat. hæc paulo dilucidius explicant. Cæterum, « quas dextra, et quas sinistra, » videlicet, animalia, dicunt, legendum proposuimus, pro *dextras et sinistras*, quod erat in cod. excusis.

Pag. 24. *Hunc autem unigeniti Filii.* Sic restituimus ex codic. vet. et lect. Græc.; delevimus vero: « Hanc autem unigenitum. » Epiphanii interpr.: « Illum vero in imagine unigeniti Filii; archangeles autem et angelos ab his factos in imagine reliquorum sæculorum. »

Devergentium. Demergentium prius erat; sed cod. vet. et lect. Græc. κατωφερῶν, cum Tertull. immutare fecerunt. Epiphanii interpres: « et eorum quæ sursum feruntur, et eorum quæ deorsum subsidunt »

Septem autem cœlos, etc. Ex Tertull., Epiphan. et cod. vet. quædam restituimus. Verba Tertull. sunt: « Cœlos autem noeros (id est, intellectuales) deputant, et interdum angelos faciunt, sicut et ipsum Demiurgum: sicut et paradisum archangelum quartum (archangeli 4 habebant codd. ex.): quoniam et hunc supra cœlum tertium pangunt, ex cujus virtute sumpserit Adam, diversatus illic inter nubeculas et arbusculas. » Porro paradisum visibilem negare, hæresim Seleucianorum et Hermianorum esse Augustinus lib. *De hæres.* asserit: et Origenem in *Anchorato* reprehendit Epiphanius, quod in terris esse negasset. Placuit mihi valde beat. Theophil. Antiocheni de eodem sententia, lib. secundo *Ad Autolycum:* « Condito homini, ait, Deus elegit regionem in locis orientalibus amœnitate eximiam, lumine coruscantem, et splendido aere illustrem, plantis variis fecundam; et in hanc collocavit hominem, » etc. Et Hieronymus *in Danielem*, jubet eorum deliramenta conticescere, qui flumina et arbores, et paradisum putant allegoriæ legibus subruere; Philonem, opinor, perstringens. Augustinus longe lateque Genesim explicans, nunquam illius situm, aut locum indicare voluit: quia ubi sit, adquæstiones, quæ sunt præter fidem, pertinere judicat, lib. II *Contra Pelag. et Cœlest.* cap. 23.

Pag. 25. *Eam.* Delevimus *eum*, auctoritate vet. cod. et lect. Græcæ. Epiphanii vetus interpres: « Habere vero ipsam medietatis locum, et esse quidem supra opificem, infra vero, aut extra complementum, usque ad consummationem. »

Pag. 26. *Cosmocratorem*, etc. Christus quidem diabolum vocavit τὸν ἄρχοντα τοῦ κόσμου, Joan. XII et XIV; et Paulus, θεὸν τοῦ αἰῶνος τούτου, II Corinth. IV; imo et κοσμοκράτορα τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, Ephes. VI. Sed ut illius impotentem tyrannidem, quam in impios exercet, et superbiam, qua adversus Deum erigitur indicarent. Isti vero tam augusto epitheto illum exornabant, honoris gratia; quia huic inferiori mundo illum præesse, Demiurgoque sapientiorem asserebant. Hinc scite illos vellicat Tertull.: « Diabolum opus Demiurgi affirmant, et Munditenentem appellant: et superiorum magis gnarum defendunt natura, ut spiritalem, quam Demiurgum, ut animalem. Meretur ab illis prælationem, cui omnes hæreses procurantur. » Sed de dæmonum et hæreticorum κοινωνίᾳ inferius dicetur.

Creaturam Demiurgi. Licet cum excusis codicibus vetus noster cod. *Creatorem* haberet, tamen legendum *creaturam* censuimus, quia Græce κτίσμα, et Tertull. *opus Demiurgi* habent.

Pag. 27. *Cum fabricasset.* Tertullianus suo more isthæc sic effert[6]: « Cum talia de Deo, vel de Deis, qualia de homine figmenta? Molitus enim mundum Demiurgus, ad hominem manus confert, et substantiam ei capit non ex ista, inquiunt, arida: sed ex invisibili corpore materiæ illius, scilicet philosophicæ, de fluxili et fusili ejus: quod unde fuerit, haud queo æstimare, quia nusquam est, » etc.

De fluxione. Ex Tertull., cod. veteri et Græc. ἐκ πνευματικῆς ἀπορροίας οὖσαν, ita legendum proposuimus: delevimus vero *definitione*.

Dermatinam tunicam. Cum Græce sit δερμάτινον, et Tertullianus vertat *pelliceam tunicam*, de qua Moyses scripsit: « Fecit Dominus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos[8], » nihil dubitavimus ita locum restituere, explosis Erasmi, Rhenani, et quorumdam aliorum variis conjecturis. Delirium porro horum Gnosticorum est, hanc tunicam esse carnem humanam, cum non sine sensili carne et pelle homo intus conditus fuerit, ut docet Tertullianus lib. *De Resur. carnis:* Hieronymus quoque Joannem Jerosolymitanum coarguat, quod per illas tunicas pelliceas humana corpora intellexerit. Sed quia festive magis quam graviter a vulgo circumfertur, Deum inde primum fuisse pellionem: unde pelles illæ quibus protoparentum velata fuit nuditas, desumptæ fuerint, vide si lubeat, quæst. 49 Just. mart. ad orthod. et Method. Tyri, apud Epiph. lib. II *contra hæreses.* Quid vero significaverint, tractat Aug. in Psal. CIII.

Matri suæ, spiritalem. Sic docet legendum R. P. Fronto, pro, *matris suæ spiritalis*, quod est in aliis excusis codicibus.

[4] Æneid. III, 56. [5] Lib. contr. Valent. [6] L. advers. Valent. cap 21. [7] Lib. cont. Valent. [8] Gen. III, 21.

Digitized by Google

Pag. 28. *Spiritale vero.* Græcus contextus una cum Latino vet. cod. sic legendum docuit, pro, *in spiritalem*. Pamelius quoque nota 281 in libr. Tert. *Adversus Valent.* docuit hic legendum esse *spirituale*, pro, *spiritualem:* et *salem*, pro *sole:* sicut et paulo supra, *cum sint igitur tria*, pro, *tres*, ut in hactenus excusis codicibus.

Pag. 29. *Quapropter, et nobis quidem*, etc. Ex hoc loco, et cap. 20 hujus libri, liquet Valentini et Simonis Magi impium dogma fuisse, opera bona ad salutem beatamque vitam necessaria non esse. Nostri autem sæculi proficientes in pejus hæresiarchæ, multis parasangis hac impietate superata, vociferantur, « opera ad salutem esse perniciosa; justum in omni opere quantumvis bono peccare; opera omnia hominum, non nisi æternos ignes mereri. » Æterna igitur supplicia (ut proprio judicio condemnentur) debet, et indubie rependet illis justus judex pro suis cœnis, cantiunculis, concionibus, et catechismis: dignam certe tantorum laborum mercedem. At verbum Dei docet, reddendum unicuique secundum opera sua; et unumquemque mercedem accepturum secundum proprium laborem; atque processuros, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, etc. Salubrius igitur multo, proposito præmio, ad omne genus bonorum operum nos excitant Patres. Tertull. lib. *Scorp.:* « Quomodo, ait, multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum? Clemens Alexand. vi *Strom.:* « Proportione habita, sunt variæ mansiones pro dignitate et meritis eorum, qui crediderunt. » Et August. sermo 39, de verbis Domini (nunc 108): « Declina a malo, et fac bonum, et cum hoc feceris, securus exspecta vitam: et tunc bona fronte dices Domino: Feci quod jussisti, redde quod promisisti. »

Quemadmodum aurum, etc., *sic et semetipsos*, etc. Superbissimam hanc hæreticorum jactantiam, qua se natura spirituales et mundos esse, nullisque quantumvis abominandis flagitiis maculari docebant, ab orco revocasse mihi videntur Calviniani, dum verbis et scriptis mentiuntur se suosque ab uteris matrum sanctificatos; nullaque crimina sibi imputari, modo fides in Christum adsit: nullis quantumvis exsecrandis sceleribus Spiritum a se recedere, etc.

Pag. 30. *Etenim idolothyta*, etc. Ingluviei arguit illos, quodque nullum servarent, pro traditione apostolica, ciborum delectum. Quandiu stetit gentilismus, tandiu Christianos 31 ab idolothytis cavisse, testes sunt Tertull. lib. *De idol. et de cibis Judaicis;* Orige. lib. VIII *Contra Celsum;* et Cypri. *De lapsis.* Abstinentiam vero a certis ciborum speciebus, tempore jejuniorum, « non propter abominationem eorum, sed ut mens ad cultum pietatis, ait Canon 50 apost., reddatur exercitatior; caroque contra Deum insurgens, inediæ tormentis atque suppliciis puniatur, » inquit contra psychicos Tertull., per universas Ecclesias tum observatam fuisse contestatur Clemens Rom. libr. v *Constit. apost.* cap. 19. Qui et solo pane, sale, atque oleribus uti concedit: a carnibus autem et vino abstinere, diebus jejuniorum: et ejusdem libri cap. 21 idem pluribus sacrarum Litterarum locis confirmat. Hujus rei praxim in B. Petri conversatione, lib. VII *Recog.* affert, qui laboriosis illis suis peregrinationibus, pane solo, cum olivis, et raro oleribus fatiscens corpusculum reficiebat. Notæ sunt omnibus fortissimorum martyrum, Severo imperante, istæ præclaræ voces; « Multum erratis, o viri, putantes humanis visceribus vesci eos, qui ne brutorum quidem animalium carnibus utuntur. » Euseb., lib. v *Hist.*, cap. 1. Tum temporibus quoque scribens contra psychicos Tertullianus, xerophagias diebus jejuniorum observatas fuisse asserit, siccato cibo ab omni carne et jurulentia; et lib. *De cultu mulierum*, quosdam creaturas Dei sibi interdicere, abstinentes vino et animalibus. Hieronymus dicit, « Paulum palmæ fructibus; et Hilarionem, paucis massæ caricis perpetuo victitasse. » Athanas. et Basilius lib. *De virginitate:* leguminibus, pane, et oleo, paucis nonnunquam adhibitis olusculis, jejuniis carnem spiritui servire cogentes, ut duntaxat volunt.

In omnem diem festum ethnicorum. Arguit eos, quod dies vel diis, vel imperatoribus paganorum sacros cum illis celebrarent, utique in eorum venerationem: imo nec a spectaculis illis abstinerent, in quibus vel gladiatorio certamine occumbebant, vel ferarum dentibus laniabantur multi. In hoc vero sese audacissimos piarum paternarumque traditionum contemptores manifestabant; cum omnes sive spectacula scenica, sive ludos Circenses, aut theatrales, studiose fugiendos monuerint, ut omnium vitiorum fomenta, malarumque cupiditatum irritamenta, ac (ut cum Chrysostomo[9] dicam) civitatum pestes, malorum omnium fontes, pestilentiæ cathedram, incontinentiæ gymnasium, luxuriæ officinam, impudicitiæ orchestram, et fornacem Babylonicam. Turpia enim spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumit, et vitia per oculorum fenestras in animos nostros celerrime convolant, irritant, accendunt, et inflammant. *Nihil est nobis dictu, visu, auditu*, ait Tertullianus[10], *cum insania Circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenæ, cum xysti vanitate.* Et solemnia Cæsarum irridens paulo superius; *Grande*, ait, *videlicet, officium focos et choros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, catervatim cursitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Sicine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? Hæccine solemnes dies principum decent, quæ alios dies non decent?* etc. Et eo paulo inferior Minutius Felix: *Nos*, inquit[11], *qui moribus et pudore censemur, merito pompis vestris et spectaculis abstinemus: quorum et de sacris originem novimus, et noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis currulibus, quis non horreat populi in se rixantis insaniam? In gladiatoriis, homicidii disciplinam? In scenicis, etiam non minor furor, turpitudo prolixior. Nunc enim mimus vel exponit adulteria, vel monstrat: nunc enervis histrio, amorem dum fingit, infligit. Idem deos vestros induendo, stupra, suspiria, odio dedecorat*, etc. Effundit et eloquentiæ suæ flumen in theatris insectandis Lactantius lib. VI, cap. 20. Deterret et quantum graviter potest Cyprianus, epist. ad Donatum. Epiphanius, Ecclesiam catholicam spectacula, ut equestria certamina, damnare scribit. Et B. Augustinus theatra ut caveas turpitudinum, et publicas flagitiorum professiones aversanda docet[12].

Quidam et carnis voluptatibus, etc. Inferius quoque cap. 8, 9, 20 et 23, scortationum, adulteriorum, et variarum libidinum Gnosticos reos facit: quod adeo cunctis hæreticis commune fuit, ut scribat Hieron. in IX cap. Oseæ, *difficile hæreticum inveniri, qui diligat castitatem.* Manifesta sunt omnibus Nicolaitarum lenocinia. *Carpocratianos* scribit Clemens Alex. III *Strom.*, *ad cœnas convenientes, viros simul et mulieres, lumine amoto, commisceri quomodo, et cum quibus voluissent.* Paria de Floriapis ante Augustinum scriptis mandaverat Philastrius. *Apellem desertorem continentiæ, et carne lapsum* vocat in *Præscript.* Tertullianus: *ut et Marcionem propter stuprum virgini illatum, Ecclesia motum fuisse asserit.* Hermogeni exprobrat, quod assidue nuberet, et totus adulter esset, prædicatione et carne. Montanum describit apud Euseb. libr. V, cap. 18, Apollonius, quas mulieres ut prophetissas circumducebat, a viris propriis, ad pro-

[9] Hom. 8, de pœnit. Hom. 62 ad pop. [10] Cap. 38 Apolog. [11] In Octavio. [12] Lib. I de consensu Evang. cap. 33.

Digitized by Google

priam libidinem abstraxisse. Cyprianus epist. 48 quosdam suæ tempestatis vocat *stuprotores virginum, et matrimoniorum corruptores, ac depopulatores.* Parum ab istorum avorum suorum lubricis vestigiis deflexisse cernunt omnes hujus sæculi nostri schismaticos, dum continentiam omnino impossibilem esse, cunctis inculcant : sacramenti matrimonii vincula solvunt; et qui cœlibus eorum præsunt, omnes fere deserto continentiæ voto, incestas nuptias amplexantur.

Pag. 31. *Quapropter ex omni modo.* Hic rursum et ex ipsis Gnosticorum verbis et satis indicat Irenæus, quam lascivi et impuri fuerint, qui omni tempore et loco de syzygia, id est, carnali cum feminis copulatione sibi meditandum profiterentur. Tertullianus Irenæo subscribit his verbis[13] : *Nam et honorandorum conjugiorum supernorum gratia, dicitur apud illos meditandum atque celebrandum semper sacramentum, comiti, id est, feminæ adhærendo. Alioqui degenerem nec legitimum veritatis, qui diversatus in mundo non amaverit feminam, nec se ei junxerit.* Cæterum, ex his post doctum Pamelium observo, Tertull. Latine scribentem, conjugium sacramentum appellare, quod Epiphanius, Irenæus, et Paulus apost.[14] Græce vocant μυστήριον. Itaque his veteribus Gnosticis novi Hugnostici hac etiam in re deteriores sunt, quod matrimonium legitimum inter Christianos sacramentum esse insficientur. Sed de hoc rursum postea.

Pag. 32. *Nymphonem.* Codices ex., *Symphonem*; vetus, *Nymphonem;* Græc., νυμφῶνα, *thalamum nuptialem;* ex hoc igitur restituimus.

Pag. 33. *Quemadmodum aqua per tubum.* Has blasphemias in Christi Domini incarnationem ex utero B. Mariæ virginis, validissime prosternit lib. III, cap. 18, 31 et 32. Post eum vero Tertull. lib. *De carne Christi* acerrime in illos pugnavit, et Vigilius martyr toto lib. III *Contra Eutychen*, huic negotio incumbit.

Pag. 35. *Cum sit igitur tale illorum arg.*, etc. Illorum sententiam rejicit, primo, quod neque propheticis concionibus, neque Christi doctrina, aut apostolica traditione niteretur. Iisdem telis Florini hæresim sic conficit lib. *De monarchia* apud Euseb., lib. V *Hist.*, c. 19 : *Ista dogmata, Florine, sanæ doctrinæ et sententiæ non sunt. Ista dogmata sunt Ecclesiæ repugnantia, utpote quæ eos qui illis obsequuntur, in maximam impietatem dejiciant. Ista dogmata ne hæretici quidem, qui erant ab Ecclesia exturbati, unquam affirmare audebant. Ista dogmata presbyteri qui ante nos fuerunt, quique erant ipsorum apostolorum discipuli, minime tibi tradiderunt.* Videsquam grave Irenæo visum fuerit a traditione sumptum argumentum : sed de hoc in sequentibus commodior erit dicendi locus[15]. Secundo vero, quod suas hypotheses ex ἀγράφοις, id est, non scriptis, scilicet legitimis, sed supposititiis, nothis, et a seipsis conflctis stabilirent, quibus simplices inescatos in retia sua pertraherent; quod apertius infra cap. 17 indicat : *Super hæc autem*, ait, *innarrabilem multitudinem apocryphorum, et perperarum Scripturarum, quas ipsi finxerunt, afferunt, ad stuporem insensatorum*, etc. Et cap. 35 : *Evangelium nomine Judæ proditoris proponunt*, etc. Addam et Epiphan. qui Marcionem, librum ex Evangeliorum, et ex Apostoli mutilatis et depravatis sententiis concinnatum, quem *Apostolicum* nominabat; Sethianos, libros septem nomine Seth, librum unum nomine Abrahæ, aliosque nomine Mosis; Encratitas, scripturas quæ dicebantur Andreæ, Joannis, et Thomæ; Archonticos quoque sibi ipsis libros conflctos, quos *Symphoniæ* magnæ et parvæ nomenclatura ornabant, conscripsisse et circumtulisse, in singulos scribens testatur. De Psalmis a Valentino magna impudentia conflctis conqueritur Tertullian. lib. *De carne Christi.* Augustinus quoque lib. *De natura boni*, contra Manichæos, cap. 44, indicat Scripturam quamdam blasphemiis refertam, cui *Thesauri* nomen dabant, eosdem legisse, audivisse, credidisse : sicut et epistolam Manichæi, quam *Fundamentum* nominabant, libro, quo prolixe eam confutat. Idem etiam lib. XIV, *De civit.*, cap. 23, multa sub nominibus prophetarum et apostolorum, ab hæreticis prolata fuisse, quæ sub nomine apocryphorum, auctoritate canonica, diligenti examine remota fuerint, testis est. Hoc quoque stratagema, nec sæculi nostri 32 hæreticis defuit, qui quemdam Bertramum contra eucharistiam; Carolum Magnum, contra imagines; et Huldricum, sive Uldaricum, Augustanum, adversus cœlibatum, conflnxerunt, aut depravarunt.

Pag. 36. *De arena resticulas nectere.* Græca proverbii verba sunt : Ἐξ ἄμμου σχοινία πλέκειν, in quibus mira apparet in explicanda Valentinianorum stoliditate proprietas, qui Scripturarum undique collecta ramenta, nullo pacto inter se cohærentia, ad sui erroris confirmationem nectere conarentur. Alio postea idem significante usus est Synesius, epistola adversus Andronicum, qui civilem virtutem cum sacerdotio, quod κλώθειν τὰ ἀσύγκλωστα, id est, ea nere, quæ neri nequeunt, eleganter epistola quinquagesima septima esse dicit Synesius, conjungebat.

Quomodo si quis regis imaginem, etc. Hac homœosi, omnium hæreticorum artem veteratoriam lepide explicat, qua putres fabulas suas eloquiis divinis operiunt; ac si quis simiam, fœdum ac turpe animal, purpura ornaret, asinum exuviis leonis indueret, *et plumbeos enses*, ait Nazianzenus ad Nicobulum, *argenteis vaginis conderet et occultaret;* aut (si ex sacris mavis) lupos rapaces vestimentis ovium, et Satanam in angelum lucis transformaret. Valentinianos istos scortis publicis similes asserit, stringens in illos calamum Tertull., quæ ut illito quotidie sibi fuco lascivos irretiunt; sic et illi figmentis, quæ in dies comminiscebantur, incautos inescabant; pharmacopolas etiam referre scribit Vincentius Lirinensis, qui noxia gramina salubribus titulis coronant.

Confirmet. Ita vet. cod. Græce διορίζοιτο : expunximus itaque, *conformet.*

Pag. 37. *Salvator.* Delevimus, *Salvatore.*

Pag. 38. *Et aporiam, id est, consternationem*, etc. *Desperationem*, post Cornarium, vertit Nicolaus Gallasius, ut suis, opinor, antistibus et symmystis patrocinetur, quos non puduit ex istis impiis Valentinianorum fabulis, Christum spem nostram et salutem, dum sanguinis guttas sudore emitteret, et in cruce penderet, *ingenti onere ira divinæ obrutum, flammis inferni addictum* (coactus, et non nisi exhorrescens, verbis eorum utor, ne impostorem vociferentur) *profundo inferni gurgite sepultum, demersum, pereuntemque, et desperantem* facere. Imo eo nequiores Valentinianis sunt, quod illi verborum idem significantium ambiguitate rem obscurant, dum Achamoth, Sophiam, et Christum pro eodem usurpant : isti autem nihil circuitione usi, etiam de conflcta insigni in Christum contumelia gloriantur.

Verum qui desperasset, qui pro aliis, eorum facinore excusato, tanta charitate orabat? Qui desperasse putandus est, qui regni consortium furi pollicebatur, spiritum commendabat in manus Patris, quem verbis nequaquam ambiguis omnixe precabatur? Spem abjicientes, aut manus sibi violentas afferunt, aut divinam majestatem contumeliis afficiunt, conviciisque et blasphemiis proscindunt, nec certe unquam pias has voces, *Deus meus, Deus*

[13] Lib. advers. Valent. cap. 30. [14] Ephes. v, 32. [15] Lib. III.

Digitized by Google

meus, usurpant. Ego plura, nisi properarem, adversus ista blasphemiarum portenta attulissem : sed nunc primos earum auctores, tanquam fontes digito indicasse sufficerit. Primum, ut ingratus hæresiarcharum animus, vel eorum saltem pateat discipulis, qui per quos profecerint, et a quibus hauserint (iisdem enim Scripturis utuntur) candide non agnoscant. Deinde ut nostros ad sanctorum Patrum assiduam lectionem adhorter, ex qua nihil fere recentiores hæreticos (ne tantopere glorientur) adversum nos emovere, quod ex priorum graveolentis Averni lacubus, auctore dissimulato, haustum non sit, facile deprehendent. Rursus de hoc infra lib. II, c. 28.

Pag. 39. *Initia*. Delevimus *initio*, auctoritate vet. cod. cui consentit Epiphanius his verbis : *Horum quos volebat salvare Salvator, primitias assumpsit.*

Invenit eam, quoniam, etc. Expunximus duas voces *in*, et *hoc*, auctoritate veteris codicis, cui conformis est lectio Græca, εὑρίσκει αὐτὴν, διὸ καὶ ταύτην, etc.

Pag. 40. *Ab hoc autem*. Delevimus *adhuc*, quoniam Græce est, ὑπὸ δὲ τούτου. Deinde *omnem*, pro *communem*, tam ex cod. vet. quam Græco reposuimus.

Pag. 41. *Doctrinam facit*. Vetus codex, *facti* : sed illud malumus, quoniam Græce est, τὴν διδασκαλίαν ποιεῖται.

Etenim principium. Delevimus *in principio*, auct. vet. cod. et lect Græc.

Pag. 42. *Et veritatem*. Ita vetus cod. Græce καὶ ἀλήθειαν : expunximus autem *Verbum*.

Pag. 43. *Deinde*. Expunximus *de re*, auctoritate vet. cod. Græce quoque legitur ἔπειτα.

Hi transvertentes, etc. Observa istos impietati Nestorii et Gnaphæi, quos Ephesina et Constantinop. synodi damnarunt, non tantum semina edisse, verum et eam superasse : cum in quatuor illi, isti autem tantum in duas personas unicum Dominum nostrum Jesum Christum distraxerint. Ut vero illos validissimis argumentis in sequentibus prosternit : sic posteriores apertissime convicerunt Cyrillus Alexand., Gelasius, Vigilius martyr, libris 5 *Contra Eutychen*; et Theodorus Antiochenus *Isagoge in Anastasium*. Cæterum, in Nestoriano cœno volutari Lutherum, Zuinglium, et quotquot B. Virginem Dei genitricem vocari non sustinent, evincit dilucide gravissimus scriptor Lindanus lib. I *De tranquillitate animi*, et Dialogo 2 Dubitantii; quod hic indicare placuit, ut vel hinc contra eorum venena pharmacum petas.

Pro hominibus. Delevimus *omnibus*, et mox reposuimus, *neque de Oydoade*, expungendo *atque*, auctoritate vet. cod. et Græcæ lectionis.

Ex Joannis Ernesti Grabii adnotationibus in cap. I.

Pag. 5. Græcus hujus capitis textus ex Epiphanii hæres. 31 depromtus est. Summa autem ejus recitatur a Theodoreto lib. I *Hæreticarum fabularum* cap. 7, et Latine a Tertulliano lib. *Adversus Valentinianos*, quem ne dimidio quidem sæculo hoc Irenæi opus præcessit. Illos igitur aliosque ejusmodi scriptores inter se eo. feram, ac ubi corrupti fuerint, puritati suæ restituere conabor; sicut *Indiculum hæreseon* pseudo-Hieronymi vitiosissime editum, ex hoc capite Irenæi bene emendavit Cotelerius in notis ad tom. I *Monum. Eccl. Græcæ*, col. 766 et seq., uno alterove loco excepto, cui mox medicam admovemus manum.

Τέλειον Αἰῶνα. Tertull. cap. 7 : « Substantialiter quidem αἰῶνα τέλειον appellant, personaliter vero προαρχὴν, et τὴν ἀρχὴν, etiam Bython. » Æon igitur Valentinianis Deum denotavit; pro qua significatione, a lexicographis prætermissa, duorum philosopborum auctoritatem accipe, Epicteti gentilis, et pseudo-Dionysii Christiani. Hic apud Arrianum, eadem, qua Valentinus vixit, ætate florentem, lib. II, cap. 5, ante medium, mortis necessitatem A considerans, ait : Οὐ γάρ εἰμι αἰων, ἀλλ' ἄνθρωπος, « Neque enim sum Deus, sed homo. » Illi autem lib. *De divinis nominibus* cap. 5, § 4, Deus dicitur ἀρχὴ καὶ μέτρον αἰώνων, καὶ χρόνων ὁνταρχὴς, καὶ αἰων τῶν ὄντων, « principium et mensura sæculorum, et temporum essentia, et ævum eorum quæ exsistunt. » Nam quemadmodum in αἰῶνι sive æternitate, nec præteritum, nec futurum datur, sed semper præsens; ita et Deus οὔτε ἦν, οὔτε ἔσται, οὔτε ἐγένετο, οὔτε γίνεται, οὔτε γενήσεται, ut Dionysius ibidem addit, indeque concludit : Αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ αἰὼν τῶν αἰώνων, ὁ ὑπάρχων πρὸ τῶν αἰώνων. « Ipse enim est ævum ævorum, exsistens ante omne ævum. » Confer commentatores in hæc verba.

Προπάτορα καὶ βυθόν. Synesius, episcopus Ptolemaidis, sicut in *Hymnis* poetica licentia abusus, omnem fere Valentinianorum mataeologiam veræ theologiæ adaptavit, ac hæreticæ voce orthodoxam cecinit fidem; ita hæc duo quoque nomina vero B Deo Patri attribuit. Sic hymno II, v. 27 : Βυθὸς πατρῷος, « Profundum paternum. » Hym. III, v. 47 : Προπάτωρ, ἀπάτωρ, « Primus pater, sine patre. » Hym. IV, v. 69 : Βύθιον κάλλος, « Immensa pulchritudo. »

Hæc. Hunc articulum deletum, et ista : καὶ καθάπερ σπέρμα... ἐνεγοήθη, in parenthesi accepta velim, ratus textum, in quo vocem aliquam redundare constat, rectius hoc modo emendari, quam si deletur καὶ ante καθέσθαι, id quod voluit Fronto Duc. Nam Latini et Græci codd. omnes copulativam hanc particulam habent; contra vox « quam » in nullis mss, vel editis Eras. et Gall. comparet, et a me proinde omissa, sed a Feuard. edidita ex textu Græco, in quem ἦν, nescio quomodo, irrepsit : id quod tamen citra ms. codicis auctoritatem delere nolui.

Pag. 6. *Προβαλεῖν καὶ αὐτὸν Λόγον*. Tertull. loc. cit. : « Emittit et ipse » (Nus) « ex semetipso Sermonem, » etc. Memoriæ itaque lapsus est in C Cyrilli catech. 6, ubi Βυθῷ generatio Λόγου ascribitur; est quoque ibidem prava lectio, distinctio, versio textus. Lege ex ms. 25 Roe. in bibliotheca Bodl. emendatum, recteque distinctum : Βυθὸς ἐγέννησε Σιγὴν, καὶ ἀπὸ τῆς Σιγῆς ἐτεκνοποίει Λόγον. Τοῦ παρ' Ἕλλησιν Διὸς οὗτος χείρων, τοῦ τῇ ἀδελφῇ μιγνυμένου· τέκνον γὰρ τοῦ Βυθοῦ ἐλέγετο εἶναι ἡ Σιγή. « Bythus genuit Sigen, et ex Sige filium suscepit Logon. Iste pejor est Jove gentilium, qui sorori commistus est : quippe Sige Bythi proles esse ferebatur. » Cæterum verbis Valentinianis ortbodoxe cecinit Synesius hymn. IV, v. 130 ;

Λόγος, ὃν μεγάλῳ
Πατρὶ συνυμνῶ,
Νόος ἀῤῥήτου
Τίκτει σε Πατρός.

Verbum quod magno
33 *Cum Patre cano,*
Mens ineffabilis
Te gignit Patris.

Alii quoque Patres ita loquuntur.

Μόρφωσιν παντὸς τοῦ πληρώματος. Apud Tertullianum itaque loco saepius citato lege : « sed et hæc soboles ad initium Universitatis et formationem (loco « formati, » ut est in impressis) Pleromatis totius emissa, » etc.

Pag. 7. *Τριάκοντα*. Ita post Irenæum cuncti hæreseon enarratores, omniumque prolixissime Epiphanius, quicorum originem ex Hesiodi *Theogonia* et triginta ejus dis deducit, hæres. 31, § 2, scribens inter alia : Τριάκοντα γὰρ καὶ οὗτος Αἰῶνας βούλεται παριστᾶν, οὓς καὶ θεοὺς ὀνομάζει. « Triginta huic quoque placuit statuere Æones, quos et deos nominat » (quomodo et Origenes homilia unica in librum Regnorum post medium : « quos αἰῶνας, sive quos deos appellant) » Addo, et pro deorum nomine ut

Digitized by Google

pro tricenario numero confirmando Paulinum presbyterum in *Vita S. Ambrosii*, ubi ait : « Valentinianorum hæresis triginta deos colit, » sive ut Agobardus lib. *De Judaicis superstitionibus*, cap. 2, in plurali numero allegavit : « Valentinianorum hæreses triginta deos colunt » Consentit de nomine, dissentit autem de numero ipse Ambrosius epist. 29 ad Theodosium imperatorem circa medium, de iisdem scribens, quod « triginta et duos Æonas colunt, quos appellant deos. » Quid hic sibi volunt « triginta et duos? » Nodum hunc secuerunt, non solverunt, editores Ambrosii Romæ 1585, qui epist. 17 (alius enim est ibi epistolarum ordo) « triginta Æonas » excudi fecerunt, omiserunt « et duos, » quos secuti sunt Parisienses in editione 1614, etc. Ast in antiquissimis exemplaribus omnibus verba Ambrosii ita, ut modo citavi, expressa inveni, nempe in Basileensi anno 1492, 1527, 1567, inque Parisiensi 1586. Laudem itaque in hoc, perinde ut aliis locis, meretur recentissima optimaque Patrum Benedictinorum editio, quæ numerum XXXII restituit, ut ex cl. Ittigii appendice ad Dissertationem de hæresiarchis § 53 disco, cum ipsam modo non ad manus habeam. Sed minus recte ibidem ad complendum dictum numerum « Bythos et Sige » ab Ambrosio additi notantur. Hi enim jam tricenario numero continentur, ideoque alii duo accipiendi sunt, nempe « Christus et Spiritus sanctus, » quos ambos a Monogene ad fixionem et consolidationem Pleromatis prolatos refert Irenæus § 4 hujus capitis, eosque reliquis triginta Æonibus annumerandos contendit lib. II, cap 15.

Αἰῶνες. Supremum Deum suum sive Βυθόν Valentinianos vocasse τέλειον Αἰῶνα, uti nos verum Deum « absolute » talem pronunciare solemus, ex supra dictis patet. Ast inferiores, quos commenti sunt, spiritus itidem αἰῶνας, licet non perfectos, cognominarunt, sicut et catholici quoddam bonorum angelorum genus hac voce designare soliti sunt. Ita in interpolata Ignatii *Epistola ad Trallianos* § 5 legimus : Ἀγγέλων καὶ στρατιῶν ἐξαλλαγὰς, δυνάμεών τε καὶ κυριοτήτων διαφορὰς, θρόνων τε καὶ ἐξουσιῶν παραλλαγὰς, αἰώνων τε μεγαλότητας, τῶν τε Χερουβεὶμ καὶ Σεραφεὶμ τὰς ὑπεροχάς, etc. In quæ verba animadvertit quidem Usserius, haud alibi, sive in Scriptura sacra, sive in catholicorum scriptis, ullam Æonum in hac significatione occurrere mentionem. Sed memoria lapsus est vir magnus, quod ecclesiasticos attinet scriptores. Nam lib. VIII *Constit. Apostol.* cap. 12 Deus dicitur ποιήσας τὰ Χερουβεὶμ καὶ Σεραφεὶμ, αἰῶνάς τε καὶ στρατιὰς, δυνάμεις τε καὶ ἐξουσίας, etc. Ad quem locum Cotelerius bene notavit, quod Eusebio quoque *Orat. de laudibus Constantini* pag. 606 commemorentur ἄγγελων στρατιαὶ, πνεύματα νοεροῦ φωτὸς ἔγγονα, αἰῶνες ἄχρονοι, ἄλλοι ἄπειροι αἰῶνες αἰώνων. Et ex Latinis apud Hilarium lib. II *De Trinitate* ante medium : « Archangeli nesciunt, angeli non audierunt, sæcula non tenent. » De ipsa Scriptura sacra affirmare haud ausim; nec tamen cum laudato præsule inficias ire velim. Quippe ut alia taceam loca, non defuere, qui Ephes. III, 9, per αἰῶνας intellexere angelos. « Sæcula, » inquit ibi in commentario Hieronymus, « omnes spirituales et rationabiles creaturæ, quæ in sæculis fuerunt. » Unde de nomine haud tantopere lis movenda Valentinianis, nisi in re errassent, et figmenta Dei pariter angelorum loco verorum protulissent.

Σεσιγημένοι. Tertull. cap. 9 : « Mater Sige ipsis hæreticis suis tacere præscribit. » Synesius hymn. I, v. 75 :

Τὰ δὲ ἄνω Σιγὰ καλύπτοι,
Superna Silentium operiat

Et hymn. II, v. 22 seqq. :

Τὰ πρόσω μάκαιρα σιγὰ
Νοερῶν τε καὶ νοητῶν
Ἄτομον τομὰν καλύπτει,
Ulteriora beatum silentium
Intelligentium et intellectilium
Individuam divisionem tegit.

Εἰς ὀγδοάδα, etc. Ita et inter alios Philastrius de Valentino : « De ogdoade ergo et decade et duodecade consistere triginta Æonas delirat. » Ita enim pro « deliberat, » quod est in editis, legendum bene monuit accuratissimus Cotelerius in notis ad t. III *Monumen. Ecclesiæ Græcæ*, col. 629. Nam « delirandi » verbo et alias utitur Philastrius, exempli gratia de Tatiano : « Æonas autem nuntians, sicut Marcion, deliravit. » Cæterum Lucianus, aut quisquis est auctor, in dialogo cui titulus *Philopatris*, ante medium, ubi catholicorum de Trinitate fidem impie rejecit, et Valentinianorum quaternionem, ogdoadem, etc., perstrinxit : ita enim Critias : Μὴ τὴν τετρακτὺν φῆς τοῦ Πυθαγόρου, ἢ τὴν ὀγδοάδα καὶ τριακάδα; « Num quaternionem Pythagoræ dicis, an octernionem et numerum tricenarium, » scil. Æonum? Respondet Triephon : Σίγα τὰ νέρθε, καὶ τὰ σιγῆς ἄξια. « Tace quæ infra sunt, quæque silentio digna. »

Πλάσματι αὐτῶν. Origenes quoque tom. III in Joan., pag. 71, Valentinianos notat, velut τὴν περὶ αἰώνων ἀναπλάσαντας ἐν συζυγίαις μυθολογίαν, « fingentes fabulosum de Æonibus per syzygias commentum. »

Pag. 7. Γινώσκεσθαι μόνῳ, etc. Synesius hymno V, v. 10 seq :

Ἃ δ' ἄῤῥητος εὐβλάστα
Αἰώνων οἶδεν ῥίζαν,
Hæc ineffabilis propago
Sæculorum novit radicem.

Reliquis autem angelis incognitum esse, ita effatur hymno III, 123 et seqq. :

Ἀτενὲς δὲ δρακεῖν
Ἐπὶ σοὺς πυρσοὺς
Θέμις οὐδὲ θεοῖς.
Intentis enim oculis intueri
In tuas faces
Licet ne diis quidem.

Pag. 8. Τοῖς δὲ λοιποῖς πᾶσιν. « Reliquis vero omnibus, » etiam Logo, quem Nus primum protulit. Ita lib. II, cap. 24 : « Logos quasi tertium ordinem generationis habens ignoravit Patrem, quemadmodum docent hi. » Id quod ibidem refellit.

Κατέσχε δὲ αὐτὸν ἡ Σιγή, etc. Ad hanc Valentinianorum assertionem referenda quoque puto ea, quæ habet Clemens Alexandrinus in *Excerptis ex Orientali Didascalia Valentinianorum* pag. 794, col. 1 : Ἡ Σιγὴ, φασὶν, μήτηρ οὖσα πάντων τῶν προβληθέντων ὑπὸ τοῦ Βάθους, ὃ μὲν οὐκ ἔσχεν εἰπεῖν περὶ τοῦ ἀῤῥήτου, σεσίγηκεν· ὃ δὲ κατέλαβεν, τοῦτο ἀκατάληπτον προσηγόρευσεν. « Silentium, inquiunt Valentiniani, mater exsistens omnium a Profundo emissorum, quod quidem de ineffabili effari haud poterat, tacuit : quod vero ipsa apprehenderat, istud incomprehensibile appellavit. »

Ἄναρχον ῥίζαν. Uti primogenitum quaternionem Valentiniani supra vocabant ῥίζαν τῶν πάντων; ita hic primum in hoc quaternione Bython, sine principio a semetipso exsistentem, appellarunt ἄναρχον ῥίζαν. Male quidem de ficto suo Bytho et quaternione hæretici : sed bene satis de vero Deo, sanctissimaque Trinitate catholici. Ita Synesius hymno II, vers. 25 et seq. :

Μία παγὰ, μία ῥίζα,
Τριφανὴς ἔλαμψε μορφά.
Unus fons, una radix,
Ter splendens elucet forma.

Et hymno III, v. 171 et seq. :

Παγὰ παγῶν,
Ἀρχῶν ἀρχά,

Digitized by Google

Πιζῶν ῥίζα.
Fons fontium,
Principiorum principium,
Radicum radix.

Et Hymno IV, v. 136 seq. de Filio Dei :

Πρῶτος πρώτας
Προθορὼν ῥίζας.
Primus ex prima
Propagatus radice, etc.

Sic et alii orthodoxi scriptores ecclesiastici Deum Patrem in relatione, tam ad Filium et Spiritum S. quam ad creaturas, dixerunt « Radicem et Fontem, » veluti (Tertullianum *Contra Praxeam* cap. 8 ut præteream) Ambrosius lib. x in Lucam, et lib. v *De Fide* ad Gratianum cap. 5; Basilius M. homil. 15 de fide et 17 contra Sabellianos; Cyrillus Alexandrinus passim, etc.

Νεώτατος. Solent enim juniores magis temerarii et minus continentes esse. Hinc Tertullianus : « Incontinentia sui, inquit, prorumpit in Patrem inquirere. » Ast inter Æones juniorem alium, alium seniorem dicere, absurdum merito videtur Irenæo lib. II, cap. 24.

Ἀπόσκημμα. Tertullianus hoc Irenæi verbum optime circumscribens : « Derivarat, inquit, ut solent vitia in corpore alibi connata in aliud membrum perniciem suam efflare. » Nam ut Galenus lib. II *De methodo medendi* ad Glauconem cap. 9, tom. X, pag. 382, scribit : Ἀποσκήμματα ὀνομάζουσι τὰς διαθέσεις ἐκείνας, ὅταν χυμοί τινες ἐναχλοῦντες πρότερον ἑτέρῳ μορίῳ, καταλιπόντες ἐκεῖνο, εἰς ἕτερον μεταστῶσιν. « Aposcemmata vocant affectiones, cum humores loco, quem prius infestabant, relicto, in alterum confluunt. » Aptissime igitur hac voce expressit Irenæus sententiam Valentinianorum, dicentium, quod malum, ex inquisitione imperscrutabilis Bythi contractum, reliquos quidem Æones infestare cœperit; postmodum vero instar pravi humoris defluens, in ultimo Æone, Sophia, subsederit, uti hic docetur et lib. II, c. 24 : « Audent dicere, quia a Logo quidem cœpit, derivatio autem in Sophiam. »

Pag. 9. *Τεκεῖν οὐσίαν ἄμορφον.* Obiter hoc loco animadverto, Tertullianum perperam οὐσίαν ἄμορφον non « partui, » sed « parienti matri » per appositionem ascripsisse, ut cuique integrum ejus 34 contextum inspicienti patet. Contra Irenæus tam hic, quam lib. II, c. 37 : « Illorum Æon substantiam informem peperit. »

Qualem naturam habebat femina parere. Θήλεια, non θήλειαν, legit vetus interpres et cum eo Billius, unde et ipse vertit : « Qualemque naturam femina poterat peperisse ; » nec non Cornarius, Epiphanii interpres : « Qualem feminea natura parere poterat, » sine complexu scilicet mariti. His merito contradixit Fronto Duc., qui textum Irenæi ita legit et distinguit : οἵαν φύσιν εἶχε, θήλειαν τεκεῖν, atque sic interpretatur, ut Sophia dicatur « feminam » peperisse, quod et ipsa feminei esset sexus; notans inde, prius τεκεῖν tanquam superfluum delendum esse. Atqui hoc quidem non necessum puto; verum quoad lectionem vocis θήλειαν, et sensum verborum omnino consentio : quippe non modo Tertullianus c. 10 reddidit : « Concepit et procreat feminam; » sed et ipse Irenæus, optimus verborum suorum interpres, id confirmat, in fine hujus sectionis scribens : Καρπὸν ἀσθενῆ καὶ θῆλυν αὐτὸν λέγουσι· « Fructum invalidum et femineum (feminam) eum dicunt. » Et lib. II, cap. 36 : « Illius (Sophiæ) passio fructificavit fructum femineum (sicut dicunt), invalidum, et infirmum, et informem. » Juxta genuinam itaque Græci textus lectionem sensus Irenæi hoc loco talibus exprimendus foret verbis : « Qualemque naturam ipsa habebat, feminam peperisse. »

Timuisse ne hoc ipsum finem habeat. Approbat hanc interpretationem Billius, quasi ex Græco : μὴ καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι τέλος ἔχῃ, eamque confirmat auctoritate Tertulliani, cap. 10 scribentis : « Et metuere postremo, ne finis quoque insisteret. » Nec aliter Petavius in sua Epiphanii versione. Verum ego, relicto interprete (quem Tertullianus hoc loco improvide secutus est, ut in Prolegomenis dixi, ubi de ætate veteris versionis disserui), Græcam lectionem apud Epiphanium omnino teneo, et Irenæum ita interpretor, ut dixerit, Sophiam primo contristatam esse, quod imperfectum peperit fetum, nempe femineum, quem in comparatione cum masculo sexu imperfectum semper judicarunt naturæ scrutatores; postea metuisse, ac anxiam animo hæsisse, utrum et imperfectioris hujus sexus natura in deformi ista prole esset integra, sive an omnino ullum esse perfecte haberet. Hunc enim sensum commode admittunt verba : μηδὲ αὐτὸ τὸ εἶναι τελείως ἔχειν. Quæ idcirco haud sollicitanda esse puto.

Τὸ γένος. Γεγονός mavult Billius, ratus veterem interpretem ita legisse, nec non Tertullianum, qui cap. 10 « casum » non « genus » dixit. Et de Tertulliano quidem vix habeo, quod dicam; de veteri autem interprete inficias eo, quia non reddidit « id quod erat factum, » sed, « id quod erat natum. » Atqui γένος significare « natam sobolem, » ex lexicis constat, ideoque haud est necesse vocem istam corrigere, præsertim cum optime ad mentem Valentinianorum quadret Sophiam fetum suum, utpote deformem prorsus, voluisse abscondere.

Pag. 10. *Συνδεηθῆναι δὲ αὐτῇ καὶ τοὺς λοιποὺς Αἰῶνας.* Ex compassione id fecerunt. Nam ut in Clementis Alexandrini *Excerptis ex didascalia Valentinianorum* legimus pag. 794, col. 2 : Διὰ τῆς τοῦ δωδεκάτου Αἰῶνος πείσεως τὰ ὅλα παιδευθέντα, ὥς φασι, συνεπάθησεν· τότε γὰρ ἐπέγνωσαν, ὅτι εἰσὶν χάριτι τοῦ Πατρός· « Per passionem duodecimi Æonis omnia (quæ erant in Pleromate), erudita, ut aiunt, compassa sunt. Tunc enim cognoverunt, quod gratia Patris subsisterent. »

Διὰ τοῦ Μονογενοῦς. Horon dicit a « primo Patre » emissum per « Monogenem, » et utrumque nominat, ut ambas complecteretur Valentinianorum opiniones. Nam, ut lib. II, cap. 15, scribit : « Horon quidam quidem a Monogene emissum dicunt, alii vero ab ipso Propatore in similitudine sua. »

Ἀσύζυγον, ἀθήλυντον. « Sine conjuge masculefemina. » Ex hac versione, nec non ex Tertull. cap. 10, ubi legimus « in imagine femina-mare, » post Billium collegit Fronto Duc. in Græco non ἀσύζυγον, ἀθήλυντον legendum esse, sed ἀζύγῳ ἀῤῥενοθήλει. « Neque enim, inquit Billius, hæc ratio, quam subjungit, satis quadraret, si ἀσύζυγος ἀῤῥενόθηλυς ad Horum referretur. » Verum ego Latinum interpretem potius (a quo et Tertullianus seductus mihi videtur), quam Græcum textum corrigendum puto. Vocem ἄζυγος, præ ἀσύζυγος haud elegisset Fronto Duc., si συζυγίας, Valentinianorum, et id, quod hoc loco mox sequitur, μετὰ συζυγίας, considerasset. Ἀθήλυντον etiam non necesse est commutare in ἀῤῥενόθηλυν, quia optime præcedenti voci congruit. Cæterum quod majoris est momenti, ἀσύζυγον, et id quod sequitur verbum, in accusativo, non in dativo, legendum esse, firmissime sum persuasus. Sicut enim non dicere solemus, quod Deus hominem « secundum imaginem suam sanctam » creaverit, sed « secundum imaginem suam sanctum » condiderit; ita et hic Propator melius in Græco dicitur « Horon » juxta imaginem suam produxisse « conjugis expertem et masculo-feminam » (si ita placet), quam in Latino : « in imagine conjugis experte et masculo-femina. » Optime quoque ad id, quod Horus dicitur conjugis expers, quadrat ratio, quam subjungit : nempe ejus genitorem, Propatorem, ipsum quoque a Valentinianis repræsentari aliquando sine conjuge, licet communiter Sigen ei adjungant. Unde nil mirum, si et talis fingatur soboles ab eo emissa. Nollem itaque mutare Græcum textum, quin potius in Latino inter-

Digitized by Google

prete et Tertulliano pro « masculo-femina et femina-mare » scriberem « masculo-feminam et femina-marem. »

Καρπιστήν. Id est, « vindicem » sive « assertorem libertatis. » Ita redditur in veteri Glossario Græco-Latino. Exemplum habes apud Arrianum lib. III, *De Epicteti disputationibus* cap. 26, pag. 369 edit. Cantabrig. : Λέγε οὖν τὰς ἀληθείας, δοῦλε, καὶ μὴ δραπέτευέ σου τοὺς κυρίους, μηδ' ἀπαρνοῦ, μηδὲ τόλμα καρπιστὴν διδόναι, τοσούτους ἔχων τῆς δουλείας ἐλέγχους· « Vera igitur dic, serve, nec aufuge a dominis tuis, neque inficiare, nec audeto assertorem exhibere, cum tot argumenta tuæ servitutis in promptu sint. » Et ante pag. 365 : Ὅτι καρπιστὴν δίδως, « quod vindicem et assertorem præstes. »

Μεταγωγέα. Circumductorem dixit Tertullianus et Petavius in versione Epiphanii. Ego potius rederem « deductorem. » Sed quæ hujus cognominis ratio? Incidit mihi hac de re cogitanti, ἀναγωγὴν dici, ubi ab obvio sensu ad sublimiora et μυστικώτερα ascendimus. Quid si igitur Horos dictus sit μεταγωγεύς, quia juniorem Æonem « reduxit » atque repulit, ne ulterius in altissimum Bythi mysterium penetrare contenderet? Solet enim aliquando *μετά* in Græcis compositis idem esse, quod *re* in Latinis, ut μετακαλεῖν, « revocare, » Act. XXIV, 25, apud Dionys. Areopag., etc. Denique variis nominibus Hori addę Sotera ex lib. II, c. 15.

Pag. 11. *Εἶναι.* Legendum potius μεῖναι, quia interpres habet « perseverasse, » et Tertull. « remansisse. »

Ἀποστερηθῆναι. Legendum ἀποσταυρωθῆναι, monet Billius, quia « crucifixum » habent vetus interpres et Tertullianus, non « privatam. » Et lectionem quidem ἀποσταυρωθῆναι facile admitto, sed hoc verbum hic potius reddendum fuisset, quasi « vallo cinctam et a Pleromate disjunctam esse. » Sic apud Thucydidem lib. IV, cap. 69, ἀποσταύρουν scholiastes explicat χαρακώματα ἐποίουν. Neque alibi in omni Irenæi opere lego, Enthymesin cruci affixam esse.

Χριστὸν διδάξαι, etc. Tertullianus, mendoso forte codice usus, hæc verba ita vertit, dicam an pervertit: « Christi erat inducere (vel, ut Pamelius legendum conjectat, docere) Æonas naturam conjugiorum, et innati conjectationem, et idoneos efficere generandi in se agnitionem Patris. » Ubi nota additum καί ante ἀγεννήτου κατάληψιν, omissum γινώσκοντας, mutatum εἶναι in ποιεῖν, et ἀναγορεῦσαι in ἀναγεννῆσαι. Male quoque Petavius in versione Epiphanii : « Christum conjugii natura atque ingeniti comprehensione cognita, docuisse contentos esse oportere, » etc. Melius quidem, nec tamen exacte ad mentem Irenæi Billius : « Christum enim conjugii naturam eos edocuisse, quodque ii, quibus ingeniti comprehensio nota esset, sibi ipsis sufficerent. » Quasi in Græco legeretur : Καὶ ἀγεννήτου κατάληψιν γινώσκοντας ἑαυτοῖς ἱκανοὺς εἶναι. Sed non necesse est, imo non debet sive καί, sive ἑαυτοῖς addi, quia ἱκανός hic scientia non tam contentum, quam satis superque instructum ac idoneum significat; quomodo et in aliis sacris profanisque usurpatur scriptoribus. Id itaque est, quod Irenæus ex sententia Valentinianorum dixit : « Christum docuisse Æonas naturam conjugationum, » ita scilicet comparatam, « ut satis sciant, si cognoscant ingeniti comprehensionem, » id est, Filium; utpote in quo ingenitus Pater, in se incomprehensibilis, comprehendi queat. Cæterum et illa : ἀναγορεῦσαί τε ἐν ἑαυτοῖς, etc., bene in veteri versione reddita, et ita clara sunt, ut nullis opus sit verbis. Addo solum parallelum locum Irenæi lib. IV, cap. 14 : « Mentiuntur hi, qui sunt a Valentino, Christum Æonibus eorum dixisse : Nolite quærere Deum : incognitus est enim, et non invenietis eum. »

Pag. 12. *Ἀκατάληπτος.* Obiter nota eam, quæ optime huc quadrat, definitionem Chrysostomi homil. 3 Περὶ ἀκαταλήπτου, tom. IV, pag. 404 : Τὸ ἀκατάληπτον λέγεται, ὅταν ἐρευνηθὲν καὶ ζητηθὲν μὴ καταληφθῇ παρὰ τῶν ζητούντων αὐτό. « Illud dicitur incomprehensibile, quod investigatum licet et quæsitum, tamen non apprehenditur ab iis, qui quærunt. »

Οὐκ ἔστιν οὔτε ἰδεῖν... ἢ διὰ μόνου τοῦ Μονογενοῦς. Clemens in **35** *Epitome ex Valentinianorum Didascalia Orientali* pag. 791, col. 1, C : Πρόσωπον Πατρὸς ὁ Υἱός, δι' οὗ γνωρίζεται ὁ Πατήρ. « Facies Patris Filius, per quem Pater cognoscitur. » Et pag. 793. col 2, A : Τάχα δὲ τὸ πρόσωπόν ἐστι μὲν καὶ ὁ Υἱός· ἔστι δὲ, καὶ ὅσον καταληπτὸν τοῦ Πατρὸς δι' Υἱοῦ δεδιδαγμένοι θεωροῦσι· τὸ δὲ λοιπὸν ἄγνωστόν ἐστι τοῦ Πατρός. « Forte et facies (Dei) est Filius : est vero, quatenus id quod est comprehensibile Patris, per Filium edocti contemplantur : reliquum autem Patris est ignotum. » Hanc Valentinianorum hypothesin in mente habuit Synesius, dum cecinit hymn. III, v. 123, et seqq. :

Ἀτενὲς δὲ δρακεῖν
Ἐπὶ σοὺς πυρσοὺς
Θέμις οὐδὲ θεοῖς·
Πέπτων δὲ νόος
Ἀπὸ σᾶς σκοπιᾶς·
Τὰ πέλας σαίνει·
Ἀκίχητα κιχεῖν
Ἐπιβαλλόμενος,
Προσιδεῖν αἴγλαν
Ἀκαμάτι βυθῷ
Ἀμαρυσσομένην.
Ἀδάτων δὲ ἀποβὰς,
Ἐπὶ πρωτοφανὲς
Εἶδος ἐρείδει
Ὄμματος ἀλκάν.

Intentis enim oculis intueri
In tuas faces,
Licet ne diis quidem :
Sed decidens mens
De tua specula
Proxima quæque amplectitur :
Non vestigabilia vestigare
Dum tentat,
Lucemque intueri
Immensa in profunditate
Fulgentem.
Ab inaccessis autem delapsa
In primæ lucis
Specie figit
Oculi aciem.

Et causam quidem æternæ perseverationis, etc., *Filius est.* Similiter Tertul. cap. 11 : « Docebantur incomprehensibile quidem Patris causam esse perpetuitatis ipsorum : comprehensibile vero ejus, generationis illorum et formationis esse rationem... Filium autem constituunt apprehensibilem Patris. » Ita quoque omnes recentiores, Billius, Fronto Duc., Petavius, etc., omittentes τὸ πρῶτον, et quatuor Græca Irenæi verba mutantes, καταληπτόν in contrarium ἀκατάληπτον, αὐτοῦ prius in αὐτῶν, ᾧ in ὅ, ἴσος in υἱός, indeque sensum prorsus alienum reddentes, quem et exagitat pro more Tertullianus. Ego sine ullius litteræ mutatione Irenæum, vel potius doctrinam Valentinianorum ab eo relatam, ita interpretor : « Et causam quidem æternæ perseverationis (ut scilicet immortales exsisterent Æones, non similes hominibus mortalibus) reliquis, præcipue esse comprehensionem Patris (non Propatoris ingeniti, sed unigeniti, quem « Patrem et principium omnium » vocabant Valentiniani, ut § 1 dictum est) « generationis autem ejus (Patris modo dicti) et formationis » ejusdem causam esse « comprehensionem ejus, cui similis est, » id est, primi Patris, cui « similem et æqualem (ἴσον) esse unigenitum, solumque ejus magnitudinem percipere, » loco citato expresse docetur.

Digitized by Google

Spiritus vero sanctus. Add. « unus » juxta Græcum ἓν, quod quidem nec Tertullianus legisse videtur ; ego tamen ut genuinum agnosco, ac Valentinianos istud Apostoli I Cor. XII, 11 : Τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα, imitatos esse puto. Atque hoc loco ἓν ideo adjectum suspicor, ut innueretur ratio, quare Spiritus sanctus Æones omnes æquales reddiderit, ac unitatem Pleromati induxerit, quod nempe et ipse esset « unus : » vel ut insinuaretur « Christos quidem duos esse, » superiorem alium, alium inferiorem, de quo mox ; « Spiritum vero S. unum. » Hinc Origenes lib. II, *Περὶ ἀρχῶν*, cap. 7 : « Duos quidem deos ausos esse hæreticos dicere, et duos Christos audivimus : duos autem Spiritus sanctos nunquam cognovimus ab aliquo prædicari. » Cæterum in Tertull. lege : « Spiritus sancti proprium, » scilicet erat, non « propria. »

Μορφῇ καὶ γνώμῃ ἴσους κατασταθῆναι τοὺς Αἰῶνας... πάντας λόγους, etc. Tertullianus cap. 12 : « Omnes forma et sententia peræquantur, facti omnes, quod unusquisque : nemo aliud, quia alter. Omnes refunduntur in Noûs, in Sermones, omnes in Homines, in Christos. » etc. Clemens in *Excerptis ex Didascalia Orientali Valentinianorum* pag. 794, col. 2, B : Ἐν Πληρώματι οὖν ἑνότητος οὔσης, ἕκαστος τῶν Αἰώνων ἴδιον ἔχει Πλήρωμα, τὴν συζυγίαν. « Cum unitas sit in Pleromate (ita nempe ut omnes sint « Mentes, Sermones, Homines, » etc.), quilibet Æonum proprium habet Pleroma, in sua scilicet conjugatione. » Et pag. 793, col. 2, B : Λέγουσι δὲ καὶ τοὺς Αἰῶνας ὁμονύμως τῷ Λόγῳ Λόγους, « Æones quoque Sermonis nomine appellant Sermones. »

Στηριχθέντα δέ, etc. Tertullianus loc. cit. hæc ita expressit : « Exinde refecti sunt, et constabiliti sunt, et in requiem ex veritate compositi, magno cum gaudii fructu hymnis Patrem concinunt. Diffundebatur et ipse lætitia, utique cantantibus bene filiis et nepotibus.

Ὑμνῆσαι τὸν Προπάτορα. Synesius hymn. II, v. 40 et seqq. :

Χόρος ἀφθίτων ἀνάκτων
Γενετῆριόν τε κῦδος,
Τό τε πρωτόσπειρον εἶδος,
Νοεροῖς ἐμέλψεν ὑμνοῖς.

Cœtus immortalium angelorum
Patris gloriam,
Et primogenitam formam,
Cœlestibus canit hymnis.

Et ne ad Valentinianorum placita Synesium respexisse dubites, accipe sequentia :

Στρατὸς ἀγγέλων ἀήρως,
Τὰ μὲν ἐς νόον δεδορκὼς
Ἀρέπεται κάλλιος ἀρχάν.

Exercitus angelorum senii expers,
Et partim in mentem respiciens,
Decerpit pulchritudinis principium.

Quod cum iis convenit, quæ apud Irenæum de perfecto decore et sidere Pleromatis mox sequuntur.

Pag. 13. *Ὁμογενεῖς ἀγγέλους.* « Ejusdem generis angelos ; » sed an ejusdem inter se, an cum Salvatore ? Tertullianus animi pendens : « Par, inquit, genus. Si inter se, potest fieri : si vero Soteri consubstantivos (ambigue enim positum inveni), quæ erit eminentia ejus inter satellites coæquales ? » Athanasius autem orat. 2 contra Arianos multo post medium tom. I pag. 363, rem determinat, dum ait de Valentino : Ὁ μὲν τοὺς ἀγγέλους ὁμογενεῖς εἴρηκε τῷ Χριστῷ· « Illic quidem angelos consimiles Christo pronuntiavit. » Et in epistola prolixiori ad Serapionem contra eos, qui dicunt Spiritum S. creaturam esse, eodem tom. I pag. 185 : Ἐκεῖνος γάρ φησι, ὅτι πεμφθέντος τοῦ Παρακλήτου, συναπεστάλησαν αὐτῷ οἱ ἡλικιῶται αὐτοῦ ἄγγελοι. « Is enim (Valentinus) inquit, misso Paracleto, una cum eo missos esse angelos ejus coætaneos. » Quæ Athanasius ex ipso didicit Irenæo infra scribente de Christo inferiori, Paracleto Matris Achamoth : Ἐκπέμπεται πρὸς αὐτὴν μετὰ τῶν ἡλικιωτῶν αὐτοῦ τῶν ἀγγέλων· « Mittitur ad eam cum coætaneis suis angelis. »

Ἐξ ἀγῶνος σύμπηξις. In omnibus editt. Irenæi et Epiphanii legitur junctim ἑξάγωνος, quæ vox a Billio ad sex præcedentia Hori nomina refertur. Sed ut taceam ἑξάγωνος cum spiritu leni legi, non ἑξάγωνος, quis appellationem sex nominibus expressam diceret « sexangularem compaginem ? » Mox itaque rejecta hac lectione, poni voluit καὶ Αἰώνων, quia in veteri versione est, « et Æonum. » Verum violenta est hæc mutatio ; et infirma probatio : nam nulli mss. habent, « et Æonum, » sed Voss. corruptissime, « lex Æonum ; » Arundel. et Merc. 1, « ex Æone, » quasi ex Græco ἐξ Αἰῶνος, « ex Æone. » Quod licet minus ab ἑξάγωνος recedat, nullum tamen præsenti rei aptum fundit sensum, ac proinde Eras., etc., posuerunt, « et Æonum ; » æque inepte, ut cuilibet textum inspicienti patet. Petavius igitur in notis ad Epiphanium alia emendatione Irenæum juvare conatus est. « Forte, inquit, ἑξῶ τῶν Αἰώνων σύμπηξις. Nam de Æonibus paulo ante dictum est. » Quid vero dictum est ? hic altum silentium ; adeo ut nemo scire queat, nec ipse forte auctor sciverit, quid generalibus istis verbis sibi voluerit, multo minus quæ Irenæi juxta hanc lectionem sit sententia. Cæterum Fronto Duc. et Feuard. sicco prorsus pede difficillimum hunc locum præterierunt, nec verbulo suum, vel Irenæi, sensum indicantes. Ecce vero rectam, ne littera quidem mutata, lectionem, planamque sententiam. Ex una voce ἑξάγωνος, quæ nulla est, factas duas, ἐξ ἀγῶνος, verto : « post agonem. » Nam quod Eustathius ad Homeri *Il.* ε, v. 865, notat : Ἡ ἐξ πρόθεσις οὐ μόνον ἐνταῦθα εἴληπται ἀντὶ τῆς *μετά* προθέσεως, ἀλλὰ καὶ ἀλλαχοῦ. « Præpositio *ex* non solum hic accipitur pro præpositione *post*, sed et alibi ; » id huic loco applicans, sensum ex antecedentibus ita explico : — Dictum est supra, ultimum Æonem, Sophiam, dum incomprehensibilem Patrem capere vellet, ἐν πολλῷ πάνυ ἀγῶνι γενόμενον διὰ τὸ μέγεθος τοῦ βάθους, etc., « in magna agonia propter magnitudinem altitudinis constitutum fuisse » : dictum quoque ibidem, Æonem istum « propter hoc fere absorptum et in universam substantiam resolutum fuisse, » ἀναλελύσθαι, nisi occurrisset Horo, cui στηρίζουσα δύναμις, « virtus consolidans » attribuitur, et docetur, quod per eam confirmatus Æon ad se ipsum, et ad Pleroma redierit. Hæc itaque summatim repetens hoc loco Irenæus, post συμφορὰν πεπονθότος Αἰῶνος, καὶ κατὰ μικρὸν ἀπωλολότος, « tristem casum passi, et pene perditi Æonis, » subjunxit ejusdem ἐξ ἀγῶνος σύμπηξιν, « post agoniam consolidationem, » ne scilicet in universum resolutus diffluereret ; eam Horo tanquam causæ efficienti ascribens.—Unde forte non incommodum foret legere, διὰ τοῦ Ὅρου, non tamen necesse, dummodo ita intelligatur. Intellexit sane Tertullianus ; siquidem cap. 13, Ὅρου ἐξ ἀγῶνος σύμπηξιν, reddidit « Hori opportunissimum auxilium, » quod scilicet Sophiæ tulit periclitanti. Scripseram hæc, antequam varias Latinæ versionis lectiones a Mercero collectas benevole mihi communicasset clariss. dominus Dodwellus. Quas dum inspexi, et ex altero codicum notatum inveni « ex Æonia, » in sententia mea plane confirmatus sum.

Pag. 14. *Τῆς εὐχαριστίας.* Taïs εὐχαριστίαις legit vetus interpres, « gratiarum actionibus. » Non inepte autem notat Feuard. per eucharistias hic intelligi preces atque laudes in celebratione sacramenti eucharistici fundi solitas, de quibus et verba

Digitized by Google

Pauli I Tim. II, 1, ubi jubet fieri « obsecrationes, orationes, intercessiones, gratiarum actiones, εὐχαριστίας, pro omnibus 36 hominibus, » Patres aliqui acceperunt. Harum enim clausulam jam primo Ecclesiæ ævo fuisse : « Per omnia sæcula sæculorum, » probare contendit ex liturgiis Jacobi, Clementis, etc. Atqui has quidem vel suppositas, vel interpolatas esse satis constat ; attamen haud vane augurari licet, illos, qui in omnibus istis liturgiis exprimuntur, quique jam olim ubique inter sacra mysteria usitati fuere, ritus ex apostolica traditione fluxisse. Id saltem ex hoc Valentinianorum argumento liquet, secunda post Christum natum ætate dictam formulam in usu fuisse. Cæterum adhuc aliud est, quod ex hoc loco obiter colligo, nempe clausulam orationis Dominicæ, qua gloria dicitur Deo εἰς τοὺς αἰῶνας, olim nec a catholicis, nec a Valentinianis agnitam fuisse. Neque enim ex ea, perinde ut ex aliis catholicorum doxologiis et S. Scripturæ locis, argumentum ducere intermisissent.

Pag. 15. (*Ὑμοσημαίνεσθαι λέγουσι*) *τῆς ἀποστασίας διὰ Ἰούδαν*, etc. Græca in hac periodo jam olim fuere corrupta : unde vetus interpres τῆς ἀποστασίας διὰ Ἰούδαν mutavit in διὰ τῆς ἀποστασίας τοῦ Ἰούδα, et quatuor voces, γενομένης προδοσίας δείκνυσθαι λέγουσι, prorsus omisit. Quod licet nimis violentum sit, approbarunt tamen Billius et Petavius ; Fronto Duc. autem et Feuard. hic nihil dixerunt. Ego verba Irenæi iterum iterumque relegens, deprehendi tandem, ea omnia retinenda, et ita, ut in not. ad Latinam versionem posui, interpretanda esse, exceptis in parenthesi positis ὑποσημαίνεσθαι λέγουσι. Hæc enim conjicio in textum irrepsisse e margine ; in quo quispiam, præcedentia σημαίνουσι λέγεσθαι correcturus ascripsit γρ. (id est, γράφεται) σημαίνεσθαι λέγουσι. Quam notulam pro ὑπό accipiens imperitus scriba in textu posuit ὑποσημαίνεσθαι λέγουσι, uti Petaviana Epiphanii editio habet ; vel ὑπερσημαίνεσθαι λέγουσι, ut in Basileensi Epiphanii, et omnibus Irenæi editionibus exstat. Cæterum refutat hanc Valentinianorum comparationem inter passum Æonem et Judam, necnon inter passionem illius et Christi, Irenæus lib. II, cap. 36 et 37.

Hanc autem passionem, etc. Hæc periodus juxta genuinam Græcam lectionem ita Latine reddenda est : « Istam autem, quæ duodecimo Æoni accidit, passionem apostasiæ (id est, ex apostasia ortam) per Judam, qui duodecimus apostolorum erat, facta proditione, significari dicunt.

Ἐκείνη ἡ δύναμις. Billius in nova hujus textus versione non vocem « Virtutis, » sed « Æonis » posuit, quasi in Græco esse deberet αἰών, non δύναμις. Neque enim nomen « Virtutis » passo Æoni ascriptum in hoc primo capite Irenæi ei observabatur, indeque forte su picio mendi incidebat. Sed genuinam esse lectionem δύναμις, patet ex lib. II, cap. 36 et 40, ubi auctor noster hoc argumentum refutans, priori quidem loco duas ex sententia Valentinianorum ponit « Virtutes ; » et ubi memoraverat unam, « quæ egressa est a Salvatore, quam præesse (id est, præcellere) dicunt, » mox de altera addit : « Illa enim, quæ passa est, Virtus extensa et in immensum effluens, ita ut periclitaretur in omnem substantiam dissolvi, cum tetigisset primam quaternationem, quæ per limbriam significatur, stetit et a passione cessavit. » Quæ huic, in quo versamur, loco exacte consona sunt. Similiter dicto cap. 40, ubi dixerat « passam illam duodecimam virtutem, et in infinitum defluxam, » expresse addit : id est, « duodecimum Æonem. » Unde nullum est dubium, quin hunc illo nomine vocarint Valentiniani, et ita quoque hic appellarit Irenæus.

Εἰ μή. Καὶ εἰ μή legi vult Billius, seductus a veteri interprete, qui habet : « et nisi tetigisset. » Ac hunc quidem ratio connexionis cogebat addere « et, » quia prius addiderat verbum « significabatur, » quo sensus commatis clauditur. Ast in Græco καί recte abest, dummodo ἐκείνη ἡ δύναμις per « appositionem » accipiatur, sicque sensus suspendatur, ut in not. ad Latinam versionem expressi.

Pag. 16. *Τούτου, εἶναι δὲ ταύτης τὸν Ὅρον θέλουσιν*. Ταύτην pro ταύτης ex veteri interprete recte restituit Billius ; sed τοῦ Υἱοῦ pro τούτου ponere non est necesse, quia commode subintelligitur paulo præcedens nomen Σωτῆρος, quod etiam Horo, cujus hic mentionem facit, competit, ut ex lib. II, cap. 15, jam supra pag. 12 notavi.

Καὶ ἐξορισθείσης, etc., usque *ἐροῦμεν*. Hæc verba, licet in veteri quoque interpretatione existent, delenda tamen censuit Billius. « Nec enim quidquam ad rem faciunt, inquit, nec sententiam absolutam habent : ac præterea falsum est, Valentinianos Enthymesin secundam Ogdoadem appellare. » Sed mirari satis nequeo, virum doctum hæc scripsisse, et Frontonem Duc. atque Feuardentium tacite consensisse, cum omnia tria hujus probationis membra a vero sint alienissima. Fallitur Billius, dum falsum dicit, quod Valentiniani Enthymesin appellarint « secundam Ogdoadem. » Nam Irenæus id iterum iterumque inferius eloquitur his verbis : Τὴν δὲ μητέρα τὴν Ἀχαμὼθ καλοῦσιν Ὀγδοάδα, ἀποσώζουσαν τὸν ἀριθμὸν τοῦ ἀρχεγόνου καὶ πρώτης τοῦ Πληρώματος Ὀγδοάδος. « Matrem autem Achamoth vocant Ogdoada, servantem numerum primogenitæ et primariæ in Pleromate Ogdoadis. » Et mox : Ταύτην δὲ τὴν Μητέρα καὶ Ὀγδοάδα καλοῦσι, καὶ Σοφίαν· « Hanc autem Matrem et Ogdoada vocant, et Sophiam. » Matrem vero Achamoth esse illam ipsam Enthymesin passi Æonis, ex his verbis constat : Τὴν Ἐνθύμησιν τῆς ἄνω Σοφίας, ἣν καὶ Ἀχαμὼθ καλοῦσιν, ἀφορισθεῖσαν τοῦ Πληρώματος· « Enthymesin illius superioris Sophiæ, quam et Achamoth vocant, separatam a Pleromate, » etc. Quæ exacte cum verbis controversis consonant ; ideoque in fumum abit præcipua Billii adversus ea objectio. Quod vero ait, ea nequidquam ad rem facere, nec sententiam absolutam habere ; et id non ita se habet. Haud absolutus, fateor, est sensus in Latino textu ; attamen datur in Græco plenissimus. Sed quid ad rem præsentem, ubi Servator vulvam Enthymeseos aperuisse dicitur, faciunt addita de eadem « extra Pleroma proscripta, et nomen secundæ Ogdoados indepta ? » Ad hoc tribus verbis responsurus prænoto, Valentinianos de Jesu Salvatore dixisse, quod vulvam Enthymeseos sive matris Achamoth aperuerit, non ut filius ex ea prognatus, sed tanquam maritus, qui eam adeo fecundavit, ut variam pepererit prolem, ac septem cœlos per Demiurgum produxerit. His igitur eminentior cum esset, indeque « Ogdoadis » titulo decorata, attamen « extra Pleroma ejecta, » longeque infra dignitatem Servatoris subsidens, nihilominus hunc ad illam accedere haud fuisse dedignatum, ex sententia Valentinianorum breviter hoc loco dicere voluit Irenæus, et prolixius paulo post se dicturum promisit, idque fecit infra, ubi de his plura.

Καὶ αὐτός ἐστι τὰ πάντα. « Et ipse (Christus) est omnia. » Quæsiverunt hactenus eruditi, unde hæc citarint Valentiniani. Respondeo, ex Epistola Pauli ad Colossenses cap. III, v. 11, ubi Apostolus scribit : Τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσι Χριστός. « Omnia et in omnibus Christus. » Sicut alibi I Cor. XV, 28, de Deo Patre : Ἵνα ᾖ ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσιν, « Ut sit Deus omnia in omnibus. »

Τῆς θεότητος. Vocem σωματικῶς, quæ in nostris codicibus Coloss. II, 9, legitur, non agnovisse videntur Valentiniani. Sed et catholici quidam Patres verba Pauli sine adverbio isto citarunt, veluti S. Cyprianus lib. *De bono patientiæ* parum ab initio,

Digitized by Google

et Archelaus in *Disputatione cum Manete* § 25. Legerunt tamen σωματικῶς Græci Patres omnes, et ex Latinis Hilarius lib. VIII et IX, *De Trinitate*, Augustinus, pluresque alii.

Καθὸ δὲ μερίζει καὶ διορίζει, Ὅρον. Clemens in sæpe citatis *Excerptis ex Orientali Didascalia Valentinianorum* pag. 735, col. 2, in fine : Ὁ σταυρὸς τοῦ ἐν Πληρώματι Ὅρου σημεῖόν ἐστιν· χωρίζει γὰρ τοὺς ἀπίστους τῶν ἀπίστων (lege ἀπὸ πιστῶν), ὡς ἐκεῖνος τὸν κόσμον τοῦ Πληρώματος. « Crux ejus qui in Pleromate est Hori, » sive Termini, « signum est : separat enim infideles a fidelibus, sicut ille (Horus) orbem Pleromatis. »

Ὃς οὐ βαστάζει, etc. Verba Christi quoad sensum allegarunt Valentiniani ex Luc. XIV, 27, non ex Matth. X, vel Marc. VIII, ut Feuardentius posuit. Cæterum verba Matthæi hunc in finem citata leguntur in *Excerptis* Clementis Alexandrini loco citato : Ὃς οὐκ αἴρει τὸν σταυρὸν αὐτοῦ καὶ ἀκολουθεῖ μοι, οὐκ ἔστι μου ἀδελφός, pro ἄξιος, ut in nostris N. T. legitur exemplaribus.

Pag. 18. *In umbræ et vanitatis locis deservisse.* In editt. Eras. et Gallas. vitiosissime legitur, « in umbratæ vanitatis locis deseruisse. » Feuard. posuit, « in umbræ et vacuitatis locis deferbuisse ; » indeque in notis : Sic, inquit, ex veteri codice, Græca littera, et R. P. Frontonis judicio lectionem restituimus. » Mallem distinctius eum dixisse, quid ex Græco et conjectura Frontonis Duc., quid vero ex veteri codice emendaverit. Codices Voss. et Merc. 2 habent « in umbræ vacuitatis locis deseruisse, » perperam omissa particula « et » : ita quoque Arundel., nisi quod « umbra » pro « umbræ » ibi legatur. Et recte quidem se habet vox « vacuitatis, » male autem « deseruisse » sive potius « deservisse, » ut in textu excudi feci (ν enim ut υ in mss. exaratum reperiri notum est), male, inquam, scribæ hoc substituerunt pro « deservisse, » quomodo interpretem verbum ἐκβεβράσθαι vertisse sum persuasus, accepto scilicet ἐκ in ἐκβράζομαι sensu negativo pro « fervescere desino. » Sed et hæc germana versionis lectio sensui Valentinianorum prorsus est adversa : hi enim verbo ἐκβεβράσθαι vel simpliciter **37** « ejectam » in loca umbrosa dicere voluerunt Enthymesin, sive « explosam, » ut Tertullianus reddidit ; vel potius significarunt eam ibi « æstuasse, » juxta illud Juvenalis satir. X, v. 169 :

Æstuat infelix angusto limite mundi.

Contra, interpres dixit, eam « defervisse, » id est, refrigeratam esse.

Διὰ τοῦ σταυροῦ ἐπεκταθέντα. Non « crucem » simpliciter dictam hic accipe, sed cum Tertulliano intellige « Horon, » quem σταυρόν cognominatum esse, ex superioribus constat. Ita enim ipse Irenæus lib. III, cap. 20 : « Is qui ab illis affligitur ursum Christus, superextensus Horo, id est, fini, et formavit matrem eorum. »

Τῇ ἰδίᾳ δυνάμει. Hæ voces non jungendæ sunt participio ἐπεκταθέντα, ut hactenus in editionibus Irenæi et Epiphanii factum legitur, sed sequenti infinitivo μορφῶσαι, ut res ipsa docet, et Tertullianus confirmat, dum reddidit, « ut informet illud suis viribus. »

Ἰαώ. Hoc nomine Valentinianos summum Deum designasse exinde constat, quod Gnostici, eorum patres, teste Epiphanio hæres. 26. § 10, summum principem in primo cœlo vocarint τὸν Ἰαώ. Et ipse quidem hæres. 40, Archontic., § 5, inter varia Dei nomina cum interpretationibus, hoc paulo diversum tradere videtur dicens : Τὸν Ἰαὼθ, ὃς ἦν καὶ ἔστι, καὶ ἀεὶ ὤν. « Jabe, qui erat, et est, et semper existens, » scilicet erit. Sed ista fuit Samaritanorum pronuntiatio, uti certiores nos facit Theodoretus, quæst. 15, in Exod, de nomine Dei scribens : « Hoc apud Hebræos dicitur inenarrabile. Prohibitum est enim eis hoc lingua pronuntiare. Scribitur autem A quatuor litteris, et propter id tetragrammaton appellant. Samaritani autem vocant illud Jabe, Judæi vero Aja. Καλοῦσι δὲ αὐτὸ Σαμαρεῖται μὲν Ἰαβέ, Ἰουδαῖοι δὲ Ἀϊά. » (Quam ultimam vocem corruptam esse quilibet videt : neque enim iste sonus ullo modo ad quatuor divini nominis litteras quadrat.) Cæterum quæ a Feuardentio in notis ad hunc locum adducta sunt testimonia Macrobii lib. I *Saturnal.*, cap. 18, et Diodori Siculi, non quidem lib. V, ut Feuard. citavit, sed lib. I part. II, pag. 84 edit. Græco-Latinæ, vulgaria sunt, ideo ut recitare ea non sit opus. Addo potius testimonium Sanchoniathonis Berythii, sive veri, sive ficti, de quo jam sæculo III æræ Christ. Porphyrius in opere contra Christianos scripsit, quod historiam suam Abelbalo Berythiorum regi dedicaverit, ab illo pariter ac aliis veritatis disquisitoribus approbatam. « Horum porro tempora, inquit, priora sunt Trojanis temporibus, proximeque accedunt ad Moscos tempora, B sicut Phœniciæ regum successiones ostendunt. » Atqui de hoc Sanchoniathone Porphyrius loc. cit. ait : « Narrat de Judaicis rebus quæ sunt verissima, quippe et locis et nominibus Judæorum maxime consentanea, acceptis ab Hierombalo, Dei Jao sacerdote, commentariis, » εἰληφὼς τὰ ὑπομνήματα παρὰ Ἱερομβάλου τοῦ ἱερέως τοῦ Θεοῦ Ἰαώ, uti legere est apud Theodoretum *De curandis Græcorum affectionibus* serm. 2, de Principio, pag. 493. Fateor diversam esse lectionem apud Euseb. lib. I *Præpar. evangel.* cap. 9, pag. 31, Ἰευὼ pro Ἰαώ. Sed hæc imperitiæ scribarum procul dubio deputanda est. Plura forte de nomine Ἰαώ suppeditaret, si superstes esset memoratus a Macrobio loc. cit. liber Cornelii Labeonis, licet ethnici scriptoris, cui titulus fuit : « *De oraculo Apollinis;* » siquidem in eo numinis nominisque istius interpretationem prolixe exsecutus est. Hæc tamen sufficiunt ad probandum dictam vocem *Iao*, quam Horos Valentinianorum proclamasse fingebatur, ipsum summi C Dei nomen esse.

Ἐν ἀγνοίᾳ δὲ τὰ πάντα, καὶ οὐ καθάπερ. Frustra hæc sollicitat Billius, putans legendum, ἀγνοοῦσα δὲ τὰ πάντα, οὐ καθάπερ, quia vetus interpres reddidit : « Ignorans autem omnia, non quemadmodum mater ejus, » etc. Verum decepit eum vitiosa Erasmi et Gallasii editio, quam et Feuardentius improvide secutus est, contra fidem mss. codicum, in quibus antiqua versio exacte Græco respondet. Neque ullum est dubium, interpretem scripsisse vel « in ignorantia, » vel « ignorantia autem omnia, » ita ut « ignorantia » sit neutrum plurale participii, eumdem tunc fundens sensum. Sed quem ? Respondeo breviter, Valentinianos docuisse, quod « omnia, » nempe tam tristitia quam timor et consternatio matris, « in ignorantia fuerint, » id est, cum ignorantia conjuncta. Ita quippe Irenæus paulo post planissime : Καὶ τὴν ἄγνοιαν τοῖς τρισὶ πάθεσιν ἐγκεκρύφθαι διδάσκουσι. « Et ignorantiam omnibus tribus passionibus (antedictis) inabsconsam docent. » Tertullianus cap. 14 : « Cœpit affligi mœrore, metu, consternatione, tum ignorantia. Nec ut mater ejus, » etc. Unde etiam patet, ab istis verbis : Καὶ οὐ καθάπερ ἡ μήτηρ αὐτῆς, novam periodum incipiendam esse, contra quam ex sententia Billii in omnibus Irenæi editionibus factum, ac jubere, particula *et* male omissa fuit.

Ἐπιτοῦ μὴ πάντα ἀπὸ τῶν δακρύων αὐτῆς προβεβλῆσθαι. Hanc Irenæi ironiam imitatus est Nilus asceta, S. Joannis Chrysostomi discipulus, epist. 254 ad Carpionem, hæreseos Valentinianæ sectatorem, cui cum catholicorum quispiam hanc proposuisset quæstionem, utrum omnes, tam dulces quam salsæ, aquæ ex lacrymis Achamothæ derivatæ sint ? iste vero responsionem differret, Nilus his ad eum scripsit verbis : Ἐχρῆν σε ἀπαντῆσαι λέγοντα, ὅτι τὰ μὲν πικρὰ τῆς ἀνυπάρκτου Ἀχαμὼθ δάκρυα τὰς ἁλμυρὰς θαλάσσας ὑπέστησεν, ὡς ἐξ

Digitized by Google

ὀδύνης καὶ δριμυγμοῦ ἱκανοῦ προχεθέντα· ὁ δὲ ἱδρὼς τῆς ταλαιπώρου γυναικὸς πηγὰς ἐξηρεύξατο, καὶ ποταμοὺς, καὶ φρέατα, λίμνας τε καὶ τὰ ἐξῆς γλυκερά. Ταῦτα πρὸς τὸν σὸν λῆρον γελοιωδῶς λέγομεν. « Respondendum tibi erat, amaras Achamothæ, quæ revera nulla est, lacrymas salsa maria progenerasse, utpote quæ ex dolore et magna acerbitate effusæ essent; sed ex sudore misellæ illius mulieris fontes, et fluvios, et puteos, et lacus, et reliquas dulces aquas prorupisse. Hæc ad tuas ineptias non sine risu dicimus. »

Ἐπὶ ἱκεσίαν τραπῆναι τοῦ καταλιπόντος αὐτὴν φωτὸς, τουτέστι Χριστοῦ. Et Christum pro ea intercessisse legimus in Clementis Alex. *Excerptis ex Orientali Valentinianorum Didascalia*, pag. 793, col. 1: Χριστὸς γὰρ καταλείψας τὴν προβαλοῦσαν αὐτὸν Σοφίαν, εἰσελθὼν εἰς τὸ Πλήρωμα, ὑπὲρ τῆς ἔξω καταλειφθείσης Σοφίας ἠτήσατο τὴν βοήθειαν· καὶ ἐξ εὐδοκίας τῶν Αἰώνων Ἰησοῦς προβάλλεται Παράκλητος τῷ παρελθόντι Αἰῶνι. « Christus enim relinquens eam, a qua ortum acceperat, Sophiam (nam et ipse Valentinus Christum a matre foris facta productum dicebat, teste Irenæo lib. 1, c. 5, secus ac illi, quorum sententia supra describitur), Pleroma ingressus, pro Sophia foris relicta auxilium poposcit. Unde ex beneplacito Æonum Jesus transeunti, » sive pereunti, « Æoni consolator mittitur. » Idem mox sequitur apud Irenæum.

Ὡς ἀνελθὼν μὲν εἰς τὸ πλήρωμα... ὤκτησεν, etc. In modo dictis Clementis *Excerptis*, Christus non ad descensum segnis, sed ab Æonibus et Paracleto detentus fingitur pag. 794, col. 2: Οὗτος δὲ καταλείψας τὴν μητέρα, ἀνελθὼν εἰς τὸ Πλήρωμα, ἐκρατήθη, ὥσπερ τοῖς ὅλοις, οὕτω δὲ καὶ Παρακλήτῳ. « Hic vero (Christus) relinquens matrem, ac ad Pleroma reversus, ab omnibus Æonibus pariter ac Paracleto detentus est. » Attamen Paracletus, nempe Jesus, loco Christi ad matrem missus mox dicitur.

Παράκλητον δὲ ἐξέπεμψεν. Clemens prius citatus p. 793, col. 1: Τὸν Παράκλητον οἱ ἀπὸ Οὐαλεντίνου τὸν Ἰησοῦν λέγουσιν, ὅτι πλήρης τῶν Αἰώνων ἐλήλυθεν, ὡς ἀπὸ τοῦ ὅλου προελθών. « Jesu Valentiniani tribuunt nomen Paracleti, quoniam plenus Æonum venit, utpote e toto (Pleromate) progressus. »

Ἐνδόντος αὐτῷ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ Πατρός, etc. Idem dogma, imo eadem fere verba Valentinianorum ex Orientali eorum Didascalia, vel scriptis Theodoti excerpsit Clemens apud quem pag. 796, col. 1, hæc exstant: Καὶ δόντος πᾶσαν τὴν ἐξουσίαν τοῦ Πνεύματος (lege potius ex Irenæo Πατρός, quæ duæ voces abbreviatæ ab imperitis scribis facile confundi potuerunt), συναινέσαντος δὲ καὶ τοῦ Πληρώματος, ἐκπέμπεται ὁ τῆς βουλῆς ἄγγελος, καὶ γίνεται κεφαλὴ τῶν ὅλων μετὰ τὸν Πατέρα· πάντα γὰρ ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ ὁρατὰ καὶ ἀόρατα, θρόνοι, κυριότητες, βασιλεῖαι, θεότητες, λειτουργίαι. « Atque dante omnem potestatem Spiritu (Patre), comprobante quoque Pleromate, emittitur angelus consilii (ex Isaiæ IX, v. 7, juxta LXX interpret.) et fit caput universorum post Patrem: omnia enim in ipso creata sunt, visibilia et invisibilia, throni, dominationes, regna, divinitates, ministeria (angelorum). »

Καὶ τῶν Αἰώνων δεόμενος. Pro δεόμενος legendum δὲ ὁμοίως bene monuere Bill. et Petav. apud Epiphan., quia vetus interpres posuit: « Et Æonibus autem similiter, » dantibus scilicet Jesu summam omnium potestatem. Minus recte autem Tertullianus hæc verba ita accepit, quasi Jesu Paracleto suprema potestas omnium, « etiam Æonum, » non autem « ab Æonibus » data fuerit, unde cap. 16, reddidit: « Largito ei Patre universorum Æonum summam potestatem, etc. »

Θεότητες. Hæc vox nusquam pro peculiari cœlestium spirituum ordine accepta legitur, licet illi in genere dii dicti sint. Unde hanc propriam hæreticorum notionem fuisse animadvertit Theodoretus, addens pag. 200, ὡς αὐτοὶ λέγουσιν, « ut ipsi dicunt. »

Τὴν δὲ Ἀχαμὼθ ἐντραπεῖσαν αὐτόν, etc. Apud Clementem loco citato sequentia Valentinianorum huic loco consona leguntur: Ἰδοῦσα δὲ αὐτὸν ἡ Σοφία, ὅμοιον τῷ καταλιπόντι αὐτὴν φωτὶ ἐγνώρισεν, καὶ ἠγαλλιάσατο, καὶ προσεκύνησεν· τοὺς δὲ ἀρρένας ἀγγέλους τοὺς σὺν αὐτῷ ἐκπεμφθέντας θεασαμένη, κατηδέσθη, καὶ κάλυμμα ἐπέθετο. Διὰ τούτου τοῦ μυστηρίου ὁ Παῦλος κελεύει τὰς 38 γυναῖκας φορεῖν ἐξουσίαν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διὰ τοὺς ἀγγέλους. « Videns igitur ipsum (Jesum) Sophia, similem *illum* ei, quod dereliquerat ipsam, lumini, cognovit, et accurrit, et exsultavit, et adoravit: masculos autem angelos una cum illo emissos contemplata, reverita est, et velamen *sibi* imposuit. Propter quod mysterium Paulus mulieres jussit potestatem super caput ferre propter angelos [16]. » Juxta hæc itaque mater Achamoth non tam ipsum Servatorem, quam angelos ejus venerata metuisse, seque obvelasse dicitur, occasione ex dicto Apostoli loco accepta, qui hunc in finem et postea § 16 adducitur, ubi vide notas.

Pag. 22. *Κἀκεῖνον μορφῶσαι αὐτὴν μόρφωσιν τὴν κατὰ γνῶσιν*, etc. In memoriam revoca quod supra dictum est: « superiorem Christum formasse formam, quæ esset secundum substantiam tantum, sed non secundum agnitionem, » et melius percipies quod hic dicitur, Jesum ad vices Christi supplendas missum « formasse formam secundum agnitionem. » Neque solus Irenæus, sed et Clemens loco citato istam Valentinianorum sententiam refert his verbis: Εὐθὺς οὖν ὁ Σωτὴρ ἐπιφέρει αὐτὴν (forte αὐτῇ) μόρφωσιν τὴν κατάγνωσιν (ex Irenæo corrige sine scrupulo κατὰ γνῶσιν) καὶ ἴασιν τῶν παθῶν, δείξας ἀπὸ Πατρὸς ἀγεννήτου τὰ ἐν Πληρώματι καὶ τὰ μέχρι αὐτῆς. « Statim igitur Servator applicuit ei formam, quæ est secundum cognitionem, et medicinam passionum, ostendens a Patre ingenito, quæ sunt in Pleromate, et quæ usque ad ipsam pertingunt. » Est enim inter Pleroma et septem cœlos, supra quos mater Achamoth sedet veluti secunda « ogdoas, » magna intercapedo, quam Servator ipsi conspiciendam præbuisse fingitur.

Χωρίσαντα δι' αὐτῆς, etc. Apud Clementem loco citato hæc gemina habes: Ἀποστήσας δὲ τὰ πάθη τῆς πεπονθυίας, αὐτὴν μὲν ἀπαθῆ κατεσκεύασεν, τὰ πάθη δὲ διακρίνας ἐφύλαξεν· καὶ οὐχ ὥσπερ τῆς ἔνδον διεφορήθη, ἀλλ' εἰς οὐσίαν ἤγαγεν αὐτά τε (forte ἅτε) καὶ τῆς δευτέρας διαθέσεως. « Dissocians vero passiones ab ea quæ passa est, ipsam quidem expertem passionum constituit, passiones vero seorsim servavit: neque illas perinde ut ejus, quæ intra (Pleroma) est, dissipavit, sed in essentiam (materiæ scilicet, ex qua creaturæ factæ sunt) deduxit, utpote quæ posterioris essent dispositionis, » id est, quæ ex dispositione in habitum cesserint.

Ἀσώματον τὴν ὕλην. Ἀσώματον in ἐνσώματον frustra mutat Billius, provocans ad Tertulliani ac veteris interpretis auctoritatem. Et ille quidem cap. 16 dixit « materiæ corporalem paraturam; » vetus autem interpres omnino scripsit ex Græco « in incorporalem materiam, » ut in cod. Arundell. expresse legitur, licet editt. omnes habeant « corporalem. » Confirmant Græcam lectionem *Excerpta* Clementis, quæ loco citato ita omant: Πρῶτον οὖν ἐξ ἀσωμάτου πάθους καὶ συμβεβηκότος εἰς ἀσώματον ἐπὶ (quæ præpositio omnino delenda) τὴν ὕλην αὐτὰ μετήντλησεν καὶ μετέβαλεν. « Primum itaque ex incorporali eaque accidenti passione in incorporalem materiam ea transfudit atque commutavit. » Confirmant quoque immediate sequentia

[16] 1 Cor. XI, 10.

Digitized by Google

Irenæi dicentis, inditam fuisse eis aptitudinem, ὥστε A εἰς συγκρίματα καὶ σώματα ἐλθεῖν, « ut in congregationes et corpora venirent, » uti vetus interpres reddidit. Et paulo post ait, Demiurgum hoc confusum chaos discernentem, « ex incorporalibus, ἐξ ἀσωμάτων, corporalia fecisse. Incorporalis itaque fuit materia ista, « actu » scilicet, sed « potentia corporalis » Neque de dicta lectione dubitabit, qui respexerit fontem, ex quo Valentiniani hanc suam hypothesin derivarunt, doctrinam, inquam, Platonis, quem Origenes, in *Φιλοσοφουμένοις* nondum editis, dicit tria statuisse principia : « Deum, materiam, et ideam; » et de materia, ex mente ejus, ita inter alia scribit : Τὴν δὲ ὕλην δυνάμει μὲν σῶμα, ἐνεργείᾳ δὲ οὐδέπω (ecce ἀσώματον ὕλην Valentinianorum)· ἀσχημάτιστον γὰρ αὐτὴν οὖσαν καὶ ἄποιον, προσλαβοῦσαν σχήματα καὶ ποιότητας γενέσθαι σῶμα : id est, « materiam vero potentia quidem esse corpus, actu autem minime : sine figura enim et qualitate ipsam existentem, B accepta inde utraque, corpus factam esse. » Similiter Diogenes Laertius lib. III, pag. 86, ex sententia Platonis ait : Εἶναι δὲ τὴν ὕλην ἀσχημάτιστον καὶ ἄπειρον, ἐξ ἧς γίνεσθαι τὰ συγκρίματα (ecce iterum Irenæi vocem, quæ in hac ipsa periodo pag. seq. lin. 1 exstat). « Materiam figurarum expertem atque immensam fuisse, ex ea vero facta esse concreta, » sive composita « corpora. »

Pag. 23. *Δεξιὰ καλοῦσι... ἀριστερὰ καλοῦσι.* Ita sæpius in sequentibus Valentiniani. Sed et Marcionita apud Origenem (vel Maximum) in Dialogo pag. 37 : Τοῦ ἀγαθοῦ ἡ ποιότης καὶ ἡ ἐνέργεια, φῶς, ἀγαθὸν, δεξιόν, etc. Τοῦ δὲ κακοῦ ἡ ποιότης καὶ ἐνέργεια, σκότος, πονηρὸν, ἀριστερὸν, etc. « Boni qualitas et efficacia est, lux, bonum, dexterum... Mali vero operatio, tenebræ, pravum, sinistrum, » etc.

Pag. 24. *Ἐν εἰκόνι*, etc. Pamelius in cap. 19 Tertulliani *adversus Valentinianos* hic εἰκόνα legi vult, et Latine pro « in imagine » poni « imaginem, » quod C sequatur : « hunc autem unigeniti Filii, » τοῦτον δὲ τοῦ μονογενοῦς Υἱοῦ, supple εἰκόνα, « imaginem, » non « in imagine. » Ait enim Irenæus, a Salvatore matrem Achamoth factam imaginem Patris; Demiurgum vero imaginem Unigeniti, filii Propatoris; Angelos denique et Archangelos imagines reliquorum Æonum. Atque ita etiam Tertullianus loco citato : « Qui (Soter) per illam (Achamotham) sit operatus, ut ipsam quidem imaginem Patris invisibilis et incogniti daret, incognitam scilicet et invisibilem Demiurgo, eumdem autem Demiurgum Noûv filium effingeret; Archangeli vero, Demiurgi opus, reliquos Æonas exprimerent. » Hæc ex Pamelio in Tertull. Fronto Duc. ad hunc locum notavit, nulla ἀκριβείᾳ addita. Ego istis quidem quoad sensum verborum Irenæi subscribo, utpote quem ipse ita declarat lib. II, cap. 6, ubi has Valentinianorum nænias refutat; correctionem autem textus quæ Pamelio placuit non admitto, quia Latina cum Græcis, ipso quoque fatente, hic consonant, tam in editt. omnibus quam in mss. Arund. et Voss. (nisi quod Merc. 2 habeant « imaginem »). Neque mirum si constructio verborum sit aliquatenus anomala : ipse enim auctor noster in Præfatione hac de re se satis excusavit.

Ἀρχαγγέλους. Similiter *Orientalis Valentinianorum Didascalia* apud Clementem pag. 796, col. 2, τοὺς ἀρχαγγέλους dicit τῶν Δώνων εἰκόνας. Sed quoad reliquas imagines omnino differt.

Οὐκ εἶναι νοητούς. Νοητούς, « intellectuales, » id est, qui intelligentia tantum comprehenduntur, non autem in aspectum cadunt. Delenda porro hic in Græco est particula negativa, ut apparet ex veteri interprete et Tertulliano, qui tamen νοερούς legit, non νοητούς, quod mihi magis placet. Bill., cui quoad particulam negativam delendam assentior, cum οὓς, « quos, » uti vetus interpres legit, facile in οὐκ mutari potuerit; ast quantum ad νοερούς, concedo quidem hanc lectionem quoque haud incommodam fore : attamen ab Irenæo ita scriptum, vel Tertulliano sic lectum esse nego; et in hoc potius « noetos, » ut editio Lugdunensis habet, pro « noeros » reponerem, quam νοητούς Irenæi in νοερούς violenter mutarem.

Ἀγγέλους. Hunc locum respexit Andreas Cæsariensis in *Comment. in Apocalypsin* cap. 2 scribens : Ἑπτὰ οὐρανοὺς καὶ ἑπτὰ ἀγγέλους τῶν λοιπῶν προὄχοντας θεόθεν δεδημιουργῆσθαι, ὁ μέγας Εἰρηναῖος γεγράφηκεν. « Septem cœlos totidemque angelos cæteris excellentiores a Deo conditos esse, magnus scripsit Irenæus. » Neque enim alibi in his quinque libris septem angelorum et cœlorum facit mentionem; unde hanc Valentinianorum sententiam ab Irenæo relatam, velut ipsius assertionem in bono accepit sensu. Neve suspiceris, Andream alium forsan Irenæi librum citasse, sequentem in Andrea verte paginam, et in cap. 3 iterum invenies eum scribentem de ἑπτὰ οὐρανοῖς εἰρημένοις Εἰρηναίῳ καὶ Ἐπιφανίῳ· quo ipso omne dubium tollitur, quia Epiphanius nil aliud Irenæi præter nostra habet.

Pag. 25. *Ῥῆσθαι κατασκευάζειν.* Omissa hic videtur vox una vel altera. Nam in Latino legitur, « Putasse in totum fabricasse. » Cæterum Clemens in *Excerptis* pag. 796, col. 2, hæc gemina habet : Οὐκ ἐγίνωσκεν τὴν δι' αὐτοῦ ἐνεργοῦσαν, οἰόμενος ἰδίᾳ δυνάμει δημιουργεῖν, φιλεργὸς ὢν φύσει. « Non cognovit eam, quæ per ipsum operabatur (matrem), putans se propria virtute res condere, quod natura operosus esset. »

Καὶ Κύριον ἀρσενικῶς. Hinc Tertullianus cap. 21, ubi eadem matris Achamoth nomina ex Irenæo recensuerat, ad ultimum illud « Domini in masculino genere » alludens, festive addit : « Ita omnem illi honorem contulerunt feminæ, puto et barbam, ne dixerim cætera. »

Ἐκ δὲ τοῦ φόβου. Similiter sæpe citata Clementis *Excerpta* pag. 796, col. 2, habet : ἐκ τοῦ φόβου τὰ θηρία.

Ἐκ δὲ τῆς λύπης. Male in Epiphanii editione Parisiensi legitur λοιπῆς, unde et vitiosa versio ibi nata. Recte vero apud Clementem loco citato : Καὶ ποιεῖ ἐκ τῶν ὑλικῶν, τὸ μὲν ἐκ λύπης οὐσιώδες, κτίζων πνευματικὰ τῆς πονηρίας, πρὸς ἃ ἡ πάλη ἡμῖν. « Et condidit ex materialibus, ex tristitia quidem substantiale, creans spiritualia nequitiæ, cum quibus nobis est lucta. »

Pag. 26. *Ὑπερουράνιον, τουτέστιν ἐν τῇ ἑβδομάδι.* Ὑπουράνιον legendum esse, ut opponatur τῷ ὑπερουρανίῳ, in quo mater Achamoth sedem habet, notavit Billius. Recte vero objecit Fronto Ducæus, istam correctionem non modo his ipsis verbis repugnare, quibus in hebdomade septem cœlorum Demiurgus habitare dicitur, sed et præcedenti § 9, ubi legimus, « Achamoth septem cœlos fecisse, super quos (ὧν ἐπάνω) Demiurgum esse dicunt. » Quomodo ergo hic ὑπουράνιος, « subcœlestis, » locus ei 39 assignaretur? Verumtamen cum haud D sufficienter Fronto solvere posset quæstionem, qua ratione ὑπερουράνιος locus Demiurgi ὑπερουρανίῳ Achamothæ opponeretur, ipse οὐράνιον legere amavit, motus auctoritate veteris interpretationis, « in eo, qui sit in cœlo locus, » et Tertulliani cap. 31, ubi in Pamelii editione quidem exstat : « Et Demiurgus tunc de hebdomade subcœlesti in superiora mutabit; » antea autem lectum ait : « de hebdomade cœlesti. » Ego tam veterem interpretem, quam recentiores commentatores vocem ὑπερουράνιος frustra subterfugisse puto; quippe supracœlestis locus Demiurgi supracœlesti stationi matris Achamoth in eo opponitur, quod hæc sit ἐν μεσότητι, ut Irenæus expresse addit, « in medio, » inter supremum scilicet pleroma et septem cœlos; ille vero inferius subsidat ἐν ἑβδομάδι, « in septenario, » ita ut septimo cœlo quasi incumbat, matremque supra se suspiciat. Hinc Tertullianus cap. 23 : « In summis summitatibus præsidet tricenarius Ple-

Digitized by Google

roma, Horo signante lineam. Inferius illam metatur medietatem Achamoth, filium calcans : subest enim Demiurgus in hebdomade sua. » Lege quoque lib. II Irenæi, cap. 55, et hæc quæ dixi approbabis.

Τὸ δὲ πῦρ ἄπασιν αὐτοῖς ἐκπεφυκέναι, etc. Legendum ἐμπεφυκέναι, non ἐκπεφυκέναι. Ridet autem hoc loco Tertullianus Valentinianos, qui unde ignis exstiterit, minime prodant. Itaque ait credibile esse Achamoth in tantis vexationibus febricitasse, ex eoque æstu ignem prodiisse. BILL. Emendationem Billii confirmant ista, quæ his Irenæi consona legimus apud Clementem loco sæpe citato : Ἐν δὲ τοῖς τρισὶ στοιχείοις τὸ πῦρ ἐναιωρεῖται καὶ ἐνέσπαρται καὶ ἐμφωλεύει, καὶ ὑπὸ τούτων ἐξάπτεται, καὶ τούτοις ἐπαποθνήσκει. « In istis tribus elementis (aere, aqua et terra) ignis quasi suspensus et insitus latet, atque ab illis excutitur, et una cum illis interit. »

Pag. 27. *Πεποιηκέναι καὶ τὸν ἄνθρωπον*, etc. Quæ Irenæus hac et sequenti periodo refert Valentinianorum deliria, eadem et Clemens ex *Orientali* illorum *Didascalia* excerpsit, exacte consona pag. 797, col. 1 : Λαβὼν οὖν ἀπὸ τῆς γῆς, οὐ τῆς ξηρᾶς, ἀλλὰ τῆς πολυμεροῦς καὶ ποικίλης ὕλης μέρος, ψυχὴν γεώδη καὶ ὑλικὴ (leg. ὑλικὴν) ἐτεκτήνατο ἄλογον καὶ τῆς τῶν θηρίων ὁμοούσιον · οὗτος κατ' εἰκόνα ἄνθρωπος. Ὁ δὲ καθ' ὁμοίωσιν τὴν αὐτοῦ τοῦ δημιουργοῦ, ἐκεῖνός ἐστιν, ὃν εἰς τοῦτον ἐνεφύσησέ τε καὶ ἐνέσπειρεν, ὁμοούσιόν τι αὐτῷ δι' ἀγγέλων ἐνθείς. Καθὸ μὲν ἀόρατός ἐστι καὶ ἀσώματος, τὴν οὐσίαν αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς προσεῖπε· μορφωθὲν δὲ ψυχὴ ζῶσα ἐγένετο. « Accipiens limum de terra, non arida, sed multiplicis et variæ materiæ partem, animam terrenam et materialem fabricavit, rationis expertem, et animæ ferarum consubstantialem : atque hic est homo secundum imaginem conditus. At vero secundum similitudinem ipsius creatoris » factus est ille, quem isti inspiravit atque inseruit, consubstantiale quippiam ipsi per angelos communicans. Quatenus igitur invisibilis est et incorporeus, substantiam ejus spiraculum vitæ appellavit : formatum vero anima vivens dicta est. »

Ἀπὸ κεχυμένου καὶ ῥευστοῦ τῆς ὕλης. Similiter in *Dialogo contra Marcionitas*, qui Origeni ascribitur, sect. 5, pag. 131, Marcionita dicit : Ῥευστῆς οὐσίας ὂν τὸ σῶμα· « Corpus fluxæ exsistens substantiæ. » Alio autem sensu Origenes apud Epiphanium hæres. 64, § 14, pag. 536, dixit : Ῥευστὴ ἦν ἡ φύσις τοῦ σώματος. « Fluxa est natura corporis; » item : Οὐ κακῶς ποταμὸς ὠνόμασται τὸ σῶμα. « Corpus non male fluvius dicitur. » Neque hac phrasi indigitavit, quod corpus olim ex fluida materia formatum sit, sed quod jam materia corporis in perpetuo, ut dici solet, fluxu sit, ejusque particulæ aliæ aliis succedant, ut ipse semet ibidem explicat, inquiens : Οὐδὲ δύο ἡμερῶν τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ταυτόν ἐστιν ἐν τῷ σώματι ἡμῶν. « Ne biduo quidem prior materia in corporibus nostris manet eadem. »

Τὸν δερμάτινον χιτῶνα. Similiter in *Excerptis* Clementis pag. 797, col. 2, legimus : Τέταρτον ἐπενδύεται τὸν χοϊκὸν, τοὺς δερματίνους χιτῶνας. « Quartum superinduitur (Adam) hominem choicum, per dermatinas tunicas intelligendum. » Marcionita quoque in ante dicto dialogo, sect. 5, p. 137 : Ἐποίησεν ὁ Θεὸς δερματίνους χιτῶνας, καὶ ἐνέδυσεν αὐτούς· τουτέστι τὸ σῶμα. « Fecit eis Deus pelliceas tunicas, et induit illos, hoc est corpus. » Sed an non ipse Origenes, cui hic dialogus a quibusdam attribuitur, mysticam hanc pellicearum tunicarum expositionem probavit? Id quidem aliqui Patrum ei objecere, quos nominat claris. Huetius lib. II *Origenianorum*, quæst. 12, § 8, necnon illos, qui tacito Origenis nomine hunc sensum impugnarunt. Quibus addi possunt alii auctores et tractatus a Procopio in *Comment. ad Genes.* cap. III recensiti, superstites partim, partim deperditi, ac inter hos Justinus martyr in tractatu *De resurrectione*, qui loco pseudo-Justini martyris in Origenianis ad marginem adnotati poni potest. Verum Origenem ex propriis ejus scriptis defendit laudatus Huetius, ex ms. scilicet Catena in Genesin, cui addit alium locum homil. 6 in Genesin, ubi tamen citata verba non reperiuntur, sed homil. 6 in Leviticum. Ibi enim discrte : « Illæ ergo, inquit, tunicæ de pellibus erant ex animalibus sumptæ. Talibus enim oportet indui peccatorem. » Addit tamen mysticum sensum, non quidem Valentinianorum, sed alium, his expressum verbis : « Pelliceis, inquit, tunicis, quæ essent mortalitatis, quam pro peccato acceperat, et fragilitatis ejus, quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium. » Atqui huc procul dubio etiam digitum intendit, quando lib. IV *Contra Celsum* scripsit : Ὁ ἐκβαλλόμενος ἐκ τοῦ παραδείσου ἄνθρωπος μετὰ τῆς γυναικὸς τοὺς δερματίνους ἠμφιεσμένος χιτῶνας (οὓς διὰ τὴν παράβασιν τῶν ἀνθρώπων ἐποίησε τοῖς ἁμαρτήσασιν ὁ Θεὸς), ἀπόῤῥητόν τινα καὶ μυστικὸν ἔχει λόγον, ὑπὲρ τὸν κατὰ Πλάτωνα. « Homo cum uxore e paradiso ejectus et pelliceis indutus tunicis (quas propter transgressionem illis peccantibus Deus paravit), arcanum aliquod mysterium refert, magis serium quam istud Platonis. »

Ὁ κατὰ τὴν θεωρίαν τῶν περὶ τὸν Σωτῆρα ἀγγέλων, etc. Apud Clementem in sæpe citatis *Excerptis* pag. 789, col. 1 : Οἱ δὲ ἀπὸ Οὐαλεντίνου, πλασθέντος φασὶ τοῦ ψυχικοῦ σώματος, τῇ ἐκλεκτῇ ψυχῇ οὔσῃ ἐν ὕπνῳ ἐντεθῆναι ὑπὸ τοῦ Λόγου σπέρμα ἀῤῥενικὸν, ὅπερ ἐστὶν ἀπόῤῥοια τοῦ ἀγγελικοῦ « Valentiniani dicunt, formato animali corpore, animæ electæ somno obrutæ insertum esse a Verbo semen masculinum, utpote effluvium angelicæ naturæ. » Et mox : Τὸ σπέρμα ἀπόῤῥοια ἦν τοῦ ἄῤῥενος καὶ ἀγγελικοῦ. « Semen effluvium erat masculini et angelici generis. » Et multo post, pag. 797, col. 2, in expositione verborum Pauli Galat. cap. III, 19, hæc gemina habes : Δι' ἀγγέλων οὖν τῶν ἀῤῥένων τὰ σπέρματα ὑπηρετεῖται, τὰ εἰς γένεσιν προβληθέντα ὑπὸ τῆς Σοφίας, καθὸ ἐγχωρεῖ γίνεσθαι. « Per angelos igitur masculos suppeditantur semina, quæ a Sophia ad generationem (hominum) profunduntur, quantum fieri potest. »

Εἰς τὴν ἀπ' αὐτοῦ ψυχὴν σπαρέν, etc. Ita quoque *Excerpta* Clementis loco proxime citato sonant : Ἔσχεν δὲ ὁ Ἀδὰμ ἀδήλως αὐτῷ ὑπὸ τῆς Σοφίας ἐνσπαρὲν τὸ σπέρμα πνευματικὸν εἰς τὴν ψυχήν. « Habuit autem Adam a Sophia clanculum ejus animæ insitum semen spirituale. » Et paulo post : Πρῶτον οὖν σπέρμα πνευματικὸν τὸ ἐν Ἀδὰμ προέβαλεν ἡ Σοφία· ἵνα ᾖ τὸ ὀστοῦν, ἡ λογικὴ καὶ οὐρανία ψυχὴ μὴ κενὴ, ἀλλὰ μυελοῦ γέμουσα πνευματικοῦ. « Primum itaque semen spirituale, quod in Adamo erat, Sophia emisit, ut os, anima scilicet rationalis atque cœlestis non esset vacua, sed spiritualis medullæ plena. » Animam enim ossi comparabant Valentiniani, ut in præcedentibus ibidem docetur. Cæterum orthodoxo sensu, hæretica licet voce cecinit Synesius hymn. III, vers. 558 seqq :

Σὸν σπέρμα φέρω
Εὐηγενέος
Σπινθῆρα νόου
Ἐς βάθος ὕλας
Κατακεκλιμένον.
Σὺ γὰρ ἐν κόσμῳ
Κατέθου ψυχὰν,
Διὰ δὲ ψυχᾶς
Ἐν σώματι νοῦν.
Tuum semen fero
Generosæ
Scintillam mentis
In altitudine hylæ (id est, *materiæ*)
Absconditam.
Tu enim in mundo
Deposuisti animam :

Digitized by Google

Per animam vero
In corpore mentem.

Et vers. 596 seqq. :

Σπέρμα τὸ βαιὸν
Αὔξων ἐν ἐμῷ
Κρατὸς ἀώτῳ.

Semen illud exiguum
Alens in meo
Capitis apice.

Pag. 28. *Αὐτὸ Ἐκκλησίαν εἶναι.* Hinc Clemens pag. 789, col. 2, ubi Ecclesiam nominasset, addit : Ἥτις ἐστὶ τὸ γένος τὸ ἐκλεκτόν. « Quæ est genus electum. » Atqui hoc « semen electum » in antecedentibus dixerat.

Ὑλικὸν... κατὰ ἀνάγκην ἀπόλλυσθαι. Ita et in Clementis *Excerptis* pag. 798, col. 1 : Τὸ ὑλικὸν φύσει ἀπόλλυται. « Materiale natura sua corrumpitur. »

Τὸ δὲ ψυχικὸν... ἅτε μέσον ὄν, etc. Apud Clementem loco citato hæc legimus clariora : Τὸ δὲ ψυχικὸν, αὐτεξούσιον ὄν (sicut et Irenæus paulo post appellat), ἐπιτηδειότητα ἔχει πρός τε πίστιν καὶ ἀφθαρσίαν, καὶ πρὸς ἀπιστίαν καὶ φθορὰν, κατὰ τὴν οἰκείαν αἵρεσιν. « Animale, cum suæ sit potestatis, aptum est et ad fidem atque immortalitatem, et ad infidelitatem ac corruptionem, juxta propriam electionem. »

Διὰ τὸ φύσει πνευματικοὺς εἶναι... σωθήσεσθαι. Ita et Clemens non solum lib. II *Stromat.* pag. 363, sed et in *Excerptis ex Orientali Valentinianorum Didascalia* pag. 798, col. 1 : Τὸ μὲν πνευματικὸν φύσει σωζόμενον. « Spirituale quidem natura salvatur. » Perstringit sæpius hunc errorem in Heracleone aliisque Origenes in *Commentariis ad Joannem* ; in Basilide vero ejusque sequacibus Clemens, ex quo aliquot loca citavi tomo II *Spicilegii hæreticorum* pag. 40 et seq., quibus mox alia ejus verba addam.

Ἀδύνατον φύσει καταδέξασθαι, κἂν ὁποίαις συγκατατεθῶνται πράξεσιν. 40 ita quoque Clemens lib. III *Stromat.*, pag. 427, ubi Basilidianorum fecerat mentionem, addit, ὡς ἤτοι ἐχόντων ἐξουσίαν καὶ τοῦ ἁμαρτεῖν διὰ τὴν τελειότητα, ἢ πάντως γε σωθησομένων φύσει, κἂν νῦν ἁμάρτωσι διὰ τὴν ἔμφυτον ἐκλογήν. Ἐπεὶ μηδὲ ταῦτα αὐτοῖς πράττειν συγχωροῦσιν οἱ προπάτορες τῶν δογμάτων, « ut qui vel peccandi potestatem habeant propter perfectionem, vel omnino quidem natura salvi futuri sint, etsi jam peccent, propter innatam electionem : quoniam nec hæc quidem eis concedunt facere primi dogmatum » illorum « parentes. » De Eunomio quoque sæculi IV hæretico, Augustinus *De hæresibus*, c. 54 : « Fertur usque adeo fuisse bonis moribus inimicus, ut asseverarei, quod nihil cuique obesset quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset. »

Ἡμᾶς καλοὺς ψυχικούς, etc. Billius hoc colon corrigit sequentem in modum : ἡμῖν μὲν, οὓς ψυχικοὺς ὀνομάζουσι, καὶ ἐκ κόσμου εἶναι λέγουσιν, ἀναγκαίαν τὴν ἐγκράτειαν, etc. Atque sic Græca cum Latina versione exacte consonare fateor. Ast hæc nulla mihi videntur emendatione indigere, excepto uno verbo καλούς, quod omittendum est, nisi forte tanquam appositum ad ἡμᾶς accipere et ita interpretari velis, quod Valentiniani non omnes promiscue catholicos, sed « probos » solum psychicorum titulo dignati fuerint. Conferatur Clemens Alexandrinus lib. III *Strom.*, cujus verba citavi in notis ad tomum II *Spicilegii Patrum*, pag. 2.

Τοὺς δὲ πνευματικοὺς ἀποδυσαμένους τὰς ψυχάς, etc. His et præcedentibus atque sequentibus consona plane habentur in *Excerptis* Clementis *ex Orientali Valentinianorum Didascalia*, pag. 799, col. 1 : Τῇ δὲ (lege τότε) ἐντεῦθεν ἀποθέμενα τὰ πνευματικὰ τὰς ψυχὰς, ἅμα τῇ μητρὶ κομιζομένῃ τὸν νυμφίον, κομιζόμενα καὶ αὐτὰ τοὺς ἀγγέλους ἑαυτῶν, εἰς τὸν A νυμφῶνα ἐντὸς τοῦ Ὅρου εἰσίασι, καὶ πρὸς τὴν τοῦ πνεύματος ὄψιν ἔρχονται, Αἰῶνες νοεροὶ γενόμενα εἰς τοὺς νοεροὺς καὶ αἰωνίους γάμους (pone γάμους) τῆς συζυγίας. « Tunc » (post celebratum convivium nuptiale, cujus paulo ante fecerat mentionem) « ibi spiritualia depositis animabus, simul cum matre sponsum adepta, angelos sponsos suos et ipsa consequentur, et in thalamum intra Horum ingredientur ; ac ubi Æonum intellectualium naturam induerint, ad visionem spiritus admittentur, ad intellectuale et æternum conjugationis matrimonium. »

Πᾶσαν ὕλην. Universa materia, quam igne perituram dicebant Valentiniani, etiam corpora humana complectebantur. Hinc auctor noster lib. II, cap. 52, de ipsis ait : « Animas in medietatem perseverare dicunt : corpora autem, quoniam materialem habent substantiam, in materiam resoluta ardere ab eo, qui in ea est ignis. »

Περὶ τούτου. Καὶ περὶ τούτου legit vetus interB pres.

Διὰ Μαρίας διοδεύσαντα. Has blasphemias in Christi Domini incarnationem ex utero B. Mariæ Virginis validissime prosternit (auctor noster) lib. III, cap. 18, 31 et 32 ; post eum vero Tertullianus lib. *De carne Christi* acerrime in illos pugnavit : et Vigilius martyr toto lib. III *Contra Eutychen* huic negotio incumbit. Feuard. Verum hallucinatus est, dum Vigilium, auctorem librorum *Contra Eutychen*, appellavit martyrem, cum ille fuerit Vigilio episcopo Tridentino et martyre, jam sæculo IV, ante Eutychis ortum defuncto, centum fere annis recentior, utpote Tapsensis in Africa Byzacena episcopus, sæc. V. Cæterum ad Irenæi verba illustranda, et Valentini aliorumque hæreticorum placita discernenda, faciunt quæ Theodoretus scripsit epist. 145 ad monachos Constantinopolitanos, tom. III, pag. 1073 seq. : Σίμων μὲν γὰρ καὶ Μένανδρος, Κέρδων καὶ Μαρκίων παντάπασιν ἀρνοῦνται τὴν ἐνανθρώπησιν, καὶ τὴν ἐκ Παρθένου γέννησιν· μυθολογίαν ἀποκαC λοῦσι. Βαλεντῖνος δὲ καὶ Βασιλείδης, καὶ Βαρδησάνης, καὶ Ἁρμόνιος, καὶ οἱ τῆς τούτων συμμορίας, δέχονται μὲν τῆς Παρθένου τὴν κύησιν καὶ τὸν τόκον· οὐδὲν δὲ τὸν Θεὸν Λόγον ἐκ τῆς Παρθένου προσειληφέναι φασὶν, ἀλλὰ πάροδόν τινα δι' αὐτῆς, ὥσπερ διὰ σωλῆνος, ποιήσασθαι, ἐπιφανῆναι δὲ τοῖς ἀνθρώποις φαντασίᾳ χρησάμενον· καὶ δόξας εἶναι ἄνθρωπος, ὃν τρόπον ὤφθη τῷ Ἀβραὰμ καί τισιν ἄλλοις τῶν παλαιῶν. « Simon quidem et Menander, Cerdon et Marcion penitus negant incarnationem, nativitatemque ex Virgine fabulam vocant. Valentinus autem et Basilides, et Bardesanes, et Harmonius, et qui ejusdem sunt notæ, Virginis quidem conceptionem et partum admittunt : sed nihil ex Virgine assumpsisse Deum Verbum dicunt : per eam tantum quasi per canalem quemdam trajecisse, hominibusque apparuisse, cum speciem solum haberet, atque homo esse videretur, quemadmodum visus est Abrahamo et aliis quibusdam antiquis. » Confer ejusdem libr. V *Hæret. fabul.* cap. 11, ac Tertullianum lib. *De carne* D *Christi* cap. 1, et *De resurrectione carnis*, cap. 2.

Καὶ διὰ τοῦτο ἤρθαι, etc. Clemens quoque in *Excerptis ex Orientali Valentinianorum Didascalia*, pag. 798, col. 2, hanc eorum amentiam exponit his verbis : Ἀπέθανε δὲ, ἀποστάντος τοῦ καταβάντος ἐπ' αὐτῷ ἐπὶ τῷ Ἰορδάνῃ Πνεύματος, οὐκ ἰδίᾳ γενομένου, ἀλλὰ συσταλέντος, ἵνα καὶ ἐνεργήσῃ ὁ θάνατος. Ἐπεὶ πῶς τῆς ζωῆς παρούσης ἐν αὐτῷ, ἀπέθανε τὸ σῶμα ; « Mortuus est autem (Jesus) abscedente eo, qui in ipsum apud Jordanem descenderat, Spiritu, non separatim exsistente (in perpetuum ; quippe postea ad ipsum rediit), sed subtrahente se paulisper, ut mors vim suam in illo exerceret. Quomodo enim corpus mori potuisset, dum vita in eo præsens exsisteret ? »

Ὑπὸ τοῦ σπέρματος. Ὑπέρ legi vult Petavius, ad marginem Epiphanii pag. 192, prout etiam Gallas. ac Feuard. in Irenæo posuerunt, seducti veteri versione : « Multa de hoc semine dicta per prophe-

Digitized by Google

tas exponunt. » Ast genuinam esse lectionem ὑπό, mox sequentia Irenæi verba clare ostendunt : « Dividunt prophetias, docentes aliquid quidem a matre dictum (per prophetas), aliquid a semine, τὸ δέ τι ἀπὸ τοῦ σπέρματος, aliquid autem ab ipso Demiurgo. » Hic obiter notandum, Valentinianos esse, qui ab Origene tom. XX *Comment. in Ezechielem* tom. I, pag. 200, reprehenduntur : Οἱ τῶν παλαιῶν γραμμάτων τὰ μὲν ἀπὸ θειοτέρας λέγοντες εἶναι δυνάμεως καὶ τῆς ἀνωτάτω, τὰ δὲ ἀπὸ ὑποδεεστέρας. « Qui ex veteribus scripturis alias a diviniore et suprema potentia esse dicunt, alias ab imbecilliore. »

Ἀνθρώπων δὲ τρία γένη, etc. His similia leguntur apud Clementem in *Excerptis* pag. 797, col. 1 : Ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ τρεῖς φύσεις γεννῶνται· πρώτη μὲν ἡ ὕλογος, ἧς ἦν Κάϊν· δευτέρα δὲ ἡ λογικὴ καὶ ἡ δικαία, ἧς ἦν Ἀβέλ· τρίτη δὲ ἡ πνευματική, ἧς ἦν Σέθ. « Ab Adamo tres proseminatæ sunt naturæ : prima quidem irrationalis, cujus erat Cain ; altera vero rationalis et justitiæ dedita, cujus erat Abel ; tertia denique spiritualis, cujus erat Seth. »

Περίλυπος, etc. Ὅτι περίλυπος ab Irenæo scriptum, indeque ortum conjicio in veteri versione erratum : « Quam tristis est, » etc., pro « quoniam tristis est, » etc. Nam ita lib. III, cap. 32, legimus : Οὐδ' ἂν εἰρήκει, ὅτι περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου. Ex quo loco etiam colligitur, hic sive ab Epiphanio, sive a recentiori manu additum esse in Græco : ἕως θανάτου. Quippe in veteri versione utrobique deest, « usque ad mortem. »

Πάτερ. Πάτερ μου, jam legimus apud Matthæum ; attamen μου omissum est ab Origene quoque, et Basilio in Nicetæ *Catena Patrum*, ac Joanne Chrysostomo in *Com.* ad h. l.

Οὐκ οἶδα. Hæ duæ voces in S. Joannis textu non exstant, sed a Valentinianis explicationis ergo additæ sunt.

Κλῖναι. Κλίνῃ habent vulgati N. T. codices.

Ἐν τῷ οἴκῳ μου. Εἰς τὸν οἰκόν μου, nostra habent N. T. exemplaria ; sicut et mox : εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, pro ἐν τῇ βασιλείᾳ οὐρανῶν. Verum Irenæus, aut potius Valentiniani hæc ex memoria citasse videntur.

Τὰ τοῦ πνεύματος. Θεοῦ additum exstat in nostris N. T. codicibus. Sed omissum est non solum hoc loco, sed et in Syriaca versione, Chrysostomo in *Comment.* ad I Corinth., II, ac Clementis Alex. lib. V *Stromat.*, pag. 557. Unde colligo, lib. I *Strom.* pag. 297, a recentiori forte scriba additum esse.

Συνεσταλκέναι. Hoc verbum, a Billio approbatum, mihi haud placet ; sed melior omnino videtur veteris interpretis lectio συνανεστηκέναι, propter verba mox sequentia : ἐπειδὴ ἦν αὐτὸς ζύμη. « Fermentum » enim massam facit « assurgere, » atque in altum moveri.

Τὸ γὰρ ἐκ Θεοῦ γεννηθὲν Θεός ἐστιν. Bene notandum hoc sive Irenæi, sive Valentinianorum axioma, per quod vera deitas Christi, utpote ex hypostasi Patris geniti, probari potest.

Οὐδ' ἔν. His verbis periodum in textu S. Joannis clauserunt non modo hæretici Valentiniani, sed et catholici quidam, interque hos auctor noster lib. I, cap. 19 ; lib. II, cap. 2 ; lib. III, cap. 8, etc.

Τὴν δὲ ζωὴν ἐν αὐτῷ. Valentinianos velut sine ratione hæc pronuntiantes sequentibus verbis perstringit Origenes tom. III *Comment. in Joan.*, pag. 71 : Πρὸς δὲ τοὺς τὴν περὶ Αἰώνων ἀναπλάσαντας ἐν συζυγίαις μυθολογίαν, καὶ οἰομένους ὑπὸ Νοῦ καὶ Ἀληθείας προβεβλῆσθαι Λόγον καὶ Ζωήν, οὐκ ἀπίθανον καὶ ταῦτα ἀπορῆσαι. Πῶς γὰρ ἡ κατ' αὐτοὺς σύζυγος τοῦ Λόγου Ζωὴ τὸ γεγονέναι ἐν τῷ συζύγῳ λαμβάνει ; Ὃ γέγονε γὰρ, φησὶν, ἐν αὐτῷ, δηλονότι τῷ προειρημένῳ Λόγῳ, Ζωὴ ἦν. « Ad eos vero, qui fingunt fabulosum de Æonibus per conjugationes commentum, et existimant a Mente et Veritate Verbum Vitamque productos fuisse, haud absurdum est, talia movere dubia. Quomodo enim Vita, Verbi, juxta eorum placita, conjux, exsistentiam in marito adepta est ? Quod factum est, inquit, enim in ipso, puta antedicto Verbo, Vita erat. »

Πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Hinc liquet, Valentinianos hæc verba non ad λόγον, sed δόξαν retulisse ; quam interpretationem et ab orthodoxis quibusdam probatam invenias, Cyrillo nempe Alex. et Theophylacto in *Comment.* ad hunc locum ; quamvis prior in edit. Paris. tom. IV, pag. 96, ad alium detorqueatur sensum. Sed si pergas legere pag. 97, mentem Cyrilli clare perspicies. Neque tamen dictum verborum S. Joannis sensum pro genuino habeo ; cum vel ipsa grammatica constructio doceat, vocem πλήρης in nominativo casu positam, non δόξαν accusativi casus respicere, sed cum præcedenti nominativo λόγος construendam esse.

Pag. 44. *Ὁ τῆς οἰκονομίας*. Ex veteri interprete legendum vult Billius, ὁ ἐκ πάντων γεγονώς, quia Jesum sive Servatorem ex omnium Æonum symbola compositum supra § 4 docebant Valentiniani. At vero Epiphanii lectionem pro genuina habeo, ratus hanc, utpote paulo obscuriorem, liberiori interpretationi occasionem dedisse. Quis autem ὁ τῆς οἰκονομίας Σωτήρ ? Intelliges, si superius § 11 dicta in memoriam revoces, et ea quæ mox § 20 sequuntur legas : Λέγουσι δὲ τὸν Σωτῆρα ἐνδύσασθαι σῶμα ψυχικὸν, ἐκ τῆς οἰκονομίας κατεσκευασμένον ἀῤῥήτῳ προνοίᾳ. « Dicunt enim Sotera induisse corpus animale, de dispositione aptatum inenarrabili providentia. »

Pag. 46. *Τὸν χαρὰκτα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ*. Symbolum fidei hic indigitavit Irenæus, utpote quod Tertullianus quoque eodem appellat nomine lib. *De velandis virginibus*, cap. 1, scribens : « Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis et irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, et in Filium ejus Jesum Christum, natum ex virgine Maria, » etc. Ita et alibi passim Tertullianus aliique Patres recentiores. Sicut autem Irenæus Symbolo tanquam clypeo adversus noxia hæreticorum tela utendum docet, ita et Tertullianus idem sæpe inculcavit, præsertim lib. *De præscript. adversus hæreticos*, lib. *Contra Praxean.*, cap. 2, inque ipso etiam *Apologetico adversus gentes*, cap. 47.

Ὃν διὰ τοῦ βαπτίσματος εἴληφε. Jam olim symbolum fidei in Patrem, Filium et Spiritum sanctum eos, qui baptizandi erant, edoctos, et ante sacramentum acceptum professos esse, præter Irenæum hoc loco luculenter confirmat S. martyr Cyprianus epist. 76, Pamel. 69, Oxon. sive lib. I, epist. 6 ita scribens : « Quod si aliquis illud opponat, ut dicat eamdem Novatianum legem tenere, quam catholica Ecclesia teneat, eodem symbolo quo et nos baptizare : eumdem nosse Deum Patrem, eumdem Filium Christum, eumdem Spiritum sanctum, ac propter hoc usurpare eum potestatem baptizandi posse, quod videatur in interrogatione baptismi a nobis non discrepare : sciat quisquis hoc opponendum putat, primum, non esse unam nobis et schismaticis symboli legem, neque eamdem interrogationem. Nam cum dicunt : Credis remissionem peccatorum, et vitam æternam per sanctam Ecclesiam, mentiuntur in interrogatione, quando non habeant ecclesiam, » etc. Gemina his scripsit epist. 70, sive lib. I, epist. 12. Unde patet jam tum non solum inter catholicos, sed et schismaticos ritum istum obtinuisse ; id quod manifesto indicio est, ab ipsis S. apostolis eum profluxisse. Confer de hoc Hilar. lib. ad Constantium Augustum, Cyrill. Hierosol. catech. II Mystagog., Basil. lib. *De Spiritu sancto*, cap. 12, denique *Constitut. apostol.* lib. VII, cap. 41.

Pag. 47. *Ἀπολύτρωσις*. Immerito hic in Gallasium invehitur Billius, tanquam ignarum, quid sibi velit « redemptio, » cum tamen Irenæus cap. 18 hujus libri prolixe de ea disseruerit. Sed docere debebat Billius, quomodo redemptio Valentinianorum ibi des-

Digitized by Google

scripta huic loco quadret : quod sane perspicere haud potuit Gallasius, neque Petavius. Unde hic in not. ad Epiphanium ἀπολύτρωσιν pro « exodio fabulæ, » quod Græci ἀπόλυσιν vocant, accipiendum docet : cui assentior, quia in Hesychii Lexico ἀπολύτρωσιν per ἀπόλυσιν, necnon ἀποφυγήν explicari video.

Explicans. Græcum περαιώσας idem est quod « transmeare, trajicere. » Vetus interpres quid legerit, non queo conjicere. Vertit enim « explicans, » quod longe a significatione verbi abit. Bill. Sed recte legit interpres περαιώσας, nec male vertit « explicans. » Περαιόω enim non solum significat « trajicio, transmeo, » sed et « termino, ad finem perduco. » Quam significationem non quidem ex lexicis, attamen ex SS. Patrum scriptis, quæ alioqui sedula manu versaverat Billius, discere potuisset. Sic Justinus Martyr ad Tryphonem pag. 228 edit. Sylburgii : Διὰ τῶν ἀνερωτήσεων τούτων καὶ περαωθῆναι σὺν τάχει τὸν λόγον ἀγωνιῶμαι. « Per interrogationes ejusmodi disputationem ad finem perducere conabor. » Et Trypho ad Justinum pag. 236 : Περαίωσον οὖν καὶ αὐτὸν ἡμῖν, etc. « Et hunc itaque explicando absolve, » locum scilicet Isaiæ, in antecedentibus citatum. Apud Clementem Alexandrinum quoque aliquoties hæc significatio occurrit, veluti lib. VI *Strom.*, p. 683 : Ἥτε γὰρ κοσμογένεια ἐν ἓξ περαιοῦται ἡμέραις. « Mundi creatio sex absolvitur diebus. » Atqui « explicare » eamdem inter alias habet significationem, tam apud profanos scriptores quam sacros, velut Sulpicium Severum lib. I *Hist. sacræ* : « Salomon cœptum templi opus vigesimo anno explicuit. » Et Orosium lib. VII *Hist.*, cap. ult. : « Explicui, adjuvante Christo, secundum tuum præceptum..... ab initio mundi usque in præsentem diem. » Unde nata communis formula, « explicit liber, » id est absolutus est, de qua Hieronymus ad Marcellam scribit : « Solemus nos, completis opusculis, ad distinctionem rei alterius sequentis, medium interponere, » Explicit, « aut » feliciter, « aut aliquid ejusmodi. Mimum » igitur « eorum explicans, » hic idem est ac « fabulam eorum emensus, » seu narrando ad finem perducens.

Scholia Billii in cap. 2.

Pag. 48. *Et mare.* Sic enim legendum in singulari. Est quippe Davidis versus.

Dispensationes. Addo Θεοῦ ex vet.

Partim jam inde ab initio. Id est, qui de pietatis ac justitiæ curriculo nunquam deflexerunt. Quibus eos subjicit, qui cum prius vitiorum lenociniis ac voluptatum illecebris sese dedissent, postea ad meliorem frugem se receperunt. Hic autem post τοῖς addo μέν ex vet.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 2.

Pag. 48. *Ecclesia enim.* Hic duas veræ Ecclesiæ certissimas notas observo : primam, quod sit catholica, id est per totum orbem diffusa; secundam, quod una, in summis fidei ac doctrinæ capitibus : quæ nullis unquam hæreticorum sectis acciderunt. Deinde, symbolum fidei, quod paulo supra nominabat « regulam veritatis per baptismum acceptam ; » iterumque initio sequentis capitis 19, quamque denominationem ab eo mutuati sunt Tertull. lib. *Præscript.*, *De velandis virg.*, et *Contra Hermog.*; Augustin. lib. I *De symbolo*, et Chrysostom. hom. I in symbolum, ab ipsis apostolis et discipulis Christi editum, ac universis terræ finibus traditum esse. Audacter autem hi omnes illud opponunt hæreticorum placitis, eaque ad hujus amussim examinari volunt, quod nullatenus dubitent apostolos composuisse, prædicasse, et universis per orbem Ecclesiis tradidisse. Ut vero ab omnibus explodatur, et exsibiletur illorum impietas, qui hujus auctores apostolos esse pernegant, aliorum Patrum testimonia prioribus adjiciam. Clemens Romanus auritus et oculatus testis, epist. I ad Jacobum, ait : « Christo resurgente et ascendente in cœlum, misso sancto Spiritu, collata apostolis scientia linguarum, adhuc in uno positi, symbolum, quod nunc fidelis tenet Ecclesia, unusquisque quod sensit dicendo, condiderunt; ut discedentes ab invicem, hanc regulam per omnes gentes prædicarent. » Adultos quoque disertis verbis illud idem recitasse, cum sacro lavacro tingerentur, præscripta procul dubio apostolorum, idem ipse scribit libro septimo *De constitut. apostolor.*, capite 41. Subscribunt ei Rufinus *Expo. symboli*; Hieronymus epistol. ad Pammachium; Ambrosius epistol. 81 et serm. 38; Augustinus serm. 115 et 181 de Tempore; Leo Magnus serm. et epistola 13; Isidorus libro secundo *De Eccles. officiis*, capite 23; et Petrus Chrysologus passim. Quin et apostolos eosdem illud ipsum decantasse, dum sacrosancta eucharistiæ mysteria celebrarent, facile mihi persuaserim, et maxime cum post verba B. Dionysii Areopag. cap. 3 *Eccles. hierar.* et B. Jacobi Hieros. episcopi sententiam mecum considero hujusmodi : « Diaconus d. : Sapienter attendamus. Sacerdos : Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, » etc. Hæc ibi. Quis non videt primam hanc traditionem ad apostolos, et non vel ad concilium Toletanum tertium, vel Constantinop. referendam esse?

Nec ingratum curiosis lectoribus fore existimo, si etiam ex hæresiarcha Luthero, hæreticos hujus apostolici symboli adversarios retudéro. Frequenter ille in suis *Colloquiis* (quæ collegit et publicavit 1571 commensalis ejus Petrus Rebenstock), ad suos aiebat [17] : « Symboli verba ab apostolis constituta esse credo, qui in congregatione sua hoc symbolum 42 verbis tam brevissimis et consolatoriis confecerunt. Est opus Spiritus sancti rem tanta brevitate, tam efficacissimis et emphaticis verbis describere. Extra Spiritum sanctum et apostolos non potuisset ita componi, etiamsi millia sæcula illud componere conarentur, » etc.

Quæ est in unum Deum. Valentinus gentilis, aliique novi ex Polonia et Transylvania Trinitarii et Ariani, hinc perfidiæ suæ adversus cœternam et consubstantialem Patri deitatem Christi præsidia sumere conantur; quasi mens Irenæi fuisset, solum Patrem Deum et creatorem mundi prædicare, non autem Filium ac Spiritum sanctum. Quam vero nequiter ac flagitiose istud colligant, vel inde patet, quod e contrario hic confirmet, unam fidem habendam esse in unum Deum Patrem, Filium ac Spiritum sanctum, tanquam videlicet in Deum trinum et unum; infra persæpe Filium appellet Deum ac Dominum : eidemque ac Spiritui sancto cunctarum rerum creationem et gubernationem æque atque Patri tribuat. Hic ergo beatus martyr formam servans symboli apostolici, vocem Dei in singulis personis sibi repetendam, in tanta præsertim brevitate, minus necessarium existimavit, contentus unum esse Deum creatorem, nimirum Patrem, et Filium, et Spiritum profiteri. Sic enim et Justinus martyr ajt : « Unus vere est Deus omnium, qui in Patre, Filio Spirituque sancto cognoscitur [18]. »

Præcepta ejus servantibus, etc. Hæc dicta sunt in tetrum errorem Simonis Magi et Valentini, qui bona opera rejiciebant. Proinde vides quo pacto justitiam veram coram Deo non sola fide, sed et spe, et charitate, et operibus bonis consistere docuerunt hujus sæculi Patres, quod vel ex unius Irenæi colligere perfamplius poteris libro secundo, capite quinquagesimo primo; et libro tertio, capite vigesimo; libro quarto, capite vigesimo septimo, trigesimo secundo, trigesimo quarto et quadragesimo nono Quod admotare libuit, ut omnibus in-

[17] Tomo II, pag. 106. [18] Lib. de vera fid.

Digitized by Google

notesceret impudens mendacium eorum qui centurias consarcinaverunt, quos scribere non puduit, hunc martyrem et reliquos ejus sæculi Patres, salutem et justitiam coram Deo, soli fidei sine operibus acceptam tribui debere, docuisse.

Quibusdam quidem ab initio. Vel parvulos intelligit, qui recens baptizati, nullo proprio intervenient delicto morientes, recta cœlum petunt, æterna claritate circumdati; vel martyres, qui horrendis tormentis pro Christo excarnificati, gloriosissimo functi certamine, mox Christo capiti suo suprema beatitudine junguntur. Ex his autem duo observanda arbitror : primum beat. hunc martyrem levius æquo a quibusdam annumerari inter illos qui sanctorum animas ante extremum diem judicii aperta Dei visione interdicunt, propter obscuriora quædam ejus verba in calce libri quinti, quæ facile alio sensu intelligi possunt : cum hic aperte dicat, quosdam sine pœnitentia, ab initioque donari vita et claritate æterna. Secundum, martyrii privilegio, ante actæ vitæ admissa peccata adeo emundari et deleri, ut sine laboriosiore satisfactione hic vel alibi, mox eatur in cœlum, quod aliis post baptismum peccantibus neutiquam conceditur. Illustrabitur autem hic locus adjectis Tertulliani et B. Cypriani verbis, quæ non obscure favent doctrinæ catholicæ de purgatorio. Ille libro *De resurrectione carnis* sic habet : « Nemo peregrinatus a corpore, statim immoratur penes Dominum, nisi ex martyrii prærogativa, scilicet paradiso, non inferis diversurus. » Iste epistola 58 ad Antonianum : « Aliud est ad gloriam pervenire : aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem. Aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem : aliud pro peccatis longo dolore cruciatum, emundari et purgari diu igne. Aliud peccata omnia passione purgasse.

Ex Joannis Ernesti Grabii adnotationibus in cap. 2.

Pag. 48. Ἕως περάτων τῆς γῆς. Ita quoque de amplitudine Ecclesiæ, a sanctis apostolis fundatæ, *Epistola* S. Ignatii *ad Philadelphenos*, licet interpolata, sonat : Μία ἡ Ἐκκλησία, ἣν ἱδρύσαντο οἱ ἅγιοι ἀπόστολοι ἀπὸ περάτων ἕως περάτων ἐν αἵματι τοῦ Χριστοῦ οἰκείοις ἱδρῶσι καὶ πόνοις. « Una Ecclesia, quam suis sudoribus ac laboribus fundarunt S. apostoli a finibus terræ usque ad fines, in sanguine Christi. »

Ἀοράτου. *Invisibilis.* Patris mentionem hoc loco factam puto, ut innueretur ideo erga Filium omne genu curvandum esse, quod is « visibilis » sit apparituris de cœlis. Nam « Pater potestatem dedit Filio judicium facere, quia filius hominis est [19]. »

Scholia Billii in cap. 3.

Pag. 50. *Acceptam, inquam.* Hoc caput cum præcedenti connecto. Necdum enim absoluta est periodus.

Exuberat. Alludit ad illud, quod de manna scriptum est : « Nec qui plus habuit, abundavit; nec qui minus, minoravit [20]. »

Notæ ex adversariis Frontonis Ducæi in cap. 3.

Pag. 49. *Sic et lumen prædicatio.* Abundat in Lat. vox « lumen, » cum absit a Græco. Porro locus ille de manna est II Cor. VIII, 15 : « Qui multum, non abundavit; et qui modicum, non minoravit : » sed apertius redditur Exod. XVI, 18. « Nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus paraverat, reperit minus. » Ad hoc exemplum fortasse hic quoque verba Irenæi Latine reddenda fuerunt : nam verba Græca LXX plane eadem sunt quæ apud Epiphanium.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 3.

Hanc prædicationem, etc. Ecclesiarum omnium consensum ut inexpugnabilem æneumque murum merito hæreticis omnibus opponit, quia si usquam Christi promissio de jugi Spiritus præsentia, si infernalium portarum profligatio, si apostolicorum laborum fructus, si denique, quam tantis votis efflagitabat Dominus noster in postremo convivio, unio, consensio et pax usquam apparet : omnium maxime erit, cum qui tam variorum idiomatum diversitate, tantorum sæculorum lapsu, tanta terrarum, regnorum, provinciarum, climatum diremptione, tantis vorticibus, fluminibus et æquoreis fluctibus separati Patres, ut alium orbem incolere videantur, eadem de eisdem sentiunt, credunt, scribunt, docent : idque tanta animi constantia, ut potius ignes, bestias, cruces, gladios, ac mille mortes sustineant, quam ut vel latum unguem ab eis avellantur. Hæc procul dubio est unitas Spiritus, tantorum populorum unici pædotribæ et doctoris, in vinculo pacis, pro qua, ut sarta tecta ab omni incommodo et schismatica dissensione conservetur, omnia potius subeunda tormenta arbitratur præclarus ille Dionysius Alexandrinus, epistola ad Novatum; nec minus, sed multo plus commendationis habere martyrium ea de re susceptum docet, quam illud quod suscipitur, ne idolis omnino immoletur. Hegesippum dum Romam pergeret, refert Eusebius libro quarto *Histor.*, capite vigesimo secundo, et multis cum episcopis Asiæ et Europæ sermonem conferret, unam eamdemque invenisse doctrinæ formam et institutionem, virginem adhuc Ecclesiam exclamasse. Ista etiam consensione populorum et gentium, in gremio Ecclesiæ se justissime detentum profitetur Augustinus libro *Contra epist. Manichæi*, capite quarto. Eos vero qui tot tantasque per universum orbem Ecclesias errasse putant, vel unius Tertulliani, gravissimi et antiquissimi scriptoris verbis attendere optarem. « Age, » inquit [21], « nunc omnes erraverint : deceptus sit Apostolus de testimonio reddendo quibusdam. Nullam respexerit Spiritus sanctus, uti eam in veritate deduceret, ad hoc missus a Christo; ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis; neglexerit officium Dei villicus, » etc. « Aliquos Marcionitas et Valentinianos liberanda veritas exspectabat : interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam ministrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam et in vacuum. » Miratur Vincentius Lirinensis [22] post hæc adhuc quosdam superesse, tanta inveteratæ frontis duritia, tanta impudentiæ incude, tam adamantinæ pertinaciæ, qui tantis eloquiorum cœlestium molibus non succumbant, tantis ponderibus non fatiscant, tantis malleis non conquassentur, tantis postremo fulminibus non conterantur.

In universum mundum disseminata. Observa quam longe lateque jam extenderetur Ecclesia, adversus illos qui, instar cujusdam ideæ Platonicæ, eam inaspectabilem faciunt; vel quibus voluerint angulis terrarum, ut repagulis, coercitam contendunt. « Ex quo cœpit congregatio Christianorum, » ante Irenæum scripsit Hegesippus [23], « in omne hominum penetravit genus, nec ulla natio Romani orbis remansit, quæ cultus ejus expers relinqueretur. » Diluci lius paulo post lib. *Contra Judæos* Tertull. regni Christi multo ampliora pomeria esse convincit, quam unquam « Salomonis, Darii, Pharaonis, Alexandri aut Cæsaris, quippe suis limitibus conclusa : Christum autem credebant et audiebant Parthi, Medi, Elamitæ, Mesopotamii, Armeni, Phryges, Cappadoces, et 43 incolentes Pontum, Asiam et Pamphiliam, immorantes Ægyptum et regionem Africæ quæ est trans Cyrenem, Romani, Hierosolymitæ, Getulorum varietates, Maurorum fines, Hispaniarum omnes termini, Galliarum diversæ nationes, et Britannorum inaccessa Romanis loca, et Sarmatarum, et Dacorum, et Germanorum, et Scytharum, » etc., « in quibus omnibus locis Christi nomen et regnum porrigitur, ubique creditur, ab omnibus

[19] Joan. v, 27. [20] II Cor. VIII, 15. [21] Lib. Præscr. [22] Lib. contra Prof. novat. [23] Lib. II de exci., cap. 12.

Digitized by Google

colitur, ubique regnat, ubique adoratur. » Hactenus ille.

Neque hæ, quæ in Germania. Succincta partium enumeratione superiorem thesin confirmat. Porro apostolorum sæculo, Germanos jam Christo nomen dedisse, scribit Joannes Aventinus antiquitatum non segnis investigator, dum Lucium illum Cyrenensem, Pauli consobrinum, in Vindelicia, et Rhetiis; Marcum Pauli ejusdem collegam, in Norico; Crescentem Moguntiæ; et Clementem quemdam Metis, Evangelium primo promulgasse testatur. Maternum, Eucherium, et Valerium a beato Petro missos, ut Treveris et Coloniæ Christum annuntiarent, tradunt eorum archiva; illicque illustres ecclesias fuisse sua ætate testantur Athanasius et Hilarius. Arnobius quoque inter varias nationes Christo deditas, Alemannos nominat, lib. I *Adversus gentes.*

Neque hæ, quæ in Iberis. Non illos, qui juxta Pontum Caucasios montes incolunt populos, Irenæum arbitror commemorare, cum imperante Constantino, Christum amplexos narrent Ruffinus, Socrates et Theodoretus : sed Hispanos, qui Ibero flumine alluuntur, a quo universa regio Iberia, sicut ab Hespero Hesperia, et postremo ab Hispali urbe ad fretum Atlanticum sita (quæ nunc Sevilia est), Hispalia, et jam Hispania nominatur. Europæ partibus annuntiatum iri Evangelium, prædixerat Abdias ita scribens : « Transmigratio exercitus hujus filiorum Israel, » id est Ecclesia discipulorum ex Judæa, « omnia loca Chananæorum, usque ad Zarpha, » Franciam interpretantur omnes Hebræi : « et transmigratio Jerusalem, » id est apostolorum, « quæ est in Sepharad, » Chaldæus paraphrastes Hispaniam vertit, « possidebunt civitates Austri, » verbo scilicet et miraculis ad Christum adducendo. Beatum Jacobum fratrem Joannis Hispaniam, et sub occasum mundi partes luce prædicationis illustrasse scribit Isidorus; et divum illum Paulum, assiduum Evangelii buccinatorem, cujus unius ore universus fere terrarum orbis resonuit, a Nerone primo dimissum, in Gallias, Hispanias, aliasque Occidentis regiones, ut antea se in votis habuisse ad Romanos cap. xv significaverat, profectum; ipsas Christo vindicasse asserunt Athanasius ad Dracontium, Chrysostomus homil. 7 de laudibus Pauli, Epiphanius, Ado Viennensis, et Sophronius. Celebres etiam ecclesias in Hispania Tarraconensi, ad Legionem, Asturicæ, Cæsaraugustæ, et Emeritæ in Lusitania, commemorat beatus Cyprianus epist. 35. Granatam quoque Christum agnovisse testatur concilium « Eliberinum. »

Neque hæ, quæ in Celtis. Celtæ Pomponio, Appiano, et Plinio, populi sunt Galliæ Comatæ inter Garumnam et Sequanam, quorum etiam meminerunt Manethon Ægyptius, et Berosus Chaldæus libro quinto *Antiquit.* Vix autem invenire licebit aliquam orbis partem, quæ tanta aviditate, tantoque ardore animi Evangelium amplexa sit, et quæ tot apostolicos viros Deo largitore habuerit, atque Gallia. Paulus enim Hispaniam petens, Trophimum Arelatæ, et Crescentem Viennæ, Galliarum reliquit apostolos, auctore Adone Viennensi. Massilienses et Aquenses industria Lazari, Maximini, Marthæ, Magdalenæ et Marcellæ, fidei elementa mox ab ascensione Domini susceperunt. Tolosanos, Burdegalenses, Cadurcenses, omnemque Aquitanorum, Vasconum et Gothorum gentem, totumque tractum illum a Rhodano ad Oceanum usque, beato Martiale ex septuaginta discipulis institutore et doctore, Christi nomine oppletum, tradit ejusdem discipulus Aurelianus. Lugduni ante Irenæum verbum Dei annuntiaverat Photinus martyr : illicque et Viennæ illustres ecclesias Christianorum fuisse ante Cypriani epistolam quadragesimam secundam, declarant graves litteræ illæ martyrum apud Eusebium libro v, cap. 1, *Histor.*, quæ ingentem martyrum multitudinem ex eis locis referunt. Bituriges, Nathanaelem; Cenomani, Simonem Leprosum, qui et Julianus dicitur; Senonenses et Carnotenses, Savinianum et Potentianum; Sixtum et Sinicium, imperante Nerone, Suessionenses; adhucque superstite beato Petro, pietatis Christianæ doctores habuerunt. Dionysius Areopagita beati Pauli discipulus, una cum Eleutherio, Rustico, Luciano et Regulo, apostolorum auditoribus, Parisienses, Meldenses, Silvanectenses et Bellovacos veræ fidei catholicæ articulos docuerunt. Superioribus quoque beatus Clemens adjunxerat Nicasium, Taurinum et Exuperium, quos Rothomagenses, Ebroicenses et Baiocenses, ut apostolos et pastores magna alacritate receperunt. Multo plures videre poteris apud Vincentium, Antoninum, Petrum de Natalibus, *Fasciculum temporum*, Sigebertum, Martyrologia et Chartophylacia.

Neque hæ, quæ in Oriente. Christi adhuc in Palæstina agentis pietate, doctrina et miraculis, pertractos quosdam etiam Orientis reges, clarum est ex Eusebio, Damasceno et Nicephoro; qui Edessæ toparcham ex Mesopotamiæ finibus ad eum misisse narrant. Persarum quoque satrapam potentissimum, ut illius saltem effigie potiretur, misso pictori negotium commisisse, unus refert Nicephorus lib. II, cap. 7. Parthos, Medos, Elamitas, Mesopotamios, Cappadoces, Ponticos, Asianos, etc., Hierosolymis interfuisse, cum Spiritus sanctus descendit in apostolos, et suis linguis audisse eos loquentes magnalia Dei, Lucas recenset. B. Thomæ Parthiam in divisione apostolorum obtigisse scribit Eusebius lib. III, cap. 1. Astipulatur Hieronymus, dicens se traditione accepisse, illum Parthis, Medis, Persis, Hyrcanis, Bactris et Magis prædicasse; imo et ad insulam Taprobanam penetrasse addit Nicephorus lib. III, cap. 1. In Scythiam concessisse B. Andream affirmat Eusebius lib. III, cap. 1, cui Sogdianos et Sacos addit Sophronius; Nicephorus autem lib. II, cap. 39, et lib. III, cap. 1, eum per Cappadociam, Galatiam et Bithyniam, in Scytharum solitudines, ad utrumque Pontum Euxinum accessisse; Nazianzenus etiam missum in Epirum indicat oratione contra Arianos. Asiæ minoris Ecclesiæ Christianæ, ex Apocalypsi beati Joannis notiores sunt, quam hic recensere opus sit.

Neque hæ, quæ in Ægypto, neque hæ, quæ in Libya. In celebrioribus Africæ partibus Christianos conventus frequentissimos habuisse abunde testatur Tertullianus[24], qui nec interioris Africæ incolas Getulos, nec Mauros, nec Carthaginenses, nec Ægyptios evangelicæ lucis expertes fuisse sua tempestate scribit. Alexandriam a beato Marco fidei nostræ sacris mysteriis initiatam, et recto inde ordine clarissimos pietatis doctores Abilium, Justum, Cerdonem, Anianum, Primum, Pantænum, Clementem, Heraclam, etc., habuisse ex *Histor. ecclesiast.* clarum est : illicque ex Thebaide, et tota Ægypto, innumeros fere martyrum greges, ut oves ad lanienam adductos, epistola beati Dionysii Alexandrini ad Fabium Antiochenum aperte testatur[25]. Illa siquidem a Ptolemæis, ad Christum usque, philosophiæ, et omnium optimarum disciplinarum officina fuerat : a Christi vero ascensione usque ad furores Mahumeticos, peritissimos et facundissimos theologos habuit, qui politiore doctrina, et eloquentia mire instructi, sacrarumque litterarum studio, ait Eusebius libro quinto, capite decimo, probe exercitati, Ecclesiam ampliarunt et propagarunt; quales ex antiquorum monumentis fuisse colligimus Origenem, Pierium, Didymum, Ammonium, Petrum, Alexandrum, Athanasium, Theophilum, Cyrillum. Væ peccatis nostris, numinis iram

[24] Lib. contra Jud. [25] Euseb. lib. VI, cap. 41.

Digitized by Google

concitantibus, quæ florentissimam hanc dudum ecclesiam immanissimarum belluarum jugo, id est Turcico imperio tradiderunt. Sed et interior Æthiopia statim Christum agnovit, credidit, adoravit, Candacis illius eunuchi concionibus, quem Philippus baptizaverat. « Is siquidem post reditum in patriam, primum unius Dei cognitionem, et salutarem Servatoris Jesu in humanum genus ingressum prædicavit, » inquit Eusebius[26]; et eo nomine, « Æthiopum apostolum » eum nominat Hieronymus[27]: illucque postea missum B. Matthæum alacri excepisse animo scribit Abdias libro septimo; ac tandem glorioso pro nomine Christi martyrio, vitæ finem fecisse testis est Sophronius. Nominatim etiam Libyæ episcoporum meminit canon sextus Nicenæ synodi; et ex eadem provincia episcopos suo, id est Carthaginensi concilio interfuisse, testis est beatus martyr Cyprianus.

Neque hæ quæ in medio mundi. Habitabilis terræ medium Hebræi magno consensu Judæam constituunt, et eam ob rem cor maris, ac umbilicum terræ, non raro a prophetis nominari : quibus ante Vadianum et Lyranum, subscribunt Hieronymus[28] et Gregorius[29]. Ipsam quoque Jerusalem non unius regionis Judææ, sed et multarum gentium metropolim vocitat Philo, *Legatione ad Caium :* quibus fit, ut ecclesias, quæ in Judæa et Palæstina tum exstabant, hic commemorare beatum Irenæum existimem. Illic enim primum illucescere debuit Evangelii splendor, et hinc radios suos spargere in omnes gentes, quia de Sion legem 44 exituram, et Verbum Domini de Jerusalem, prædixerat Isaias: et virgam virtutis, qua robur Evangelii designatur, emittendam ex Sion, David præcinuerat. Ante excidium Solymorum in omnibus finibus Judææ, Samariæ et Galilææ insignes fuisse Christianorum ecclesias constat ex Christi, apostolorum et discipulorum ejus concionibus et miraculis in Evangeliis, et Actis apostolicis, quæ fratrum, qui in Azoto, Lydda, Joppe, Cæsarea, Ptolemaïde, Pella, Ephrem, Damasco, Tyro et Sidone erant, meminerunt. Sed et post horrendam illam vastationem Syriæ et eversionem Jerusalem, Judæis partim exstinctis, partim per orbem dispersis, regionem eam incolere, et conventus ecclesiasticos celebrare Christianos permiserunt imperatores Romani. Ubi enim Jacobus martyrio sublatus est, discipuli, qui adhuc lucis usura fruebantur, una cum iis, quibus cum Domino secundum carnem intercedebat cognatio, convenientes, Simeoni filio Cleophæ ecclesiæ illius clavum commiserunt : quem ad Trajanum usque feliciter rexit. Plurimos autem alios ex Hebræorum gente recto successionis ordine post istum huic quoque præfuisse docet Eusebius libr. III *Histor.*, cap. 10, 26, 30; et lib. IV, cap. 5.

Sed sicut sol. Solis exemplo ob varias tribus, provincias et linguas, quibus profertur Ecclesia, unitatem fidei et doctrinæ nullo pacto dirimi posse apposite ostendit : quod pari schemate, sed uberiore facundia beatus martyr Cyprianus imitatus, his explicavit[30] : Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur : quomodo solis multi radii, sed lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum. Et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. A fonte præcide rivum, præcisus arescet. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur, » etc.

Creatura. Delevimus *creaturæ*, auctoritate veter. cod. et lectionis Græcæ, τὸ κτίσμα.

Sic et lumen. Religio fuit hanc vocem expungere, tametsi eam contextus Græcus non habeat. Quid autem si legamus : « sic et lumen, et prædicatio veritatis? » etc. Sic enim aptius quadrabit assumptæ similitudini de sole : et his sequentibus verbis, « ubique lucet, et illuminat, » etc. Cæterum, his videmus eam unitatem doctrinæ et consensionem ejusdem fidei, quam diximus unam esse notarum veræ Ecclesiæ, hic vehementer urgeri ab Irenæo, et dissectis cunctorum hæreticorum sectis apposite objici : quandoquidem hæ nunquam secum, aut cum veritate conveniant. Manifestum est enim (ut Gnosticos istos prætermittam), Arianos mox in quatuor, deinde in septem, præterea in decem partes divisos fuisse; nec Donatistæ, Manichæi, Pelagiani easdem defenderunt hypotheses. Quanta etiam nunc dissidia sunt inter Turcas, Persas, Tartaros, et Mauros de Mahometico Alcorano ac errore? Hoc sæculo Lutheranismus vix exortus illico distractus est in Carolstadianos, Zwinglianos, Calvinianos, Œcolampadianos, Schwermeros, Anabaptistas, Swenckfeldianos, et alias plurimas classes. Omnibus modis, id est principum intercessionibus, litteris, precibus, officiis, synodis, et colloquiis habitis Wittembergæ, Marpurgi, Suabachii, Smalcaldiæ, Ratisbonæ, Constantiæ, Tiguri, Aroviæ, Basileæ, Wormatiæ, Maulbrunæ, Altemburgi, Heidelbergæ, Frankentali, Mompelgarti, etc., in concordiam redire satagerunt : sed infestiores semper ex his discesserunt ministri, quam accesserant. Non est igitur in horum cœtibus vera fides aut Ecclesia : sed spiritus omnis erroris, vertiginis ac perditionis.

Pag. 50. *Ampliat.* Expunximus *amplius*, docente vet. cod. et Græco verbo ἐπλεόνασεν.

Ex Jo. Ernesti Grabii adnotationibus in cap. 3.

Pag. 49. *Ἐκκλησία, καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη*, etc. Ecclesiæ, licet per longe dissitas orbis partes dispersæ, in una tamen fide consensionem atque amicam conspirationem Irenæus opponit hæreticis, qui in uno eodemque loco sæpe diversa docent, et vix conveniunt nisi in hoc uno, ut Ecclesiæ unitatem rumpant, et fidem corrumpant.

Ἑνὰ οἶκον οἰκοῦσα. Cyprianus *De unitate Ecclesiæ*, pag. 3 edit. Oxon : « In domo Dei, in Ecclesia Christi, unanimes habitant, concordes et simplices perseverant. »

Αἱ ἐν Γερμανίαις ἱδρυμέναι ἐκκλησίαι. Sunt quidem, qui de sola Germaniæ ora cis Rhenum, Romanorum ditioni subjecta, hæc accipi volunt, ac Evangelium Francis atque Saxonibus aliisve trans Rhenum ante Irenæi ætatem prædicatum pernegant. Ast auctor noster ἐν Γερμανίαις, numero plurali fundatas ecclesias dicens, haud obscure indicat, in diversis Germaniæ partibus jam tum fidem Evangelii obtinuisse. Et Tertullianus lib. *Contra Judæos*, cap. 7, diserte memorat « Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita; et Sarmatarum, et Dacorum, et Germanorum, et Scytharum, et multarum abditarum gentium. » Cæterum quæ de primis Germaniæ apostolis ex Aventino notavit Feuardentius, incerta sunt, et pari facilitate ab aliis rejiciuntur, qua a quibusdam acceptantur.

Ἰβηρίαις. Hispanorum, non Iberorum in Asia, terras intelligendas bene monuit Feuardentius : minus recte autem fecit, quod fabulam de Jacobi Majoris apostoli prædicatione in istis oris sine censura recensuerit. Attamen alii Apostolo, Paulo scilicet, non modo propositum fuisse iter in Hispaniam, de quo ipse ad Romanos cap. XV, 24 et 28, scribit, sed et reapse susceptum, ubi e primis Romæ vinculis evasit, ac ecclesiam ibi fundatam fuisse docent Epiphanius hæres. 27, Joannes Chrysosto-

[26] Lib. II Hist., cap. 1. [27] In cap. LIII Isaiæ. [28] In Psal. LXXIII. [29] Lib. XXXVII Mor., cap. 18. [30] Lib. de unit. Eccles.

Digitized by Google

mus homil. 78 in Matth. et homil. 7 de laudibus Pauli; Hieronymus in cap. XI Isaiæ et cap. V Amos, hisque antiquior Hippolytus libello *De* XII *apostolis* (si modo is genuinus ejus est fetus), nec obscure confirmat ipse Pauli amicus S. Clemens in *Epist. ad Corinthios*, scribens illum e vinculis Roma dimissum fuisse εἰς τέρμα δύσεως, « in terminum » sive ultimam oram « Occidentis, » ubi Hispaniam sitam esse ex geographicis notum est; quamvis haud desint, qui τέρμα δύσεως in « Britanniam » usque extendant, quorum sententiam hic in medio relinquo.

Et Κελτοῖς. Celtas esse populos Galliæ Comatæ inter Garumnam et Sequanam, hoc loco notat Feuardentius, indeque plura de primis Gallorum apostolis cumulat, maximam partem fabulosa, et ab ipsis eruditis Gallis, horumque doctissimo Launoio, confutata. Quinam vero primi, et quando lucem Evangelii Galliæ intulerint disquirere, haud est præsentis instituti : sufficit quod ex hoc Irenæi et Tertulliani loco supra citato, « Gallorum diversas nationes Christo subditas » fuisse constet, eique adeo fideliter adhæsisse, ut magnam martyrum multitudinem ad Deum præmiserit, sicut memoriæ est proditum in epistola Viennensium et Lugdunensium, istius ævi Christianorum, ad ecclesias Asiæ et Phrygiæ apud Euseb. lib. V, cap. 1.

Κατὰ τὰς ἀνατολάς. Ecclesias in orientalibus provinciis Asiæ minoris et majoris, necnon apud Parthos, Medos, Persas, ipsosque Indos ab apostolis fundatas esse historici sacri testantur, ex quibus aliqua refert Feuardentius, quæ prosequi non est hujus loci. Vide prolixius de his disserentem Baron. ad ann. C. 44.

Et Αἰγύπτῳ... ἐν Λιβύῃ. De Africanis ecclesiis plura hic congessit Feuard. quæ utpote satis nota describere inutile, necnon intempestivum foret. Haud opus autem fuisset, ad apostolatum eunuchi reginæ Candacis probandum, plura longe petita afferre testimonia, cum præsto ei fuerit ipsius Irenæi auctoritas lib. III, cap. 12, et lib. IV, cap. 40.

Scholia Billii in cap. 4.

Pag. 50. *Ingenio ac prudentia.* Habet hoc loco vetus interpres vocabulum unum, quod in Græco deest, nempe « intelligentiam, » ut sit sensus, quod quidam pro ingenii acumine in Scripturarum intelligentia plus videant, etc.

In eo nobis satis præsidii. Ad verb., quasi non ipse nobis sufficiat. In Græc. pro τούτους legendum τούτῳ, vel certe ἀρκουμένου τούτου : tametsi id minus probem; ἀρκούντος enim potius dixisset, si significationem activam exprimere voluisset.

Salutem factam. Γενομένην lego cum vet.

Quodque diuturna lenitate. Ex his verbis sentire videtur Irenæus, dæmonas ante extremum judicii diem vindice illo igne minime excruciari : id quod summæ Dei longanimitati tribuit. In qua sententia est Theod. lib. III *Polym.* et nonnulli alii. Sed tamen contraria sententia, ut verior, ab Ecclesia tenetur.

Pag. 51. *Grata oratione complectatur.* Suspectum est mihi hoc loco verbum εὐχαριστεῖν, quod parum aliis his verbis respondeat, διδάσκειν, μηνύειν, ἐξερευνᾶν, ἀπαγγέλλειν, etc. Itaque sic verti, ut simul cum gratiarum actione, declarationis etiam cujusdam significationem habeat.

Potius quam in initio. In Græc. pro ἡ ἀρχή, lego καὶ οὐκ ἐν ἀρχῇ cum vet., tametsi non negem commode quoque legi posse ἡ ἀρχή, et hic locus ita vertatur : « hoc est, principium in fine apparuerit. »

Populus factus. Hoc verbum ἐρεῖ non agnoscit vet. interp.

Quæ ipsius parens sit. Vet. interp. legit in Græco, μητέρα τούτου καὶ αὐτῶν : ac τούτου quidem ego lubens lego. Insectatur enim Irenæus eos qui Demiurgo, hoc est, summo illi rerum omnium opifici matrem Enthymesin affingunt. Sed αὐτῶν plane improbo. Ad quid enim referretur? Ac ne αὐτοῦ quidem defendi potest : neque enim Æonis illius inconsulti parens erat Enthymesis, sed ex eo potius orta, ut quidam stultissimi nebulones fingebant.

Aut rursus in eo. Pro τόν legendum est in Græc. εἰς τό.

Nunc triginta. In Græc. pro τὸ μὲν ἕνα, corrige ex vet. τῶν μὲν τριάκοντα.

Notæ ex adversariis Frontonis Ducæi in cap. 4.

Pag. 50. *Nosse quosdam intelligentiam.* Vox, « intelligentiam, » redundat, ut e Græco apparet, sed substituenda est potius vox φρόνησιν, pro « prudentiam : » nam intelligentiam nosse, phrasis est Scripturæ, ut Isa. LVI, 11 : Οὐκ εἰδότες σύνεσιν Hier., « nescientes intelligentiam. » Rursus, « sed in eo quod exquirere, » ἑλληνίζει, pro, « sed in eo ut exquirat quis et adjungat veritatis argumenta, » ἐν τῷ προσεπεργάζεσθαι, sicut vertit, ἐν τῷ ἐκζητεῖσθαι, « in eo ut factam enarret, et quoniam magnanimus exstitit Deus, etc., edisserat, et quare alia, etc., fecit, annuntiet, » et cætera eodem modo usque ad, « præconiare. »

Quasi non ipse sufficiat. Apud Epiphan. in Basilecn. edit. legebatur, ὡς μὴ ἀρκουμένους τούτους : Gallasius edidit, ὡς μὴ ἀρκουμένου τούτου, et vertit, « quasi ipse nobis non sufficiat, » melius quam Cora., « ita ut hoc non sis contentus. » Simplicius erit, « quasi non sufficiat iste, » hoc est, quasi non satis sit, sed alterius adjuvandus sit viribus : ἀρκεῖσθαι enim valet idem quod ἀρκεῖν, sufficere, satis esse.

Sed aliis aliter adesse. Interpres συνιέν vertit « adesse, » cum potius ita debuerit, « sed aliis aliter, intelligere, » vel, « intelligat, » hoc est, ut intelligat cur aliis aliter apparuerit. Paulo post, « passum est, » Verbum scilicet, quasi συνέναι.

Pag. 51. *Neque in eo quod est super hanc.* Græcas voces immutarat pro arbitrio Gallasius; nos eas, ut in Basileensi edit. Epiphanii erant, edidimus, et in margine Billii correctiones, ut et in aliis locis addidimus, in quibus fortasse pro τὸ μὲν ἕνα scribendum τῶν μὲν λ' : nota tricenarii.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 4.

Pag. 50. *Plus autem.* Non est piorum ac sapientum virorum alium Deum, aut Christum comminisci; sed quæ obscure scripta sunt, exquirere : ac in primis divinam longanimitatem in peccatores, summam in judicando æquitatem, in Verbi incarnatione ineffabilem gratiam, in gentium vocatione benevolentiam, similiaque mysteria cum pietate atque studio perquirere, aliisque manifestare.

Et quoniam magnanimus exstitit Deus. Sic Græcizans vertit ἐμακροθύμησε, vetus interpres, pro « magno animo, et multa patientia tulit quorumdam angelorum defectionem, concessa illis ad resipiscendum, si voluissent, aliquanta temporis mora : » alludens ad Pauli verba Rom. IX cap. : « Sustinuit Deus, » ἐν μακροθυμίᾳ, id est « in multa patientia et longanimitate, vasa iræ aptata in interitum, » etc.

Et quare testamenta multa. Vetus testamentum, quod cum typis suis obsolevit; et recens Evangelio, miraculis et utilioribus sacramentis sanctum, longe diversa esse fœdera hic et infra quoque disseri, et probat lib. IV, c. 21, 22 et 24; id quod et ante eum abunde convicerat B. Justinus martyr et philosophus toto fere *Dialogo cum Tryphone*, et quæst. 97 et 101, ad ortho. Istbæc autem observare placuit in eos, qui, ut Judaicorum sacramentorum umbras evangelicis sacramentis pares faciant, et nihil amplius istis quam illis, nobis præstari, ex duobus testamentis unicum esse vociferantur, contra apertissimas Scripturas, Matth. XXVI; II Cor. III; Hebr. VII, VIII, XII, XIII; Gal. IV.

Pag. 51. *Et quare desperatas gentes.* Vix invenias

Digitized by Google

mysterium abstrusius, quodque Judæis et apostolis ab initio majus negotium facesserit, quam sit vocatio gentium. Tantis enim promissionibus semini Abrahæ Messiam pollicitum cernebant, ut huic tantummodo destinatum putarent; cum ad plurimas easque evidentissimas promissiones gentibus factas non attenderent. Hinc exorta sunt varia dissidia, quæ vix publico concilii decreto postea compescuerunt apostoli. Hinc que judaizantem ut plurimum ecclesiam Hierosolymitanam sub Jacobo legimus. Ergo « desperatas gentes » vocat, quæ religionis Christianorum ineundæ fideique excipiendæ in desperationem jam venerant : quarum salus ex cognitione Evangelii nulla in posterum sperarentur. Deinde delevimus : corporatas, » et « concorporatas » reposuimus.

Præconiare. Nimia religione exprimendi κηρύσσειν, quod est « publicare, voci præconis subjicere, » interpres vertit « præconiare, » pro « annuntiare, promulgare, » atque « prædicare. » Hic et passim animadvertas licet, interpretem curare verbum verbo reddere, ut loquitur Horatius, quo fidus appareat tum mentis, tum verborum Irenæi explanator, cum verba de verbis expressa fidelissime efferat, atque ea legenda et conferenda lectori prodat.

Ex Jo. Ernesti Grabii adnotationibus in cap. 4.

Pag. 50. *Ἀρχουμένους τούτους.* Billius monet legendum τούτῳ, vel ἀρχουμένου τούτου (quomodo Gallasius in sua Irenæi editione posuit), tametsi hoc minus probet. Ἀρχοῦντος « enim potius dixisset, » inquit, « si significationem activam exprimere voluisset. » Recte quidem : sed nec τούτους in τούτῳ mutare est necesse, siquidem illud ad τινάς referri, hoc vero subintelligi potest.

Πάντα. Nolim putes corrigendum esse et scribendum πάντας. Nam Irenæum ita verba Apostoli legisse, ex collatione hujus loci cum lib. III, cap. 22, patet.

Pag. 51. *Εὐχαριστεῖν.* Suspectum sibi hoc loco verbum istud videri ait Billius, quod parum respondeat præcedentibus, διδάσκειν, μηνύειν, ἐξερευνᾶν, ἀπαγγέλλειν, etc. Et verum quidem est, εὐχαριστεῖν de ea, quæ Deo fit, gratiarum actione proprie dici; attamen hic ad orationem, qua coram hominibus Dei beneficia horumque rationes exponuntur, ab Irenæo translatum est, quod verba διδάσκειν, ἀπαγγέλλειν, etc., repetere nollet, quodque orationes eucharisticæ, quibus incarnatio et passio Christi celebratur, præcipue quidem in honorem Dei, sed simul ad usum fidelium dirigantur, sicque « mors Domini » et coram Deo, et coram hominibus « annuntietur. » I Corinth. XI, 26.

Ἡ ἀρχή. Καὶ οὐκ ἐν ἀρχῇ ductu veteris interpretis legere aiunt Billius ; neque tamen negare potuit, quod ἡ ἀρχή, « Principium, » i. e. Dei Filius, « in fine » temporum « apparuisse » optime dici potuerit. Ego sane nullus dubito Irenæum ita scripsisse; veteri autem interpreti sensum ejus haud assecuto, libuisse suum hic exprimere. Cæterum ut de causis tam seri adventus Salvatoris nostri pauca dicam, inter plures, quas S. Patres tradiderunt, verissima mihi videtur ea, quam Eusebius in proœmio lib. VIII, *De demonstratione evangelica*, et lib. I *Hist. eccles.*, cap. 2, fusius edisserit. Alit quippe Adami posteros per universum orbem diffusos, olim ferinam magis quam humanam egisse vitam, nullis legibus vel juribus circumscriptam, nulla virtute vel philosophia excultam, adeo ut mutuis stupris et cædibus se contaminarent, humanas carnes vorarent, ipsi Deo vero bellum inferre auderent, etc. Necesse itaque fuisse, ut adeo feri hominum mores paulatim corrigerentur, philosophia partim, partim lege Mosaica, ac tum denique in mundo appareret Verbum Dei perfectam justitiæ legem ac salutem humano generi afferens, etc. Legatur Petavius lib. II, *De Incarn.*, cap. 17.

Μητέρα τούτων καὶ αὐτοῦ. Veterem interpretem legisse τούτου καὶ αὐτῶν ante Petavium notavit Billius, assensum præbens lectioni τούτου, non autem αὐτῶν. « Ad quid enim, » inquit, « referretur? » Respondeo ad Valentinianos, matrem Achamoth confingentes, quæ idcirco supra cap. 1, alibique passim « mater ipsorum » dicitur. Unde Græcis nihil mutatis, τούτων de Valentinianis, αὐτοῦ de Creatore accipio, et illos ante hunc ab Irenæo positos puto, quoniam hæretici illi adeo insaniebant, ut se tanquam « spirituales » super illum velut « animalem » afferebant.

Οὐδὲ τό. Ita Petavius procul dubio ex ms. codice excudi fecit, pro οὐδὲ τόν, ut est in Basileensi Epiphanii editione. Ego vel cum Billio οὐδ' εἰς τό, vel potius cum veteri interprete οὐδ' ἐν τῷ τό legendum puto.

Scholia Billii in cap. 5.

Pag. 52. *Veteres doctrinas.* Pro ἀρχὰς διδασκαλείου, repono ἀρχαίας διδασκαλίας, ex vet.

Ad hunc modum docet. Græc., ἐξηροφόρησε, corrupte, ut opinor. Vetus habet, « sic delinit, » quasi legerit, οὕτως ἴφη ὁρισάμενος.

Binarium quemdam. Addo τινά, ex vet.

Pag. 53. *Illarum matrem.* Αὐτῶν lego cum vet.

Meliorum recordationem. Μνήμην lego cum veteri, non γνώμην, ut sit sensus, eam in recordatione beati illius status, quo non sine magno dolore carebat, ejusmodi fructum edidisse.

Ipsi subjectorum. Addo αὐτῷ ex vet.

Sinistrum principem. Ἀριστερόν lego cum vet., non ἄριστον.

Ei cum illis convenit. Vetus legit ὅμοιον, non ὁμοίως . sed male, ut sensus aperte docet.

A veritate. Malo cum veteri interpr. legere ἀληθείας, quam ἐκκλησίας, quod id magis quadret cum eo quod post sequitur, « ut veritatis plantas proferant. » Ubi tamen illic quoque adnotandum est, veterem interpretem, φύλλα legisse, non φυτά, quam tamen lectionem minus probo.

Pag. 54. *Sed post triginta Æones.* Vet., « a fructibus eorum. » Tertullianus, « a fructibus de substantia venientibus. »

Initium omnium. Delenda præpos. ἐπί apud Epiphanium.

Quod quidem initium. Addendum in Græc. post ὁ λόγος, μονάδα, ex vet. et Tertull.

Nomina imposuit. Ὀνόματα lego ex Iren.

Quam ego Solitatem voco. Μονότητα legendum in Græc. non μονάδα, quemadmodum ead. lin. μονότητι non μονάδι, ex Iren. et Tertull.

Pag. 55. *Quandoquidem figmento suo.* Delendum καὶ in Græco.

Nominibus veritas. Ὀνόματα lego cum vet.

Primo et quinto loco. Addo τόπῳ ex vet. et Tertull.

Ex Anennoeto. Deleo τῆς ἀρχῆς ex vet. et Tertull.

Pag. 56. *Ex Aoreto denique.* Post ἀορέτου in Græc. hæc verba addo ex vet. interp. et Tertull., τετάρτῳ καὶ ὀγδόῳ τόπῳ. « Hoc autem, » ait Tertull., « quæ ratio disponat, ut singula, et quidem tam intercisis locis nascantur, malo ignorare, quam discere. »

O nugatores sophistæ. Ὦ ληρολόγοι σοφισταί. Aliter tamen legisse videtur vet. interp. Vertit enim : « O pepones, sophistæ vituperabiles. » Quæ verba occasionem præbent suspicandi in Græco vel esse carmen illud Homericum *Iliad.* II :

Ὦ πέπονες, κάκ' ἐλέγχε' Ἀχαιΐδες, οὐκ Ἀχαιοί.

vel certe paulum immutatum.

Conjugis expertem. Pudiciores hos vocat Tertull., qui honorem divinitatis recordati, ut etiam ullus conjugis dedecus a Bytho avellerent, malue-

Digitized by Google

runt nullum ei sexum deputare : et fortasse hoc Deum, non hic Deus pronuntiant.

Hermaphroditi naturam. « Alii, » inquit Tertull., « masculum et feminam cum dicunt, ne apud solos Lunenses Hermaphroditum existimet animalium commentator Fenestella. »

Notæ ex adversariis Frontonis Ducæi in cap. 5.

Pag. 53. *Sed a matre.* Lege, « sed a matre foris facta secundum memoriam meliorum enixum esse cum quadam umbra ; » vel, « foris autem facta enixa est. » Christum scilicet dicit procreatum fuisse a matre foras explosa. Porro vocem τινός restituimus ex Basiliens.

Similem iis qui dicentur. Interp. legit ὅμοιον, non ὁμοίως, sed male, ut Bill. monet : itaque verti debuit, « similiter iis, » vel, « eo modo quo ii, qui dicentur. »

Fructificarent folia veritatis. Interpres legit τὰ φύλλα τῆς ἀληθείας; apud Epipha. erat : τὰ φυτὰ τῆς ἀληθείας, « plantas veritatis : » quod magis probat Billius. Atque editio quidem Gallasii ex Epiphanio Græca Irenæi hactenus repræsentabat : in hac autem ex eodem in aliis locis eadem ab hoc usque ad caput 9, subjicere placuit. Licet enim non se ipsa verba Irenæi proferre Epiphanius profiteatur, tamen eadem pene verba usurpat cum iis, quæ interpres Irenæi convertit e Græco ; nam et Theodoretus, ut et ipse, ex eodem fonte istas hæreseon narrationes hauserunt.

Quaternionem esse dextram. Scribe, « dextrum, et sinistrum ; » item, « et discedentem autem, ac destitutam virtutem non a triginta. » In interpretat. Billii adde vocem unam, « primam ogdoadem : » nam et hic vetus eam habet, et Epiphanius πρώτην, quem sequitur Billii interpretatio, non vet. interpr., ut cum vertit, « sed post triginta Æonas ; » cujus loco noster, « sed a fructibus eorum. »

Pag. 54. Illud, « ejusdem substantiæ ei, quam et eam voco Hen, » hoc sibi vult, ὁμοούσιον, sive consubstantialem esse monadi illam virtutem, quæ dicitur unum : sic enim in Bill. interp. scribendum est.

Iu, in et pheu. Ubi superioribus attexuit quædam. Epipha. de Epiphane, de Clemente Alexandrino, redit ad hæc Irenæi, in quibus illud φεῦ usurpat : de quo Suidas quidem notat esse σχετλιαστικὸν ἐπίρρημα, ἐστὶ δὲ καὶ θαυμαστικόν : sed admirantis notionem habet apud Tertull. *Adv. Valent.*, ubi scholastici φεῦ acclamant vt laudant ; hic vero dolentis, ut auctor ipse indicat apertius alio in loco, ὑπὲρ τὸ φεῦ, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν τραγικὴν ἐκφώνησιν, καὶ σχετλιατισμόν ἐστι, vel potius σχετλιασμόν.

Quam et ipsam. Lego, « quam et ipsam voco henotetem ; manifeste quoniam figmenta sunt quæcunque ab eo dicta sunt, confessus est.

Quoniam, etc. Illud, « est, » quod aberat a prioribus editionibus non agnoscit Græcus liber, et σαφέστατα « manifestissime » sonat.

Pag. 56. *Pleroma hoc primæ ogdoadis.* Addidimus in marg. primo loco vocem τόπῳ ex vet. int. apud quem interpr. ita corrigenda est ex Græco, ut vicem expendat, « et octavo loco agenneton, Pleroma hoc primæ ogdoadis. Has volunt fuisse, » etsi hoc abest a Græc. « Agenneton » scribi jubet non modo Græcus, ἀγέννητον, sed et Tertull. qui omnia ista exagitat *adv. Valent.* 35.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 5.

Videamus nunc et eorum inconstantem, etc. Ecclesiarum omnium concordiæ mirabili, quæ nonnisi a Spiritu sancto oriri potest, hæreticorum dissidia, pugnas, et quæ nunquam coire possunt, sententias subjicit, ut zizaniorum et bellorum satorem, horum auctorem esse nullus nesciat. Etenim sicut ea, quæ germana est sponsa et columba Christi, unica est, eaque unitate adversus hostium cujuslibet generis copias et impressiones invicta permansit : sic hæreticorum sectæ dissectæ, et quasi civili bello pugnantia capita, mutuis vulneribus semper conciderunt. Falsitatum et mendaciorum tesseram hanc certissimam esse, ex antiquissimis Patribus ostendere magis libet, quam quidpiam proprio Marte cudere. « Mentior, » ait Tertull. [31], « si non etiam a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur, quæ accepit : quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam, et originis suæ morem, profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino ; idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare. » Et paulo superius : « Unde extranei et inimici apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unusquisque de suo arbitrio adversus apostolos aut protulit, aut recepit? Illic igitur et Scripturarum, et expositionum adulteratio deputanda est, ubi diversitas invenitur doctrinæ. » Hæc ille. Justinum martyrem adjiciam [32] : « Nunc cum damnent, » ait, « hæretici alii alios, ob opinionum dissensiones ; perspicuum est omnes eorum hæreses, occasionem habuisse ex ambitione, et mutua invidia hæresiarcharum : propter quam causam, lupi graves ab Apostolo [33] nominati sunt. — Imo, fidem nostram, dum sibi adversantur, affirmant, » ut scribit Hilarius libro septimo *De Trinitate*. « Inconsonæ perfidorum sententiæ in unum rectæ fidei modulum concinunt, tropæumque nostræ victoriæ, eorum cassa certamina gignunt. Sabellii enim perfidia Arii damnat errorem : rursus Ariani dogmatis error Sabellii impietatem excludit » ait Vigilius martyr [34]. Quod si aliquando coire contingat, id demum efficitur, quod Athanasius scribit orat. contra Arianos : instar Herodis et Pilati in blasphemias adversus Christum illos consentire.

Poscit autem hic locus ut de novissimorum quoque Hugnosticorum mutuis pugnis, atque manifestis dissensionibus, præter ea, quæ paulo ante proposuimus, etiam aliquid adjiciamus. Inflatis buccis concrepant Genevenses, Heidelbergenses, Tigurini, et Angli Calvinianis placitis addicti, sese esse Augustanæ confessionis professores, et cum fratribus Lutheranis concordes : sed quam mendaciter et impudenter id dicant, vel ex honorificis et fraternis titulis, quibus sese mutuo exornant, aperte colligitur. Calvinus namque lib. contra Heshusium, Lutheranos appellat, « homines protervos, improbos, rabiosos, mancipia Satanæ, quæ diabolus horribili modo fascinaverit. » Item, « canes, nebulones, impuros spiritus, ebrios Saxones. » Et ne respondeant, a morte Calvini hæc dissidia sublata esse, audiant Bezam, in *Creophagia* his verbis adversus eumdem Heshusium succinentem : « Ignosce nobis, domine doctor asine, cum reliquis tuæ speciei individuis. » Exinde fraternitatis et prætensæ concordiæ gratia, vocat eum, « Polyphemum, simiam, cothurnatum vegrandem et pileatum asinum, canem in balneo, asinissimum sophistam, belluam, larvam, asinum bipedem et impurum, hominem histrionicum et monstrosum, mistum ex simiarum et onagrorum specie, animal carnivorum, Cyclopem, asinum sesquipedalem et furentem, dignum qui ex 47 tillia penderet. » Danæi quoque judicio, Lutherani sunt « hæretici, damnati et excommunicati. » Jezlerus denique libro *De diuturnitate belli eucharistici*, pagina 93, recitat Lutheranos passim a suis Zwinglianis censeri « an-

[31] L. Præscript. [32] Quæst. 4 ad Ortho. [33] Act. xx, 29. [34] Lib. II contr. Eutychen.

Digitized by Google

thropophagos, hæmatopotas, Thyestas, carnifices, Christicidas, artolatras, impanati Dei cultores, abnegatores redemptionis per Christum factæ, Eutychianos, Swenckfeldianos, subversores complurium articulorum fidei, » etc. Atque hoc Sacramentariorum de fratribus suis Lutheranis judicium, hoc pacis et concordiæ conflictæ argumentum, hæc, si superis placet, jactata harmonia.

His autem excitati Lutherani, inquit ibidem Jezlerus, Zwinglianos vocarunt « convictos hæreticos, dæmoniacos, diabolo omni ex parte, ante, pone, supra, infra, intus, et extra obsessos, diaboli martyres, gladio potius magistratus civilis quam verbis refellendos, fugiendos ab omnibus bonis, annumerandos cum Anabaptistis, Nestorianis, Arianis, Turcis, omnium mortalium, quos unquam terra sustinuit, deterrimos, » etc. Quæ igitur inter hos concordia? quis evangelicorum et reformatorum fratrum Hugnosticorum consensus? quod unitatis et Christianæ apostolicæque charitatis vinculum? etc.

Duæ litatem quamdam. Delevimus « secundam, » auctoritate vet. cod. Et paulo post, pro « vocant aliquid, » reposuimus « vocat aliud; » sicut « diffinivit » pro « definit; » et paulo post, « emissas, » pro « demissas. » Præterea, « determinantem, » pro « determino autem; » et « illorum matrem, » pro « illum Nus a matre: » idque tam auctoritate veteris manuscripti codicis, quam Græcæ lectionis, et domini Billii commonitione instructi.

Pag. 53. *Falsi nominis Gnostici.* Hoc nomen Valentinianos sibiipsis indidisse ex 24 cap. hujus libri patet, idque ex omnium rerum amplissima notione, qua se præditos præ cunctis mortalibus jactabant, ut ait Clemens Alexand. lib. I *Pædag.* cap. 6. Hoc autem, quasi hæreditario jure ab omni ævo possident hæretici, ut speciosis titulis se suosque cœtus adornent. Simon se « virtutem Dei magnam » affirmabat; Montanus, « Paracletum Ecclesiæ promissum: — Noetus in eam dementiam delatus est, » ait Epiphanius [35], « ut se Moysen diceret esse, et fratrem suum Aaronem. » Manichæis frequenter exprobrat Augustinus [36], quod nomen « Manetis » eorum patriarchæ, ut apud Græcos significatio insaniæ vitaretur, geminata littera *n*, « Mannichæum, » quasi manna fundentem appellaverunt. « Magna quoque impudentia Novatiani sese Catharos, id est mundos et puros vocabant, » ait in eos scribens Epiphanius. Nostro vero sæculo et hanc avorum suorum philautiam pedibus et manibus sequuntur hæretici, dum suos hæresiarchas, « prophetas, apostolos, Paulos, et Elias, mundique hujus soles et luminaria: » et vicissim illi, « evangelicos, reformatos, sanctificatos ex utero (et quid non?), quos misere dementant, vocare non erubescunt.

Secundus autem. Hujus meminit Tertullianus libro *Præscriptionum*, dicitque paucis exceptis, cum Valentino consentire. Augustinus in hoc tantum distare scribit [37], quod opera turpitudinis adderet; Epiphanius vero, quod vocibus magis sonoris aures quidem suorum demulceret; sed omni ratione ex seminario diaboli erroris sui ornatum haberet omnium miserabilium miserrimus. Theodoretus libro primo *Hæreticarum fabularum*, pauciora recitat quam hic Irenæus.

Pag. 54. *Alius vero quidam.* Epiphanem istum vocant Theodoretus ac Epiphanius. Sed quam obscenum monstrum fuerit, et subita morte perierit, audire præstat ex Clemente Alexand. lib. III *Strom.*: « Hic autem Epiphanes, » ait, « filius erat Carpocratis, et matris Alexandriæ nomine; ex patre quidem Alexandrinus, ex matre vero Cephalenæus. Vixit autem solum septemdecim annis, et Samæ, quæ urbs est Cephaleniæ, ut Deus est honore affectus: quo in loco templum ex fugentibus lapidibus, altaria, delubra, musæum ædificatum est et consecratum: et cum est nova luna, convenientes Cephalenæi, natalem in deos relationem Epiphani sacrificant, libantque et convivantur, et hymnos canunt. » Et paulo ante: « Qui a Carpocrate et Epiphane descendunt, censent oportere uxores esse communes, a quibus in nomen (Christianum) maximum emanavit probrum. » Id autem luculentius sic exprimit Eusebius [38]: « Gentibus copiam et tanquam ansam præbuerunt sacro Dei verbo petulanter impieque obtrectandi, eo plane consilio, ut fama de flagitiosa istorum vitæ ratione passim dissipata, turpem ignominiæ notam universæ Christianorum multitudini inureret. Unde certe accidit, uti nefaria quædam opinio de nobis excitata per infidelium animos longe lateque pervaderet, quod videlicet nefando concubitu matres et sorores violare, tum etiam scelerato quodam alimenti genere uti non vereremur. »

Iu, iu! et pheu, pheu! Istas esse indignantium et dolentium, imo et demirantium nonnunquam exclamationes, aliquando solas, aliquando duplicatas pro subjecta affectuum materia, comicis simul et tragicis Græcorum usitatas notum est. In *Avibus* Aristophanis utramque eadem fere pagina reperias. In Sophoclis *Ajace*, utramque etiam; apud Euripidem ita frequens est, τοῦ, τό præcipue, ut notare supervacuum sit. Ideo autem de tragicis assumere maluit Iren. ut Valentinianarum opinionum portenta tanto majora ostenderet, quanto personarum et rerum gravitate comœdiam tragœdia superat. Nec erit alienum, hic Tertullianum appellare. « Cogor, » ait libro *Contra Valent.*, « hic quid ista nomina desiderent proferre de pari exemplo. In scholis Carthaginensibus fuit quidam rigidissimus rhetor Latinus, Phosphorus nomine. Cum virum fortem peroraret, Venio, inquit, ad vos, optimi cives, de prælio cum victoria mea, cum felicitate vestra ampliatus, gloriosus, fortunatus, maximus, triumphalis. Et scholastici statim, Familiæ Phosphori, φεῦ, acclamant. Audisti fortunatam, et Hedonen, et Aciuetum, et Teletum; acclama familiæ Ptolemæi φεῦ. Hoc erit Pleroma illud arcanum, divinitatis tricenariæ plenitudo. »

In eo enim. Expunximus « nemo. »

Pag. 55. *Nihil igitur prohibet.* Ridicula et anilia somnia hæc, et verba hæreticorum irrisurus beatus martyr, « etiam a seipso, » ait Epiphanius [39], « aliam nomenclaturam apposuit, velut dignam ad conferendam ipsorum nugacibus deliramentis, nimirum peponum et cucumerorum ac cucurbitarum generibus, » etc. Urbanis quoque et facetis verbis, aliquando hæresim suggillare operæ pretium judicavit Tertullianus. « Si ridebitur alicui, » ait [40], « materiis ipsis satisfiet, multa sunt sic digna revinci, ne gravitate adorentur. Vanitati proprie festivitas cedit. Congruit et veritati ridere, quia lætans; de æmulis suis ludere, quia secura est. Ubicunque dignus risus, officium est. »

Cum illa autem. Duodecim has voces, ut et paulo post alias octo, ex magnæ fidei veteri manuscripto exemplari adjecimus, quæ etiam litteram dilucidiorem faciunt.

Pag. 56. *O pepones sophistæ.* Versus est ex secundo lib. *Iliados* Homeri, quem æquo jure in eos usurpat, quo beatus Paulus Epimenidis, Menandri et Arati verbis aliquando usus est. Pepo, cucumeris genus est Plinio, magnitudine cætera excedens, concoctu difficile, sed maxime refrigerans et alvum emolliens. Πέπων translatitie Græci dicunt hominem fractum, effeminatum, dissolutum et mollem,

[35] Contr. Noetia. [36] L. de hæres., c. 46, et l. XIX contr. Faustum, c. 22. [37] L. de hæres. [38] Lib. IV Hist. eccles., cap. 7. [39] Contra hæres. 12. [40] Lib Contra Valent.

Digitized by Google

ut in supra scripto versu Homeri. Et alius, μαλθακωτέρα πέπονος συκοῦ μοι γέγονας, id est, *mollior mihi evasisti fico matura.* Hi siquidem Gnostici tam fœdis libidinibus seipsos conspurcabant, ut hominis detracto nomine, atrocioribus, dignis tamen, nomenclaturis impositis, Patres eorum institutum detestentur. Hinc beati Joannis auditor Polycarpus, Marcionem sibi obvium vocavit « Primogenitum Satanæ. » Iren. in sequentibus vocitat « apostatas veritatis, » et « serpentis advocatos; Pandoræ sophistas perversissimos; non homines, sed muta animalia, hominum umbras præferentes [41]. » Clemens Alexand. VII *Stromat.* : « Agrestes et inanes amygdalas, adulterantes veritatem; regulæ Ecclesiæ fures, principes ac duces mysteriorum impiorum, animalia immunda, quæ bifidas quidem habent ungulas, minime autem ruminant. » Et his antiquior Ignatius : « Vaniloquos, mentis seductores, Christum mercantes, verbi evangelici caupones, sycophantas, fructus mortiferos, progeniem maledictam, inimicos crucis Christi, ramos eorum, qui Dominum gloriæ occiderunt, prophetarum interfectores, malas herbas, feras homicidas, sementum diaboli nequam, inimici seminarium, cippos et sepulcra mortuorum, malos operarios, canes multos, serpentes se contrahentes, dracunculos squamosos, aspides, basiliscos, scorpiones, thoes astutos, et simias hominum imitatrices [42]. » Et Clemens Roman. : « Non homines, sed feras crudeles in humana figura, lupos perniciosos, diaboli organa, et iræ filios [43]. » Tam obscœnas siquidem et exsecrandas illorum impudentias fuisse refert Epiphan. lib. *Contra hæres.* 26, ut vix, ac ne vix quis legere valeat sine gravi animi indignatione, et ob has tam monstruosa nomina merito sortitos dicit, ut « Borboriani, Coddiani, Stratiotici, Phibionitæ, Barbelitæ, Barbeliotæ » vocarentur : cui facile subscribit Theodoretus lib. I *Hæret. fabularum.*

Ex adnotationibus Joan. Ernesti Grabii in cap. 5.

Pag. 22. *Ὁ μὲν γὰρ πρῶτος.* Hæc verba cum sequentibus, ἀπὸ τῆς Γνωστικῆς αἱρέσεως, construxere Blondellus et Ballæus, ut 45 probarent Valentinum ex illa Gnosticorum hæresi primum fuisse, qui dogmata hoc capite ab Irenæo recensita tradiderit, indeque *Epistolam* S. Ignatii *ad Magnesianos*, qua Sige hæreticorum perstringitur, Valentino recentiorem ac spuriam esse evincerent. Sed bene responderunt doctissimi viri, Pearsonius part. II *Vindiciarum epist. S. Ignatii*, cap. 6, prope finem, et Cotelerius in Not. ad dictam S. Ignatii epistolam, πρῶτος non ad proxime sequentes hujus periodi voces referendum esse, sed ad præcedentes : « Videamus nunc et horum inconstantem sententiam, cum sint duo vel tres, δύο που καὶ τριῶν ὄντων, quemadmodum de iisdem non eadem dicunt, » etc. Unde pergit : ὁ μὲν γὰρ πρῶτος, « qui enim primus est, » nempe Valentinus; post quem sequitur ὁ Σεκοῦνδος, item ἄλλος δὲ Ἐπιφανής, et ἄλλοι δέ. « Secundus, Epiphanes, alii etiam, » etc. Atque horum « princeps » utique erat Valentinus; at non absolute primus dogmatum illorum inventor, nec Gnosticorum choragus, sed horum potius successor, ut ex hoc ipso, et pluribus aliis Irenæi locis probavit laudatus Pearsonius, adducens quoque testimonium Eusebii lib. II *De ecclesiastica theologia*, Simonem facientis τῶν ἀθέων αἱρεσιωτῶν ἀρχηγὸν, ὃς, τὰ ἄθεα δογματίζων ἀπεφαίνετο λέγων· Ἦν Θεὸς καὶ Σιγή, « impiorum hæreticorum principem, qui impia dogmatizans pronuntiavit, dicens : Erat Deus et Sige. » Contra quod excepit quidem Laroquanus, ista periphrasi non Simonem, sed Valentinum ab Eusebio indigitatum esse. Sed optimus suorum verborum interpres est ipse Eusebius lib. II *Hist. eccles.*, cap. 15, scribens : Πάσης μὲν οὖν ἀρχηγὸν αἱρέσεως πρῶτον γενέσθαι τὸν Σίμωνα παρειλήφαμεν. « Sane omnis hæreseos ducem primum fuisse hunc Simonem accepimus. »

Ἀρχὰς εἰς ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλείου μεθαρμόσας. Billius ex veteri interprete reponi vult ἀρχαίας διδασκαλίας. Sed lectionem Epiphanii egregie defendit clariss. Dodwellus Dissert. 4 in Irenæum § 13. Quippe ἀρχάς, id est « principia » doctrinæ Valentinianos a Gnosticis mutuatos esse, utique Irenæus scripsisse colligitur ex parallelo loco lib. II, cap. 18. « A quibus (Gnosticis) et hi (Valentiniani) init a emissionum (ἀρχὰς προβολῶν) accipientes convicti sunt in primo libro. » Similiter ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλείου, phrasim Irenæo usitatam fuisse indicant verba ejus de Basilidianis, infra cap. 23. « Illorum (astrologorum) theoremata accipientes, in suum characterem doctrinæ transtulerunt. » Et de Tatiano c. 31 : Ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλείου συνεστήσατο, « proprium charakterem doctrinæ constituit, » ut iterum vetus interpres haud accurate reddidit, quia vox διδασκαλεῖον, « scholam » proprie, non « doctrinam » denotat. Cæterum et de verbo μεθαρμόζειν ejusque sensu plura vide apud laudatos D. Dodwellum § 12, et Pearsonium loco supra citato.

Ἐξηροφόρησε. « Corrupta vox, » inquit Petavius, « in qua divinationem experiri non vacat. » Experti sunt alii in diversa abeuntes, quorum varias conjecturas recenset, et suam denique subjungit Pearsonius dicto loco ita scribens : « Hammondus legit ἐξεφόρησεν, Isaacus Vossius, leviori mutatione, ἐληροφόρησε. Sed Billius putat veterem interpretem legisse ἔφη. Ego potius existimo, veterem interpretem eam quam ipse legit, vocem minime intellexisse, ideoque omisisse, quod id salvo sensu fieri posse putavit. Vetustissimam igitur lectionem sentio fuisse ἐξηροφόρησεν, et fortasse ab ipso Irenæo profectam; nam ξηροφορεῖν idem significare potest, quod aliquid enarrare ξηραῖς λέξεσιν, ut Græci loquuntur. Accedit alia Cotelerii sententia, qui ἐψηφοφόρησε loco citato legere amat. Ego aut ἐξηροφόρησε retinendum; aut si hoc nimis durum videatur, ἐληροφόρησεν cum Vossio legendum puto, non solum quod hæc levissima sit mutatio, sed et quod sub finem hujus capitis sequatur exclamatio : Ὦ ληρολόγοι σοφισταί, « O pepones sophistæ. »

Εἶναι δυάδα. Τινά ex veteri interprete addi vult Bill., sed non necesse est, saltem parum refert. Cæterum de Valentino Tertullianus quoque lib. I *Contra Marcionem*, c. 5 : « Valentinus ausus est deos concipere, Bythum et Sigen, cum usque ad triginta Æonum fetus, tanquam Æoniæ scrophæ examen divinitatis effudit. »

Ποτὲ δὲ ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου. Huc respexit Tertull. lib III *Adversus Marc.*, c. 10, scribens : « Unum potest angustiis tuis subvenire, si audeas aut Deum tuum Patrem Christi hominem quoque cognominare, quod de Æone fecit Valentinus : aut Virginem hominem negare, quod nec Valentinus quidem fecit. » — « Christum » vero pro « Jesu » hic dixit Tertullianus.

Τὴν μὲν μίαν φῶς, τὴν δὲ ἄλλην σκότος. Epiphanius igitur Irenæi verba ita accepit, quasi dextra quaternatio a Secundo dicta fuerit « lumen; » a sinistra « tenebrarum » nomine indigitata fuerit. Et ita quoque Tertullianus lib. *Contra Valentinianos* : « Secundus, » inquit, « ogdoadem in duas tetradas dividens, in dextram et sinistram, in lumen et tenebras. » Unde ex his declaranda obscura satis versio Irenæi, ut et explicanda sive corrigenda verba Theodoreti lib I *Hæret. fabul.*, cap. 8 : Διχῆ τὴν ὀγδοάδα διεῖλε, καὶ τὸ μὲν αὐτῆς ἐκάλεσε δεξιὸν, τὸ δὲ εὐώνυμον· καὶ προστέθηκε φῶς καὶ σκότος. « Bipartito divisit ogdoadem, et unam illius partem

[41] Irenæus lib. III, cap. 3, et lib. III, cap. 39, et lib. IV, c. 2 et 60. [42] Ep. ad Tral. et ad Philad. et ad Antioc. [43] Lib. II Const. cap. 24, et lib. VI, cap. 10.

Digitized by Google

dextram vocavit, alteram sinistram; adjecitque lumen et tenebras. » Primo enim intuitu hæc videntur lumen et tenebras a duplici tetrade distinguere.

Ἀλλά. Adde, τῶν χαρτῶν αὐτῶν, quæ textui inserere nolui, quia apud Epiphanium non exstant.

Alius vero quidam, qui et clarus, etc. Hunc Epiphanem fuisse, ejusque dogmata hic ab Irenæo recensita esse, ei qui textum nostrum bene consideraverit, observare in promptu est. Placet autem hanc observationem proponere verbis doctissimi D. Dodwelli Dissert. 4 in Irenæum, § 25, ita scribentis: Secundo proximum Epiphanem noster quoque recenset Irenæus, si tamen Græca ejus recte constituantur. Sic habet locus in veteri interprete: « Alius vero quidam, qui et clarus est magister ipsorum, » etc. Hujus ἀποσπασματίου Græca omisit Epiphanius. Sic autem reddit in codicis sui margine cl. Pearsonius: Ἄλλος δέ τις, ὁ καὶ Ἐπιφανὴς, διδάσκαλος αὐτῶν. Acutissime simul, et, ut puto, verissime. Ad « hominis » nomen allusit Irenæus in voce ἐπιφανής, quam tamen allusionem cum non intelligeret interpres, nomen hominis ita obscuravit, ut nullum possit ex hoc loco colligi. Quid vero hoc in eo miremur, cum eodem etiam lapsus fuerit errore Tertullianus lib. *Contra Valentinianos*, cap. 37, quo loco nostri (Irenæi) hunc ipsum etiam locum excerpsit? Sic enim reddidit: « Insignioris apud eos magistri. » Corrupto nimirum similiter « proprio » hominis nomine in « appellativum. » Recte vero nostri (Irenæi) sententiam accepisse « Cestriensem » non modo inde colligo, quod soleant veteres primariis Valentinianæ sectæ hæresiarchis Epiphanem accensere, proximumque Secundo, ut noster fecit Irenæus, numerare, ut ex Epiphanio discimus: sed et quod quæ « claro » illi, quem volunt, « magistro » tribuit Irenæus, in Epiphanem aptissime conveniant. Hæc clariss. Dodwellus.

Ἡ ἐρότης, ἥ τε μονότης. Hæretica voce, orthodoxa autem mente, de vero Deo cecinit Synesius Hymn. I, v. 58 seq.:

Ἑνοτήτων ἑνὰς ἀγνὴ,
Μονάδων μονάς τε πρώτη.

Unitatum unitas sancta,
Monadum monas prima.

Μονάδα καλεῖ. Epiphanem μοναδικῆς γνώσεως auctorem fuisse, testem habemus Clementem Alexandrinum lib. III *Strom.* Equis est, quin videat, ab hac monotete, vel monade γνῶσιν illam venisse μοναδικήν? « Gnosin » a præceptore Valentino accepit Epiphanes. « Monotes, » vel etiam « Monas » (hæc scilicet nomenclatura), proprium ejus erat inventum: unde ille merito pro μοναδικῆς γνώσεως auctore celebratus est. A Patre Carpocrate institutus est in ἐγκυκλίῳ παιδείᾳ et Platonicis iste filius Epiphanes. Frequens autem est in theologia Platonica mentio vocis istius utriusque, et diversa etiam forma, tam μονότητος, quam etiam μονάδος. Pro linguæ tamen Græcæ genio forma μονάδος accuratior est: unde fluxerit γνῶσις ista μοναδική. Hæc supra laudatus D. Dodwellus loco mox citato.

Ἀῤῥενόθηλυν. Hæc iterum more suo haud adeo laudabili imitatus Synesius, de vero Deo ita cecinit, hymn. II, v. 65 seq.:

Σὺ πατὴρ, σὺ δ' ἐσσὶ μάτηρ,
Σὺ δ' ἄῤῥην, σὺ δὲ θῆλυς,
Σὺ δὲ φωνά, σὺ δὲ σιγά.

Tu pater, tu es mater,
Tu mas, tu femina,
Tu vox, tu silentium.

Hymn. III, v. 186:

Θῆλυ καὶ ἄῤῥεν·
Μύστας δὲ νόος

Τά τε καὶ τὰ λέγει
Βυθὸν ἄῤῥητον.

Femina et mas:
Mystica autem mens:
Hæc atque illa dicit
Profunditatem ineffabilem.

Scholia Billii in cap. 6.

Et affectiones. Apud Epiph. legendum διαθέσεις, non διαθέσεσι. Atque hic quædam sunt in Græco, quæ non habentur in veteri translatione, nempe, καὶ τὴν μὲν ἔννοιαν ἀεὶ συνυπάρξασαν ἐν αὐτῷ ἐννοουμένην ἀεί τι προβαλέσθαι, τὸ δὲ θέλημα ἐν αὐτῷ ἐπιγινόμενον· id est « ac cogitationem quidem semper una cum ipso exstitisse, cogitantem aliquid proferre, voluntatem vero ipsi adventitiam fuisse. »

Veritatis ortus. Pro τῇ προβολῇ, lego ἡ προβολὴ ex vet. interpr.

Prodisse. Προελθεῖν.

Nun cogitationis. Idem hoc loco est νοῦς, qui Monogenes.

Ac propterea adveniente voluntate. Pro διὰ τούτου, lego cum vet. διὰ τοῦτο. Addo autem ἐπιγινομένου (quo verbo superius quoque utitur auctor), quia vetus interpr. habet « adventitiæ. »

49 *Ingenitæ cogitationis.* Pro οὐσίας apud Epiphan. reponendum est ἐννοίας, ut perspicue sensus postulat.

Non gradatim. « Quanto meliores, inquit Tertull., qui totum hoc tædium anoluti, nullum Æonem voluerunt alium ex alio per gradus revera Gemonios structum, sed mappa, quod aiunt, missa, semel octojugem istam ex Patre, et Ennœa ejus exclusam. »

Seipsum ostendere. Ἑαυτόν lego cum vet. Tertullianus autem, « cum semetipsum voluit probare. »

Locutus est homo Sermonem. Addo ἐλάλησε in Græc. ex vet. interp. atque etiam ex ipso Tertull., qui tamen videtur legisse ἤχησε. Vertit enim, « sonuit. »

Notæ ex adversariis Front. Ducæi in cap. 6.

Pag. 56. *Ennœan et Thelesin.* Apud Epiphanium in hæres. 33 videmus has voces, θέλημα et θέλησιν usurpari ἀδιαφόρως. Tertull. « Cogitationem et voluntatem » Latine dixit cap. 33 *Adv. Valent.*

Pag. 57. *Qui autem prudentiores.* Hæc Epiph. hæresi 35 Colorbaso quidam attribuit, et cum secutus Theodoretus libro primo *Hæreticarum fabularum*, Colorbasiis: et Tertull. cap. 36 *Adv. Valent.*: « Quanto meliores qui semel octojugem istam ex Patre et Ennœa ejus exclusam voluerunt. Colorbasum idem nominat *De præscription.* capite 15, cum nostro interprete Iren. cap. 10, lib. I. Multa hic sunt ἀναχόλουθα, si ad Græcorum sententiam examinentur, quam eleganter expressit Billius; ad verbum dicendum fuisset, emissionem Æonum simul emissam esse, vel procreatam.

Non videntur tibi hi. Hæc ex eodem Epiphanio deprompta sunt, in quibus licet ipsa verba non proferat Irenæi, tamen ab ejus sententia non multum discedit. Correximus autem in Cornarii interpretatione quæ videbantur corrigenda, ex vet. interp. ex quo et pro τοῦτο et ὁ καί, legendum τότε εἰ ὅτι. Unde constat etiam recte a doctissimo Feuardentio quatuor illas voculas ex veteri codice adjectas esse: nec expunximus illud φῶς, tametsi abest a veteri, « lux, » quomodo scripsit Cornarius, non, « lex. »

Porro non video cur hic B.lius vertat « omnes Æonas, » pro « sex Æonas, » sic enim Græce Epiphanius, τὴν τῶν ἓξ Αἰώνων προβολήν· licet enim Tertullianus octojugem nominet, tamen id fit, quia parentes numerat cum liberis. Certe Græca Epiphanii secutus est hoc loco Billius, cum tamen, judicio quidem nostro, ex veteri interprete Græca

Digitized by Google

fuerint emendanda. Plane enim opponi videntur hi Colorbasii Valentinianis : nam illi quidem, ut leges libro primo, capite primo, de Logo et Zoe emissam secundam conjugationem volebant, Hominem scilicet et Ecclesiam : at isti contra, inverso ordine, ex Anthropo et Ecclesia Logon et Zoen : id adeo quæ sequuntur docent : « Locutus est Anthropos Logon, hic est primogenitus filius ; subsequitur Logon Zoe. » Ac Pamelius quidem in Tertull. corrigendum esse vult Epiphanium, ita ut legatur, « sed velut alii volunt, » pro « aut velut alii volunt ; » sic enim verterat Cornarius, καὶ ἐξ ἀνθρώπου, ὡς οἱ ἄλλοι · nobis tamen videtur illud, ὡς οἱ ἄλλοι, scribendum post καὶ ἐκκλησίαν, ut Valentiniani designentur, ac deinde, ἀλλ' ἐξ ἀνθρώπου.

Pag. 58. *Vera fuerunt.* In Græco legendum, ἃ προεβάλετο ἀληθῆ ἦν. Tertull. quoque : « Cum protulit, quia vera protulit, hic veritas appellata est. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 6.

Pag. 56. *Hi vero.* Persequens mutuas pugnas et contradictiones Gnosticorum, docet illos Deum verum in poeticum (qui variis conjugiorum, affectuum, et mutationum passionibus subjiciatur) transmutare : cum tamen Deus verus ineffabili sapientia cuncta noverit, et voluntate immutabili omnia possit atque perficiat. Ad hunc certe locum respexit Cyrillus Hierosol. cum scripsit [A]: « Deus non ex parte videns est, ex parte autem visione privatus : sed totus oculus, totus auditus, et totus mens, » etc.

Ennœa. Delevimus « Ennœa, » auctoritate vet. codicis.

Pag. 57. *Homerici Jovis.* Locus est apud Homerum *Iliad.* II :

Ἄλλοι μὲν ῥα θεοί τε, καὶ ἀνέρες ἱπποκορυσταὶ
Εὗδον παννύχιοι. Δία δ' οὐκ ἔχε νήδυμος ὕπνος,
Ἀλλ' ὅγε μερμήριζε κατὰ φρένα, ὡς Ἀχιλῆα
Τιμήσῃ, ὀλέσῃ δὲ πολέας ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν.

Sic nos utcunque carmine reddidimus :

Jamque alii placida divique hominesque quiete
Gaudebant : sed enim vigilans tum Jupiter unus,
Mente volutabat clarum qui reddat Achillem,
Et cadat ad classem Græcorum multa virum vis.

Ideo autem ultimum versum ambigue extulimus, quod consultus Eustathius ista moneat : Ὅρα δὲ τὸ πολέας, σχῆμα γὰρ ἀμφιβολίας ποιεῖ· ἄδηλον γὰρ εἴτε πολλοὺς τῶν Ἀχαιῶν ὀλέσῃ, ὧν ὀλλυμένων ἐτιμᾶτο Ἀγιλλεύς, εἴτε πολλοὺς Τρῶάς τε καὶ Ἕλληνας, ἐπὶ ταῖς ναυσὶ Ἀχαιῶν, ὅπερ κάλλιον. Id est : « Adverte autem ad πολέας; quod « multa virum vis » reddidimus ; habet enim figuram amphibologiæ : quia incertum multosve Græcorum, quorum nece honorabatur Achilles, an multos Trojanorum simul et Græcorum, ad Græcorum naves (quod melius est) perditurus sit. » Beatus Irenæus eum sensum secutus est, qui vel Eustathio ipsi melior videtur, nisi dicas post « perdere, » deesse « ad naves, » ut apud eumdem etiam Homerica servetur ambiguitas : quod subtilius forsan quam verius excogitatum putem, cum id non doceat vetus codex, et ad Homeri locum allusisse potius, quam ejus verba usurpasse videatur. Epiphanius adversus Ptolemaitas, Irenæi sententiam pluribus verbis et apertioribus explicat.

Tunc cogitans cum vult. Quatuor has voculas ex veteri codice adjecimus. Concinne autem quatuor axiomatibus, quæ de infinita Dei omnipotentia didicerat a Polycarpo, et aliis apostolorum auditoribus, explicat, adversus Gnosticorum impia figmenta, qui illam certis limitibus coercebant, admittentes Deum quidem omnipotentem esse, sed eorum, quæ ei subjacebant : multa eumdem subterfugere putantes, ut ex superiori capite colligitur. Sagaciter enim animadvertebat hic B. martyr, Deum Patribus, ne ad promissa ejus et jussa capessenda trepidarent, omnipotentiam suam proposuisse; apostolos quoque prætermissis boni, justi, misericordis, et variis aliis, hoc unum Dei Patris epithetum credendum initio Symboli affixisse; demumque hujus immensæ virtutis fidem, totius religionis Christianæ basim esse, quæ si aliquatenus vacillet, totum corruere Evangelium necesse sit. Judicent igitur quorum dogmata amplexentur nostri sæculi Sacramentarii, qui ut suas opiniones tueantur de absentia corporis Christi, summa cum divinæ majestatis blasphemia plurima eum posse facere pernegant. Quin et eo furore agitantur ut reclamantibus omnibus Scripturis, miraculis, et operibus divinis, Deum ipsum præter ejus quam creavit naturæ leges, quidquam operari posse inficientur. An non hoc est Gnosticum et Valentinianum, vel potius atheismum buccis inflatis personare? Salubrius multo Virginem percunctantem quanam arte viro non agnito pareret, Angelus jussit attendere, non esse impossibile apud Deum omne verbum. Huc pertinent et istæ Scripturarum voces : « Nunquid manus Domini invalida est? Subest tibi, cum volueris, posse. Non est abbreviata manus Domini : sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea. » Num supra naturæ leges, limum in carnem; carnem in statuam convertit? Aridam virgam florere, solem cursum sistere, brutum humana verba usurpare, flammas aliis parcere, alios devorare jussit?

Pag 58. *Modum.* Ita vetus codex; excusi habebant « mundum.

Ex adnotationibus Jo. Ernesti Grabii in cap. 6.

Ὁ Πτολεμαῖος. Græca Irenæi verba hæc forte fuerunt : Οἱ δὲ περὶ Πτολεμαῖον ἐμπειρότεροι, δύο συζύγους ἔχειν αὐτὸν τὸν Βυθὸν λέγουσι, ἃς καὶ διαθέσεις καλοῦσιν, Ἔννοιάν τε καὶ Θέλησιν. Loco vero horum Epiphanius hæres. 33, § 1, hæc habet : Οὗτος τοίνυν ὁ Πτολεμαῖος, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ, ἔτι ἐμπειρότερος; ἡμῖν τοῦ ἑαυτῶν διδασκάλου προελήλυθε..... δύο γὰρ οὗτος συζύγους τῷ Θεῷ, τῷ παρ' αὐτοῖς Βυθῷ καλουμένῳ, ἐπενόησέ τε καὶ ἐχαρίσατο. Ταύτας δὲ καὶ διαθέσεσιν (lege διαθέσεις) ἐκάλεσεν, Ἔννοιάν τε καὶ Θέλημα. « Hic ille cum suis Ptolemæus, iis quos præceptores habuit, sapientior evasit [AA]... Etenim Deo, quem illi Bythum appellant, conjuges duas a se inventas attribuit, quas et Affectiones nominavit, Cogitationem videlicet ac Voluntatem. »

Pag. 57. *Τοῦ μὲν θελήματος*, etc. Hæc, perverso ordine in Epiphanio posita, ita lege : Τοῦ μὲν θελήματος τὸν Νοῦν, τῆς δὲ ἐννοίας τὴν ἀλήθειαν. Cæterum idem hoc loco est Νοῦς, qui « Monogenes, » prout notavit Bill.

Τοῦ θελήματος..... ὁ δὲ θῆλυς τοῦ θελήματος: Τοῦ θελήματος posteriori loco dele, et præcedentia ex veteri versione ita corrige : τοῦ θελήματος μὲν ἄῤῥην εἰκὼν γέγονεν, ὁ δὲ θῆλυς τῆς ἀγεννήτου ἐννοίας. Ita enim legendum, apertissime demonstrat mox addita ratio, quod Voluntas virtutem pariendi Ennœa dederit. Unde et Tertullianus eodem modo cap. 33 posuit : « Ad imaginem quidem Cogitationis, feminam Veritatem ; ad imaginem Voluntatis, marem Monogenem, » continuo addens : « Voluntatis enim vis, uti quæ effectum præstat Cogitationi, maris obtinet censum. »

Τὸ θέλημα τοίνυν. Dele τοίνυν, et lege ὅτι τὸ θέλημα.

50 *Scholia Billii in cap* 7.

Pag. 58. *Patris gloriam.* Addo in Græc. hæc verba ex vet., διὰ τούτου δοξάζειν τὸν Πατέρα.

Pag. 59. *Ob eumque causam.* Hic quoque add.

[A] Catech. 6. [AA] Legendum Græce : τῶν ἑαυτοῦ διδασκάλων, vel Latine : *illo quem præceptorem habuerunt.* EDIT.

Digitized by Google

ex vet. hæc. verba, καὶ διὰ τοῦτο λόγον, καὶ ζωὴν λέγεσθαι αὐτόν.

Avita nomina. Προγονικά. Delendus est in Græco articulus τά.

Ex Homine... Ecclesia. Apud Epiphanium pro Ζωῆς, legendum Ἐκκλησίας.

Sese. Addendum ἑαυτόν in Græco.

Hominis nepotem. Ἀπόγονον.

Qui fulciendi Pleromatis. Corrigenda sunt Græca apud Epiphanium ex vet. interp. ac sic legendum, τῶν εἰς στήριγμα τοῦ Πληρώματος προβεβλημένων.

Notæ ex adversariis Front. Ducæi in cap. 7.

Pag. 58. *Quapropter beneplacitum.* Græc., εὐδοκητὸν καλεῖσθαι : unde apud Theodoretum corrigendum est illud Eudochiteon, hoc est complacendum, et scribendum, Eudocetum, εὐδοκητόν, hoc est beneplacitum, vel complacitum. Sed ibidem legimus, ut apud Epiphanium, Servatorem factum ad Pleromatis stabilimentum : hoc tamen apud utrumque emendandum est, ut ex Tertulliano constat cap. 39 : « Alii a Christo et Spiritu sancto constabiliendæ universitati provisis conflictum. » Sic cap. 1, sub finem, τὸν Χριστὸν εἰς ἐπανόρθωσιν τοῦ Πληρώματος προβεβλημένον. Denique in Græco videtur legendum, ἑαυτὸν ὁμολογεῖν, cum vetus habeat, « se confiteri. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 7.

Pag. 56. *Multa autem pugna apud eos.* Diversas illorum sententias de Salvatoris nostri æterna generatione, quam silentio potius adorare, quam curiosius investigare debuissent, paucis enumerat [48]. Observa quam vere dixerint, multifidas falsitatis semitas esse, ubi semel a veritatis regula recesseris : ac eorum qui blasphemiis gaudent, varios cuneos, et diversa multum blasphemiarum jacula. Mendacium enim multiplex et varium : sed veritatis gratia simplex est. « Talis est vecordia, » ait ad Cledonium Nazianzenus, « ut secum ipsa, et cum veritate pugnet. »

Pag. 59. *Et propter hoc Logon*, etc. Christum Dominum ea tantum ratione Logon dicebant, quod a decem illis sæculis, quæ Logi et Zoes tertia illa conjugatio genuerat, emissus esset : personam divinam æternamque una cum Patre fuisse, ut initio Evangelii docet B. Joannes, vel inficiari, vel obscurare satagentes. In hoc autem ut Judæorum impietatem sectabantur Gnostici, sic Arianorum et Mahumetis blasphemiis seminaria præbuerunt. Nostra porro ætate, qua ab Orco omnium priorum sæculorum sordes revocare conatur Satanas, Servetus Genevæ, Stancarus in Polonia, et Matthias Flaccus Illyricus in Germania, idem virus spargere conati sunt. Hic siquidem Filium Dei per quamdam metaphoram λόγον vocari, simili Hebraismo quo Baptista Vox nominatur, asseruit : et nunquam in Scripturis sacris divinæ Trinitatis hypostasim significare, ut ante aliquot annos ex Melanchthonis epistola ad M. Warnerum evicit Fridericus Staphylus, parte II *Epitomes sectæ Lutheranæ ;* et post eumdem abundantius ex Georgii Majoris scriptis, academiæ Wittembergensis censura, et Mansfeldensi confessione, gravissimus et catholicus scriptor Lindanus, dialogo 2 *Dubitantii ;* et lib. I *De tranquillitate animi.*

His. Expunximus « ii. »

Propter hoc Filium hominis se confiteri. Quorum sententias tertio et quinto ordine recitat, circa temporalem Domini ex B. Virgine conceptionem et natalem, fusius describit et confutat lib. III, c. 18, 26, 27, 28, 32, etc., ostendens eum ea ratione « Filium hominis » se fateri, quod juxta prophetarum oracula, veram carnem ex Maria Deipara Spiritu sancto cooperante assumpserit. Justini etiam martyris verba super hoc nomine addere libet [49] : « Filium hominis, inquit, seipsum dicebat, vel quia natus de Virgine oriunda a Davide, Jacobo, Isaaco, Abrahamoque : vel quia ipse Abraham etiam reliquorum deinceps pater est, ex quibus Mariæ stirps exinde deducitur. Scimus enim patres filiarum, etiam liberorum patres esse, quos illæ pariunt. — Cur homo Christus, » ait Tertullian. [50], « et Filius hominis, si nihil hominis, et nihil ex homine ? N.si si aut aliud est homo quam caro ; aut aliunde caro hominis quam ex homine, aut aliud est Maria quam homo. »

Cæterum a doctis viris Pamelio ac Frontone moniti, sequenti linea, « iis qui ad firmamentum Pleromatis, » substituimus, pro, « eorum qui, » etc.

Et propter hoc Christum vocari eum dicunt. Septem has voces ex manuscripto veteri codice merito adjecimus. Cæterum de Christi appellatione varia istorum somnia infra describit cap. decimo Tertullianus : id nominis non ex natura, sed ex dispositione venire ; nec proprium esse, sed appellationem, qua unctus dicitur ut vestitus ; ipsumque ad humanam naturam pertinere scribit. « Hinc Christus, » ut idem alibi ait, « dicitur a chrismate, quod est unctio, quæ Domino nomen accommodavit, facta spiritalis, quia unctus est a Deo Patre oleo lætitiæ præ participibus suis [51]. — Unctus estautem, non ut Deus, sed ut homo, » scribit Theodoretus, « et post incarnationem Christus nominatus est. » Cui penitus consona habet Vigilius martyr lib. IV, *Contr. Eutychen.* Hoc autem nomen commune regibus, prophetis, et sacerdotibus fuisse, idem testatur. Cum igitur Salvator noster horum omnium partes susceperit, et ad has obeundas cælestis Patris virtute uberrima, scilicet Spiritus sancti gratia, in animam ejus effusa delibutus fuerit, merito Christus dicitur, non a Pleromate, vel quibusdam Æonibus, ut isti fanatici perperam somniant.

Ex adnotationibus Jo. Ernesti Grabii in cap. 7.

Pag. 59. *Ηὐδόκησε.* Hic adde ex Theodoreti lib. I *Hæret. fabul.*, c. 12, δι' αὐτοῦ δοξάσαι τὸν Πατέρα. Quippe negligens scriba integram in Epiphanii textu lineam omisisse videtur.

Προβεβλῆσθαι αὐτὸν λέγουσι. Tria ista verba Irenæus lectori reliquit subintelligenda, addidit autem hoc loco sequentia : Καὶ διὰ τοῦτο λόγον καὶ ζωὴν λέγεσθαι αὐτόν.

Εἰς στήριγμα, etc. Legendum esse, τῶν εἰς στήριγμα τοῦ Πληρώματος προβεβλημένων, bene monuit Billius, idemque confirmavit Fronto Duc. verbis Tertulliani cap. 39 : « Alii a Christo et Spiritu sancto constabiliendæ universitati provisis conflictum. » Neque dubitabit ultra, qui supra cap. 1, § 4, pag. 13, lin. 13 (cap. 2, n. 5, pag. 11) legerit. Non tamen id scribæ, sed ipsius forte Epiphanii, Irenæum perperam intelligentis, fuit erratum, perinde ut Theodoreti loco citato scribentis : Ἄλλοι δὲ ὑπὸ Χριστοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος εἰς στήριγμα τοῦ Πληρώματος γεγονέναι, etc. Qui idcirco ambo ad rectum revocandi sunt sensum.

Ἄνθρωπον λέγουσι καλεῖσθαι. Fallor an « Anthropiani » inde dicti sint, quorum solus quod ego sciam, S. Cyprianus epist. 73 meminit, eos cum Patripassianis et Valentinianis jungens.

Scholia Billii in cap. 8.

Hoc caput apud Epiphanium paulo aliter habetur, quam apud Irenæum.

Pag. 60. *Persuasit.* In Græc. pro προσέχειν αὐτῷ, desideratur aliquod verbum, forte ἐποίησε, vel ἔπεισε.

Notæ ex adversariis Front. Ducæi in cap. 8.

Pag. 59. *Ad se convertit.* Cum sit Græce προσ-

[48] Theod. lib. II de cura Græ. affect. et ser. I de Provi. [49] In dialog. et quæst. 66 ad orthodoxos. [50] Lib. de carne Christi. [51] Isa. LXI, 1 ; Luc. IV, 18 ; Psal. XLIV, 8 ; Hebr. I, 9 ; Act. IV, 27.

Digitized by Google

ἔχειν αὐτῷ, legendum hic videtur, « ad se converti velut ad scientissimum, etc., locis habentem fecit, » et Græc. προσέχειν αὐτῷ ἐποίησε, ad se converti fecit. Porro vocem, « perfectissimum, » si e Græco vertit, non de suo addidit interp., legendum est, ὡς γνωστικωτάτῳ καὶ τελειοτάτῳ. Ita dixit ante cap. 5, ἵνα τελείων τελειότεροι φανῶσιν ὄντες, καὶ γνωστικῶν γνωστικώτεροι ; vet. interpr., « ut perfectorum perfectiores, » Hellenismo, pro « perfectis perfectiores. » Cæterum hæc ad verbum reddita habes apud interpretem Epiphanii sub initium hær. 34.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 8.

Pag. 59. *Alius vero quidam.* Hujus Marci meminerunt Tertullianus lib. *Præscript.* et Theodor. lib. I *Hæret. fab.* paucis omnes illius præstigias complectentes : fusissime autem omnium Epiphan. lib. I, tom. III, hæres. 34, sectam Marcosiorum ab eo eductam, et eum præter Valentinum, Secundum, Ptolemæum et Epiphanem multa mala in Creatorem evomuisse.

Pag. 60. *Et ab innarrabilibus locis.* Delevimus « Legis, » et has quatuor voces ex veteri adjecimus, his verbis subscribente Epiphanio lib. I, hæres. 34 : « Ut stupore attonitos rudiores ad sese suspiciendum, tanquam cœlitus delapsum doctorem converteret, virtutem maximam ab invisis, cœlestibus, et innominatis locis se recepisse, sceleratus impostor jactabat. Simili vesania non tantum virtutem, sed et librum e cœlis delapsum se habere et circumferre prædicaverunt, Origenis tempestate, Melcæsaitæ [49] : quem qui legisset et credidisset, aliam longe remissionem peccatorum 51 acciperet ab ea, qua Christus peccata remisit.

Præcursor quasi vere exsistens Antichristi. Hoc eumonio non tantum Irenæus suos Gnosticos frequenter et jure exornat, sed et quotquot contra hæresiarchas manibus conseruerunt [50]. Sicut enim varia sæculorum revolutione, varii prophetæ verbis scriptis et rebus gestis verum Christum annuntiabant, ideoque nuntii et antecursores illius vocantur : sic illo perditionis vium parant quotquot contra Christum et Ecclesiam ejus eriguntur, et ab apostolo etiam « Antichristi » nuncupantur, I Joan. II et IV. Constantium imperatorem, quod hæresi Arianæ faverat impensius, Arianisque ecclesias tradi jussisset, apertis verbis « Antichristum » vocant Athanasius epistola ad solitariam vitam agentes ; et Hilarius, tribus ad illum libris. Pari contentia eumdem illum paucis pagellis plus decies « Antichristi præcursorem, umbram, errorum, satellitem, spiritum et simulacrum appellitat » Lucifer Calaritanus lib. *De non parcendo in Deum delinquentibus.* Ambrosio quoque [51] « Antichristus » fuerunt Arius, Sabellius, et omnes qui prava interpretatione simpliciores seduxerunt, quod et aliquot ante eum sæculis scripserat Origenes homil. trigesima in Matthæum.

Anaxilai ludicra. Quis hic fuerit Anaxilaus affirment alii, ego tantum conjecturam meam adjiciam. Epiphanius de eodem loquens, ex Irenæo arbitror, Græce παίγνια ejus nominat ; quæ interpres « ludicra » transtulit. Quæ vox latæ significationis, nihil hic tamen aliud, quam ea, quibus nostris oculis illudunt præstigiatores, si ad Irenæi et Epiphanii verba attendas, significare videtur. Eum ergo ipsum esse suspicor, de quo ita Plinius [52] : « Lusit et Anaxilaus eo (sulphure, de quo ibi serwo est) candens in calice novo, prunaque subdita circumferens, exardescentis repercussu, pallorem dirum velut defunctorum, effundente conviviis, (vel ut alia lectio habet), offundente convivis. » Ludendi verbum unde « ludicra, » ut a παίζειν παίγνια deducas, Plinius usurpavit. Deinde Anaxilaum poculo usum, sicut et Marcum hæreticum, præstigiarum Anaxilai imitatorem, idem Plinius et proximo cap. Irenæus aperte docent.

Virtutes perficere putatur. Miracula vera et hic impostores istos edere pernegat : sed et multo evidentioribus verbis infra lib. II, cap. 57. iisdem fere verbis Clemens Rom. impios in doctrinæ falsæ confirmationem, miracula facere posse inficiatus fuerat, nisi quatenus Antichristo sub finem mundi permissum iri putat [53]. Quod si omnino aliqua vera in conventiculis hæreticorum peracta vel fuisse, vel fieri posse quis contendat : « errorem tamen eorum per illa nihilo magis confirmari, » argute docet Justinus martyr [54], « quam si impietatem gentium, ideo quod sol oritur in eos, roreque cœlesti aspergantur, Deo aliquis gratam putet. »

Augustinus quoque pernegans hæreticos edere miracula illa, quæ falso tribuebantur Donatistis, scribit meras esse fabulas [55]. Ista de his B. Ignatii observanda est apostolico digna spiritui præcautio : « Quisquis dixerit præter illa quæ statuta sunt, etiamsi fide dignus sit, etiamsi jejunet, etiamsi virginitatem servet, etiamsi signa faciat, etiamsi prophetet; tibi lupus censeatur sub ovis pelle ovium corruptionem moliens. » His ergo satis constat sectas hæreticorum semper veris destitutas esse miraculis : ac proinde auctorum ac ministrorum extraordinariam, quam et ipsi profitentur, missionem, non esse a Deo. Currunt, et Dominus non mittit illos [56]. Atque hæc de nullis, vel falsis hæreticorum miraculis. Contra vero, nullum esse in Ecclesia catholica doctrinæ vel fidei caput, sacramentum, ritum, quem Deus de cœlis per sanctos suos evidentissimis peractis miraculis non probaverit et asseruerit, omni exceptione majoribus testibus ac scriptoribus efficere facillimum est. Nam hujus fidei primi assertores eam prædicaverunt ubique, « Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis [57]. » Notum est ex Eccl. hist. sanctissimorum concil. Nicæni et Chalcedonensis decreta, in quibus Symbolum fidei nostræ primum locum obtinet, apertis miraculis comprobata fuisse. Baptismi sanctitatem et virtutem signis confirmatam fuisse docet historia Constantini ; et quædam recitat Aug. lib. XXII *Civ.*, cap. 8. Confirmationis præstantiam prædicat B. Lucas in Actis c. VIII, X et XIX, et miraculum in ampulla, qua servabatur sanctum chrisma, describitur ab Optato Milevitano lib. II *con. Parm.* Eucharistiæ adhibitione servatos fuisse Cæsarium et Gorgoniam referunt Ambros. et Nazianz.; alinque miracula virtute ejusdem patrata recitant Chrysostom., Amphilochius, Optatus, Eusebius, Prosper, et alii plurimi, etc.

Ad ritus accedo : Crucis Dominicæ pia consignatione cacodæmones e corporibus et locis fidelium profligatos fuisse testificantur Ignatius, Justinus, Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, veteres omnes. Aquæ lustralis vim eosdem nullibi ferre potuisse, ex Clem. Rom., Alex. pontif., Epiphanii, Theodoreti, Palladii, Nicephori scriptis constanter asseritur. Exoreismis catholicis etiam nunc frequenter illos abigi, notius est, quam quis possit ire inficias. Montem e loco suo motum, ut hunc ecclesiæ ædificandæ cederet, idque Gregorii Thaumaturgi precibus, testes sunt Gregorius Nyssenus, Rufinus, Nicephor. Oleo sacrarum lampadarum infirmos curatos, et mortuos suscitatos esse scriptis mandaverunt Theodoretus [58], et August. l. XXII *Civ.* cap. 8. Usum sacræ et benedictæ ceræ, aut figura compactæ, Deum multis signis comprobasse

[49] Euseb. lib. VI Hist., cap. 31. [50] Hier. in XXIV cap. Matt. [51] Comment. in XXI cap. Luc. [52] Lib. XXXV, cap. 15. [53] Lib. II Recog. [54] Quæst. 5 ad Orthod. [55] Tract. 15 et 14 in Joan. epist. ad Heronem. [56] Jerem. XXIII, 21. [57] Marc. XVI, 20. [58] Hist. sanct. cap. 21.

Digitized by Google

docent Paulinus et Greg. Turonens., et disserit integro libro Vincentius Bonardus. Ad sepulcra, vestes, ossa et alias reliquias sanctorum innumera beneficia mortalibus concessa fuisse prædicant Hieron., Ambros., August., Chrysostom., Theodoret., Damascenus, etc.

Hæc autem et multo plura in Ecclesia catholica facta esse adeo certum est, ut etiam præcipui hæreticorum ministri, qui jam tredecim centurias annorum a Christo ad nos usque historiæ in modum concinnaverunt, in singulis ætatibus hæc contigisse signatis auctoribus collegerint, scripserint, vulgaverint. Superest ergo, ut contemptis omnium sectariorum erroribus et blasphemiis, in ea fide et Ecclesia cum Augustino nos contineamus, quæ tot tantisque miraculis a Deo omnipotente coadunata, et hactenus ostensa et probata fuit [59].

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 8.

Pag. 59. *Alius vero quidam*, etc. Græcum hujus capitis textum dare nequeo, quia Epiphanius, aliquibus tantum Irenæi verbis retentis, propriis personam Marci describere maluit, nec alius quis auctoris nostri idioma hic nobis conservavit.

Pag. 60. *Præcursor quasi vere exsistens Antichristi.* Propria et præcipua ratio, ob quam Irenæus Marcum « præcursorem Antichristi » appellat, est magica miraculorum operatio. De vero enim Antichristi præcursore, sive « armigero, » ut eum auctor noster lib. v, cap. 28, appellat, ejusque miraculis verba ibidem faciens, hæc habet : « Hæc ne quis eum divina virtute putet signa facere, sed magica operatione. »

Scholia Billii in cap. 9.

Pag. 60. *Fingens se consecrare.* Græca vox εὐχαριστεῖν hoc loco consecrandi significationem habet, non gratiarum actionis. Id quod vel stupide ignoravit Gallasius, vel malitiose dissimulavit.

Invocationis verba. Ἐπικλήσεως, scilicet Spiritus sancti. Quorsum autem spectet hæc Spiritus sancti invocatio, ex liturgiis Græcis perspicue liquet : in quibus invocatur Spiritus sanctus, ut panem et vinum in Christi corpus et sanguinem vertat. Id quod rursus vel veteratorie, imo impie dissimulat Gallasius, vel turpiter ignorat. Apud Epiphanium corrupte hoc loco legitur ἐπικλύσεως, quemadmodum et eodem versu, ποιεῖν, pro ποιεῖ.

Proferens. In Græc. pro προσενεγκών, legendum est προσενεγκών ex vet. interp.

Quod a se allatum est. Epiph. codicem emendo ex vet., ac pro κεκοσμημένον, lego κεκομισμένον.

Et parvo. Μικροῦ legendum, non μεγάλου.

Pag. 61. *Assentabunde.* Κολακεύων legendum.

Tuæ magnitudinis. Addo σοῦ ex vet.

Oportet nos. Legendum δεῖ ἡμᾶς ἐν καταστῆναι. Videtur tamen vetus interp. legisse ~~ἐν~~ ἐν κατασταθῆναι.

Pag. 62. *Ac meras nugas.* Addo καὶ ex vet.

Sese arbitratur. Ὑπολαμβάνει lego, non μεταλαμβάνει.

Quædam fideliores. Pro προτέρων lego πιστοτέρων cum vet.

Hujusmodi choro. Θιάσου, videtur tamen vet. interp. legisse θιασώτου.

Pag. 63. *Quod autem Marcus.* Vet. legit ἔτι, sed male.

Confiteri non destitit. Ἐξομολογουμένη, quæ tamen vox synecdochice ἀντὶ του *μεταγοοῦσα* hoc loco usurpatur, quemadmodum et multis aliis locis apud auctores ecclesiasticos.

Pag. 64. *O quæ Deo assides.* Sic vertere placuit, ut perspicuum sit ad quem hæc referantur. Non enim ad judicem diriguntur, ut prima fronte videri queat, sed ad fictitiam quamdam Matrem, cujus nondum superius facta est mentio.

A *Ante ævum.* Vet. interp. αἰώνων legit in plu. Versu seq. **52** apud Epiph. χρώμενα legendum, non χρώμεθα.

Pag. 65. *Orci galeam.* Vide Erasmum in prov. « Orci galea. »

De vita Dei desperarent. Verba sunt Apost.

Notæ ex adversariis Front. Ducæi in cap. 9.

Pag. 60. *Eucharistiam facit.* Contextus Græcus exigit ut legatur, « Eucharistiam fecit. »

Pag. 62. *Audet, et loquitur deliriosa.* Billius vult addi καὶ, quod non aliter fieri potest, quam si ita efferantur ista, ἀποτολμᾷ καὶ λαλεῖ ληρώδη, pro ἀποτολμᾷ λαλεῖν. Sic ad Rom. x, 20, Ἡσαΐας δὲ ἀποτολμᾷ καὶ λέγει. Fortasse interpres imitari voluit phrasim Scripturæ : sed in interpretatione Billii deest verbum, « inaniter et impudenter effutit, » vel, « loquitur. »

Pag. 63. *In cœnis sortibus.* Πὰ cœnæ, in quibus sortibus utebantur, in memoriam nobis revocant B illa apud Horatium [60] :

Nec regna vini sortiere talis:

et :

Quem Venus arbitrum
Dicet bibendi?

cum modimperatores talorum jactu deligerent.

Pag. 64. *Pro Æonon Siges.* Græc., πρὸ αἰῶνος σιγῆς. Billius tamen veterem secutus est interpretem ; ut et Epiphanii interpres, « mystici ante sæcula silentii. »

Nos imagines illorum. In Græco immutatam a Gallasio restituimus lectionem Epiphanii, quam tuetur vetus interp. suadetque addamus αὐτῶν post εἰκόνας : Billius quoque vertit, « nos imagines earum produxit. » Sed retulit ad « formas, » vel « magnitudines, » vetus autem ad « Æones, » ideoque forte scripsit, « illorum. »

Quæ secundum nos regiones. Tractum intelligit ad Rhodanum, sive Rhodanensem ; non, ut vertit C Gallas., « in regionibus Rhodanusiæ, » quod ita reperisset a Cornario versum apud Epiphanium. Ῥοδανουσία fortasse dicta regio, ut et Λουγδουνησία, Lugdunensis Gallia. Atqui Hieronym. in Lxiv c. Isa. Gnosticos ait per Marcum Ægyptium Galliarum primum circa Rhodanum, deinde Hispaniarum nobiles feminas decepisse, miscentes fabulis voluptatem, et imperitiæ suæ nomen scientiæ venditantes.

Quædam autem. In Græco verbum addendum est, ἠσυχῇ ἑαυτὰς χωρίζουσιν, ἀπηλλοτριωμένας. Locus Apostoli, ad quem alludit, non alius videtur esse, quam ille ad Ephes. IV, 18 : « alienati a vita Dei. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 9.

Pag. 60. *Pro calice enim vino misto.* Ne Marcum hunc, magicæ imposturæ peritissimum injuria superiori capite dixisse videretur, tria præstigiarum illius exempla subnectit. Primum apertius his narrat post Epiphanium Nicetas Choniates lib. IV *Thesauri*, cap. 6 : « Ille, ut divus Irenæus auctor est, D vitrea quædam albi coloris pocula præparabat : deinde, carmine nescio quo usus, confestim eorum aliud in rubrum, aliud in purpureum, aliud denique in cæruleum convertebat. » Postea confutans istas præstigias, addit : « Præsentium oculos fascinabat, efficiebatque ut ea, quæ conspicerentur, contra se habere viderentur quam eorum natura ferret. Nec enim pellucida vasorum vitreorum corpora in varios mutare colores potuisset, » etc.

Secundum autem erat, dum ex minore poculo, quod seductis mulierculis porrexerat, multo majus, quod ipse tenebat, adeo explebatur, ut etiam ex ipso supereffundi putarent.

Postremum, quando deliria, quæ palpitantes, et stupentes effutiebant, vaticinia esse sibi persuade-

[59] Lib. de util. creden., c. 17; et lib. contra epist. Manich., cap. 4. [60] Carm. lib. I, od. 4; lib. II, od. 7.

Digitized by Google

hant. Hinc autem primum observa quantæ, qualesve sint hæresiarcharum artes, et cacodæmonis vires in erroribus propagandis : quippe qui apostolos, prophetas et martyres catholicum dogma innumeris miraculis constabilisse cernentes, illisque hominum mentes facile commoveri : hoc charismate se omnino destitui iniquissimo animo ferunt, et tanto livore tabescunt, ut sanctorum miraculis, quam maxime possunt, detrahant. Ut autem vel illos æquare saltem videantur, ad diabolicas magorum fraudes sese convertunt, quibus incautis imponant, avaritiam suam expleant, et gloriæ inserviant. Nec deest furoris sui satellitibus, technarumque ministris mendaciorum parens, qui cum exigentibus hominum delictis permiserit æquissimus et supremus judex, nihil non potest. Hinc stupendæ impostura Apollonii Tyanei, quibus (apud Eusebium [61]) Hierocles illum conatur Christo adæquare. Inde oracula illa Delphica, Pythica, Claria, Dodonæa, quæ saluberrimo Christi adventu periisse scribit idem Eusebius [62]. Ex eadem officina prodierunt insignes Simonis Magi illusiones, quas fusissime describunt Clemens [63], Abdias, Justinus, et hic noster Irenæus. Similibus artibus grassabitur filius ille perditionis, cujus adventus erit in signis et prodigiis mendacibus. Postremo, et hic observare licet, impios illos priores Gnosticos, relicto catholicorum ritu, quem Christus per apostolos omnibus ecclesiis tradiderat, celebrandæ eucharistiæ, recentes formulas cujusdam cœnæ finxisse, quod et posteriores nostro hoc ævo sedulo imitati sunt.

Mulieribus dans calices mistos. Augustissimi sacrificii eucharistiæ cæremonias illos mutasse, vel hinc clarum est, quod consecrandi, offerendi, et integrum sacerdotii munus suis etiam meretriculis concederent : quod Quintiliani, Pepusiani, et Phrygæ postmodum imitati, eam ob rem, ut putrida membra, ab Ecclesia Christi resecti, inter Satanæ manus a Damasceno, Augustino [64], et Epiphanio [65] traduntur. « Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, » ait ex Paulo Tertullianus [66], « sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vindicare. » Hoc institutum a Christo et apostolis promanasse his testatur B. Clemens [67] : « Non permittimus (verba apostolorum recitat) mulieres in Ecclesia docere, sed tantum orare, et magistros audire. Nam magister ipse et Dominus Jesus Christus cum nos duodecim ad docendum gentes misisset, nusquam mulieres misit ad prædicationem, quanquam non deerant. Erat enim nobiscum Mater Domini, et sorores ejus, præterea Magdalena, Maria Jacobi, et Martha, et Maria, sorores Lazari, et Salomæ, et quædam aliæ. Si enim caput mulieris vir est, non est æquum reliquum corpus capiti imperet. » Et hanc quoque veterum Gnosticorum impietatem recentes imitantur, adeo verum est proverbium : « Patrem sequitur sua proles : » cum sacerdotium nullum superesse asserunt, quod non etiam ad mulieres porrigatur ; easdemque publicis suis cœtibus, quos ecclesias putant, non tantum interesse, de sacris disserere, sed et cantitare jubent, licet Apostolus illas tacere magna cautione jubeat [68].

Pag. 61. *His similia.* Ita vetus codex ; Græce quoque τούτοις παραπλήσια : ideo delevimus, « dissimilia. »

Patur autem intelligi dæmonem quemdam. Ut pius Ecclesiæ Dei pastoribus nunquam non adest Spiritus sanctus, qui eos doceat, dirigat et servet : sic pseudoprophetis Satanam operas suas non denegare, cum hoc loco, tum libro secundo, capite quinquagesimo septimo, evidentissime comprobat, unam et eamdem esse hæreticis cum dæmoniis conversationem asserens. Atque ut priscorum, scilicet Judæ, Simonis, Manetis, Apellis, Nestorii, Montani, Novati et Berengarii historias præteream, aliquot nostri sæculi hæresiarcharum obsessiones attingam. Quisquis sedato animo Martini Lutheri arrogantiam, jactantiam, maledicentiam, frequentes vertigines, paroxismos, consternationes, furorem animi, obscœna verba, furiosa convicia in omnes ordines et Satanicam superbiam, qua se mille Augustinos, mille Cyprianos, mille concilia martyrum, doctorumque priscorum myriadas, si contra se starent, non curare dicit : et adversus dicta Patrum, hominum, angelorumque (verba illius sunt) dogma suum constituere : quisquis, inquam, hæc cum eis, quæ suis scripta reliquit, comparare voluerit, illum a diabolo corpore et animo agitatum fuisse non dubitabit. Scribit enim lib. *Pro scholis erigendis :* « Aliqui gloriantur de spiritu : sed spiritus huc, spiritus illuc, ego quoque fui in spiritu, atque etiam ego vidi spiritus, forte plusquam illi ipsi adhuc intra annum videbunt. » Et longe apertius libello *De missa angulari*, ait (tomo septimo Wittembergæ, impress. per Thomam Klug., pagina 228) : « Diabolum et se inter sese mutuum familiariter nosse, et quod plus uno salis modio simul comederint, illumque dulci alloquio se frequenter convenisse, et nocte excitasse, atque stimulasse, ut contra missam scriberet, et ad eam rem argumenta suppeditasse. »

Quin etiam de hac ipsa familiaritate cum Satana a se inita, gloriari solitum fuisse, ex his ejus ad commensales verbis a discipulo ejus Henrico Petro Rebenstock collectis et publicatis, aperte colligitur [69] : « Undequaque, inquiebat, me Satan vexat, non simpliciter, sed composite : multis enim modis mihi præ cæteris favet, » etc. Quis vero ipsi Luthero de se inter amicos hæc affirmanti non crederet ?

Zuinglius Sacramentariorum coryphæus, lib. *De supplemento eucharistiæ* narrat, anxie cogitanti sibi, quomodo verba institutionis sacramenti corporis Christi in alienum sensum detorqueret, intempesta 13 Aprilis nocte spiritum monitorem adfulsse, et albusne, an ater fuerit, ambigit. Qui autem mentis compos est, nocturnum illud negotium perambulans in tenebris, aliquem ex potestatibus tenebrarum exstitisse non dubitabit. Quin et Lutherus lib. *De abroganda missa*, **53** Œcolampadium Zuinglii cooperarium, aliosque Sacramentarios ignitis Satanæ telis in subitaneam mortem impulsos affirmat. Erasmus Alberus Basilieusis ecclesiastes, cacodæmonem Carolstadio concionanti procerioris staturæ hominis specie apparuisse scribit, triduo antequam ad Tartara abriperetur.

Quid Calvinum moror ? Ipse epistola ad Bucerum, monentem ut maledictis et conviciis abstineret, respondit : « Non sui esse ingenii morbum, sed sui genii. » Num hoc sit a spiritu Domini malo, qui ab eo qui pacis est, et Christianæ modestiæ, toto cœlo differt, exugitari, et duci, judicent prudentiores.

Pater omnium. Ita vetus cod. ; Græce quoque πατὴρ τῶν ὅλων : expunximus igitur « omnium. »

Pag. 62. *Sicut melior nobis*, etc. Licet « meliora » haberent veteres omnes editiones cum codice manuscripto, visum est tamen immutare ; cum apertissimum mendum esset, quod ex Græca lectione sic restituimus : sicut et paulo post subtilimus, « quod audax et inverecunda est anima, » pro eo

[61] Contra Hieroclem. [62] Lib. IV de præpar., cap. 1 et 2 ; et lib. V, cap. 1, 2, 3, 4. [63] Lib. VI, de Const. apost., c. 9, et lib. II Recog. [64] Lib. de hæres. [65] Contra hæres. 40. [66] Lib. de velan. virginibus. [67] Lib. III Constit. apost. [68] I Cor. XIV, 34 ; I Tim. II, 11 ; V, 13. [69] Tom. I Colloq. mens. Lutheri pag. 382.

Digitized by Google

quod erat, « eo quod audax et verecunda anima. » Et post aliquot lineas, « hi a Deo, » pro « hi ab eo, » reposuimus. Cujus autem scriptoris verba sint si quæris, memineris superius nos ex Eusebio adnotasse, hunc martyrem priscorum verba frequenter adducere, tecto nomine: difficile vero ac pene ἀδύνατον est ex tam exiguis reliquiis scriptorum illius sæculi, quæ supersunt, colligere.

Pag. 63. *Adhuc etiam amatoria.* « Pocula » vel deesse, vel subaudiendum non dubito. Philtris autem, id est, poculis ad illecebras amoris ciendas arte compositis, impuros homines istos usos fuisse; sed et Carpocratis sectatores iisdem artibus pudicitiæ mulierum insidiatos, cap. 20 hujus libri narrat. Verum ab eorum usu etiam profanos abhorruisse his ostendit Ovidius [70]:

Nec data profuerint pallentia philtra puellis :
Philtra nocent animis, vimque furoris habent.

Attende igitur quam vagis et fœdis libidinibus conspurcata erat horum conversatio, quamque propter flagitiosos quosdam nebulones male audiret nomen Christianum interque gentes blasphemaretur.

Ut et diaconus quidam. Attende mercedem, qua hospites suos compensare solent salaces hæreseon ministri et prædicantes. Cæterum non sine fraude atque nequitia conatur Petrus Vermilius, libro contra cœlibatum et vota religiosa, ex hoc Irenæi loco suadere matrimonium cunctis diaconis, sacerdotibus, et monachis licitum esse, propterea quod iste scribatur uxorem habuisse. At vero, Asiaticus et Græcus fuit, quibus post sacros ordines feminas, quas ante duxerant, domi retinere semper fuit permissum. Ad hæc, vel ex hoc quod tam facile Marco illa consenserit, verisimillimum efficitur, diaconum susceptis semel sacris ordinibus, ab eadem continuisse : ut et Petrus vocatus ad apostolatum, omnia (et in his, ait Hieronymus, uxoris usum) pro Christo reliquerat.

Sed quam male misereque cedat novis istis apostatis contra divinas ecclesiasticasque leges inire matrimonia, seu potius incestas sacrilegasque nuptias, ex uno eorum omnium auctore Martino Luthero demonstro. Is matrimonii sui miserias et calamitates referens (ut est apud discipulum ejus Henricum Petrum Rebenstock), aiebat [71] : « Habeo uxorem, et sex liberos. Anno 1525, in seditione rusticorum (cum omnia plangore et lamentis alibi resonarent) 12 Junii uxorem duxi. » Deinde expostulans cum eadem : « Tu mihi persuades quidquid vis. Totum habes dominium. Vos, mulieres, estis in culpa, quæ astu et technis inescatis viros, quod ego quoque experior, » etc. Et postea [72] : « Habui meam uxorem suspectam superbia, ut est, etc. Omnes feminæ didicerunt hanc artem, quia suis lacrymis, mendaciis, interlocutionibus virum capere, et verba mutare possunt, » etc. Et alibi zelotypia laborans ait [73] : « Nulla ergo bona de uxore mea, atque Philippo Melanchthone spero, » etc. Reliqua lubens prætermittam, quibus apparet justissima ultione fieri, ut infelices isti continentiæ desertores miserrimis modis a scortis suis accipiantur.

Omne tempus in exhomologesi consummavit. Magno consensu Græci et Latini Patres confessionem illam, qua quis post baptismum se multorum peccatorum reum ingenue agnoscit, non solum coram Deo, aut generali facta confessione, sed et coram eis qui Ecclesiæ præsunt, et quæ apertam distinctamque continet delictorum enumerationem, exhomologesin vocarunt. Hanc vero Christi præscripto, apostolorum usu, et universarum per orbem Ecclesiarum consensu, ad eluenda peccata necessarium remedium esse, et secundam a naufragio tabulam, ex hoc capite apertum est. Qui autem ex sacris litteris hoc comprobari postulaverit, Augustinum audiat [74] : « Nemo sibi dicat, ait, Occulte ago, apud Deum ago, novit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est : *Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cælo* [75]? Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Evangelium Dei? Frustramus verba Christi? » Non solum apertis illis Jesu Christi vocibus, quibus dicendi juris in delinquentes pastoribus confertur potestas : sed et Joannis Baptistæ et apostolorum praxi hanc evidentissime confirmari, ante multa sæcula existimavit magnus ille Basilius in *Regulis brevioribus* : « Necessario, inquit [76], his peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei. Siquidem rationem hanc in pœnitentia etiam veteres illos cernimus secutos fuisse, quando et in Evangelio scriptum est, quod Joanni confitebantur peccata sua [77] : et in Actis apostolicis [78], ipsis a quibus etiam baptizabantur cuncti. » Viri apostolici Tertulliani addam suffragium : « Tantum, ait [79], relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ. Actus pœnitentiæ, qui magis Græco vocabulo exprimitur et frequentatur, exhomologesis est, qua delictum Domino confitemur, non quidem ut ignaro : sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exhomologesis prosternendi et humiliandi hominis disciplina est. » Et paulo post : « Jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi, et charis Dei adgeniculari, » etc. Tantum præceptorem sequatur non inferior discipulus Cyprianus : « Videt Deus, ait [80], corda et pectora singulorum, et judicaturus est, non tantum de factis, sed et de verbis, et de cogitationibus nostris : omnium mentes, voluntatesque conceptas in ipsis adhuc clausi pectoris latebris intuetur. Denique quanto et fide majores et timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti : quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exhomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse : Deus non deridetur [81]? » Græcas etiam per Orientem Ecclesias, hos docuisse et servasse ritus, evidentissimum est ex D. Clementis epistola prima ad Jacobum; Dionysio ad Demoph.lum; Origene in psalm. XXXII; Eusebio libro V *Histor.*, cap. 27, et lib. VI, capit. 27, quorum sententias brevitati consulens non affero.

Circumobversati. Ita vet. cod. : delevimus autem, « circumobservati. »

Pag. 64. *Patris, te viæ duce.* Sic restituendum tam ex vet. cod. quam ex Græc. textu visum est, pro eo quod antea erat, « matris sui a te. »

Pag. 65. *Homericam inferorum galeam.* Proverbio isto innuit, non majoris momenti esse istorum somnia, quam poetarum figmenta. Desumptum est autem ex Homero *Iliad.* V, qui finxit Palladem se galea Orci contexisse, ne a Marte conspiceretur. Idem postea usurpat Nazian. 1 orat. in Julian., qui rabiem ac furorem in Christianos, externæ cujusdam philosophiæ mansuetudinis simulacro operire volebat. « Nulla ratione, ait theologus, unquam seipsum occultabit, ne si in omnem quidem partem se vertat, atque in omnes formas consiliorum cal-

[70] Art. am. II, 105. [71] Tom. II Collo., pag. 18. [72] Pag. 153. [73] Pag. 125. [74] Lib. I hom., hom. 49. [75] Matth. XVIII, 18; Joan. XX, 23 [76] Interrog. 288. [77] Matth. III, 6. [78] Act. XIX, 5. [79] Lib. de Pœn. [80] Lib. de lapsis. [81] Gal. VI, 7.

Digitized by Google

liditate atque artificio mutet, atque Orci galeam, ut dici solet, induat, aut Gygis annulo et Palæ conversione sese suffuretur. » Usus est et eodem Orig. lib. I *Contra Celsum*, magis convenisse declarans, ut Christus in Ægyptum fugiens, subduceret sese Herodis insaniæ, quam si Plutonis galea latitans, eumdem fefellisset.

Pag. 65. *Cauteriatas.* Alludit ad hanc Pauli sententiam [65] : « In novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, cauteriatam habentium suam conscientiam : » qua, ducta metaphora a servis maleficis, et bestiis quæ cauterio, ut dignosci queant, notantur, futurorum hæreticorum mendacia, hypocrises, et imposturas signat, quibus noctes diesque, reclamante conscientia, orbi imponunt, et tanta obstinatione quasi traducto cauterio indurescunt, ut citius frangas quam corrigas.

Etiam in manifesto exhomologesim faciunt. Publicam pœnitentiam in prisca Ecclesia usitatam fuisse, vel ex hoc loco omnibus liquet, cujus hic modus erat : Facta coram legitimo pastore peccatorum tum occultorum, tum publicorum, 54 si quæ erant, enumeratione, cum Ecclesiæ ædificationi expediret, sacerdotis auctoritate, et pœnitentium consensu, mulctas, satisfactiones, seu mavis pœnitentiæ fructus palam agere jubebantur. Ritus latissime describit concilium Agathense, distinct. 20, c. *In capite.* Hoc ita se habere, et Theodosii imperatoris exemplum indicat, et disertis verbis testantur Origenes Hom. 2 in psal. XXXII, Cypri. lib. *De lapsis*, Tert. lib. *De pœnit.*

Reverentes. Ita legendum, pro « revertentes, » cum Græce legatur, αἱ δὲ δυσωπούμεναι, id est, levitatis, defectionis, aliorumque vitiorum, quibus depravatæ impostorum fallacia fuerant, pudore affectæ, et in seipsis erubescentes.

Neque intus, neque foris. Græcum proverbium est, μήτε ἔξω, μήτε ἔσω, eleganter his mulierculis accommodatum, quæ cum aperte viderent se a Gnosticis delusas, et corruptas mente et corpore fuisse, nec ipsis ultra adhærebant, nec Ecclesiæ per exhomologesim reconciliari satagebant. Simile est huic: « Media agina ferri, » quo Tertullianus utitur [66] in eos, qui inter bonum et malum, ut inter sacrum et saxum suo arbitrio agitati, in neutram partem feruntur. Ego nostri temporis mediatores, quos « politicos » vulgo appellamus, recte ἀμφοτερίζοντας, καὶ ἀμφιβίους, mulierculis hisce non absimiles, nominari posse crediderim.

Ex Jo. Ernesti Grabii adnotationibus in cap. 9.

Græcum hujus et sequentium capitum Irenæi textum nobis conservavit Epiphanius hæres. 34, § 2 seqq. ita præfatus : Ἐγὼ τοίνυν ἵνα μὴ δεύτερον κάματον ἑαυτὸν ἐπιδῶ, ἀρκασθῆναι δεῖν ἡγησάμην τοῖς ἀπὸ τοῦ μακαριωτάτου Εἰρηναίου κατ' αὐτοῦ τῶν Μάρκου, καὶ τῶν ἐξ αὐτοῦ ὁρμωμένων, πραγματευθεῖσιν· ἅτινα ἐνταῦθα πρὸς ἔπος ἐκθέσθαι ἐσπούδασα, καὶ ἔστι τάδε. Φάσκει γὰρ αὐτοῖς (forte αὐτὸς) Εἰρηναῖος ὁ ἅγιος ἐν τῷ ὑποφαίνειν τὰ ὑπ' αὐτῶν λεγόμενα, λέγων οὕτως. « Ego vero ne actum agere videar, satis esse mihi persuasi, si iis uterer, quæ contra Marcum hunc ejusque sectatores a beatissimo sanctissimoque Irenæo disputata leguntur : quæ quidem ad verbum hic ascribenda censui. Sunt autem ejusmodi, quæ in illorum dogmatibus recensendis pertexuit. »

Pag. 60. *Κεκραμένα.* Vinum aqua mistum in S. eucharistia hæretici adhibuerunt, perinde ut catholici : siquidem auctor noster lib. v, cap. 2, diserte « misti calicis » facit mentionem.

Gratias agere. Veterem interpretem perinde ac Gallasium ferit animadversio Billii notantis, verbum εὐχαριστεῖν, hoc loco « consecrandi » significationem habere, non « gratiarum actionis. » Et sane haud parum confirmatur ista notio verbis sequentibus : μικροτέρου τοῦ ὑπὸ τῆς γυναικὸς εὐχαριστημένου, ut et Justini Martyris *Apol.* 2 (sive potius 1) pag. 97, ubi εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος mentionem facit, et pag. 98, ubi sacrum panem et potum τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν nominat. Accedit Clemens Alexandrinus lib. I *Stromat.*, pag. 317, de hæreticis in sacro calice solam aquam offerentibus scribens : εἰσὶ γὰρ οἳ καὶ ὕδωρ ψιλὸν εὐχαριστοῦσιν. Alios ut taceam. Neglecta tamen, licet non rejecta, Billii censura, Petavius veterem Irenæi interpretem secutus, εὐχαριστεῖν in Epiphanio « gratiarum actionem » interpretatus est, notans distinctionem isto sensu post ποτήρια οἴνῳ κεκραμένα apponendam esse; ut scilicet hæc non cum verbo εὐχαριστεῖν, sed cum sequenti ἀναφαίνεσθαι construantur.

Τὸν λόγον τῆς ἐπικλήσεως. « Invocationis, » scilicet Spiritus sancti. Quorsum autem spectet hæc Spiritus S. invocatio, ex liturgiis Græcis perspicue liquet : in quibus invocatur Spiritus S. ut panem et vinum in Christi corpus et sanguinem vertat. Bill. In omnibus profecto liturgiis Ecclesiæ Orientalis, quas tom. VI et XII *Bibliothecæ Patrum* Morellianæ legere est, sacerdos Deum orat, ut Spiritum S. super proposita dona demittat, cujus virtute et gratia panis fiat corpus, et vinum sanguis Domini nostri Jesu Christi. De quibus conferantur doctissimæ notæ Richardi Simonis in Gabrielis Philadelphiensis Opuscula pag. 146, usque ad 156. Cæterum Marcum hæreticum ab apostolica eucharistiam administrandi formula longe abiisse, et propria protulisse deliria, nullum est dubium, ac ab ipso Irenæo in sequentibus memoriæ proditum.

Pag. 63. *Ἐν ἰαις τῶν γυναικῶν.* Hæc, et quæ supra de seductione eximiarum feminarum refert Irenæus, citavit Hieronymus epist. 29 ad Theodoram, quæ est epitaphium Lucinii Bætici, ita scribens : « Refert Irenæus, vir apostolicorum temporum, et Papiæ auditoris evangelistæ Joannis discipulus, episcopus Ecclesiæ Lugdunensis, quod Marcus quidam de Basilidis Gnostici stirpe descendens, primum ad Gallias venerit, et eas partes, per quas Rhodanus et Garumna fluunt, sua doctrina maculaverit; maximeque nobiles feminas, quædam in occulto mysteria repromittens, hoc errore seduxerit, magicis artibus et secreta corporum voluptate amorem sui concilians : inde Pyrenæum transiens Hispanias occuparit, et hoc studii habuerit, ut divitum domos, et in ipsis feminas maxime appeteret, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Hoc ille scripsit, » etc. Vide testimonia veterum de Irenæo in principio hujus operis.

Τῶν ἡμετέρων. Ex hac voce colligas forte, tam Irenæum, quam istum, ad quem hos adversus hæreses libros misit, Asiaticos fuisse.

P. 64. *Ἀπολύτρωσιν.* Per « redemptionem, » quam hic et paulo post memorat, certam orationis formulam intelligendam esse, non modo ipse Irenæi contextus, in quo sequitur : ὦ πάρεδρε Θεοῦ, etc., ostendit, sed et Judaici ritus ratio plane confirmat, quam ex viri docti, Jacobi Rhenferdii disputatione de redemptione Marcosiorum et Heracleonitarum, § 21, explicatam dabo. Habent scilicet Judæi formulam quamdam precationis, vel « confessionis » potius, quam precibus quotidianis interserunt, qua Deum O. M. Vindicem suum et Redemptorem celebrant; unde eam גאולה Geulah, id est, « liberationem » vel « redemptionem » appellant; cui tantam vim tribuunt, ut si quis ea rite utatur, illi spem certam faciant beatitudinis æternæ. Codice Bera-

[65] I Tim. IV, 1. [66] Lib. contra Hermogenem.

Digitized by Google

choth, fol. 4, colum. 2. אמר ר' יוחנן איזהו בן העולם הבא זה הסוכך גאולה לתפלה של ערבית « Dixit R. Joannes : « Quis est Filius sæculi futuri? quicunque precibus vespertinis subjungit redemptionem. » Ubi voce « redemptionis » vel « liberationis » nihil aliud intelligitur, quam formula de illa « liberatione » agens. Est autem illa duplex, altera quæ matutinis precibus additur, altera quæ vespertinis. Quæ tempore matutino recitatur, inde ab אמת ויציב (emet vejazzibh) incipit, atque ab his initialibus vocibus appellatur. In qua cum sæpius mentio fit liberationis, Deique assertoris, et liberatio ex Ægypto satis prolixe narratur; tum tandem hac clausula finitur, quæ stricte גאולה appellatur : גאלנו יהוה צבאות שמו קדוש ישראל ברוך אתה יהוה גואל ישראל ! « Redemptor noster Dominus Sabaoth est nomen ejus, sanctus Israelis. Benedictus sis tu, Domine, Redemptor Israelis. » Vespertinæ formulæ hoc initium est, אמת ואמונה (emeth veemunah) quæ tandem sic clauditur : ונאמר כי פדה יהוה את יעקב וגאלו מיד חזק ממנו ברוך אתה יהוה גואל ישראל « Et dictum est[a] : Quoniam redemit Deus Jacobum, et asseruit illum ex manu potentioris ipso. Benedictus sis tu, Domine, vindex Israelis. »

Ὦ πάτερες. Hæc non ad judicem diriguntur, ut prima fronte videri queat : sed ad fictitiam quamdam matrem, cujus nondum superius facta est mentio. Bill. Unde ipse in nova versione feminino usus genere, reddidit : « O quæ Deo assides. » Recte quidem : quod autem ait, istius ad quam redemptio sive precatio directa est, matris nullam superius mentionem factam esse, in eo fallitur. Illam enim nullam aliam hic intelligendam esse, quam Sophiam, quæ ultimum inter triginta Æones tenet locum, et matris Achamoth mater a Valentinianis fingebatur, juxta cap. 1 hujus libri, liquido patet ex fine capitis 18 (21), ubi de variis Marcosiorum redemptionibus ex instituto agitur, et inter alias hominum in articulo mortis precationes, quibus « incomprehensibiles et invisibiles principibus et potestatibus fiant, » hæc animæ e corpore discedentis ad eos, qui circa Demiurgum sunt, oratio refertur : « Vas ego sum pretiosum magis quam femina quæ effecit vos (i. e. mater Achamoth). Si mater vestra ignorat radicem suam, ego novi meipsum, et scio unde sim, et invoco incorruptibilem Sophiam, καὶ ἐπικαλοῦμαι τὴν ἄφθαρτον Σοφίαν, quæ est in Patre, mater est autem matris vestræ, » scilicet Achamoth; cujus ibi sequitur descriptio : et mox in fine istius precationis iterum dicitur : « Ego autem invoco ejus matrem, ἐγὼ δὲ ἐπικαλοῦμαι αὐτῆς τὴν μητέρα. » Unde tandem Irenæus addit : « Et de redemptione quidem ipsorum hæc sunt, quæ quidem in nos venerunt. »

Πρὸ αἰῶνος. Vetus interpres αἰώνων legit in plurali. Illius auctoritatem Billius ipse secutus est, ut et Cornarius Epiphanii interpres, qui reddidit : « mystici ante sæcula silentii. » Sed parum refert, quomodocunque legatur. Observandum potius, quod vox αἰών hoc loco « longum ævum, » non figmentum Valentinianorum, quod « Æonem » vocabant, significare videatur. Ante omnia enim sæcula Sigen una cum Bytho exstitisse fingebant, ut ex initio cap. 1 hujus libri 55 patet, ubi nota istis verbis, ἐν ἀπείροις αἰῶσι, auditum esse χρόνων.

Τὰ μεγέθη διωπαντὸς βλέποντα τὸ πρόσωπον τοῦ πατρός. Per μεγέθη, « magnitudines, » intelligendos esse angelos, ex hoc epitheto colligitur, quod a Marco « angelis » expresse ascriptum legitur sequenti pag. 46, lin. 25, ex Matth. xviii, v. 10.

Ἀποκαθῶσιν ἀπὸ τὰς αὐτῶν μορφάς, etc. Quænam sunt illæ angelorum μορφαί, merito quæritur. Petavius ipsos angelorum istorum « vultus » perperam intellexit, indeque in sua Epiphanii versione posuit : « Vultus suos in cœlum subtrahunt. » Significant autem hoc loco « formæ » angelorum, « imagines » formam eorum repræsentantes, sicuti mox expresse εἰκόνας appellat auctor istius Marcosiorum precationis, designans « spiritales, » uti vocabantur, « homines, » quos matrem Achamoth ex inspectatione angelorum Salvatoris concepisse, iisque similes peperisse docebant hæretici, supra cap. 1 hujus libri, § 8 in fine (cap. 4, n. 5). Atque exinde facile etiam intelligas sequentia verba : ἂς ἡ μεγαλότολμος, usque ad ἔχουσα. « Attractio autem in superiora » explicatur paulo post, ubi de Sophia ista matre dicitur : *ἀνασπάσασα αὐτοὺς, εἰς τὸν νυμφῶνα εἰσήγαγε*, etc., quæ si cum ultimis § 12 capitis 1 (cap. 7, n. 1) verbis conferas, plenum hujus orationis sensum plane percipies.

Ἀμφοτέρων ἡμῶν. Aliquantum difficile est dicere, quænam ambo ista sint, pro quibus communem apud judicem expetit defensionem. Vix tamen dubito, matrem Achamoth, quam μεγαλότολμον ante dixerat, et spiritales homines intelligendos esse; ambo enim in thalamum Pleromatis, ubi omnia consummata fuerint, admissum iri docebant supra cap. 1, § 12 in fine (cap. 7, n. 1).

Pag. 65. *Ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς κλίμασι τῆς Ῥοδανουσίας.* Tractum intelligit ad Rhodanum, sive Rhodanensem : non, ut vertit Gallasius, « in regionibus Rhodanusiæ, quod ita repertisset a Cornario versum apud Epiphanium. Ῥοδανουσία fortasse dicta regio, ut et Λουγδουνησία, « Lugdunensis Gallia. » Atqui Hieronymus in cap. lxiv Isaiæ, Gnosticos ait, « per Marcum Ægyptium Galliarum primum circa Rhodanum, deinde Hispaniarum nobiles feminas decepisse, miscentes fabulis voluptatem, et imperitiæ suæ nomen scientiæ venditantes. » Fronto Duc. Integra Hieronymi verba habes inter testimonia veterum in principio hujus operis. Et quatenus is quidem Irenæum nostrum sequitur, asserens de Marco, quod tractum Rhodanensem hæresi sua infecerit, haud errat : hallucinatus autem est, dum « Hispaniarum nobiles feminas » addidit, de quibus nihil Irenæus. Nam fuit quidem Marcus aliquis, Gnosticorum errorum in Hispania disseminator, de quo Sulpitius Severus lib. II *Hist. sacræ*, cap. 60, scribit : « Primus eam (Gnosticam hæresin) intra Hispanias Marcus intulit, Ægypto profectus, Memphis ortus. Hujus auditores fuere Agape quædam non ignobilis mulier, et rhetor Helpidius. » Ast hunc duobus saltem sæculis Marco mago recentiorem fuisse, ex illo ipso Sulpitii loco patet. Nullo enim verbo interposito, citatis subdit : « Ab his Priscillianus est institutus; » quem sæculo IV sub Gratiano imperatore et Damaso papa vixisse, ex progressu historiæ apud Sulpitium liquet, et notius est, quam ut probari debeat. Memoratum quoque Helpidium et Priscillianum, ambos laicos, damnatos refert Sulpitius cap. 61 in concilio Cæsaraugustano, quod circa annum 380 celebratum esse ex tomis Conciliorum constat.

Εἰς ϛαυερὸν ἐξομολογοῦνται. Publicam pœnitentiam et satisfactionem in conspectu Ecclesiæ ex hoc loco colligit Feuardentius; ego vero et confessionem publicam quandoque factam exin demonstrari puto. Cujus usum satis clare quoque docet Origenes homil. 2 in Psalm. xxxvii (non xxxii, ut Feuard. citavit), ubi hæc habentur verba : « Si ergo hujusmodi homo memor delicti sui confiteatur quæ commisit, et humana confusione parvipendat eos, qui exprobrant eum confitentem, et notant, vel irrident, etc. Si ergo sit aliquis ita fidelis, ut si quid conscius sit sibi, procedat in medium, et ipse sui accusator exsistat, » etc. Item : « Si intellexe-

[a] Jerem. xxxi, 11.

Digitized by Google

rit et prævideri sacerdos) talem esse languorem A tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat et curari, » etc.

Scholia Billii in cap. 10.

Pag. 65. *Hic Marcus.* Οὗτος leg. cum vet.

Siges. Hoc loco in Græc. pro εἰσηγήσατο αὐτόν, lego cum vet. σιγῆς ἑαυτόν, sensu etiam hoc postulante.

Defectus semen. Hic ex vet. interp. addo in Græc. σπέρμα.

Pag. 66. *Ex iis locis.* Pro τούτων, repono τόπων ex vet. et vers. seq. γυναικείῳ, pro γυναικείου.

Et quænam esset. Ἑαυτήν lego cum vet.

Qui Patris expers est. Addo ex vet. ὁ ἀπάτωρ, et deleo hoc verbum ὤδινεν.

Cigni. Τὸ ἄῤῥητον γεννηθῆναι. Vetus legisse videtur τὸ ἄῤῥητον ῥητὸν γενηθῆναι. Sed malo hoc loco Græca sequi, quod γεννηθῆναι aptius quadret cum μορφωθῆναι quod sequitur.

B

Ac syllaba illius. Συλλαβή. Complexionem primo verteram, quod syllaba, ut apud grammaticos usurpatur, hic quatuor litteris non constaret. Sed propius animum advertemi, aliter postea visum est. Insanus enim Marcus omnia hic pro libidine sua fingit.

Pag. 67. *Cujus elementum est.* Vetus interpres legisse videtur, οὐδὲ αὐτὸς ὑπέρ, sed male.

Enuntiationem norit. Γινώσκει lego cum vet., non πολιορκεῖ : tametsi hæc quoque lectio prorsus improbanda non sit.

Extremi elementi. Pro ἐκάστου lego ἐσχάτου cum vet. Ibidem pro μονογλωσσήσαντος καταστῆναι, lego μονογλωσσήσαντα καταθῆναι, cum vet.

Pag. 68. *Quorum elementorum.* In Græc. pro ὡς στοιχείου τὸ ὕστερον, lego cum vet. ὧν στοιχείων τὸ τοῦ ἐσχάτου ὕστατον. Paulo post pro καὶ τῶν, lego καὶ τά.

Cujus sonus. Græca hoc loco ita emendanda sunt, οὗ τὸ ἦχος ἦν συνεπακολουθοῦν τῷ ἤχει κάτω ὑπό, etc. Vers. seq. pro λέγειν, substituo λέγει.

C

Triginta litterarum. Dele in Græc. ὃ ex vet. Linea seq. pro δι' οὗ, lege δι' ὧν.

Pag. 69. *Quaternitatem.* Inducitur hic quaternitas, ea quæ a Sige obscurius dicta erant, explanans.

Libet. In Græc. pro θέαν legendum θέλω cum vet.

Dorsum. Vetus interpres pro dorso hic ventrem habet, ac postea pro ventre, pudenda : sed in litteris error obrepsit.

Sui ipsius genitorem. In Græco ἑαυτοῦ γεννήτορα, vel unico verbo αὐτογεννήτορα lego cum vet. quemadmodum et eodem vers. πατροδότορα, et στόματος.

Statim conticuisse. In Græc. pro παρ' αὐτῇ καὶ σιωπήν, legendum παραυτίκα σιωπᾷν, vel σιωπῆσαι. Lin. seq. rursus legendum στόματος, non στομάτων.

Te tenere censes. Post δοκεῖς, addo ex vet. ἔχειν.

D

Sex litteris constans. Pro ἓξ ὧν lege ἓξ ἔχων.

Pag. 70. *Qui ipsum cognatione.* Αὐτοῦ vel αὐτῷ, addo ex vet. et lin. seq. pro αὐτῶν repono αὐτῷ.

Inferiorum elatione. Legendum in Græc. ὑπὸ αὐτά, aut aliquid simile; ἀναφορὰν opponit ἀπορροίᾳ.

Habent igitur. Addo οὖν ex vet.

Quoniam autem non satis. Ἐπειδὴ τοῦ ὑστερήσαντος λόγου. Malo tamen ἐκ δέ cum veteri. Neque enim quadrat ἐπειδή cum his quæ præcedunt. Sensus autem horum verborum hic est : Quoniam Pater et Veritas novem litteras continebant, Homo autem et Ecclesia septem duntaxat, Sermo vero et Vita octo, corrigendæ hujusce numerorum inæqualitatis causa factum est, ut littera una qua Pater abundabat, ad Hominem et Ecclesiam descenderit: ac sic cuique ex his conjugationibus suus litterarum octernio constitit.

Tres loci. Τρεῖς addo ex vet.

Devincta esse ait. Pro ἀφίησι, lego ἃ φησι cum vet.

Pag. 71. *Analogiæ vi.* Legendum in Græco δυνάμει τῇ κατὰ ἀναλογίαν, ex vet. interp., et lin. seq. πεφηνέναι, non πεφυκέναι.

Qui descendit. Legendum in Græc. τὸν καταβάντα καὶ κρατηθέντα.

Quem cum. Addo ὃν in Græc. ex vet. interp.

Juxta administrationem. Hoc loco pro καί, lego κατά, ob verbum πεφηνέναι, quod in activa significatione nunquam in ullo auctore legisse me memini, sed tantum in neutra.

P. 72. *In hunc numerum.* In Græc. pro ult. δι' αὐτοῦ.

Bis enim habetur. Lego ἀριθμόν cum vet.

Insignem numerum. Ἐπίσημον, id est, senarium. Nota autem senarii apud Græcos est ϛ. Proinde cum tres sint duplices litteræ, senario æquipollent.

Numerorum magnitudine. Ἀριθμῶν μεγέθει.

Qui ab insigni. Ἀπό lego cum vet.

Alia autem. Ἀλλά addo ex vet.

Rerum inimitabilium. Ἀμιμήτων. «Imitabilium » habet vetus translatio, sed male, ut existimo.

Et quartum a medio. Μέσου lego cum vet., non μέρους.

Notæ ex adversariis Frontonis Ducæi in cap. 10.

Pag. 66. *Et syllabæ ejus.* Græca sonant, « et syllaba ejus litterarum quatuor. »

56 Pag. 67. *Unigenitum Æonem.* Græce reposuimus ἀγέννητον, quod immutarat Gallasius in ἀγένητον.

Pag. 68. *Ipsam quidem litteram.* In Græco dele αὐτὸ τὸ ἦχος τῷ ἤχει, et lege, ut in margine scripsimus, τὸ μέν τοι γράμμα, οὗ τὸ ἦχος ἦν συνεπακολουθοῦν.

Pag. 69. *Ventrem* X et T. Ad exemplar Græc. scrib. esset : « Cinctum E et Υ, dorsum Z et T, ventrem H et Σ, femora Θ P. » Paulo post in Græc. pro τὸν αὐτὸν γεννήτορα καὶ πατροδότορα, fortasse legendum, τὸν αὐτογεννήτορα καὶ πατροδώτορα · ut postea αὐτοβουλήτου, « ab se cogitatæ, » vertitur.

Pag 70. *Ex minori autem.* Λόγος hic « computatio, » vel « ratio » verti potest, non autem « sermo, » quod scripserat Gallasius. Paulo post : « qui est numeri septem, » intellige, qui est numeri septenarii, virtutem ipsorum octo accepit, sive octonarii ; sic enim solet interpres vertere articulos Græcos τῶν ὀκτώ, « eorum qui sunt octo. »

Quorum elementorum. Lego in Græco εἰκόνας εἰκόνων, et in Latina interpret. verto, « duplices litteræ ; quas cum viginti quatuor litteris annumeraveris, virtute, quæ est secundum analogiam ; vel, quæ annumeratæ faciunt numerum. »

P. 71. *Quæ est in cœna pura.* Græc., ἥτις ἐστὶ παρασκευή. Hic veteris interpretis locus Josephi Scaligeri observationem confirmat in Festum, voce Penem : « Cœna pura est, qua fungebantur, cum in casto essent. » Glossarium : « Cœna pura » προσάββατον. Imitatione gentilium παρασκευὴν Judæorum ita vocat. Porro in Græcis quid nihil hic immutandum censebit, verbo medio activi datam significationem contendet : nam φαίνειν in activa sæpe sumitur pro « in lucem edere, » vel « exhibere, » aut « proferre, » ut apud Philonem, τὴν εὐσέβειαν ἀπέφηνε. Quod si placeat legere, κατ' οἰκονομίαν δέ, hic vertes, « secundum dispositionem autem. »

Pag. 72. *Usus est diacono.* Apud Græcos nota senarii est ϛ, quæ et ipsa duabus litteris στ æquivalet : ἐπισημονappellant; alii ἐπίσιγμον, sed minus recte, quomodo et apud Hieronymum legebatur in psal. LXXVII, in illo loco citato a Sixto Senen. lib. VI *Bibliothe.*, annot. 151 : « Scriptum est in Matthæo, quod Dominus noster hora sexta crucifixus sit. Rursum scriptum est in Marco quia hora tertia crucifixus sit. Error scriptorum fuit, et in Marco hora sexta fuit : sed multi episemum Græcum ϛ, putaverunt esse γ. » Sic enim habet editio Victorii correctior.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 11.

Pag. 65. *Hic igitur Marcus.* Impurissimus nebulo Unigenitum Dei se mentiebatur, et Quaternationem

Digitized by Google

quamdam de cœlis descendentem forma muliebri, arcana plurima sibi revelasse, quæ syllabis et litteris Græcis adumbrarentur. In textu porro reposuimus voces, « defectus, » et « sic : » expunximus vero « lumen, » tam Græcæ lectionis auctoritate, quam R. P. Frontonis commonitione.

Colarbasi Silentii. Colarbasi hujus meminit Tertullianus[85], quem ita cum Marco jungit, ut eadem cum illo senserit, videlicet, alterum Deum esse a Creatore; Christum in carnis substantia non fuisse, corporum nullam fore resurrectionem; et Græcorum alphabeti litteris sic veritatem omnem affixisse, ut ineptum, vanum, otiosum, imo et periculosum putet illorum vanitates omnes afferre. At Augustinus[86], Theodoretus[87], et Damascenus sectam ei separatim tribuunt. Epiphanius[88] veluti nodum dissolvens, primum quidem Marci opinionem illum secutum, tuncque sectam ipsorum instar bicipitis serpentis fuisse affirmat : sed postea velut majus quid præter socios novisset, de suo quoque nomine vocatos coetus habuisse. Nicetas in *Orthodoxia* scribit Colobarsum (seu Colabarsum) quasdam Ptolemæi, Marci et Valentini sententias refinxisse, atque horum quaternitatem ad octonarium numerum perduxisse, scalas perditionis tam sibi quam factionis suæ sectatoribus compingendo : quos errores ibidem refellit.

Pag. 66. *Insubstantivus.* Græce est ἀνούσιος, id est, substantiæ expers. Si substantiam, quatenus accidentibus substernitur, vel etiam limitibus coerceri potest, Deo haudquaquam quadrare senserint; tantum abest eos errasse, ut etiam suffragantes sibi Patres plurimos habeant. Augustinus manifestum esse dicit[89], Deum abusive vocari substantiam. Dionysius frequenter substantiam, sed ineffabilem, supersubstantialem, et omnibus substantiis supereminentem, Deitatem vocat[90]. Damascenus libr. I, cap. 8, ταῖς ὅλαις οὐσίαις ἐπιβατεύουσαν, καὶ πάσης οὐσίας ἐξῃρημένην, id est, « universis substantiis supereminentem ultra omnia, et ab omni substantia exceptam. »

Pag. 67. *Cujus elementum est.* Ita legendum docuerunt Græcus contextus, et P. Fronto : expunximus autem, « neque ipsum, super. » Item paulo post, « a, » pro « extra, » substituimus codicis veteris auctoritate.

Tunc et redintegrationem universorum. Non procul recedere videntur a magno illo anno Platonis, quem bona fide dolet Tertull.[91] omnium hæreticorum factum esse condimentarium. Quod vero exclamatione ecclesiastica, *Amen*, commenta sua confirmari putabant, ejusdem impudentiæ est cum eo, quod Æonum suorum labyrinthos hac coronide, *Per omnia sæcula sæculorum*, probari volebant. Cæterum, « postquam Patri omnium per nomen Filii et Spiritus sancti oblata fuerat eucharistia corporis et sanguinis Christi, *Amen*, quod Hebraica lingua, *Fiat* significat, totum cœtum Christianorum ceciniisse, » scripsit ante Irenæum Justinus martyr[92]. Putat vero Augustinus[93], ex iis nominibus esse, quæ propter sanctiorem auctoritatem in aliam linguam transfusa non fuerunt. Hujusque, ut *alleluia*, sacrosanctum usum esse affirmat, epist. 178.

Omnia deveuientia. Quinque has voces ex vet. cod. adjecimus, consentiente Græca lectione, ὅταν τὰ φέροντα καταλθόντα εἰς τὸ ἓν γράμμα.

Esse. Sonos. Ita legendum docent codices Græci, quibus conformis est vet. cod.

Pag. 68. *Propria.* Delevimus « progenia, » auctoritate vet. cod. et Græcæ lectionis.

Et unamquamque ex his triginta litteris in semetipsa habere, etc. Sic hunc locum P. Frontonis consilio correximus. Excusi codices habebant, « et unaquaque ex his triginta litteris in semetipso habere alias litteras. »

Illud. Delevimus « illum : » et mox pro « dedisse, » reposuimus « dixisse. » auctoritate vet. cod. et Græcæ lect.

Pag. 69. *Figura.* Expunximus, « factura. »

Pag. 71. *Habere.* Erasmus, « habet : » et mox septem dictiones addidimus, auctoritate vet. cod. et lectionis Græcæ.

Quæ est cœna pura. Ita et lib. v, cap. 23, sextam diem, qua Dominus cruci confixus est, appellat cœnam puram : cujus nominis meminerunt etiam Tertull. lib. v *adv. Mar.*, cap. 4, Augustinus Tractatu 120, in Joan., et Beda in cap. XIX Joan. Sic autem eam diem appellant, quod juxta legis præcriptum puros vestimentis, cibis, corporibus et animis eos esse decebat, qui sacrum Pascha essent celebraturi. Unde et Judæorum principes non intraverunt prætorium Pilati, ut non contaminarentur, ait evangelista, sed, puri videlicet, manducarent Pascha.

Pag. 72. *Virtutem.* Ita vetus cod. Græce etiam δύναμιν legitur; prius erat « virtutum. »

Hinc etiam. Prius legebatur : « Hic etiam. »

Usus est. Codd. excusi, « visus est. »

Ait. Expunximus « ut. »

Imitationem. Delevimus « micationem. »

Facta, reliqua vero. Ita vet. cod. et littera Græca; delevimus « ab eo fœtore aliqua. »

Exclamat. Expunximus « exdant, auctoritate vet. cod. et Græcæ lectionis.

Ex adnotationibus Joan. Ernesti Grabii in cap. 10.

P. 66. Ἀνούσιος. Id est « substantiæ expers. » Si substantiam quatenus accidentibus substernitur, vel etiam limitibus coerceri potest, Deo haudquaquam quadrare senserint, tantum abest eos errasse, ut etiam suffragantes sibi Patres plurimos habeant. Augustinus lib. VII *De Trinit.*, cap. 4 et 5, manifestum esse dicit, Deum abusive vocari substantiam. Dionysius lib. *De cœlest. hier.*, cap. 4, et lib. I *De divinis nominibus*, cap. 4 et 5, frequenter substantiam, sed ineffabilem, supersubstantialem, et omnibus substantiis supereminentem, Deitatem vocat. Damascenus lib. I cap. 8. Ταῖς ὅλαις οὐσίαις ἐπιβατεύουσαν καὶ πάσης οὐσίας ἐξῃρημένην, id est, « universis substantiis supereminentem, et ab omni substantia exceptam. » FEUARD. Addo, quod Origenes lib. VI *contra Celsum* quæstionem illam movens, utrum Deus habeat οὐσίαν, scribit : Ἀλλ' οὐδὲ οὐσίας μετέχει ὁ Θεός· μετέχεται γὰρ μᾶλλον ἢ μετέχει. « Sed neque substantiæ particeps est Deus : magis enim participatur, quam participat. » Post pauca subdit quærendum, num sit Deus potius nominandus οὐσία οὐσιῶν, ἰδέα ἰδεῶν, « substantia substantiarum, et species specierum. » Similiter Arianorum effatum erat : « Deus efficit ut sit substantia, non tamen ut ipse Deus in substantia deputetur. Quippe cum omnis substantia contraria recipiat, Deus qui nihil diversum admittere potest, substantia dici non debet, » uti refert Gregorius Nazianzenus orat. 49 de Fide, et addit : « Ignoscerem tibi, si hoc simpliciter diceres, si rationem velles scire, si rudis ad hanc quæstionem accederes, si non ipse esses, 57 qui semper de alia substantia, vel de nullis exstantibus Dei Filium assereres, » etc. Unde in sequentibus accurate disputat, probatque Deum recte substantiam dici, licet non talem, qualis in sublunaribus datur. Lege ipsum, et confer Casauboni Exercit. I ad Apparatum *Annalium* Baronii num. 10, post medium.

Μήτε ἄρξαν, μήτε ὁρίσαν. Ita et superius in fine capitis 5. Cæterum Casaubonus loco citato, allegatis hisce Irenæi verbis, hæc sua subdit : « Hinc

[85] Lib. Præscr. [86] Lib. de hæres. [87] Lib. I hæret. fabul. [88] Contra hæres. 35. [89] Lib. VII de Trinit., cap. 4 et 5. [90] De cœl. hier. cap. 4, et De div. nomin. cap. 4 et 5. [91] Lib. de anima. [92] Apolog. 2. [93] Lib. II de Doct. Christ., cap. 11.

Digitized by Google

pertinet, quod nonnulli veterum observant, quia nullus in Deo sexus, propterea Spiritum S. qui est tertia S. Trinitatis persona, Hebraice feminino genere dici, Latine masculino, Græce neutro : cujus observationis meminit et pseudo-Hieronymus de assumptione Mariæ. »

Τὸ ἀῤῥητον γεννηθῆναι. Vetus legisse videtur, ἀῤῥητον ῥητὸν γενηθῆναι. Sed malo hoc loco Græca sequi, quod γεννηθῆναι aptius quadret cum μορφωθῆναι, quod sequitur. Bill. Licet vero γεννηθῆναι retineatur, ῥητόν tamen omnino respuendum videtur, utpote quod incuria scribæ ob easdem duas posteriores præcedentis vocis syllabas excidisse non dubito.

Ἡ συλλαβὴ αὐτοῦ στοιχείων τεσσάρων. His significatur « prima tetras » Æonum, de qua cap. 1, § 1.

Τὴν δευτέραν. Subintelligo συλλαβήν, id est complexionem.

Καὶ αὐτὴ στοιχείων τεσσάρων. His «secunda» indigitatur «tetras,» de qua ibidem.

Δέκα. Intellige decem Æones ex Logo et Zoe prognatos, qui loco citato enumerantur.

Τὴν μετὰ ταῦτα. Id est « quartam vocem. »

Δεκαδύο. Duodecim Æones Anthropo et Ecclesia oriundos accipe.

Τοῦ ὅλου ὀνόματος. Per ὄνομα intellige Pleroma Æonum.

Τριάκοντα. Juxta numerum triginta Æonum.

Τεσσάρων. Juxta quadripartitam divisionem in primam et secundam « quaternationem, » ut interpres appellare solet, «decada» et « duodecada. » Supra vero cap. 1, § 1, juncta utraque tetrade, tripartite divisum dicebatur triginta Æonum Pleroma.

Pag. 67. *Πολιορκεῖ.* Γινώσκει lego cum veteri, non πολιορκεῖ, tametsi hæc quoque lectio prorsus improbanda non sit. Bill. Petavius in margine Epiphanii, pag. 237, posuit ἐπιστάται. Sed influitivum γινώσκειν, vel ἐπίστασθαι potius legendum esse, ex integro contextu patet.

Μονογλωσσήσαντος καταστῆσαι. Lego μονογλωσσήσαντα καταθῆναι cum veteri. Bill. Sed καταθῆναι prorsus rejiciendum, et si quid mutetur, καταστῆναι legendum.

Τότε δὲ καὶ τὴν ἀποκατάστασιν. Sententia Marci fuit, tunc demum perfectam ἀποκατάστασιν futuram, cum omnia, velut unum, uni supremo Deo subjecta fuerint, juxta I Cor. xv, 28.

Pag. 68. *Ὡς στοιχείου τὸ ὕστερον γράμμα* Lego cum veteri, τῶν στοιχείων τὸ ταῦ ἐσχάτου γράμμα. Bill. Mihi nihil aliud quam ὡς in οὗ mutandum videtur.

Οὗ ἦχος. Indigitat Enthymesin Sophiæ, de qua vide cap. 1, § 7 (cap. 2, n. 2, 3).

Καὶ τῶν. Lego καὶ τά. Bill. Τὰ πρὸ τούτων vero sunt Demiurgus, septem cœli, aliæque cœlestes creaturæ.

Τὸ μέν τοι γράμμα, etc. Hæc et sequentia intellige de Sophia, trigesimo Æone, et ut recte intelligas, lege supra cap. 1, § 2 et 3 (cap. 2).

Τὸ ἦχος τῷ ἦχει. Hæ quatuor parenthesi inclusæ voces, quas merito vetus interpres non agnoscit, in textum irrepsisse videntur e margine, in quo quispiam citra necessitatem Irenæum correcturus, pro ὁ ἦχος notavit legendum τὸ ἦχος, prout mox sequitur τῷ ἦχει. Et sane miror trigam doctorum virorum, Billium, inquam, Frontonem Ducæum, atque Petavium itidem voluisse, ut τὸ ἦχος, indeque συνεπακολουθοῦν, pro συνεπακολουθῶν legeretur, cum tamen ἦχος masculini sit generis, et ab Irenæo in hoc ipso capite ita sæpius usurpetur, licet dativum, quasi a τὸ ἦχος formaverit.

Τῷ ἦχει καὶ τό. Pro καὶ τό legendum esse κάτω, sequente commate vetus interpretatio docet, et mox sequentia verba : μεμενηκέναι δὲ εἰς κάτω τὸν ἦχον.

A *Τὸ δὲ στοιχεῖον,* etc. Pleroma triginta Æonum significat.

Pag. 69. *Κεφαλὴν ἄνω, τὸ ἄλφα.* Interpres legisse videtur, Κεφαλὴν αὐτοῦ ἄνω, πρῶτον ἄλφα. Alpha enim prima est littera.

Pag. 70. *Τῶν τῆς κλήσεως.* Ita catholicos appellabant hæretici, semetipsos σπέρματα ἐκλογῆς *semina electionis* vocantes. Confer. *Spicil. Patrum et hæreticorum sæculi* II, tom. I, pag. 91, ubi Heracleonis hanc in rem verba habes.

Pag. 71. *Ἃ ἐστιν ἓξ.* Tria στοιχεῖα, sive tres Æones, Pater, Anthropos et Logos, dicuntur sex, propter tres conjuges, Alethian, Ecclesiam et Zoen ipsis intime unitas.

Τὸν αὐτὸν αὐτοῖς ἀριθμόν. Intellige numerum vigesimum quartum.

Διπλᾶ γράμματα. Duplices litteræ duos in conjugatione junctos Æones Marco significabant.

Ἐκεῖνον τὸν μετὰ τὰς ἓξ ἡμέρας. Respicit hiB storiam transfigurationis Jesu in monte Thabor, in quem ipse cum tribus apostolis, Petro, Jacobo et Joanne post sex dies ascendisse narratur Matth. xvii, 1, et Marc. ix, 2, numero illorum mox aucto, dum Moyses et Elias ibidem apparuerunt, adeo ut tunc sex numero essent.

Τὸν κρατηθέντα καὶ καταβάντα. Τὸν καταβάντα καὶ κρατηθέντα inverso ordine legi vult Billius, veteris interpretis auctoritate ductus. Sed melior mihi videtur Epiphanii lectio; quippe detentus est aliquantum in monte, priusquam descenderet, partim colloquio cum Moyse et Elia, partim a Petro dicente v. 4 : « Domine, bonum est nos hic esse, » etc. Imo totam noctem ibi egisse, mox probabo.

Ἐν τῇ ἑβδομάδι. Ad septimum diem alludere, quo Christus in sepulcro jacuit, et apud inferos mansit, notavit Petav. ad Epiphan., pag. 72. Et septima quidem dies per hebdomadam videtur intelligenda. Nam uti Sabbatum Judæorum Græcis dicebatur ἑβδομάς, teste Theophilo Antioch. lib. II *ad Autol.*, pag. 94; ita et quamlibet septimam diem ἑβδομάδα vocare nihil prohibet. Non tamen septimam diem, qua Servator in sepulcro jacuit, hic accipio, quia de transfiguratione Domini agitur, de passione autem vel sepultura altum silentium; sed istam, qua de monte Thabor post transfigurationem descendit. Dices : Unde constat, Christum septima demum die descendisse, non ipsa sexta, qua ascendit? Illud vero patet ex Evangelio S. Lucæ, qui historiam transfigurationis Domini narrans cap. ix, 28, scribit : « Ascendit in montem, ut oraret. Et ut idem evangelista cap. xxi, 27, refert : « Erat diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte, qui vocabatur Oliveti. » Confer cap. vi, ℣. 12. Et ad has igitur preces in monte Thabor nocturno tempore procul dubio accessit, ut porro evincit somnus discipulorum, de quo iterum Lucas ℣. 32 : « Petrus vero et qui cum illo erant, gravati erant somno, et evigilantes viderunt majestatem ejus, » etc. Evigilantes igitur demum, viderunt gloriam Christi, et postquam aliqua cum eo verba miscuerunt, nube eos obumbrante, vocem de cœlo loquentem audiverunt, etc. Quæ et alia aperte docent, non ante mane septimæ diei Christum de monte descendisse. Videtur autem Marcus septimam istam diem mystice explicasse, sive de Demiurgo, quem « Hebdomadem » appellatum fuisse ex pag. 25, lin 19 (p. 24, l. 41) constat; vel de « septem cœlis, » infra quos Jesus descendit, cum tamen ipse esset « ogdoas. »

Ἐπίσημον ὀγδοάδα ὑπάρχοντα, etc. Jesus « Ogdoas insignis, » id est, prima et principalis, qua longe inferior est mater Achamoth, « Ogdoas secunda, » uti pag. 25, lin. 20 (pag. 24, l. 43), cognominatur, a Marco dicebatur, quia omnem virtutem octo primorum Æonum in se continere putabatur, imo non solum horum, sed et omnium trigintа Æonum, seu universi Pleromatis, ut cap. 1, § 4,

Digitized by Google

pag. 14, lin. 15 seqq. (cap. 2, n. 6), docebant hæretici. Unde et hoc loco mox sequitur : Καὶ ἔχοντα ἐν ἑαυτῷ τὸν ἄπαντα τῶν στοιχείων ἀριθμόν. Ubi per στοιχεῖα Æonas designari ex superioribus constat.

Ω καὶ α. Quod Apocalypseos cap. 1, 18, de vero Servatore Jesu legitur, id ipsi fictitio suo Salvatori, quem dicebant sub specie columbæ in Jesum descendisse, attribuebant.

Καὶ τὴν οἰκονομίαν... πεφηνέναι. Κατὰ τὴν οἰκονομίαν legere amabat Billius, ob verbum πεφηνέναι, quod in activa significatione nunquam in ullo auctore se legisse meminerat. Verum φαίνειν active sumi pro « in lucem edere, » vel « proferre, » probat Fronto-Ducæus, auctoritate Philonis Judæi, apud quem legitur τὴν εὐσέβειαν ἀπέφηνε. Sed et Ipsa Lexica hoc docent. Præbuit autem œconomia Servatori « corpus, » de quo supra p. 29, lin. 16 (pag. 28, l. ult.), ἀπὸ δὲ τῆς οἰκονομίας περιτεθεῖσθαι σῶμα, ψυχικὴν ἔχον οὐσίαν, « a dispositione autem circumdatum corpus, animalem habens substantiam. »

Διπλᾶ γράμματα τὸν ἀριθμὸν ἐπίσημον, etc. Quænam tres illæ duplices litteræ? Nisi fallor, tria sunt ἐπίσημα, βαῦ, σαμπὶ et κόππα, de quibus vide Scaligeri *Animadversiones ad Euseb.* pag. 112, 115 et 116.

Κέχρηται δὲ διακόσῳ τῷ τῶν ἑπτὰ ἀριθμῶν μετέθει. Usus scilicet dicebatur ab hæreticis Jesus septem principalium angelorum ministerio, sicut septem Spiritus ministri tribuuntur vero Jesu Christo, Agno Dei, Apocal. v, 6.

58 *Ἑπτὰ δυνάμεων, καὶ μίμησιν τῆς ἑβδομάδος δυνάμεως.* Loco καὶ auctoritate veteris interpretis reponi κατά; et per « septem virtutes » septem cœlos (de quibus vide pag. 25, lin. 22 (pag. 24, l. 29) et notas ad tom. I *Spicil. Patrum sæculi* II (pag. 224), intelligo, ut mox sequentia declarant, quæque habentur initio capitis 14 (17). Per « hebdomadem virtutem » autem septem principales angelos designari suspicor. Cæterum de voce δυνάμεων tam cœlos, quam angelos denotante, legantur Clementis Alexandrini *Eclogæ* ἐκ τῶν προφητικῶν § 1, quæ Græce post alia ejus opera, una vero cum Latina versione tom. I *Auctarii* novissimi Bibliothecæ Patrum a Combefisio editi, exstant. Confer § 52, ubi nomine « cœlorum » quoque non solum superos orbes, sed et angelorum operationes significari docetur; et § 58, ubi δυνάμεις dicuntur esse πρωτόκτιστοι ἄγγελοι, « primæ conditionis angeli. »

Scholia Billii in cap. 11.

Pag. 73. *Cœli enarrant.* In Græc. delendum τῶν οὐρανῶν.

Recreandi sui causa. Εἰς διυλισμόν Vetus « ad revelationem : » διυλισμὸς proprie « percolationem » significat.

Membris constat. Post δωδεκαμελοῦς, pone ὄντος ex vet. et post γραμμάτων, ἑκάστου.

Elocuta est. Sic lego in Græco cum vet. ἣν προσωμίλησε μὴ προσομιλήσασα.

Resolutione. Ἀναλύσεως, lego cum vet.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 11.

Pag. 73. *Ostensionem autem.* Quanta cæcitate et stoliditate laborarent præstigiatores, vel inde appareret, quod a vagitu et ejulatu recens editorum parvulorum, suorum placitorum demonstrationes peterent, et gloriolam sibi venarentur. At longe aliud lacrymas illas portendere monet Tertull.[98] : « Vitam nempe vagitu salutant, et de prospectu lacrymabilis vitæ, augurem incommodorum vocem illam flebilem quidam interpretantur, » ait ; Platonem, ut opinor, in *Axiocho*, si Platonis est, Lucretium, aut fortasse Plinium[99] subindicans. Is enim naturam potius novercæ crudeliorís nomine, quam melioris parentis appellandam censet, quod hominem tantum nudum, et in nuda humo, natali die abjicit ad vagitus statim et ploratum, ut vitam a suppliciis auspicetur. Alia ratio vagitus puerorum atque hic recitata est, etiam afferri potest, quam ex verbis Martialis Campani medici Burdegalensis, latronum vinculis et cæde divinitus liberati, libenter subjungam. Vagitus puerorum, inquit, convenienter naturæ prodeuntium in lucem, ex utero matrum, magno conatu impetuque facultatis expultricis, ea causa dari potest : quoniam in eo diu inclusi, novam tandem et repentinam loci mutationem facere coguntur. Exclusi expulsique foras, post, qualecunque fuerit, aeris temperamentum, ratione reliquorum diverse semper affecti, confestim excipiunt, simul et induunt. Quo fit, prout corpora, et ambientis temperies ea circumdantis exstiterint, vagitus vel edantur frequentes, vel nulli aut rari fiant. Exoriuntur in summa, propter loci tepidi, et plerumque temperati exitum, et propter aeris ambitum, intemperie sua cutim puerorum ex tempore vellicantem, et acriter mordentem, atque sic vim prorsus alienam calori nativo insinuantem. Natura puerorum jam enatorum rei novitate perterrita, injuriam quamvis etiam per se ægre ferens queritur; et modo gemitus, modo lacrymas, modo utrumque statim exprimit; at contra, cum nihil mali experitur, tunc quiescit, nec vagit læta sua sorte.

Ex Joan. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 11.

Pag. 73. *Εἰς διυλισμόν.* In omnibus editi. Hæ duæ voces cum sequenti verbo ἐπιφανεῖ junctæ repræsentantur, et διυλισμὸς proprie « percolationem » significans, metaphorice de « revelatione » seu « recreatione » animi post afflictiones a veteri cunctisque recentioribus interpretibus accipitur. Sed cum præcedentibus hæc mihi videntur construenda, ita ut anima ærumnis vexata dicatur εἰς διυλισμόν, « ut percolando quasi defæcatior fieret, » id est, ut a vitiis, ex ὕλῃ juxta hæreticorum placita ortis, animæque adhærentibus, per afflictiones liberaretur.

Ἡ ἄνω ψυχή. Superna scilicet animæ idea, qualem Marcus cum Platone statuisse videtur.

Ex adnotationibus Nicolai Gallasii in cap. 12.

Pag. 78. *Heri et ante.* Χθὲς, καὶ πρώην, id est, heri et nudiustertius. De hujus proverbii significatione et usu, vide *Chiliadas* Erasmi. Ex hoc autem loco videmus usitatum Græcis fuisse, cum de rebus nuper actis et admodum recentibus loquerentur. Nuper autem acta intelligit Irenæus, quorum auctores et inventores designari possunt. Quamvis ergo vetustissima sit litterarum inventio, quod ad homines attinet, tamen recentissima est, si æternitatem ac res divinas spectemus. Ineptissimum ergo et absurdissimum est a rebus inter homines repertis, quarum tempus et auctor notari potest, tametsi dona a Deo profecta sint, quasi æternæ essent, testimonium adducere.

Scholia Billii in cap. 12.

Pag. 74. *Unitatem simul exsistere.* Ἑνότητα legendum.

Σιγὴ *quinque.* Atqui hæc vox quatuor tantum litteris constat. Sed furiosus Marcus, ut in reliquis aliis, sic in subducendis numeris de veritate parum laborat.

Πατὴρ *totidem.* Addo in Græco πέντε, ex vet.

Nomen id quod in sermonem cadit. Hoc loco in Græco pro ὀκτὼ καὶ δέκα legendum Ἰησοῦς cum vet. et pro τόν, τό.

Eodem modo Christus. Hic quoque in Græco pro Υἱὸς Χριστὸς γραμμάτων δώδεκα, lego cum vet. καὶ Χριστὸς γραμμάτων ἕπτα.

Pag. 75. *Hæc avis.* Ne hic quidem video quo pacto vox περιστερά (quæ columbam significat) numero his litteris α et ω respondeat.

[98] Lib. de anima. [99] Lib. VII nat. Hist.

Digitized by Google

Filiæ instar. Ἐν θυγατρὸς τρόπῳ, « filiæ in modum. » Vetus interp. legisse videtur τόπῳ, non τρόπῳ, sed male.

Octo et octoginta emergunt. Delendum in Græc. καὶ ω, et pro δεκαοκτώ, reponendum Ἰησοῦς ex vet. interpr. Lin. seq. pro Ἰησοῦ legendum Ἰησοῦς, et delendum ω, et pro ἔχει substituendum ἔχεις.

Si litterarum numerum. Ne hic quidem numeri ratio constat, nec multis aliis in locis.

Supercœlestis. Ὑπερουράνιον malo, ut est in Græco, quam ὑπερουρανίου, ut vetus interp. Verum ibidem pro η καὶ τοῦ σ, legendum ex vet. τοῦ Ἰησοῦ.

Octingentorum octoginta. Hic in Græc. dele ἑπτὰ ex vet.

Pag. 76. *Hoc est Jesum.* In Græc. pro τὸ ε ι η, repone ex veteri, τὸν Ἰησοῦν. Lin. seq. pro τοῦ, lege τοῦτο.

Juxta numeri progressionem. Πρόβασιν lego cum vet., non πρόσβασιν. Lin. seq. post τρεῖς, addo καὶ τέσσαρες in Græc. ex vet. Hoc enim perspicue sensus postulat.

Quod est iota. Addo in Græc. ὃ ἐστιν ex vet.

Octogenarium. In Græco corrupte legitur τὸν Ἰησοῦν. Vetus translatio habet LXXXVIII numerum, sed mendum hic esse censeo. Neque enim ex octonario et denario inter se ductis hic numerus emergit.

Filiis appareret. In vet. inter. corrupte legitur filius pro filiis. Græc. τοῖς υἱοῖς.

Sex et viginti quatuor. Αὐτά vetus interp. non agnoscit.

Ducis munus. Pro ὁδοῦ, ὁδηγοῦ lego cum veteri.

Electum esse. Vetus interp. λεχθῆναι legit, non ἐκλεχθῆναι.

Pag. 77. *Altissimi virtutem.* In Græco non υἱοῦ, sed ὑψίστου lego cum vet.

Per os Jesu. Addo in Græco στόματος ex vet.

Proinde Jesum. In Græc. hæc inversa sunt. Nam pro οὖν τόν, legendum τὸν οὖν.

Pag. 78. *Hunc porro cum excepisset.* Pro τόν, lege ὃν, cum vet. et vers. seq. deleo δέ.

Et Ju et Hou. In Græco pro Ἰησοῦ lego Ἰού cum vet. interp. Est autem Ἰού apud Græcos interjectio dolentis. Lin. seq. pro φώνησιν, ἐκφώνησιν lubens legerim.

Cum jam a principio. Sensus rationem potius habui, quam verborum. Hic enim nec Græca mihi satisfaciunt, nec vetus translatio.

Longas adjecisse. Μακρά lego cum vet. non μικρά. Et lin. seq. post οὖν, addo παρ'.

Tu enim solus. Pro μόνον vet. legit μόνος εἶς.

Pag. 79. *Ut aperuisse.* Αὐτόν legendum, non αὐτό cum vet.

Patremque qui omnia capit. In Græco pro αὐτὸν γεγονότα πάντα, legendum existimo καὶ αὐτὸν τόν.

Exponentem. Ἐκδιηγουμένου lego, non ἐνδιηγούμενον.

Ipsiusque cogitationi. Pro τοῦ υἱοῦ, legendum τούτου, ita postulante sensu. Ac sic etiam legit vet. interp. Esd. lin. lege ἐπιψευδόμενος.

Pag. 80. *Maree idolorum architecte.* Hæc metrica forma exprimuntur, etiamsi pedum ratio non habeatur.

Apostaticæ. Ἀποστατικῆς lego cum vet., non ἀποστολικῆς. Esd. lin. pro χωρητεῖς ὡς, lego cum vet. χωρητεῖ σός. Ibidem deleo hanc particulam εἰ: et lin. seq. ἐγχειρήματα, idque 59 astipulante vet. et pro ἀντὶ Θεοῦ, unico vocabulo repono ἀντιθέου.

Notæ ex adversariis Frontonis Ducæi in cap. 12.

Pag. 74. Σιγὴ *quinque.* Rationem numeri non constare vidit Billius, nisi huic voci dentur quinque litteræ, et reperiri tamen in ea quatuor tantum, verum furiosum Marcum de veritate parum laborare; quod confirmari potest exemplo vocis Χριστός, in qua litteras ait esse octo, neque enim, licet ς dividas in σ et τ, plures quam septem reperies: alii alia comminiscuntur. Cornarius apud Epiphanium scripsit, σειγὴ « vero quinque: » sed an ex auctoritate manuscripti, an ex conjectura, non monuit. Tantum hoc addam ex catechesi 6 τῶν φωτιζομ. Cyrilli Hierosolymit., τέκνον γὰρ εἶναι τοῦ Βυθοῦ ἐλέγετο ἡ Σωπή. « Proles enim Profundi dicebatur Silentium. » Ita si diceretur ille Σιγὴ Æon σωπή, quinque litteras haberet. Verum sæpius ab eodem Cyrillo, Epiphanio, et aliis Sige dicitur: quamobrem ad aliud prius revolvamur necesse est, ut cum illo Terentiano monitore dicamus: « Quæ res in se neque consilium, neque modum habet ullum, eam consilio regere non potes. » —« Quid enim, inquit Tertullianus, recti habent, quæ tam perverse proferuntur. »

Pag. 75. *Cum hunc numerum habeat hæc avis.* Quo pacto vox περιστερά, quæ columbam significat, numero his litteris α et ω respondeat, se non videre, ait vir doctissimus: verum id ostendere perfacile est: π valet 80, ε 5, ρ 100, ι 10, σ 200, τ 300, ε 5, ρ 100, α 1, quæ omnia collecta efficiunt unum et octingenta: et hunc numerum notæ Græcorum designant α et ω: α enim unum, ω valet octingenta. Tertull. *De Præscr.* cap. 50, et hic noster cap. 10: « Quem manifestavit, cum ipse venisset ad baptismum, columbæ descensio, quæ est Ω et A. Numerus enim ipsius unum et octingenta. »

Et DCCC, *quod est Jesus.* Non assentior Billio delenti καὶ Ω, sed Feuardentio potius restituenti ex manuscripto, *et* DCCC; nam quod tanto illi viro numeri ratio constare non visa sit, in causa fuit auctoritas interpretis veteris, aut quod Græcorum notas nimis anxie noluerit excutere: sic enim æra summæ possunt explicari: ι efficit 10, η 8, σ 200, ο 70, υ 400, σ 200; ergo collectæ hæ notæ ι, η, σ, ο, υ, ς, reddunt 888, atque hoc est, quod postea dicit: « Jesus enim nomen secundum Græcarum litterarum computum dat summam DCCCLXXXVIII. Habes manifeste: » sic enim restituendum est e Græco: τὸ γὰρ Ἰησοῦ ὄνομα κατὰ τὸν ἐν τοῖς γράμμασιν ἀριθμὸν Ω ἐστὶν ὀγδοήκοντα ὀκτώ. Testis laudari potest Sibylla Cumana lib. I:

Ὀκτὼ γὰρ μονάδας, τόσσας δεκάδας ἐπὶ τούτοις,
Ἠδ' ἑκατοντάδας ὀκτὼ, ἀπιστοκόροις ἀνθρώποις
Ὄνομα δηλώσει.

Namque octo monades, totidem decades super ista,
Atque hecatontadæ octo infidis significabit
Humanis nomen.

Quapropter et A B Græcorum. Græc., τὸν vel τὸ ἀλφάβητον: « Quapropter et alphabetum Græcorum habere monadas octo, et decadas octo, hecatontadas octo, DCCCLXXXVIII numerum ostendentia, vel ostendentes. » Ostendi vero hæc singula sic possunt: Ab α usque ad ι sunt monades octo, nam senarii nota asciscitur ς: ab ι usque ad ρ sunt decades octo, nonam enim exprimit nota alia Ϟ: a ρ usque ad ω hecatontades octo, nonam hæc postrema refert Ϡ, millenarium vero ϡ subscripta virgula.

A enim et B et Γ. Græc. μία γὰρ καὶ δύο καὶ τρεῖς. A enim et B et Γ et Δ in semetipso composita X faciunt, vel remotis notis numerorum, unum enim, et duo et tria, et quatuor in semetipso, vel, in unum composita.

Quæ cum iota applicata. Billius in Græco esse corrupte putat τὸν Ἰησοῦν ἀπεκύησε, in veteri vero translatione, « LXXXVIII numerum generavit. » Porro ibi mendum esse censet, quod ex octonario et denario inter se ductis, hic numerus non emergat. At postquam hæc scripsit ille, restituit ex manuscripto legitimam lectionem Feuardentius, « DCCCLXXXVIII numerum generavit. » Sic igitur intelligendum est applicatam esse ogdoadem cum iota sive decade,

Digitized by Google

et ante expositum est; primum enim adjunctam A decadem dixit octonationi, et decuplam eam facientem LXXX fecisse numerum, et rursus applicatam octoagies decies octingentorum numerum fecisse; nam decies octoginta sunt 800, ac tum demum repetitur ogdoas tertio, ut 888 efficiat. Sane id fuisse in causa, ut hic Græce scriptum sit τὸν Ἰησοῦν, pro DCCCLXXXVIII, quod litteræ vocis Ἰησοῦς notæ sint numeri illius.

Pag. 77. *Per Mariam generatus.* Generatur, γενεσιουργεῖται.

Pag. 78. *Et super universam.* In Græco dele τό, et lege ὑπὲρ πᾶσαν: et paulo post in Latino interp., «et hoc alphabeti litteris stigmatam nuper, sicut quod est ab initio, quod dici solet, heri et ante. Græci confitentur a Cadmo se primum sexdecim accepisse · » videtur legisse, ὥσπερ τὸ ἀπ' ἀρχῆς, non πρὸς τὸ ἀπ' ἀρχῆς, hoc opinor sensu, quod heri et nudiustertius, vel admodum nuper actum est, perinde venditant, ac si ab orbe condito cœpisset esse. B Cornarius apud Epiphanium verterat, « ad hoc quod ab initio est ac nudiustertius, quod dici solet : » Gallasius sic immutavit, « ad id quod initio dictum est, heri ac nudiustertius : » atque ita indicavit se illa, τὸ δὴ λεγόμενον, non intellexisse notam esse proverbii: ut ex his aliisque ejusmodi colligi possit, eam propriam illius esse laudem, ut quæ non omnino male a Cornario reddita erant, deteriora reddidisse videatur.

Tempore quam Cadmos. Scribendum, « tempore quam Cadmus, et ii, qui ante eum sunt, posterius autem his, qui reliqua elementa addiderunt, posterius autem tempore, quam et tu ipse... quæ tantum verbosa est Sigen. »

Pag. 79. *Innominabilem nominat Æonem.* Vox *Æonem* abest a Græco : itaque cogitandum est, an addenda sit ex veteri, hoc modo, ὀνόμαζει αἰῶνα.

Et formam invisibilis factam. Scribe, « factum, » Verbum scilicet, γεγονότα Λόγον. C

Pag. 80. *Invectus est in te dicens.* Interpres vetus omisit adverbium ἐμμέτρως, quod Epiphanii interpres Cornarius ita reddiderat, « ac veritatis præco concinnus acclamavit. » Gallasius enim secutus, edidit κῆρυξ τῆς ἀληθείας ἔμμετρος. Nos antiquam lectionem restituimus, quam sequitur Billius; ideoque hic scribi potest, « præco veritatis versibus invectus est : » ut apud Platonem, ἐπέρχεται δέ μοι ἐμμέτρως εἰπεῖν : et Plutarchus, μὴ χρῆν ἔμμετρα τὴν Πυθίαν, de oratione numeris astricta : nam hos esse octo senarios iambicos non omnino malos, et excepto sexto, cui sextus pes deest, integros animadvertet, qui expendere volet, quorum primas voces notabo: 1 Εἰδωλοποιὰ, 2 Ἀστρολογικῆς, 3 δι' ὧν κρατύνεις, 4 Σημεῖα, 5 Ἀποστατικῆς, 6 Ἅ σοι χορηγεῖ, 7 δι' ἀγγελικῶν. 8 Ἐγὼν σε πρόδρομον.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 12.

Pag. 74. *Sic autem.* Confingit Marcus Silentium sibi plurima narrasse de unitate, senario, quaternione, nomine Jesu Christi, Spiritu sancto, et columba : quæ omnia velut impia et idololatrica figmenta coarguuntur. Hunc locum ita citat Nicetas libro quarto *Thesauri :* « Prolixam fabulam eam, ut Irenæus ait, Sigen, seu Silentium vocabat. Nomine sane, quod neutiquam fabulæ conveniret. »

Unitatem. Ita vet. cod., cui conformis est Græc. lect.; excusi habebant, « unitam. »

Σιγὴ *quinque.* Manifestus error Marci est : nisi aut litteram ultimam η, velut compositam ex duplici, pro duabus computet : aut articulum adjecerit, ἡ σιγή : aut in quodam obliquo σιγεῖ, aut σιγήν · aut denique, ut velle visus est interpres Epiphanii, σεσιγή scribendum censuerit.

Eumdem numerum. Ita restituimus ex vet. cod. indicio. Cæterum, hæ de nominis Jesu litteris deliberationes refelluntur etiam lib. II, c. 41.

Inenarrabile autem ejus. Hæc Marci figmenta sibi non constant, quando vix interjecta linea, contra scribit illud ipsum nomen esse litterarum triginta. Quod autem sit nomen illud ineffabile, constans 24 aut 30 litteris non satis intelligo : quando nec Ἰησοῦς nec Χριστός tot continent : nec ineffabilia censentur nomine. Nomen quidem Jehova, a quo fortasse judicavit nomen Jesu deductum, prisci dixerunt esse ἀνεκφώνητον, id est, ineffabile; non quod effari non posset : sed quod, magna reverentia, ab eo effando abstinerent.

Pag. 75. *Et* Χριστός *litterarum septem.* Hoc quidem verum : sed postea secum pugnans hæreticus ait, esse litterarum octo, ex quibus prima octonatio significetur : adeo immemores sunt hi mendaciorum consarcinatores.

Ut περιστεράν *manifestet.* Antiqua omnia exemplaria, « per ista manifeste » habebant; mendum tamen facile indicat Tertul. in calce libri *De præscript.* : « Denique Jesum Christum aiebant hæretici descendisse, id est, columbam in Jesum venisse, quæ Græco nomine cum περιστερά pronuntietur, habere secundum numerum DCCCI. » Accedit et Epiphanii Græca lectio, ἵνα τὴν περιστερὰν μηνύσῃ : « Ut peristeram, id est, columbam manifestet. »

Et DCCC. Hunc numerum apposuimus ex vet. cod. consentiente Græc. lect.; delevimus vero *dat.*

60 DCCC. Hunc numerum adjecimus cum ex Græco, tum P. Frontonis judicio.

Pag. 78. *Heri et ante Græci confitentur ab æstimatione.* Quas firmas putabant demonstrationes ex litteris Græcorum, quasi æternæ fuissent, ineptas et futiles esse ostendit; cum heri et ante, id est, adeo recentem et temporaneam esse illarum inventionem ingenue profiteantur Græci, quod earum auctores et inventores facile designent. Cæterum « a Cadmo primum, » non « ab æstimatione, » legendum, certissimum est. Hunc enim a Phœnicia in Græciam primum sexdecim litteras attulisse ferunt [96], α, β, γ, δ, ε, ι, κ, λ, μ, ν, ο, π, ρ, σ, τ, υ, idque paulo ante Xerxis tempora, evincit ex *Antiquitatibus* Josephi Eusebius lib. x *De præpar. evan.*, cap. 2. Simonidem Lyricum poetam postea quatuor istas ζ, η, ψ, et ω addidisse scribit Plinius lib. VIII, cap. 58; Palamedem vero tempore belli Trojani θ, ξ, χ, φ, quæ supererant, invenisse.

Et ii qui ante sunt. A P. Frontone moniti delevimus « eos : » et paulo post, « temporis quam Palamedes; » cum etiam absint a Græco contextu. Sicut et in sequentibus, « verbosa, » pro, « verbo sata, » et « factum, » pro « factam » substituimus.

Pag. 79. *Tu ais.* Delevimus « tuus, » aucto. vet. cod. et lect. Græc. D

Ipse Dædalus fictor. Recte comparat eum senior cum Dædalo Atheniensi fabro, qui quod sororis filium interemisset, judicii metu fugit in Cretam, ubi labyrinthum, opus portentosissimum fabricasse dicitur; sic et hic animorum proditor et perditor inextricabilium errorum labyrinthos exstruebat.

Pag. 80. *Idolorum fabricator, Marce.* Non solius idololatriæ interioris, qua somnia sua pro Dei vero verbo constituere satagebant, hæreticos reos facit; sed etiam quod Dei naturam, et proprietates impuris mendaciis immutarent, aliumque, imo et plures deos alienos fingerent, frequenter convincit infra lib. I, cap. 19; lib. II, c. 9 et 47, et lib. III, c. 40. Subscribit Tert. [97] dicens, « hæreses ab idololatria non distare, cum et auctoris et operis ejusdem sint, cujus et idololatria. Deum enim aut fugant

[96] Just. mart. orat. paræn., Herod. lib. V. [97] Lib. Præscr., cap. 40.

Digitized by Google

alium, » etc. Idem [99]: « Sicut nationes manibus, ita et hæretici verbis idola fabricantur, id est, alium Deum, et alium Christum. » Sic Athanasius et Lucifer Calar. Arianorum hæresim idololatriam reputant; Cyrillus Nestorianam, Augustinus Manichæam, Hieronymus denique in cap. VIII Ezech., in cap. III Danielis, in cap. II Oseæ, quæcunque a prophetis adversus idola dicuntur, ad hæreses transferens, docet omnem hæresim spiritalem idololatriam esse. Qui et rursus scribit [99]: « Hæreticorum unusquisque fingit quod voluerit, et adorat figmentum suum, ut Marcion Deum otiosum, Valentinus Ἀῶνας triginta, Basilides Deum Abraxas. » etc. Ita subscribit Aug. [1]: « Quisquis talem cogitat Deum, qualis non est Deus, alienum et falsum Deum in corde suo portat. » De seipso vero, cum adhuc Manichæorum hæresi detineretur, ait [2]: « Vanum phantasma et error meus, erat Deus meus. »

Sed propius advertamus an pari turpitudine ac infamia nunc laborent Lutherani et Sacramentarii, præcipui hujus tempestatis hæretici. Id profecto, si mutuis eorum de se invicem testimoniis credendum, jam confectum et probatum est. Lutherus namque Sacramentarios appellat [3], « canes, sacramenti-perdas, idololatras, qui Christum et Deum Patrem in verbis suis obtruncant, et diabolum loco Dei proponunt. » Jezlerus vero Zuinglio-Calvinianus testatur [4] suos Sacramentarios censere, « Lutheranos esse anthropophagos, Christicidas, artolatras, et impanati Dei cultores. » Ecquis negabit hoc mutuum tam evangelicorum, et ab omni pontificio errore defæcatorum ministrorum, de seipsis testimonium verum esse? Cum præsertim et Anglicani in sua *Apologia*, et Genevani in *Præfat. harmoniæ confessionum*, et Polonici in consensu Sendomiriensi palam contestentur, « Lutheranos et Zuinglianos fratres, amicos, et conjunctissimos verbi ministros esse: ac proinde iniquissime eis discordiam et ataxiam objici? »

Verum, firmioribus argumentis quod propositum est efficiamus. Lutherus in cap. XLVII Gen., Chemnitius, Schlusselburgius, et asseclæ Lutherani ex parte; Calvinus, Vermilius, Bucerus, Sacramentarii ex altera, sponte admittunt [5], « Christum in perceptione eucharistiæ, ex fide adorandum esse. » At vero, hi alibi protestantur, eumdem Christum tam a pane cœnæ abesse, quam summus cœlorum vertex abest a centro terræ; illi vero jam nullum legitimum sacerdotem, qui revera consecrare possit, ministrum habent; sed meros laicos ac profanos homines. Igitur eucharistiam, seu cœnæ suæ panem adorantes, reipsa sunt idololatræ.

Deinde, manifestum est Lutheranos, opiniones quas Satanas contra missæ sacrificium Luthero suggessit, verbi Dei loco admittere et credere: Zuinglianos et Sacramentarios sententiam illam velut Evangelium divinum colere, quam Spiritus perambulans in tenebris nocturnis Zuinglio revelavit; nec has modo, sed et universas quas vel recenter adinvenerunt, vel ex veteribus hæresiarchis instauraverunt, hæreses et fanaticas opiniones pro Dei verbo venerari. Nemo igitur negabit hos omnes vere idololatras et dici et esse.

Præterea, Deum confingentes auctorem malorum, id est, omnium tam in dæmonibus, quam in hominibus scelerum effectorem; quique homines destinato creet ut perdat; ad quodlibet audendi et agendi (sublata omni arbitrii libertate) necessario compellat; qui nulla pravorum hominum cura tangatur; qui denique nec intelligere, nec velle, nec efficere valeat, ut unum corpus simul sit in multis locis: an non novum et A falsum Deum comminiscuntur et adorant? Hujusmodi enim Deum nec prophetæ, nec apostoli prædicaverunt, nec universus mundus Christianus hactenus cognovit.

Ad hæc, Christum proponentes communi more de matre sua natum, ignorantem, improprie docentem, et absurde ratiocinantem; qui judicio Dei oppositus nec mereri, nec satisfacere pro nobis potuerit; qui mollitie animi oblitus sit se esse Redemptorem mundi; qui officio suo fungi detrectaverit; vota inconsiderata, castiganda, revocanda, et vocationi suæ contraria emiserit; res impossibiles a Patre sibi concedi postulaverit; qui denique omnium mundi peccatorum reus, divinæ maledictioni ac iræ subditus, voces desperationis plenas moriens emiserit: Christum plane novum, id est, abominandum idolum a suis adorandum et colendum erigunt atque constituunt. Etenim talem Christum non annuntiaverunt apostoli, non prædicaverunt discipuli, non crediderunt martyres, non invocaverunt confessores, non timuerunt virgines, non coluit hactenus tota Christianorum Ecclesia, etc. Aperiat itaque Spiritus sanctus oculos cæcorum istorum, ut perspecta et relicta idolorum suorum fœda abominatione, ad unius veri Dei et Christi ejus cultum in Ecclesia catholica hactenus servatum tandem aliquando redire possint.

Azazel. Nomen unius dæmoniorum, qui elementis præsunt, operasque magis impendunt, ex cabala Hebræorum putat esse Agrippa [6], et meridiei regem esse, « Amaymonque » alias vocari nugatur. Eumdem quoque in exercitu Satanæ latissime imperare scribit Reuchlinus lib. III *De arte cabalistica.*

Ex Jo. Ernesti Grabii adnotationibus in cap. 12.

Pag. 74. Ἐπιλύσεως] Ἀναλύσεως legi vult Billius, quia vetus interpres vertit « resolutionem. » Sed ἐπίλυσιν eamdem significationem « resolutionis » sive « explicationis » habere constat, ideoque nulla opus est mutatione.

Οὕτως οὖν. Hunc locum ita citat Nicetas lib. IV *Thesauri* (fol. 163, pag. 1 edit. Paris.): « Prolixam quamdam fabulam instituens, eam, ut idem Irenæus ait, Sigen seu Silentium vocabat; nomine sane quod fabulæ ejusque argumento neutiquam conveniret. » Feuard. Sed ut pravam hanc verborum Nicetæ interpretationem corrigas, en Græcum textum ex egregio Nicetæ ætatem fere æquante mss. codice biblioth. *Bodleianæ*, Roe 22: Μακρόν τινα πλασάμενος μῦθον, ἔφησε σιγὴν εἶναι τοῦτον τὴν Σιγήν, ἀπροσφυῶς τῷ τα.τῆς ὀνόματι καὶ ἐπαγγέλματι.

Ἡ δὲ Σιγὴ πέντε. Billius, Fronto Ducæus et Feuardentius omnes hoc Marci effato offensi, objiciunt, quod σιγὴ quatuor tantum habeat litteras. Sed Marcus sive ex istius ætatis more, sive ex proprio malesano ingenio scripsit σειγή, ut ex veteri versione colligitur, de qua vide infra; ut adeo istis, quas Fronto Ducæus et Feuardentius fecere, ambagibus non sit opus.

Τὸν δὲ ἄῤῥητον αὐτοῦ, γραμμάτων εἰκοσιτεσσάρων. Τό pro τόν reponendum recte monuit Billius. Per ineffabile autem « nominis Jesu, » intelligo mysticam quamdam illius explicationem sive periphrasin, quam Marcosii commenti sunt ad imitationem Hebræorum, qui varias nominis tetragrammati יהוה excogitarunt interpretationes, de quibus vide Buxtorfii *Lexicon Hebraicum* in voce יהוה. Quænam fuerit autem mystica illa nominis Jesu expositio 24 litteris constans, ut et nominis Christi, quam 3ι litterarum esse ait, vix quisquam dicere poterit.

Pag. 75. *Υἱὸς Χριστὸς, γραμμάτων δώδεκα.* Loco

[99] Lib. adv. Praxeam. [99] In cap. III Amos. [1] Quæst. 29 in Josue. [2] Lib. IV Conf., cap. 7. [3] Thesi 26, cont. thes. 31, Lovan. anno 1545. [4] Libr. de diuturnit. belli eucharist., pag. 95. [5] Instit. lib. IV, cap. 17, § 37, Defens. vet. doct. de cœna Domini. [6] Lib. II de occulta philos.

Digitized by Google

quatuor 61 horum verborum Billius reponi vult: καὶ Χριστὸς γραμμάτων ἑπτά, seductus vitiosa veteris versionis lectione: « et Christus litterarum 7. » Sed hanc aperte repugnare rationibus Marci, ideoque, illa repudiata, priorem lectionem retinendam esse, sole clarius elucescit, ex verbis mox sequentibus p. 73 (76), λέγεται δὲ, φησὶ, καὶ υἱὸς Χριστὸς, etc., ubi Latina cum Græcis bene conveniunt. Si quæras, unde ergo octo litteræ in voce Χριστός? neque enim, ut Fronto Duc. animadvertit, licet ς dividas in σ et τ, plures quam septem reperies!; respondeo, Marcum Χρειστὸς legisse, ut Petav. in not. ad Epiphan. pag. 72 conjicit, addens « Christum, » aliquando « Chrestum » appellatum legi. Sic Σειγὴ eumdem scripsisse pro Σιγὴ, modo vidimus.

Ὑπερουράνιον. Quia septem a Valentini asseclis statuebantur cœli, ex numero octonario septimum transcendente, supracœlestis nominis Jesu ortus ab hæreticis istis colligebatur. Non itaque probanda animadversio Billii, ὑπερουράνιον in ὑπερουρανίου, mutantis.

Pag. 76. *Τούτου τοῦ ὀνόματος.* Subintellige « Christi, » cujus episemon dicit esse nomen « Jesu, » quia « positum est in assimilationem et figurationem ejus, » ut sub finem § sequentis docebit.

Τῆς ἄνω δυνάμεως. « Christum » sive « Salvatorem, » quem super Jesum descendisse fingebant, hic intelligendum esse ex § seq. patet. Atqui cum illum τελειότατον κάλλος, « perfectissimum decorem, » statuerent hæretici supra pag. 14, lin. 22 (pag. 13, l. 2), ad ejus imaginem hunc Jesum hominem factum esse commenti sunt.

Pag. 77. *Ἐγενσιούργησαν τὸν ἐπὶ γῆς φανέντα Ἰησοῦν.* Hic obiter moneo, Latinam versionem Nicetæ in *Thesauro orthodoxæ fidei*, pag. 266 edit. posterioris: « Virtutes præterea, quæ ab iis emanaverant, ab eo Jesu generatas esse, qui visus esset in terra, » corrigendam esse hoc modo: « Virtutes præterea, etc., generasse Jesum, qui visus esset in terra. » Atque hanc correctionem bene admittunt Græca ms. cod. 22 Roe in bibl. Bodlei.: Ἀπὸ τούτων δὲ δυνάμεις ἀπορρύειτας γενεσιουργῆσαι τὸν ἐπὶ γῆς φανέντα Ἰησοῦν.

Κατελθεῖν εἰς αὐτὸν ὡς περιστερὰν τὸν ἀναδραμόντα ἄνω. Subintellige Servatorem, sive Christum ex omnium Æonum collatione compositum, de quo modo citata pagina, mox hæc habentur: Καὶ εἰς τοῦτον ἐπὶ τοῦ βαπτίσματος κατελθεῖν ἐκεῖνον τὸν ἀπὸ τοῦ Πληρώματος ἐκ πάντων Σωτῆρα ἐν εἴδει περιστερᾶς. « Et in hunc in baptismate descendisse illum, qui esset de Pleromate ex omnibus Salvatorem in figura columbæ. »

Σπέρμα φησὶν εἶναι τοῦ Πατρός. Marcus Virtutem in Jesum sub specie columbæ descendentem « semen Patris » dixit; alii Valentini sectatores « spiritum Enthymeseos Patris » appellarunt, teste Clemente in *Excerptis ex Diduscalia Valentinianorum*, pag. 792, col. 1: Καὶ ἡ περιστερὰ δὲ σῶμα ἔφη· ἣν οἱ μὲν τὸ ἅγιον Πνεῦμα φασὶν· οἱ δὲ ἀπὸ Βασιλείδου, τὸν διάκονον· οἱ δὲ ἀπὸ Οὐαλεντίνου, τὸ πνεῦμα τῆς ἐνθυμήσεως τοῦ Πατρὸς, τὴν κατέλευσιν πεποιημένον ἐπὶ τὴν τοῦ Λόγου σάρκα. « Et columbæ corporalis species apparuit; quam alii quidem Spiritum sanctum dicunt; Basilidiani vero ministrum; Valentini autem sectatores spiritum intentionis Patris, descendentem super carnem Verbi. » Conferatur auctor noster lib. III, cap. 17.

Ἔχον ἐν ἑαυτῷ καὶ τὸν Πατέρα... καὶ τοὺς ἅπαντας Αἰῶνας. Nam ex omni Pleromate compositum fingebant Jesum, ut modo dictum est.

Ὁμολογῆσαν ἑαυτὸν υἱὸν ἀνθρώπου, etc. Christus qui in Jesum descendit, se filium hominis professus est, quia ab Anthropo Æone, et dodecade Æonum Anthropo oriunda ortum ceperat et ipse.

Φανερώσαντα. Φανερῶσαν legendum, et vetus interpretatio, et res ipsa docet.

Ἐγνώρισε δὲ τὸν πατέρα Χριστόν. Haud parum difficilis est hic locus, quoniam nulla datur ratio, ob quam Christus in Jesum descendens, hujus pater dictus sit. Ne igitur frustra te torqueas, non Χριστόν lege, sed Χριστός. Neve hanc lectionem genuinam esse dubites, confer hunc textum cum loco exacte parallelo lib. III, cap. 17: « Qui autem a Valentino sunt, Jesum quidem ipsum esse, qui per Marism transierit, in quem illum de superiori Salvatorem descendisse... participasse autem cum eo, qui esset ex dispositione, de sua virtute et suo nomine, ut mors per hunc evacuaretur, cognosceretur autem Pater per eum Salvatorem, qui quidem desuper descendisset. »

Τοῦ ἐκ τῆς οἰκονομίας ἀνθρώπου. Ita nominat ad distinctionem alterius ἀνθρώπου, quem mox dicit in ipsum descensurum, nempe Christum.

Ἀνθρώπου. Christum ἄνθρωπον ideo nominasse videtur Marcus, quod filium ἀνθρώπου esse statueret.

Pag. 78. *Τὸν χωρήσαντα αὐτόν. Ἐσχηκέναι δέ*, etc. Τόν in ὃν mutari, ac δέ deleri auctoritate veteris versionis vult Billius. Sed puncto distinctionis solum deleto, hæc verba, citra ullam mutationem, interpretis sensui respondent.

Ἐσχηκέναι. Subintelligo Jesum, qui Servatorem suscepit, non hunc susceptum.

Οὐκ ἦν Ἀλήθεια. Hæc, vel absolute tanquam absurdum ex figmentis Marci illatum, vel interrogative accipi possunt: unde in Latino signum interrogationis in omnibus edit. expressum est.

Pag. 80. *Ἐμμέτρως.* Injurius in Coloniensem Irenæi editionem, a Feuardentio curatam, fuit Scaliger in Euseb. pag. 219, dum ibi ἐμμέτρως legi animadvertit pro ἐμμέτρως, et interpretes taxat, quod ἔμμετρος κῆρυξ eis fuerit « præco; » cum tamen in illa editione expresse esset ἐμμέτρως, ac in Latina Billii versione legatur: « Veritatis præco versibus ita in te exclamavit. »

Ἐγχειρήματα Ἀζαζήλ. Ἐγχειρήματα dele, et nomen Ἀζαζὴλ accipe de malo angelo, cujus mentio fit in *Paraphrasi Chaldaica*, Jonathani vulgo ascripta ad Gen. VI, 5 (quamvis ibi corrupte « Uziel » dicatur), nec non apud R. Salomonem Jarchium ad Num. XIII, 34, his verbis Latine versis: « Nephilim sive gigantes sunt Anakim ex filiis Schamchazai et Azael, qui ceciderunt in diebus sæculi Enoch. » Atqui in libro *Enochi*, pag. 348 nostri *Spicilegii Patrum sæculi I*, decimus ordine inter XX angelos lapsos numeratur Ἀζαζήλ, sive Ἀζαήλ (nam utroque modo ibi legitur), et pag. 351, Deus ad sanctum angelum Raphaelem ita locutus fertur: « Vade, Raphael, et Azaelem liga, καὶ δῆσον τὸν Ἀζαήλ, manus et pedes ejus vinculis constringe, et in tenebras mitte; aperi desertum deserti Dudael, et profectus illuc eum conjice; et suppositis ei lapidibus acutis et asperis, induc super eum tenebras, quas in æternum incolat. » Unde deserto, ac asperis montanis locis, nomen istud hæsisse videtur, quod nempe Azazel, ac mali angeli ibi ligati teneri crederentur. Ita intelligendus textus Levit. XVI, 8 seqq., ubi duorum hircorum alter Domino in sacrificium offerri jubetur, alter vero mitti לעזאזל vel לעזאזל דבדברה, ut vers. 10 legitur, id est « ad aspera loca deserti. » Liber Sephre: « Ad Azael, id est ad locum difficillimum in montibus. » Et Aquila versu 26, hanc vocem Græce reddidit ἔρημον. Vide præter commentatores ad citatum locum, Moynii notas ad Barnabæ epistolam pag. 648 seqq., ubi plura congessit, cum judicio tamen legenda.

Τὰ πολλῷ χρόνῳ κεκρυμένα. Ex his patet, Marcum, aliquandiu ante aoultam Irenæi ætatem, hæreseos virus sparsisse. Nolim tamen omnino,

Digitized by Google

cum auctore libri de hæresibus a Jacobo Sirmondo editi sub titulo *Prædestinati*, Marcum ad Clementis Romani ævum referre, atque illum ab hoc damnatum asserere. De quo aliisque istius auctoris parachronismis vide nostrum *Spicilegium Patrum et hæreticorum sæculi* II, tom. I, pag. 81 seq.

Scholia Billii in cap. 13.

Pag. 80. *Quis uberrationem et inventionem.* Græc., τὴν πλάνην τοῦ προβάτου καὶ ἀνεύρεσιν. Vide autem quam hic fœde hallucinatus sit Gallasius, hoc est, in loco omnium facillimo, maximeque perspicuo. Verlit enim πλάνην « impostura, » et ἀνεύρεσιν « commentum. »

Pag. 81. *Si a binario.* Duo enim et quatuor, et sex, et octo, et decem, triginta efficiunt.

Quod asseclam. In Græc. legendum cum vet. διὰ τὸ τόν. Lin. seq. Græca ita legenda sunt, delenda διὰ τὸ, συνεπαχολουθήσαντα αὐτῇ διὰ τὸν ἐπίσημον.

Abscedentem. Legendum in Græc. ἀποστᾶσαν. Lin. seq. delendum ἐπί.

In ove undecim. Falsa est hæc suppntatio. Nam si undecim legamus, ut habet Epiphanii codex, falsum erit quod hic dicitur in ove superesse undecim, cum supersint 99. Rursus si legamus cum vet. interp. undecies 9 hæc profecto in novem ducta, non 99, sed 821 efficient. Malui tamen Græc. hoc loco sequi, ut numeri ratio constet, ac quæ sequuntur his respondeant.

Ἀμήν. M enim et ν efficiunt 90, η et α, 9.

Pag. 82. *Dempta senarii nota.* Pro ὑφεξαιρουμένου, lege ὑπεξαιρούμενος.

Usque ad elementum ε. Sic legendum, non θ.

Ex tribus virtutibus. Τριάκοντα, id est triginta, habet Epiphanii codex : sed τριῶν malo cum vet. Intelligit enim, meo judicio, ogdoadem, decadem et duodecadem.

Sursum reliquit. Pro τοὺς ἄνω, leg. cum vet. ἄνω τούς, et ead. lin. καταλλήλως.

62 *In figura sermonis.* Deest ἐν apud Epiphan. Nolui autem, hic repugnante non modo Græco codice, sed etiam veteri interprete, quidpiam immutare. Tantum admonebo lectorem, pro λόγου, legendum mihi videri λ. Neque enim hic λόγος quidquam ad rem facit.

Novum et nonagenarium. Ἐννενήκοντα addo ex vet.

Figura litteræ M. Addendum M in Græco ex vet.

Typum fugiant. Αὐτός lego cum vet., quemadmodum et seq. lin.

Pag. 83. *Vereque ineffabilis.* Ἀληθῶς lego, non ἀληθείας.

Non est salus. Id est, salutatio, Græc. χαίρειν.

Pag. 84. *Ad suscipiendam fraudem.* Ὑπέκχρουσιν (sic enim legendum, non ὑπερέκχρουσιν) ita verto, ut idem significet quod παράχρουσιν.

Ignorantiæ spirituum. Ἀγνοίας lego cum vet. postulante ita sensu, non ἀνοίας, ut in Epiphan.

Notæ ex adversariis Front. Ducæi in cap. 13.

Pag. 81. *Unum enim et duo.* Ut consentiant hæc cum Græcis et inter se, ita corrigenda sunt, « una enim, et duæ, et tres, et quatuor in unum compositæ, decem. »

In ove vero undecies 9. Falsam esse suppu'ationem sit vir doctiss. Nam si legamus *undecim*, ut habet Epiphanii codex, falsum erit, quod hic dicitur, in ove superesse undecim, cum supersint 99. Existimavit quippe hic alludi ad centenarium ovium numerum, Matth. XVIII, 12, ex quibus una perdita, supererant 99 ; sed advertendum est, Irenæum initio capitis hujus dixisse, cum circa duodecim numerum labes facta esset, ovem luxuriatam aberrasse, atque ita reliqua esse undecim, ut apud Epiphanium legimus : utique hic legendum est : « In ove vero undecim perplexos sibimetipsis 99 numerum generare ; quoniam novies undecim 99 fiant. Quapropter et Amen hunc habere dicunt numerum. »

Pag. 82. *Ter idem factus.* Græca dilucidiora sunt et uberiora, sed ita corrigenda : τρὶς αὐτὸς γενόμενος τ. ε. ε. τρὶς γὰρ τριάκοντα, « ter idem factus 90 fecit. Ter enim triginta nonaginta sunt. Et ipsa autem. »

Quoniam ab alpha sine episemo. Restitue « quoniam ab alpha sine episemo, ipsarum litterarum numerus, usque ad λ compositus secundum augmentum litterarum cum ipso λ, 90 et 9 facit numerum. Quoniam autem λ, quæ est undecimo loco, ad similis sui descendit inquisitionem, ut, » etc.

Quapropter et fugere. Hic locus in Græco est corrigendus : τὴν τῶν θ χώραν, pro τὴν τῶν Ε Θ χώραν, vel, ut in Epiphanii editione Basileensi erat, τὴν τῶν εθ, facili mutatione του ϛ, quæ nota est nonagenarii, in ε. Illis lucem afferent, quæ docet Beda, in libello *De loquela per gestum digitorum* : nam sinistræ digitis utebantur veteres, ut eorum gestibus usque ad 99 numerarent, centum vero et reliquas centurias dexteræ gestibus exprimebant ; unguem scilicet indicis in medio figentes, artu pollicis centum dabant. Juvenalis sat. X, v. 245 :

... *Atque suos jam dextera computat annos.*

Pag. 83. *Non est enim gaudere.* Locus est Isa. XLVIII, 22, apud LXX : Οὐκ ἔστι χαίρειν, λέγει Κύριος, τοῖς ἀσέβεσιν. Quæ cum nostro vertit August. *De civit.* XIV, 8. Vulgata Lat. « Non est pax impiis. » Atque ut Hebræi, cum salutarent se invicem, dicebant שָׁלוֹם לָךְ, « Pax tibi, » sic et Græci initio epistolarum scribebant χαίρειν : et dum se salutabant, χαῖρε : ergo allusio in Græcis apertior est, ὁ λέγων αὐτοὺς χαίρειν. « Qui dicit illis gaudere. » Et : « Non est gaudere impiis. »

Ab ogdoadis nequissimis spiritalibus. Græca sonant, « ab ogdoade nequissimorum spirituum. »

Aut plus rident, et valere. Interpres legisse videtur ἢ pro ᾗ, « quanto plus rident, et valere se putant, etc., tanto magis male habent. »

Pag. 84. *Super tonum sagittantes.* Ὑπέρτονα τοξεύειν, numero multitudinis, ut in proverbio trito, ἄσκοπα τοξεύειν. Ὑπέρτονον autem non modo dicitur νεῦρον chorda, quæ intenditur, sed et quidvis grande, vehemens, aut immodicum : ut apud Aristophanem, βοάσομαι τὴν ὑπέρτονον βοάν. Suidas, μεγάλην, ὑψηλήν, ὑπεραίρουσαν : et Clemens Alexand. II *Strom.*, ὑπέρτονον ᾄδειν : et III *Strom.*, ὑπέρτονον φθέγγεσθαι. Porro videant docti, num paulo post legendum sit, τὸ πνεῦμα τῆς ἀνοίας, « spiritus insipientiæ : » ut sub finem capitis τὴν ὀγδοάδα τῆς ἀνοίας : etsi utrobique interpretes, « ignorantiæ, » vertunt ; dixit enim eos non sapere, quanto plus sapere putantur ; et Apostolus, II Tim. III, 9 : « Insipientia eorum manifesta erit : » denique auctor ipse cap. 1 : Φυλάξασθαι τὸν βυθὸν τῆς ἀνοίας : « observare se a fundo insensationis. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 13.

Pag. 80. *Generationem.* Figmenta Marcosiorum de ove perdita, numero binario et senario, drachma perdita, littera episemo, lambdæ figura et virtute, non tam irrisione, quam deploratione digna sunt : auctoresque eorum cavendi.

Adunantes. Ita legendum docuit vet. cod. Græca lect. habet ἐνώσαντο ἐπὶ τὸ αὐτό : delevimus itaque « adunantis. »

Pag. 81. *Duodecadem.* Expunximus « unde eadem, » auctoritate vet. cod. et lectionis Græcæ.

In ove vero undecim perplexos sibimetipsis. Sic legendum, Billii ac Frontonis judicio, proponimus. Codices excusi, « undecies novem perplexos sibimetipsos, » ut proxima linea, « et Amen » pro « tamen » restituimus.

Cum episemo. Id est, cum numero senario.

Pag. 82. *Appositus.* Ita reponendum, pro « appositis : » ut paulo post « sursum, » pro « rursum, » docuit vet. cod. consentiente Græca lect.

Digitized by Google

Usque ad λ *compositus.* Ita pro « compositum; » et linea proxima, « facit numerum, » pro « faciunt : » deinde, « quæ est undecimo loco; » et, « sui, » pro « suorum; » item paulo postea « eos, » pro « ejus, » Frontonis substituimus judicio.

Et fugere. Delevimus « figuræ, » veteris cod. et Græc. lect. auctoritate; ut et paulo post pro « eos, » reposuimus « ejus. »

Pag. 83. *Sunt autem digni planctu.* Amentiam eorum pia miseratione deflendam existimat piissimus hic martyr, quod prophetarum et apostolorum scriptis tanta impudentia luxatis, spreta quoque omnium per orbem Ecclesiarum apostolica traditione; Christianæ fidei adoranda mysteria per Pythagoricos numeros, et aniles cabalistarum fabulas, violenter distorquebant, et gentibus irridenda exponebant. Itaque hoc gravissimi martyris dicto revocamur, ne prolixioribus scholiis in numeris illis supputandis, colligendis, et explicandis, oleum et operam perdamus. Qui profana sitiunt, habent unde sitim expleant. Ego tantum præter ea, quæ ad veram theologiam spectant, editiones priores cum veteri codice fideliter conferendi partes suscepi.

Non est gaudere impiis. Οὐκ ἔστιν χαίρειν, Græcismus est, et similibus singulis fere capitibus abundat, ut semper adnotare immensum et tædiosum fuerit.

Exsufflantes et catathematizantes. Alludit ad sacros illos ritus, quibus in baptismo adulti, conversi ad occidentem, manibus impingebant, et exspuendo exsufflabant et exsecrabantur dæmonem : quod et non minus caute observabant, hæreticorum blasphemas sententias postmodum aversantes. Porro baptizandus antea edocebatur abrenuntiare diabolo, ut pluribus in locis testatur Clemens Rom.[7] et Christo se aggregare. In ipso autem baptismi articulo his professebantur : « Abrenuntio Satanæ, et operibus ejus, pompis, cultui, angelis, et machinationibus ejus, et omnibus, quæ sub ipso sunt. » His adhuc apertiora alius etiam apostolorum discipulus Dionysius Areopag. habet[8] : « Disclinctum, et ministrorum manibus exutum baptizandum, occidentem versus statuens episcopus, intendentem, manusque impingentem, ad eamdem regionem conversus, insufflare, ἐμφυσῆσαι τῷ Σατανᾷ, et conspuere illum ter Satanam jubet, ac præterea ter abrenuntiationem profiteri. » Non solum enim immunda quæque cum flatu exspuere consuevisse Christianos, ex Tertulliano constat[9], verum et aquam baptismi adituros, prius subantistitis manu contestatos esse, se diabolo renuntiare, et pompæ, et angelis ejus, atque etiam quotidianis exorcismis eumdem traduxisse, expulisse, revicisse, et respuisse. Cum autem parvulos sacro fonte abluerent, qui ætatis imbecillitate exsufflare et exspuere non poterant, Ecclesiæ ministros et susceptores, illorum vice isthæc peregisse, ex Augustini scriptis apertum est, libro *De eccl. dog.* capite trigesimo primo; libro *De nuptiis et concup.* capit. decimo septimo, decimo octavo, vigesimo nono; et libro quinto *Hypogno.* Hæc ex occasione scribere libuit in eos, qui Christianos illos ritus tantopere criminantur.

Pag. 84. *Super tonum sagittantes.* Ostendit ridiculos plane, et inanes esse Gnosticorum conatus, sumpta metaphora a sagittariis, qui plus quam par sit, arcum extendere nituntur. Iis enim accidit, ut quo longius se jaculaturos putent, eo magis fallantur, atque deridendos se præbeant, dum aut frangitur arcus, aut eorum vires enervantur. Putaverim vero ὑπέρτονα τοξεύειν, « vehementius quam oporteat in tendendo arcu eniti, » significare. Interpres vetus forsan legit non ὑπέρτονα, sed ὑπέρτονον, vel A uno, vel duobus vocabulis, eodem quidem sensu; nisi quod distincte vix reperias : sed magis placet ὑπέρτονα.

63 *Ex adnotationibus Jo. Ern. Grabii in cap.* 13.

Pag. 81. *Διὰ τὸν ἐπίσημον συνεσχηκέναι, διὰ τὸ συνεπακολουθήσασαν αὐτῇ τὸ ἐπίσημον.* Billius hæc ex veteri ita corrigenda putat : *διὰ τὸ* τὸν ἐπίσημον ἐσχηκέναι συνακολουθήσαντα *αὐτῇ*, διὰ τὸ τὸν ἐπίσημον. Assentitur Petavius in margine Epiphanii. Sed utrovis modo ταυτολογίας crimen vix effugit Irenæus, nec satis clare, quomodo senarium contineat duodecas, explicat. Mallem itaque, leviori mutatione facta, legere : διὰ τὸν ἐπίσημον συνεσχηκέναι, διό τε συνεπακολουθῆσαι δὲς (quod imperitus scriba forte per β expressit, et alius inde terminationem præcedentis verbi fecit, συνεπακολουθῆσαι in συνεπακολουθήσασαν mutans) *αὐτῇ* τὸν ἐπίσημον, « eo quod senarium numerum contineat, hunc que duplicatum habeat assecla. »

B *Τὸ η σὺν μὲν τῷ ἐπισήμῳ ὀγδοάδα εἶναι.* Id est, litteram η octavum locum in alphabeto tenere, indeque octavum denotare numerum, si ἐπίσημον βαῦ, id est ϛ, litteris alphabeti connumeretur.

Ἀπὸ τοῦ πρώτου ὀγδόου κείμενον τόπου. Ex veteri interprete patet, legendum esse : ἀπὸ τοῦ α ὀγδόῳ κείμενον τόπῳ.

Τρεῖς αὐτὸς γενόμενος ..... τρεῖς γὰρ τριάκοντα. Græca dilucidiora sunt et uberiora, sed ita corrigenda : τρὶς αὐτὸς γενόμενος..... τρὶς γὰρ τριάκοντα. Fronto Duc.

Ἐννέα. Ἐνενήκοντα ἐννέα legendum docte veteris interpretis monuere Billius et Petavius.

Pag. 82. *Τοὺς ἄνω ἕνδεκα, καταλλήλως λέγουσι.* Lego cum veteri ἄνω τούς, et eadem linea καταλλήλως. Bill. Sed horum parum interest; imo dubium, an non satius sit τοὺς ἄνω retinere, et Græcis Latina adaptare.

Τῷ σχήματι τοῦ λόγου. Ἐν hic deesse notat Billius, ac optime monet, loco λόγου legendum videri litteram λ. Neque enim hic λόγος quidquam ad rem facit, sed ad λ omnia, quæ sequuntur, exacte quadrant.

Τὸν τῶν ἑνενήκοντα ἐννέα ποιεῖται ἀριθμόν. Hoc verum deprehendet quicunque computationem, dempto numero episemo, id est, senario, instituerit; licet nugæ istæ indignæ sint, quibus aliquis intendat, aut immoretur.

Τύπον ἀριστερᾶς χειρός..... εἰς τὴν δεξιάν, etc. Ut ex ecclesiasticis scriptoribus hunc locum explicem, Sidonius Apollinaris lib. IX, epist. 9 ad Faustum, in fine scribit : « Quandoquidem tuos annos jam dextera numeraverit, » id est, jam centesimum annum attigisti, vel superasti. Nam ut Cassianus *Collat.* 24, cap. 26, ait : « Centenarius numerus de sinistra transfertur in dexteram, et licet eamdem in supputatione digitorum figuram tenere videatur, nimium tamen quantitatis magnitudine supercrescit. » Confer Hieronymum lib. I *Contra Jovinianum.*

Pag. 84. *Ἐπιτήδειον εἰς ὑπερέκχρουσιν.* Ὑπέκχρουσιν lege cum Billio; ἐπιτηδείως autem ex veteri interpretatione reponere non est necesse, dummodo ἐπιτήδειον, non tanquam neutrum cum πνεῦμα, sed ut femininum cum γνώμην, construas.

Scholia Billii in cap. 14.

Pag. 84. *Deinde Virtutes.* Pro ἐξῆς vetus legit ἐξ ἧς. Sed prior lectio mihi magis arridet. Ἐξῆς enim respondet τῷ *πρώτον.*

Corpora. Σώματα legendum, non σωματικά.

Pag. 85. *Qui signifer.* Ζωδιακοῦ legendum, non ζώου.

Saturnus sublimiorem locum tenens Corruptas

[7] Lib. III Const. apost., cap. 18, et lib. VII, cap. 40 et 41. [8] Lib. de Eccles. Hierar., cap. 2. [9] Lib. I ad uxorem, lib. de Cor. mil., lib. ad Scap.

Digitized by Google

est hic locus apud Epiphanium, οὗπερ ὁ χρόνος. Vetus habet, « quod superpositum est cœlum, » quasi in Græco legerit οὐρανός. Legendum est autem ὁ ὑπερών, vel ὑπερκείμενος χρόνος : de Saturno enim Irenæum loqui perspicuum est.

Peragrantem. Pro ἐμπεριεχομένην, legendum ἐμπεριερχομένην. Nam et vetus transtulit « circumeuntem. »

Expressisse. Ἐκτυπῶσαι legendum, non ἐκτυποῦσι.

Illustris duodecadis. Οὐ φαεινῆς legit vet. interp., id est, invisibilis et occultæ.

Pag. 86. *Ac singularem.* Ἑκάστην addo ex vet. Lin. seq. κατὰ κάθετον duobus verbis legi debet.

Virtuti illi. Legendum in Græco δυνάμει.

Notæ ex adversariis Front. Ducæi in cap. 14.

Pag. 84. *Corpora circumdata.* Scripsit fortasse « circulata, » vel « circularia, » σώματα κυκλοειδῆ, orbiculari forma.

Pag. 85. *Qui ad ipsam concavationem.* Paulo ante legisse videtur, ὁ ὑπερὼν οὐρανός, dum vertit, « quod superpositum est cœlum : » idcirco retulit ad vocem Græcam, « qui ad ipsam, » pro « quod ad ipsam concavitatem. » Billius legit ut apud Epiphanium, « qui superpositus est Saturnus, qui ad cavitatem ipsam gravat. » Cornarius autem vertit, « qui suo corpore gravat, et vicissim ponderat illorum velocitatem sua tarditate. » Certe κύτος Hesychio est etiam σῶμα, ὄγκος, corpus et moles. Itaque suspicabamur ita posse verti, « qui præter ipsam molem aggravat, et ex contrarietate moderatur illorum velocitatem sua tarditate : » quasi innuat, non modo suo pondere ac mole cœlum retardare, cum incumbit, sed etiam ingenita sibi motus tarditate.

A signo in signum. Fortasse, a puncto ad punctum intelligit, nisi malis ad 12 signa referre, de quibus paulo ante.

Circumeuntem et perficientem. Legendum in Græco περιερχόμενον, aut paulo ante de luna, ἐμπεριερχομένην : nam et hic interpres « circumeuntem » vertit.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 14.

Pag. 84. *Volo autem.* Recitantur figmenta de quatuor elementorum origine, de zodiaco, sole, luna, cœlorum rotatione, climatibus terræ, atque mendacii origine, a mendacissimis Marcosiis invecta.

Et ipsam conditionem. Sic etiam Tertullianus Latine scribens, creaturam et hujus mundi creationem frequenter appellat, lib. *De resur. carnis*, et *De corona militis.*

Diligenter imaginare. Sic ἐξεικονίζειν reddidit, Græcam dictionem nimia religione secutus, pro eo quod alius dixisset, « imaginem exprimere. »

Pag. 85. *Qui Zodiacus.* Sic vocatur circulus intersecans æquatorem sphæræ, a figuris animalium, quæ in eo imaginantur, ut sunt aries, taurus, leo, cancer, etc.

Et e contrario superjunctum. Apud Epiphanium hæc paulo apertius reddunturs.

Adhuc etiam et terram in duodecim climata. Climata vocantur terræ partes, secundum latitudinem, ab austro Septentrionem versus, per sensibilem maximorum dierum variationem differentes. Primi climatis, quod dicitur diameroes, spatium dicunt esse 465 milliarium Italicorum ; secundi diasienes, 420 ; tertii dialexandrias, 370 ; quarti diarhodes, 320 ; quinti diaromis, 270 ; sexti diaboristenes, 225 ; septimi diariphæos, 185 : ulteriora climata per astrologos constituta non invenio. (Pag. 86.) Paulo post ex codice manuscripto et Frontonis judicio reposuimus « demissionem » pro « dimissione, et demiserit distillationem » pro « demiserit destellatione n : » itemque « deformare, » id est. exprimere, pro « deformari. »

Ex adnotationibus Jo. Ernesti Grabii in cap. 14.

Pag. 85. *Τριακοντάτυμον Μητέρα αὐτῶν.* Pleroma triginta Æonum hic intelligendum est. Neque enim triginta nomina Achamothæ, quam alioqui Μητέρα αὐτῶν vocare solet, usquam reperio, sed septem solum cap. 1, § 9 (cap. 5, n. 2) lego.

Scholia Billii in cap. 15.

Pag. 86. *Aliquid novi.* Addo τί in Græc. ex vet. Et eadem linea pro τέλος, lego τέλειος.

Detorquendo accommodant. In Græc. pro μεταμορφόζουσι, legendum μεθαρμόζουσι.

In principio creavit Deus cœlum et terram. Hæc verba in Græco desiderantur.

Pag. 87. *Id quoque quod in ea.* In Græco bis pro τὸν legendum τό. Et seq. lin. post τήν, ponendum δέ.

Aquam et spiritum. In Græc. pro ἐν σφίσιν αὐτοῖς, legisse videtur vetus interp. ἐν οἷς εἰσι, ac recte.

Post hæc omnia. In Græco pro πεπειτά που τοῖς, lego cum vet. ἐπὶ πᾶσι τούτοις. Lin. seq. pro τριάκοντα, legendum rursus cum vet. τριακοντάδα.

Quæ ab uno fonte. Pro πηγήν, lego cum vet. πηγῆς δύναμιν, ead. lin. ταύτην, pro ταῦτα.

Duas aures habeat. Ἔχοντος legendum in Græc.

Veritatis corpus. Addo σῶμα ex vet. et ead. lin. deleo τοῖς σώμασι.

Ordinibus. Στοίχοις legendum videtur.

Pag. 88. *Dispensationem quoque.* Οἰκονομίαν legendum in Græco, non οἶκον μίαν, ut Gallasius, cujus hic quoque tanta non dicam oscitantia, sed vecordia exstitit, ut ne illud quidem animadverterit, μίαν cum substantivo masculini generis minime jungi. Præstitisset profecto quiescere, quam tam inconsiderate scribere.

Pag. 89. *Per id quod Sara.* In Græc. post τήν, addo κατά, ex vet. et pro ὡς, lego πῶς.

Jeroboam item. Vel ex hoc uno loco quam præcipitanter, ac nullo cum judicio in hac versione se gesserit Gallasius, liquido perspici potest : ubi, dum veterem interpretem 64 consulere gravatur, ejusmodi errorem admisit, qui, non dicam sacræ theologiæ professori, qualem se esse vult, sed ne ei quidem, qui litteras sacras vel a limine salutarit, condonandus sit. Quæ enim est hæc metamorphosis, ut de Jeroboam Roboam faciat, quem certum est non decem, sed duas tantum tribus imperio suo ac ditioni subjectas habuisse ? In Græco ergo pro Ῥοβοάμ, Ἱεροβοάμ.

Pag. 90. *In speluncam.* Delendum in Græco Ἰσραήλ. Et ead. lin. pro τοῦτο, legendum τοῦ.

Notæ ex adversariis Front. Ducæi in cap. 15.

Pag. 86. *Quæcunque transformantes coaptavi.* Recte correxit Billius, μεθαρμόζουσιν, quo verbo sæpius utitur alibi : ut cap. sequenti, εἰρηκέναι μεθαρμόζουσι : et cap. 17, εἰς τοῦτον χαρακτῆρα μεθαρμόζουσιν : et cap. 1, καὶ μεθαρμόσοι, καὶ ποιήσοι μορφὴν κυνός.

Post quam decadis. In Græco emenda μνημονεύοντα φῶς λέγειν, pro σαφῶς λέγειν : quod nequc Cornarius vidit, qui vertit apud Epiphanium, « ac clare dicere : » neque Gallasius, qui, « dum aperte dicit ; » neque ipse demum Billius, apud quem ita scribi potest : « Moxque decadis mentionem facientem, lumen, et diem, et noctem. » Sane haud aliter constare potest ratio : neque enim decimo erit loco lignum, si numerare incipias a die. Atqui Genesi I, 3, post illa : « Et Spiritus Domini ferebatur super aquas ; » sequitur : « Dixitque Deus : Fiat lux. » Rursus apud vet. interp. illud, « decadis commemorantem, » ἑλληνίζει, pro « mentionem facientem. » Ita μνησθήσονται vertitur Psal. xxi apud Augustinum, « commemorabuntur, et convertentur ad Dominum, » pro « recordabuntur. »

Pag. 88. *Luminare magnum.* Μέγαν φωστῆρα scripsimus pro μέγα.

Digitized by Google

Quaternationem ipsorum. Græca exigunt, « ipsorum dicunt facta, » τοιαῦτα γεγονέναι, « talia esse facta. » Paulo post ita distingue in Græco : πάλιν δεικνύεσθαι οὕτως. Ἐν τῇ. Quod sequitur de Jeroboam apud Epiphanii interpretem Cornarium, etiam corrigendum est, qui nimirum auctor idoneus visus est Gallasio, a quo magnam partem interpretationis mancipio acciperet.

Pag. 90. *Et Samuelem declinantem.* I Reg. IX, 22. « Assumens Samuel Saulem et puerum ejus, introduxit eos in triclinium, et dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant invitati : erant enim quasi triginta viri. » At in Græco LXX : Καὶ ἔθετο αὐτοῖς ἐκεῖ τόπον ἐν πρώτοις τῶν κεκλημένων, ὡσεὶ ἑβδομήκοντα ἀνδρῶν, « in primis vocatorum circiter septuaginta virorum. » Hoc notandum est, ut hinc colligamus Irenæum, vel hæreticos illos aliam Græcam editionem habuisse, in qua ex Hebræo, ut in Vulgata Latina legebatur. Porro, « declinare, » potest etiam retineri, bona cum venia Latinorum profanorum, apud quos, et « somnus declinat oculos [16], » et « agmen duces declinant, » etsi « reclinantem » aptius fuisset, ut Lucæ XXVII « reclinavit, » ἀνέκλινεν : et IX, v. 4, καταπλίνατε, « facite discumbere. » Sic autem explendus est hic locus e Græco : « Collocantem Saulem inter triginta vocatos, primum, et per Davidem, qui triginta diebus, » etc.

Qui triginta diebus. Explendus est locus ex Græcis : « declinantem Saul, et per Davidem, qui triginta diebus abscondebatur. » Atqui David I Reg. XX, 5, dicit : « ut abscondar in agro, usque ad vesperam diei tertiæ; » et apud LXX, « usque ad vesperam » tantum, κρυβήσομαι ἐν τῷ πεδίῳ ἕως δείλης. Ubi ergo 30 dies? Plane fugit hic ratio istos arithmeticos novos, nisi quem alium Scripturæ locum forte spectabant. At II Reg. XXIII, v. 13, « necnon et ante descenderant tres, qui erant principes inter triginta, et venerant ad David in speluncam Odollam. » LXX : Καὶ κατέβησαν τρεῖς ἀπὸ τῶν τριάκοντα πρὸς Δαυῖδ, εἰς τὸ σπήλαιον Ὀδολλάμ. Atque ita fortasse legendum est apud Irenæum, τὸ σπήλαιον Ὀδολλάμ. Καὶ διὰ τοῦτο, pro Ἰσραήλ : sed in aliis exemplaribus LXX τρεῖς ἀπὸ τριάκοντα ἄρχοντες legimus, quæ cum Lat. Vulgata conveniunt, ut omnia tres illos viros dicant, non triginta, ut hæretici; etsi aliorum triginta septem meminit illud ipsum cap. II Reg.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 15.

Pag. 86 *Perfectus enim nemo*, etc. Magisterii summum gradum, et perfectionis suæ apicem in aggerandis mendaciorum, et recentium nugarum plaustris constituisse, et erroribus prioribus pejores sic addere contendisse, ut de impietatis palma contendere viderentur, post Irenæum his graviter affirmat Nazianzenus [11] : « Certi homines ascensiones in corde suo ponunt, non confessionis, sed abjurationis; nec theologiæ, sed blasphemiæ. Etenim de liberalitate ac munificentia in profundendis impietatis opibus inter se certant, perinde atque non id metuant, ne impiis erroribus sese constringant : sed ne hac in re levius tolerabiliusque peccent, quam cæteri. »

Necessarium est. Delevimus « esse, » auctoritate vet. edit. et Græc. lect., et « argutionem, » id est confutationem, pro « argutionem » reposuimus.

Pag. 88. *Tabernaculi quoque.* Qui frigidas Gnosticorum allegorias, ut decet, contempserit, et horum rituum Mosaicorum, Christo, Ecclesiæ et sacramentis concinne accommodatas expositiones solidiores desideraverit, ex doctissimis Ruperti, Bedæ, et Rabani commentariis, Origenisque homiliis in Pentateuchum, Clementis Alex. *Strom.* V, et Philonis Judæi libris allegoriarum, abunde illi satisfactum iri puto.

Volunt eum sexto. Delevimus « dicunt eum septimo : » et mox, pro « septimo, » reposuimus « sexto, » auct. vet. cod. et Græcæ lect.

Sed et arcæ. Sic omnino legendum poscit et sensus, et Græca editio.

Pag. 89. *Duodecim tintinnabu a.* Horum tintinnabulorum pias quorumdam Patrum allegoricas explicationes paucis perstringere, et Gnosticis deliriis opponere placuit. « Duodecim apostolos significabant, » ait Justinus martyr [12], « pendentes a potentia Christi æterni sacerdotis, per quorum vocem, gloria ac gratia ejus mundus repletus est. » Tertullianus [13] : « Cur duodecim » apostolos elegit, et non alium quemlibet numerum? « Næ et ex hoc meum Christum interpretari possem, non tantum vocibus prophetarum, sed et argumentis rerum prædicatum. Hujus enim numeri figuras apud Creatorem deprehendo : duodecim fontes Elim, et duodecim gemmas in tunica sacerdotali Aaron, et duodecim lapides ab Jesu de Jordane electos, et in arcam testamenti conditos; totidem enim apostoli portendebantur, » etc. Clemens Alexandr. [14] : « Trecenta autem sexaginta sex tintinnabula, quæ pendent a veste talari, est tempus annuum : annus, inquam, Domini acceptus, prædicans et resonans maximum adventum Servatoris. » — « Veste sacerdotali, » scribit Augustinus [15], « utique significatur Ecclesia : per hæc autem tintinnabula, ut nota sit conversatio sacerdotis, sicut dicit Apostolus, teipsum præbe exemplum bonorum operum. » — « Moysi præcipitur, » ait Gregorius [16], « ut tabernaculum sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur, ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni spectatoris judicium ex silentio offendat. Vestimentis autem tintinnabula inhærent, ut vitæ viam, cum linguæ sonitu, ipsa quoque bona opera clament sacerdotis. » Beda [17] : « Si Josephi verbis intendere voluerimus, quibus dicit, in tunica pontificis, mala septuaginta duo fuisse, et ejusdem numeri tintinnabula, congruit hoc figuris mysteriorum, ut sicut in humero ac pectore apostolicum ferre numerum jussus est : ita etiam discipulorum septuaginta duorum, qui et ipsi ad prædicandum missi sunt, circa pedes numerum assignatum haberet. »

Et per Samuelem. Hic aliqua deesse in omnibus nostris exemplaribus Latinis, ostendit tum lectio Græca, tum Bibliorum contextus. Sic ergo legatur : « per Samuelem, qui primum discumbere fecit Saul inter triginta vocatos; et per David, qui triginta diebus abscondebatur in agro, » etc. Itaque suspectum est vocabulum « declinantem, » a Græco καταπλίναντος, quod revera de eo dicitur, qui convivas locis certis discumbere facit.

Ex Jo. Ernesti Grabii adnotationibus in cap. 15.

Pag. 86. *Μεταμορφάζουσιν.* Non placet, saltem non necessaria est emendatio Billii et Frontonis Ducæi, qui μεθαρμόζουσι legendum volunt; licet negari nequeat, Irenæum hoc verbo alibi sæpius usum esse. Si ex veteri interpretatione hic loci conjecturam capere licet, scriptum fuit μεταμορφάζοντες (sive, ut Basileensis Epiphanii, indeque cuncta Irenæi edit. habent, μεταμορφόζοντες) μεθαρμόζουσι.

Καὶ οἱ στύλοι οἱ δεκαπήχεις. Diu multumque quæsivi in S. Litteris columnas decem cubitorum, donec tandem in editione Francofurtensi 1597 LXX interpretum, Exod. XXXVI, 17 et seq. inveni hæc scripta : Καὶ ἐποίησε στύλους τῆς σκηνῆς ἐκ ξύλων ἀσήπτων· δέκα πηχέων τὸν στύλον τὸν ἕνα. In Romana autem Flaminii Nobilii, et

[16] Propert., lib. II, eleg. 1, v. 11. [11] Orat. 2 de pace. [12] In Dialogo. [13] Lib. IV contra Marc. [14] Lib. V Stromat. [15] Quæst. 119 in Exod. [16] Lib. I Registri, cap. 24. [17] In XXVIII cap. Exodi.

Digitized by Google

Waltoni editione hæc minime exstant. Totum enim xxxvi et seq capita in colice Romano et Alexandrino immane quantum differunt.

Τοὺς δώδεκα κώδωνας. In S. Scripturis Exod. xxviii nihil de numero istorum tintinnabulorum legitur. Duodecim autem fuisse per traditionem acceperunt non modo Marcosii hæretici, sed et catholici quidam, veluti Justinus martyr, qui in *Dial. cum Tryphone Judæo*, pag. 260 ait, δώδεκα κώδωνας ἐξῆφθαι τοῦ ποδήρους τοῦ ἀρχιερέως παραδεδόσθαι, **65** « traditum esse, quod duodecim tintinnabula stolæ summi sacerdotis annexa fuerint. » Quæ ipse typos facit XII apostolorum, qui Jesu Christo, novi testamenti pontifici, adhæserunt. Alii vero 72, alii alium tintinnabulorum istorum numerum tradiderunt, de quibus lege egregium Braunii tractatum *De vestitu sacerdotum Hebræorum*, lib. II, cap. 5, § 23. Neque enim libet cum Feuardentio hic digredi.

Scholia Billii in cap. 16.

Pag. 90. *Necessarium autem.* Δέ addo ex vet.

Pag. 91. *Quod autem non.* Pro οὐδέ in Græc. legendum οὐ, vel εἰ, ὑπό, vel παρά.

Cum parabolarum. In Græco delendum ἑτέρῳ.

Notæ ex adversariis Front. Ducæi in cap. 16.

Pag. 91. *Ostenditur procedente.* Græc. διεχθήσεται, « ostendetur. » Locus Danielis sic habet in edit. nova Romana : Δεῦρο, Δανιὴλ, ὅτι ἐμπεφραγμένοι καὶ ἐσφραγισμένοι οἱ λόγοι, ἕως κ. π. ἐκλεγ. καὶ ἐκλευκανθῶσι, etc., non diversa ab iis quæ Lat. Vulgata Danielis XII, 9, 10 : « Vade, Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones. » At non leginus, ut citant hæretici, καὶ οἱ λευκοὶ λευκανθῶσι. Nonnihil diversa sunt a prophetæ autographo, quæ citat ex hoc loco Cyprianus *Contra Judæos*, quæ tamen conveniunt cum iis quæ apud hunc ipsum Irenæum lib. IV, c. 43.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 16.

Pag. 90. *Dominum nostrum* Ita legendum proponimus ex vet. cod. et Græca lect. Prius erat, « Dominum non alterum, » etc.

Et fabricatorem quidem. Duplici ratione mendacii illos arguit, una, quod Creatorem mundi alium a summo et invisibili Deo facerent; altera, quod illum in essentia visum esse a prophetis, idque oculis ipsis carnalibus, putarent. Ac rectius docet Augustinus [18], omnes visiones Moysi et aliis prophetis factas, per subjectam creaturam exhibitas fuisse ad significandum Deum invisibilem : nec Moysem ipsum aperte unquam Deum vidisse. Variis autem modis creaturam assumi ad Deum nostris sensibus significandum, argute idem postea persequitur. Aut quando videlicet in angelo; aliquando in specie per angelum disposita; aliquando vero et ipsi prophetæ verbis et factis personam Dei significarunt. Idipsum quoque multis Scripturæ sententiis, et Ambrosii, Hieronymi, Athanasii et Nazianzeni testimoniis confirmat amplissime epistola 3.

Pag. 91. *Recurre, Daniel.* Hunc Danielis locum ita legit Cyprianus [19] : « Muni sermones, et signa librum usque ad tempus consummationis, quod addiscant multi, et impleatur agnitio, quoniam cum fiet dispersio, cognoscent omnia hæc. » Non autem de Deo aliquo ignoto, ut hi perperam putant : sed de cæcitate Judæorum, qui Scripturas sanctas intellecturi non essent, donec Christus in novissimis temporibus venisset, qui discipulis verbo et opere explicaret, recte interpretatur.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 16.

Pag. 90. *Ὁ λαός μου οὐ συνῆκε.* Ita LXX interpretes, teste Hieronymo ad cap. 1 Isaiæ. Soli LXX transtulerunt : « Israel autem me non cognovit, et populus me non intellexit. » Atque ita hunc locum allegarunt tam hæretici, quam catholici; S. Basilius, Cyrillus, Theodoretus in Commentariis suis, hisque antiquior Justinus martyr Apol. 2 (1) pag. 93, C. Unde et in priori hujus Apologiæ parte, 77, A, legendum videtur ὁ λαός μου οὐ συνῆκε, non μου, ut est in editis exemplaribus.

Scholia Billii in cap. 17.

Pag. 91. *Puerili ætate esset.* In Græco pro τὰ διά, legendum cum vet. παιδὸς ὄντος καὶ τὰ γράμματα μανθάνοντος, καὶ τοῦ διδασκάλου.

Pag. 92. *Per id præterea quod.* Pro διὰ τό, vet. legit, διὰ τοῦτο : sed male, ut sensus ostendit.

Dicere recusavit. In Græc. ante εἰπεῖν, ponendum μή, vel οὐκ.

Abscondita sunt a te. Addo ἀπό in Græc.

Se eos ejecturum. Corruptus est hic locus apud Epiph ita restituendus ex vet. interp., ὑπέσχετο διδάξειν. Ἀπόδειξιν δὲ τὴν ἀνωτάτω, etc.

Abscondisti hæc. Addo ταῦτα in Græc.

Sic tibi complacuit. Delendum μου.

Notæ ex adversariis Front. Ducæi in cap. 12.

Pag. 93. *Apocryphorum et perperum.* Ἀποκρύφων καὶ νόθων γραφῶν, melius forte, « apocryphorum et perperarum Scripturarum. »

Et propter hoc non respondisse. Interpres fortasse legit διὰ τό; sed Hellenismum exprimere voluit, sic enim solet articulos reddere.

Pag. 91. *Per eum sermonem qui est.* Nimis incommode ῥῆμα vertit « sermonem, » quod grammatici « verbum : » sic ergo planius erit, « per verbum, » abscondita sunt, « apocryphon Bythi manifestasse : » hoc est dum usus est verbo ἐκρύβη, designasse occultationem, sive obscuritatem Bythi.

Confiteor tibi, Pater. Cum id suadeat vetus interpres, legendum est, ut Lucæ X, ℣ 21, ἐξομολογοῦμαί σοι, in Græco : tametsi videri potest auctor immutare nonnunquam verba Scripturæ, ut cum οὐρανῶν, pro οὐρανοῦ dicit, nisi et hoc vitium librarii est. Illud quidem certe in initio capitis sequentis a librario est : διὰ τὸ ἓν ἕκαστον, nam ἕνα ἕκαστον non putavit recte jungi posse cum τό, quod diversi generis sit. Tu intellige διὰ τὸ παραδίδόναι ἓν ἕκαστον αὐτῶν αὐτήν : reposuimus enim ex Epiph. cod. παραδιδόναι pro διδόναι, quod erat in edit. Gallasii.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 17.

Pag. 91. *Scripturas.* Hunc novum titulum apposuimus, quod magis convenire nemo non judicabit : veterem autem in proximi capitis initium, ad quod etiam quatuor posteriores lineas istius rejecimus, ut sit illius principium.

Multitudinem apocryphorum. Apocryphum illud est B. Augustino [20], cujus occulta origo Patribus non claruit : κρύπτω enim, a quo ἀπόκρυφον, est « condo, » sive « recondo. » Porro Gnosticos non tantum libros, quorum origo ignota erat, sed et blasphemias spirantes habuisse, et superius dictum est, et hoc capite plus satis liquescit; cum Christum ignorantem, et sub cujusdam pædagogi ferula quasi alphabetum ediscentem, ex illis ridicule linguit [21]. Tunc enim a Simone et Cleobio pestilentes sub nomine Christi et apostolorum compositos libros fuisse testatur B. Clemens [22], quos in fraudem simplicium Christianorum circumferebant hæretici. Quod etiam superioribus temporibus factitatum asserit, videlicet nomine Moysis, Enoch, Adæ, Isaiæ, Davidis, Eliæ, et trium patriarcharum, pernicioso, et veritati infesta scripta evulgata fuisse. Multos quoque Priscillianorum corruptissimos codices, qui canonici titulati erant, se invenisse scribit Leo Magnus [23]. Quomodo enim decipere simplices possent, nisi venenata pocula quodam melle

[18] Lib. II de Trinit., cap 15 et 16, et lib. III, cap. 10. [19] Lib. I contra Judæos, c. 4. [20] Lib. XIV De civ. cap. 33. [21] Vide infra lib. II, cap. 69. [22] Lib. VI, cap. 16 de Const. apost. [23] Epist. ad Turibium, c. 15.

Digitized by Google

prælinirent, ne usquequaque sentirentur insuavia, quæ essent futura mortifera?

Et discerel litteras. Hunc veterum Gnosticorum, errorem, Christo communem ignorantiam nostram ascribentium, æque impie ac pervicaciter recentes instaurare nituntur, quando, Calvino auctore, aiunt eum permulta ignorasse; et Gallasio astipulatore, oportuit eum discere ac erudiri more hominum. Nos has impietatis copiose refutavimus, Dialogo 4 adversus eorum errores : infra quoque iterum de his dicetur.

Incognitum. Ita vet. cod. Græce etiam τὸ ἄγνωστον : expunximus itaque « cognitum. »

Pag. 91. *Sed et in eo.* Sic legendum docuerunt cod. vet. et lectio Græca. Quod vero Christum dixisse referunt, cum in nullo Evangel. exstet, confinxerunt.

Apocryphum Bythi. Sic legendum, pro « apocryphum Bythum : » et postea, « veritatis Patrem, » pro « veritatem Patris : » itemque, « promisit se, » pro, « promisisse » docuit, cum veteri codice, textus Græcus : sicut et superius, « ostendisse eum, » pro « non ostendisse. »

Pag. 93. *Et aptare.* Belevimus « a Patre, » auctor. vet. cod. et Græcæ lect.

De incognito. Expunximus « de cognito, » auctor. vet. cod. et Græc. lect.

Ex adnotationibus Jo. Ernesti Grabii in cap. 17.

Pag. 91. *Ὡς τοῦ Κυρίου.* Hoc ῥᾳδιούργημα, ut ab Irenæo merito appellatur, reperitur etiam in apocrypho, quod Matthæo perperam ascriptum exstat in ms. cod. 1697 bibliothecæ Regiæ Parisiis, teste Cotelerio in notis ad lib. VI *Constit. apost.* Clementis, cap 16, et in Evangelio infantiæ Christi, quod Arabice cum Latina versione edidit Henricus Sikius, pag. 144 et 146, nec non, licet paulo diversum, in pseudo-Evangelio Leucii, quod ms. hic Oxonii 66 exstat in bibliotheca collegii Corporis Christi, ubi cap. *Quomodo Jesus discendus erat litteris*, hæc leguntur : « Et cœpit magister ipsi piose (*l.* imperiose) eum docere dicendo : Dic alpha. Jesus vero dixit ei : Tu mihi dic prius, quid sit beta, et ego dicam tibi quid sit alpha; et ob hæc magister iratus percussit Jesum, et postquam percussit eum, mortuus est. »

Scholia Billii in cap. 18.

Pag. 93. *Ad fidei objectionem.* Græc. ἀπόθεσιν. In Græc. pro εἶδος τοῦ, legendum εἶδος τοῦτο.

Pag. 94. *Intimum Bythi sinum.* Addo in Græc. τοῦ Βυθοῦ ex vet.

Profanorum quorumdam. Addo βεβήλων ex vet.

Pag. 95. *In eo qui in Jesum descendit.* Εἰς τὸν κατελθόντα εἰς Ἰησοῦν. Vetus editio, « in nomine descendentis Jesu. » In codice tamen manuscripto, ex quo infinita loca correcta sunt, non « Jesu, » sed « spiritus » legitur. Quæ quidem lectio eumdem sensum habet cum codice Græco.

Pag. 97. *Filius autem in eo qui præexistit.* Græcus Epiphanii codex habet ἐν τῷ παρόντι, id est « in præsenti. » Sed apparet veterem interpretem legisse προόντι. Vertit enim, « qui ante fuit. »

Veni ut. Ἦλθον. In Græco autem codice aliquanto post, pro ἐκ τῶν, legendum τόν.

Quæ patris expers. Sensus hoc loco perspicue postulat, ut cum veteri interp. legamus, πατέρα, non, ut corrupte apud Epiphanium, μητέρα.

Hoc autem. Τοῦτο legendum in Græc. cum vet.

FINIS SCHOLIORUM BILLII.

Notæ ex adversariis Front. Ducæi in cap. 18.

Pag. 91. *Redemptionem autem.* Interpres legisse videtur, τὴν δὲ ἀπολύτρωσιν τοῦ ἐν αὐτῷ Χριστοῦ κεχωρίσθαι, non ut habet Epiphanii codex, qui tamen sequendus est : non enim in Joanne, sed in Jesu, Christum esse blaterabant Gnostici, neque hic Christum a Jesu, ut ante, sed Joannem a Jesu distinguit. Sic ergo corrigere potes : « redemptionem autem positam esse ad perfectionem, » tametsi hoc est κεῖσθαι, non ut Græcus, κεχωρίσθαι, « allatam esse. »

Cum quibusdam profanis. Apud Eusebium lib. IV, c. 10 *Hist.*, legitur μετ' ἐπικλήσεών τινων τοῖς τελουμένοις, ut εἰς ὕδωρ, et μητέρα τῶν πάντων, εἰς τὸν Ἰησοῦν, καταπλήξασθαι τοὺς τελουμένους, cætera ut apud Epiphanium. In utroque ergo Græco libro omittitur vox βεβήλων, quam tamen exprimit Irenæi interpres, et Rufinus, dum vertit : « Etenim quidam eorum thalamum construunt, et nefarium quoddam initiandi celebrant genus, tanquam secretis quibusdam carminibus ac verbis, non tam sacris quam exsecrabilibus eum, qui introducitur, consecrantes. » Christophorsonus etiam : « Et invocationibus quibusdam nefandis abdita mysteria in eos exsequuntur. » Potest tamen hoc interpres noster addidisse de suo, ut postea : « cum quibusdam profanis dictionibus similibus. » Græce tantum est, μετὰ ἐπιῤῥήσεων ὁμοιοτρόπων. Ubi vox, « profanis, » omissa est a Billio.

Pag. 95. *In nomine ignoti.* Licet Græce legatur, εἰς ὄνομα ἀγνώστου, rectius tamen vetus interpres et Billius : « In nomine ignoti, » quam Cornar. et Gallas., « In nomen ignoti . » nam et ita Rufinus verterat : « In nomine ignoti Patris omnium, et in veritate omnium matre, et in eo, qui descendit in Jesu; » et ad exemplum videtur hoc redditum sacrorum veræ nostræ initiationis verborum Matth. XXVIII, 19, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρός. Vulgata : « In nomine Patris, » quomodo et Cyprian. epist. 23, et alii Latini Patres : tametsi Tertull. quoque *De baptismo*, 13, dixerit : « Tinguentes eas in nomen Patris. »

In nomine descendentis in Jesu. Mirum quam indiligentes hic fuerint Cornarius et Gallasius, qui vertunt, « in eum, qui descendit Jesum, et in Jesum, qui descendit. »

Et spiritus et Vita. Græc., Πνεῦμα ἀγαθὸν καὶ ζωή : « Spiritus bonus et vita, » forte ἅγιον, ut postea, « per Spiritum sanctum in redemptionem angelicam. »

In zonis luminis Græc., ἐν ταῖς ζωναῖς τοῦ φωτός : « in vitis luminis; » et ita Billius noster legit, ἐν ταῖς ζωναῖς τοῦ φωτός. Nihil muto hic, sed addendum moneo, τοῦ Χριστοῦ, Græco paulo post ex veteri, qui habet, « Christi non divido spiritum : » nam et hoc indicant illa vestigia Hebraicarum dictionum, *Mesela ofafej*.

Pag. 96. *Et incorporalia et insensibilia.* Addendum Græco vocabulum unum ex veteri, καὶ ἀσωμάτων καὶ ἀναισθήτων, nisi hoc fortasse ab interprete est, non ab auctore.

Pag. 97. *Alii sunt qui mortuos.* Hæc quoniam Latinitate donarat etiam doctiss. Billius, et apud Epiphanium Græc. reperiebantur, ex ejus libro descripsimus, cum non essent in editione Gallasii : tametsi advertendum est, hæc non citari ab Epiph. plane ut erant apud Irenæum, ne quis miretur verbis singulis Græcis Latina non respondere.

Pag. 98. *Ipsos abeuntes in sua.* Non assentior doctiss. Billio, censenti hæc mendose in plurali legi : sic enim initio dixit : « Et præcipiunt eis venientibus ad potestates, » et, « venire quoque eos. » Epiphanius vero jam inde ab initio dixit, Ἐγκελεύονται δὲ ἐὰν ἔλθῃ ἐπὶ τὰς ἀρχάς, « jubent cum venerit ad principatus : » sic autem multis hæc præcepta sunt, ab illis mystis Gnosticis, ut quid quisque dicere deberet, sit expressum. Neque profert verba ipsa Irenæi Epiphanius, ut monuimus, sed ab illo ista mutuatus sua pro arbitrio intersevit, vel immutat.

Anima vero eorum proficiatur. Hæc omissa sunt in interpretat. Billii, etsi apud Epiphanium Græce reperiuntur, quæ ita Cornarius : « Anima vero ipsorum opifici astet superne in defecta constitutione, ut et illic maneant apud ipsum. » Sic apud Tertull. ex

Digitized by Google

eisdem fabulis Valentin. cap. 32. « easque Demiurgo suo reddent. » De his ipsis næniis plura Theodoretus lib I *Hæretic. fab.*, ubi de Ascodrytis, hær. 15

FINIS NOTARUM FRONTONIS DUCÆI.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 18.

Pag. 93. *Quanti enim.* Dissidia feralia etiam ne præcipuis doctrinæ suæ capitibus, inter hæreticorum antesignanos emersisse, et hic rursus commemorat : ut spiritui vertiginis, qui etiam secum ipse pugnat, eorum opiniones accepto ferendas esse nullus nesciat. « Ista inconstantia, » ait Hilar. [24], « ostendunt omnia incerta et vana esse apud se. » — « Quomodo enim salutis cupidi, » scribit in simili argumento Justinus [25], « po sent toto religione vera illis credere, inter quos parum convenit, dissidentes in suis opinionibus? » Tantis autem dissensionibus funestissimum ovili Christi exitium, et fidei Christianæ propudiosam abnegationem molliri callidissimum Satanam, nec ipse Irenæus dissimulat. Cæterum, quod ad lectionem attinet, obscurus est hujus primæ clausulæ sensus, partim interpretis nimia religione, partim malorum codicum vitio. Ergo, ut facilior evadat, puta « Quanti » pro « quot » poni, quod non ausi sumus immutare, quia id agnoscit vet. cod. Deinde secunda linea « quia » nihil aliud, quam « quod » significat. Præterea « Destructionem, » quod habet vet., pro « rectitutionem, » atque adeo « restitutionem, » quæ fuerat Erasmi conjectura, reposuimus. Rursus « repromissionem, » nescio qua via in hunc locum irreperit, sed sensum turbare manifestum est; eam igitur expunximus, contra veteris libri auctoritatem. Denique pro « inremisse, » quanquam « remissa » habeat vet., cum Græc. ὑποδέδληται non respondeat, « immissa » potius legendum censuerim, aut si mali, « submissa. »

Pag. 94. *Illam autem spiritalem.* Sic legendum docet cum vet. cod. Græca lectio : delevimus autem, « illa autem spiritalia. »

Et baptisma quidem a Joanne. Etsi plurimis teterrimisque hi veteres Gnostici scaterent versibus, nihilominus hac in re catholicam sententiam retinebant, quod non baptismate Joannis conferretur remissio peccatorum, sed solo baptismo Domini nostri Jesu Christi. Illis ergo longe deteriores sunt recentes Ilignostici, qui ut omnem gratiæ conferendæ virtutem per Christum instituto baptismi nefarie detrahant, illud ipsum præcursoris sui lavacro æquare non verentur.

Quidam ex ipsis sponsale cubiculum. Quia hæc ad verbum transcripsit Eusebius [26], verba ejus ex recenti, eaque emendatissima translatione superius addidimus. Observa autem sacrilegos istorum ausus, quibus sacrum baptisma profanabant : ob eamque rem, plerosque antiquorum illud merito damnasse.

Pag. 95. *In nomine ignoti Patris.* Lectionem hanc omnium veterum editionum, data opera nolnimus immutare : attamen Euscbii [27], Epiphanii [28] et Theodoreti Græca lectio, et ea, quæ habentur superius cap. 12 initio hujus cap., sic legendum indicant : « In nomen ignoti Patris omnium, in Veritatem matrum omnium, et in descendentem in Jesum, ad unitionem, et redemptionem, et communicationem virtutum. » Omnium autem ad textum Irenæi accommodatius sic legitur apud Nicetam Choniatem : « In nomine ignoti Patris omnium, et Veritatis matris omnium, et ejus qui descendit in Jesu, ad conjunctionem, et redemptionem, et communicationem virtutum, » etc. Tria vero hic apponunt : primum, « Patrem, » quem putant omnibus retroactis saeculis ignotum, aliumque a mundi opifice; secundum, « Alethiam, » id est Veritatem illam matrem omnium, cujus idolum viginti quatuor litterarum figuris fictum recensuit cap. 10; tertium 67 « Christum » initio alium a Jesu, quem Christum fingebant in specie columbæ in Jesum descendisse, dum a Joanne baptizaretur, tuncque coadunatum eidem fuisse ad perficiendum miracula, quæ scripta sunt in Evangelio; ipsum quoque annuntiandum usque ad tempus passionis, quo recessit ad superna, unde evolaverat, solum autem relictum Jesum passionem subiisse.

Cæterum, manifestum est horum nebulonum, in corrumpenda sacramenti baptismi forma, sacrilegium optimo jure hic ab Irenæo coargui atque damnari. Etenim cum ab æterno Dei Filio complete et absolute in titutum fuerit, ut conferatur aspersione, vel immersione aquæ, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; nullius hominis est propria auctoritate in his quidquam detrahere vel immutare. « Lex namque tinguendi, » inquit Tertullian. lib. *De bapt.* [29], « imposita est, et forma præscripta : Ite, docete nationes, tinguentes eas in nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Et lib. *Præscript.*, cap. 20 : « Jussit (apostolos) ire, et docere nationes, tinguendas in Patrem, et in Filium, et in Spiritum sanctum. » Cyprianus quoque epistola vigesima tertia scribit : « Dominus dixit, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti gentes tingui, et in baptismo præterita peccata dimitti. » Rursumque epistola septuagesima tertia : « Post resurrectionem apostoli ad gentes mittuntur, et in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizare gentiles jubentur. » Didymus quoque lib. II *De Spiritu sancto* ait : « Qui unum de præceptis nominibus prætermittit, neque sacramenti perfectionem attingit, nec a peccatis hominem liberat. » Augustinus denique scribit [30] : « Certa sunt verba evangelica, sine quibus non potest consecrari baptismus, » etc.

Basima ea cabasa. Nicetas in *Orthodoxia* hæc verba paulo aliter refert, scribens : « Quo majorem ei qui baptizatur stuporem injiciant, hæc Hebraica nomina superaddunt, camosi, bae, anoora, mystadia, rhuda, custaba, phogor, calathi. Quorum interpretatio hæc est : O qui es super omnem virtutem Patris, te invocamus, qui lumen, et Spiritus bonus, et vita dominaris : quoniam in corpore regnasti. » Difficillimum est verborum istorum fontes indicare; accipe tamen, quid de his nobis verisimilius videtur. Impostores istos magicis artibus delectatos, iisdemque multa prodigiosa et portentosa effecisse, ex Justino, Irenæo, Tertull., Epiph., Theod. et August. certissimum est. Magus porro monstrosa, ipsoque stridore pronuntiationis etiam horrenda vocabula, et carmina ope cacodæmonum invenisse, et susurrasse, quibus ad præstigias suas mirabilem energiam inesse asserebant, ex sacris profanisque scriptoribus cunctis est in confesso. Apuleius enim magico susurramine omnes reverti, mare colligari, ventos exspirari, solem inhiberi, lunam despumari, stellas evelli, diem tolli, noctemque teneri posse putat. Virgilius etiam ait [31] :

Carmina vel cœlo possunt deducere lunam :
Carminibus Circe socios mutavit Ulyssis.
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Et Tibullus de quadam incantatrice [32] :

Hæc cantu findique solum manesque sepulcris
Elicit, et tepido devocat ossa rogo.

Et alia apud Ovidium jactat se [33] :

Vipereas rumpo verbis et carmine fauces,
Vivaque saxa, suo convulsa robore terra,

[24] L. VII de Trin. [25] Orat. ad Græcos. [26] Lib. IV Hist., cap. 10. [27] Ibid. [28] Contra Sethianos et Cerinth. [29] Cap. 13. [30] Lib. VI de Baptism., cap. 2. [31] Eclog. 8, v. 69 et seq. [32] Lib. I, eleg. 2, v. 47, 48. [33] Metam. IV, 614 et seqq.

Digitized by Google

Et silvas moveo, jubeoque tremiscere montes,
Et mugire solum, manesque exire sepulcris.

Nugatur etiam Serenus Samonicus de nomine « Abracadabra, » ut et alii de « Araltitha, » etc.[36] Vero igitur simile est, astutos istos præstigiatores isthæc magica et barbara magis portenta, quam nomina finxisse, et magno supercilio inculcasse, ad concitandos simplicium animos, ut cum magno stupore angustiora putarent quæ non intelligerent; et dæmones ictis pactis assistentes ad horum vocabulorum pronuntiationes, quæ postulabant magis præstarent, ut superius de Marci cœna habes cap. 9. Quod si quæ hic habes, Hebræa vocari ab Irenæo urgeas, responderim non ex suo, sed Valentinianorum sensu esse intelligendum, cum id unum confidenter et vere possim affirmare, ea nempe nec a Græca, nec ab Hebræa, Chaldaica, Syra, aut Arabica lingua petita esse.

Regnasti. Ita legit vetus cod. Græce est ἐβασίλευσας; delevimus itaque *renasci*.

Pag. 96. *Ungunt sacratum opobalsamo.* Gradus quosdam esse ad impietatem, nullumque repente pessimum fieri, vel in his Gnosticis apparet. Licet enim multa de sacris Litteris corrumperent, infanda perpetrarent, horrendaque in Deum evomerent, nihilominus protestationes et illinitiones in baptizando Catholicis usitatas observabant; adeo rituum illorum traditio per universum orbem apostolis tradentibus invaluerat. Nec eo nomine hoc loco, vel in sequentibus, illos damnat Irenæus; id certe non segniter facturus, si in hoc ab apostolica traditione declinassent.

Qui autem ritum hunc e medio tollendum contendunt, eo nomine, quod ab hæreticis, iniquo etiam fine, usurparetur, præpostere et impie judicant, cum et aquam, et communium nobiscum verborum partem, reliquasque Evangeliorum particulas, quibus utebantur, eadem opera auferrent. « Non enim est detestanda sanctimonialium virginitas, » ait Augustinus[38], « quia et Vestales virgines fuerunt; nec reprehendenda sacrificia patrum, quia et sacrificia gentium fuerunt; quia etsi usus quarumdam rerum similis esse videtur nobis cum gentibus, » addo, et hæreticis, « ut cibi, potus, tectorum, vestimentorum, lavacrorum; longe tamen aliter his utitur, qui ad alium finem earum usum refert: et aliter, qui ex his Deo gratias agit, de quo falsa non credit. »

Cæterum, sacris olei et chrismatis unctionibus in baptismo ab apostolicis temporibus triplicite usam esse Ecclesiam colligimus. Primo, circa aquas, « quas pontifex, » auctore Dionysio Areop.[39], « sancta prece ac invocatione sanctificabat, καὶ τρισὶ τοῦ παναγιστάτου μύρου σταυροειδέσι χύσεσι τελειώσας αὐτό, i. e. ter in eas ad crucis effigiem, sanctissimum fundens unguentum, illas hoc ritu perficit. » Secundo, post abrenuntiationes et exorcismos, cum vel toto corpore, ut est apud Dionysium, et Cyrillum Jerosolymit.[37], vel pectore tantum, et scapulis baptizandum ungebant oleo, quod inde catechumenorum vocatur. Postremo, chrismate, ex oleo et succo balsami composito, ad regiæ et sacerdotalis gloriæ unitatem exprimendam, ait Cyprianus[38], in vertice signabantur baptizati. Ab apostolis, Spiritu sancto doctore, universas per orbem Ecclesias, in hunc usque diem hos ritus acceptos constanter retinuisse, et ad Spiritus sancti dona significanda his usas fuisse, testes sunt, qui primo sæculo ab apostolis, vel cum eisdem vixerunt, Clemens Rom. lib. III, *De constit. apost.*, cap. 15, 16, 17, et lib. VII, cap. 23, 28, 41, 42, 44, et lib. III *recog.* et epist. 3; Dionys. Areopag. lib. *De eccles. hierar.*, c. 2 et 7; auctor *Quæst.* apud Justinum martyrem, quæst. 137; Theophilus Antiochenus lib. I *ad Autolycum*; et qui postea vixerunt in Oriente, Origen., lib. V in Epist. ad Rom.; Chrysost. hom. 12 in I ad Corinth. et homil. 6 ad Coloss.; Basilius lib. *De Spiritu sancto*, c. 27; Nazianzenus oratione in sanctum baptisma. Addam et Latinæ Ecclesiæ Patres, Tertullian. lib. *De carnis resurrectione*, lib. I *Contra Marc.* et lib. *De baptism.*; Cyprianum epist. 72 ad Januarium; Arnobium *Commentariis* in psal. IV, XXII, LXXXII, XC, CXXXII et CXXXIV; Optatum Milevitanum lib. II, III, et VII *Contra Parmenianum*; Augustinum lib. XV *De Trinit.*, cap. 16, et lib. IV *De symb.*, c. 1, et tractatu 44 in Joannem; Ambrosium lib. I *De sacramentis*, cap. 1 et 7; Hieronymum *Dialog. contra Luciferr.* Hæc paulo fusius adnotare libuit, ut omnibus innotescat, quanta pietate et sinceritate ducantur rhapsodi illi Magdeburgenses, qui istos ungendi sacros ritus hæreticorum tantum, et non catholicorum et apostolicorum virorum fuisse audent asserere.

Quidam autem eorum. Ergo primum sanctissimumque regenerationis nostræ mysterium, quod est baptisma, per istos Gnosticos Satanas omni ex parte labefactare conabatur; quando illi verba illius formæ a Christo tradita corrumpebant, isti vero et proxime sequentes ipsam materiam, id est aquam, omnino negligendam esse censebant. Hoc idem diabolicum plane stratagema etiam nunc per posteriores Hugnosticos reparare nititur, quando per Brentium, Bezam, et similes suadet, uti certa verborum forma, magicum esse; et nullum aliud esse verbum sacramentorum, quam quod a ministro pro suggestu exponitur. Per Calvinum autem tradit, aquam non esse penitus necessariam: nec Christum de illa dixisse: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua, » etc. Hoc autem didicit a Luthero, qui a suis interrogatus, si liceret baptizare cerevisia, aut lacte, tandem respondit[39]: « Quidquid balneum dici potest, ad baptismum conveniens est. Si non adsit aqua, cum sit cerevisia, vel lac in necessitate, vel quidquid habueris: nihil in hoc situm est. » Habes ergo veterum Gnosticorum impietates renatas in novissimis: adeo semper sibi similis est Satanas omnium mendaciorum parens.

Alii hæc omnia recusantes. Seductores homines proficere in pejus, et qui in sordibus volutantur, in dies multo magis sordescere, aperte indicat hæc classis Gnosticorum, quæ cæremonias, aquam, et verba sacri baptismi eadem opera 68 rejecit ut indigna, quæ mysteria eorum invisibilia significarent. Illi porro sunt, quos Epiphanius vocat Archontices, Theodoretus et Nicetas Ascodrugos, et Ascodrupitas, quibus Euthymius addit Paulicianos. Hi etenim divina mysteria, et dona spiritalia, rebus visibilibus; et incorporea, sensibilibus et corporeis signanda et commemoranda esse negabant: proinde nec baptismatis, nec aliorum spectabilium sacramentorum usum admittebant. In hos acerrime disputant Nicetas et Euthymius. Recentiores Gnosticos, ne a tantis patribus degenerarent, eadem fecunditate errorem ex errore serere ingeniscit nostrum sæculum. Postquam enim sacrum oleum cum sale, saliva, aquæ consecrationem, symboli professionem, abrenuntiationes, et exorcismos, quibus arcetur Satanas, e medio sustulerunt: jam parvulis fidelium sine baptismate salutem pollicentur.

Alii sunt qui mortuos. Hujus loci sensum explicat, et emendationem ex vet. cod. agnoscit Epipha-

[36] Vide Horatium, si velis, libro I Serm., satira 8; Homerum in Odyss.; Theocritum, et alios. [38] Lib. XX contra Faust., c. 21. [39] Lib. de eccl. Hier., cap. 2. [37] In Catec. 2 mystag. [38] Sermo de unctione chrismatis. [39] Tom. II Colloq., pag. 130 et 132.

Digitized by Google

nius [45]. Theodoretus etiam hujus rei meminit in Ascodrytos, sed post mortem; Epiphanius vero ante, fecisse indicat. Ego autem utrumque recte, vereque dicere puto, cum duplici unctione Christianos olim usos reperiam. Priore, ante mortem, de qua B. Jacobus concionatur [46]: « Infirmus inducat presbyteros Ecclesiæ, qui orent super eum, ungentes oleo in nomine Domini, » etc. Eadem, Christo procul dubio auctore, apostoli frequenter unxerant, et sanaverant infirmos, Marc. VI, atque hanc olei delibutionem, sacramenti integram rationem habere, stupendosque et mirabiles effectus, asserunt Clemens Rom. lib. VIII, *De constit. apost.*, cap. 35; Hieronymus in *Vita Hilarionis*; Augustinus lib. II *De vis. infir.*, cap. 4, et ser. 215 De tempore; Innocentius primus Epistola ad Decentium Eugubinum; et Bernardus in *Vita S. Malachiæ*. Posteriori, post mortem, quando corpora sanctorum, antequam darentur sepulturæ, in spem, opinor, resurrectionis, oleo perungebantur; idque « justa mortuis fieri solita » vocat Clemens Alexand. [47] Tertullianus [48] Sabæos testatur scire, pluris et « hariolis suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam paganis diis suis fumigandis. His omnibus antiquior idemque apostolorum auditor Dionysius Areopag. [49] illius unctionis formam et finem explicat: « Ubi, » ait, « cuncti consalutaverunt, » allatum scilicet defuncti corpus, ἐπιχέει τῷ κεκοιμημένῳ τὸ ἔλαιον ὁ ἱεράρχης· « super defuncto fundit oleum pontifex. » Et post aliquot: « Olei unctio baptizandum quondam evocabat ad sacra certamina. Nunc autem infusum oleum, signat eum qui defunctus est, eadem sacra exegisse certamina, sicque fuisse consummatum. »

Sed quid? probandine sunt Gnostici, quod vel altera, vel utraque harum unctionum utebantur? Si pari cum catholicis fide, et animi intentione id fecissent; hac in re nec fref. nec quisquam eos damnasset. At impium finem sibi proponebant, ut apud Irenæum habes; nec quibus decebat verbis utebantur; ideoque magis simiarum more, ut de Novatianis scribit Cyprian. [50], quæ cum homines non sint, humana tamen imitantur: sic cum hi in Ecclesia non essent, imo contra Ecclesiam, Ecclesiæ catholicæ tamen veritatem et ritus sibi vindicare volebant. Pari stratagemate divinorum sacramentorum res, in idolorum mysteriis diabolum quondam æmulatum fuisse argute animadvertit Tertullianus [51], ut veritatem interverteret. « Tingit et ipse quosdam, » subjungit, « utique credentes et fideles suos: expiationem delictorum de lavacro repromittit, et sic adhuc initiat Mithræ: signat illic in frontibus milites suos, celebrat et panis oblationem, et imaginem resurrectionis indicit, et sub gladio redimit coronam. Quid quod et summum pontificem in unius nuptiis statuit? Habet et virgines, habet et continentes, » etc. Et libr. I *Ad uxorem*: « Sacerdotium viduitatis et celebratum est apud nationes, pro diaboli scilicet æmulatione. Regem sæculi pontificem maximum rursus nubere nefas est. Quantum Deo sanctitas placet, cum illam etiam inimicus affectat, non utique ut alicujus boni affinis, sed ut Dei Domini placita cum contumelia affectans? » Omittam, et quæ in hanc rem scripsit in calce libri *De corona militis*, ut pauca, sed gravissima, ex Justino martyre attexam [52]. « Fabulæ poetarum, inquit, a malis genitis invectæ sunt, ad decipiendos seducendosque homines. Docti enim oraculis prophetarum de Christo venturo, curarunt spargi quædam de pluribus Jovis filiis, sperantes fore, ut qui hæc nugarum portenta audiant, de Christo quoque non plus crederent, quam figmentis poeticis. » Et postea: « Dæmones non ignari prædictionum propheticarum, eas parum intellectas conati sunt per errorem a nostro Christo, ad sua figmenta detorquere, » etc. Plura quæ sequuntur, licet elegantissima, ne paginas onerarem, indicare magis, quam addere libuit, quæ tamen, non sine magna voluptate et fructu, nemo Christianus legerit.

Superascendat. Novem has voces, ex vet. cod. restituimus: quatuor vero expunximus, videlicet, « superascendant, super visibilia interiorum. »

Et his porro, et sequentibus plurimis locis constat B. Irenæum septem sacramentorum Ecclesiæ catholicæ constantissimum fuisse propugnatorem. Tametsi enim de illis ex professo disputationem non instituat in his libris, sed Gnosticorum duntaxat hæreses refellat, illorum tamen omnium vel obiter meminit, docetque ea per Christum ad hominum justitiam et salutem instituta, et ab apostolis toto orbe tradita, religiose servata et ministrata; ut ex subjectis locis luculenter apparet.

Baptismum in primis cum sua forma, materia, ritibus, ac effectis hoc loco ab hæreticorum corruptelis egregie vindicat. Hunc a prophetis prædictum, a Christo constitutum, apostolisque mandatum, ut baptizarent omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, omninoque ad salutem necessarium affirmat libro III, cap. 19. Hoc autem conferri remissionem peccatorum, cum Christo unitionem, et incorruptionem, tum eodem, tum præsenti confirmat. Circumcisionem spiritualem appellat, lib. IV, cap. 38. Parvulis etiam conferendum asserit lib. II, cap. 39. Catechismi et exorcismi consuetos ritus probat lib. I, cap. 1, 9, 13 et 19.

Confirmationem agnoscit, quando non per artes magicas, ut scelestus Simon Magus existimabat, sed per impositionem manuum apostolicarum piis dari Spiritum sanctum docet libro I, cap. 20, et lib. IV, cap. 75. Præterea, insulsos Gnosticorum discipulos arguens, quod illorum oleo aqua permisto, profanisque verbis initiatos, confirmatosque seipsos reputarent, dicentes, « Confirmatus sum, et redemptus sum, » etc., quandoquidem non a viris profanis, quales erant Gnostici; nec verbis istis: « In nomine ignoti Patris, » etc., adhibetur confirmationis sacramentum: sed ab apostolorum successoribus et verbis constanti perpetuaque traditione illorum susceptis.

Eucharistiæ panem, et calicem commistum, per invocationis verba corpus et sanguinem Christi vere fieri, et utrumque per Christi ordinationem toto mundo, velut novi testamenti sacrificium, idque super altare per manus sacerdotum offerri, constanter frequenterque prædicat, et prophetarum apostolorumque disertis verbis confirmat, lib. IV, c. 32, 33, 34, 45, et lib. V, c. 2. Eamdem servari solitam docet epistola ad Victorem, quando ad Polycarpum missa est ab Aniceto. Rationes institutionis ejus, et fructus mirabiles explicat lib. IV, c. 34, et lib. V, c. 2, simulque præfationis canonis verba, et aliquas preces non reticet libro I, cap. 1 et 9, et lib. IV, cap. 34.

Pœnitentiæ partes, id est contritionem, confessionem, et satisfactionem, comprobat, cum primum de exhomologesi, id est confessione, tam privata quam publica, frequenter disserit lib. I, c. 9, et lib. III, c. 4; solutionem Lazari a vinculis symbolum fuisse hominis peccatoris per pastores ecclesiasticos a peccatis solvendi, lib. V, c. 15. Contritionem et satisfactionem asserit clarissimis exemplis Adami et Evæ, præ admissi peccati confusione, confugientium ad latebras, indignos se judicantium conspectu Dei, mordentibus et compungentibus siculneis foliis corpora sua castigantium, denique inflictas a Deo laborum, tædiorum, tristitiarum et gemituum pœnas sponte subeuntium, lib. III, c. 35,

[45] Contra hæres. 36. [46] Jacob. V. [47] Lib. II Pædag., cap. 8. [48] Cap. 42 Apol. [49] Lib. De eccl. hier., cap. 7. [50] Epist. ad Jubaian. [51] Lib. Præscr. [52] Apolog. 2.

Digitized by Google

36 et 37. Pœnitentiæ quibusdam vitam impetrari scribit, lib. I, c. 2. Demum, per pœnitentiam nos posse ex gravissimis peccatoribus filios Dei fieri, ac hæreditatem incorruptelæ consequi, lib. IV, c. 80.

Ordinationem sacrorum hominum tuetur, scribens, omnes justos (nam nonnisi pii et probati prius viri tum ad sacras functiones assumebantur) sacerdotalem ordinem habere : apostolos fuisse sacerdotes Domini, cui semper in altari servierunt : et in altari persæpe sacrificandum, libro quarto, capite vigesimo. Rursum, sacrificia in Ecclesia a liberis hominibus offerri ; quod offert Ecclesia (nimirum per sacerdotes, et alios in altari ministrantes) purum sacrificium apud Deum deputari, libro quarto, capite trigesimo secundo, trigesimo tertio, trigesimo quarto. Mistum calicem, et panem percipere verbum Dei (sacerdotum videlicet ore ac ministerio) ut fiant eucharistia corporis et sanguinis Christi, lib. V, cap. 2.

Matrimonium, Græcus auctor semel et iterum appellans mysterium (procul dubio Christi et Ecclesiæ, ut 69 loquitur Apostolus), quod Latini sacramentum appellamus, evidenter affirmat, libro primo, capite primo : ad humani generis propagationem a Deo institutum prædicat libro IV, cap. 24, et lib. V, cap. 2. Indissolubilem porro viri et feminæ consuetudinem habere satis propugnat, quando Gnosticorum promiscuas et vagas libidines tam severe quam sancte redarguit, lib. I, cap. 1, 9, 20, 22, 24, 27 et 31.

Unctionis denique infirmorum usum catholicum satis affirmat, quando eum hoc capite vindicat ab hæreticorum variis corruptelis. Arguit enim aliquos, quod defunctorum cadaveribus adhibendum censerent : cum tamen apostoli infirmorum tantum, non mortuorum proprium esse perhibeant, Marc. VI, Jacob. V. Alios etsi infirmos ungerent, increpandos tamen esse judicat, quod impia et a se conficta verborum forma, non autem Ecclesiæ tradita utentur : alios denique ejusdem unctionis fines ac effectus, ab his quos apostoli tradiderunt, impie commiscerentur, ut ex hoc capite facile deprehenditur. Ac de his hactenus.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 18.

Pag. 93. *Τὴν δὲ ἀπολυτρώσεως αὐτοῖς παράδοσιν συμβέβηκεν ἄρρητον εἶναι καὶ ἀκατάληπτον*, etc. Supra pag. 61, not. 1, ex Jacobi Rhenferdii Disputatione de redemptione Marcosiorum, explicatam dedi significationem vocis ἀπολυτρώσεως, qua certam precandi, sive Deo gratias pro redemptione agendi formulam denotat, quæ et in hoc capite iterum iterumque occurrit. Sed et alia hujus vocabuli notio inter istos hæreticos, origine, nisi fallor, Judæos, obtinuit, quæ Irenæum fugisse videtur. Scilicet quæ Cabbalistis dicitur בינה « intelligentia, » et « mater superior, » influxum accipiens a Patre (id est Spiritus sanctus), unde istud in Evangelio secundum Hebræos dictum : « Modo accepit me mater mea Spiritus sanctus, » de quo vide *Spicilegium Patrum*, tom. I, pag. 27), eadem גאולה « redemptio » ab iisdem vocabatur, ut ex *Cabala denudata* liquet in voce גאולה, ubi hæc leguntur : גאולה « redemptio, liberatio, est Binah, quippe quæ fundamentum est liberationis, » etc. Atqui hanc « redemptionem, » sive « intelligentiam » divinam, cum « invisibilem et incomprehensibilem, ac incomprehensibilium invisibiliumque matrem » appellarint, Irenæus hæc prædicta minus recte ad redemptionem in priori sensu acceptam retulit. Cæterum αὐτῶν pro αὐτοῖς legendum ipsa verborum consructio et vetus interpretatio plane docent.

Pag. 94. *Δύνασθε τὸ βάπτισμα βαπτισθῆναι*, etc. Hæc Marcosii memoriter allegasse videntur, et quidem ex Evangelio Marci, uti recte visum Gallasio, non Matthæi, cujus caput XX in margine suæ editionis signavit Feuardentius. In hujus enim textum ex illius codice istud comma irrepsisse non solum ex eo colligitur, quod in Vulgata Latina desit, indeque ab Hilario, Ambrosio, Hieronymo, aliisque Latinis Patribus omissum fuerit ; sed et ex Origenis tom. XVI *Comment. in Matthæum*, pag. 415, ubi ita habet : Ἀποκριθεὶς εἶπε μετὰ τό, *Οὐκ οἴδατε, τί αἰτεῖσθε*, τό, *Δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον, ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν* ; ἢ ὡς ὁ Μάρκος ἀνέγραψε, *Δύνασθε τὸ ποτήριον πιεῖν, ὃ ἐγὼ πίνω, ἢ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι* ; Quid enim attinebat S. Marcum in subsidium vocare, si ambo commata in S. Matthæi codice ab Origene fuissent lecta? Accedunt mss. codices, quos ab honoratissimo fautore meo Dn. D. Millio inter varias Novi Testamenti lectiones diligenter recensitos, brevi unicuique licebit videre.

Μητέρα πάντων. Μητέρα τῶν πάντων habet Eusebius, sicuti paulo ante, Πατρὸς τῶν ὅλων.

Εἰς Ἰησοῦν. Εἰς τὸν Ἰησοῦν legitur apud Eusebium.

Ἑβραϊκά τινα. Τινά non habet Eusebius, neque legit vetus interpres.

Καταπλήξασθαι. Ita tam apud Epiphanium quam in editt. Eusebii. Sed notante Valesio ad locum citatum Eusebii, in hujus mss. cod. nempe cardinalis Mazarini, Medicæo, Fuketiano, nec non Henrici Savilii, qui modo in Bibliotheca Bodleiana asservatur, exstat καταπλῆξαι.

Pag. 97. *Βάσεμα*. Missis Croii, aliorumque conjecturis et commentationibus in obscuras « redemptionum » formulas, cl. Rhenferdii explicationes in supra laudata Dissertatione traditas breviter referam. Atqui prima hæc vox facilis est. Syris quippe בשמא « in nomine. » Sed pro scheva quiescente insertum est ε, in Latino autem *y*.

Χαμοσσή. Χαμωσὶ in Nicetæ *Thesauro orthodoxæ fidei* ms. in bibliotheca Bodleiana : a בטם « abscondit, » unde בטם « absconditum, » Deuteronom. XXXII, 34. Atque ita posterior formula habet, τὸ ὄνομα τὸ ἀποκεκρυμμένον.

Βααιαροσά. In Niceta : Βαὶ, ἀνώρα. Sed aliter dividendum est ac legendum, Βαΐη vel Βαΐαν νόρα. Syriace בחיי נהרא « in vita luminis, » sive ut in altera formula « redemptionis » paulo post redditur : Ἐν ζωαῖς τοῦ φωτός.

Μυσταδία. Apud Nicetam male per υ Μυσταδία. Atqui δία ad sequentem vocem pertinet, cum qua in Latino textu junctum est ; μίστα vero est Chaldæo-Syrum משחתא vel משחתא « unctio : » quippe ח Græcis est ἄφωνον, uti aliquot exemplis probavit Croius pag. 17, col. 2, juxta recentem editionem huic operi affixam.

Ῥουαδὰ Κουστά. Apud Nicetam pejus Ῥούδα Κουστάβα. Cæterum præfixo his vocibus δία, quod huc pertinere modo dictum est, Διαρούα vel potius Δαρούα δακούστα, pro δακούδσα, est illud Syris receptissimum דרוחא דקודשא « Spiritus sanctitatis, » id est « sancti. » Atque hinc in altera formula legitur, διὰ Πνεύματος ἁγίου, in hujus autem interpretatione, Πνεῦμα ἀγαθὸν pro ἅγιον.

Βαβοφόρ. In Nicetæ φογόρ (sive βαφογόρ, si βα ex præcedenti voce κουστάβα huc referas). Cæterum cum hæc vox reddatur ἐν σώματι, in altera autem « redemptione » dicatur, εἰς λύτρωσιν, juxta priorem fortè legi deberet βαφαγρὰχ (quod ad Nicetæ lectionem prope accedit) juxta posteriorem βαφώραχ vel βαφούρκαν, ut adeo pateat κα ex sequenti verbo καλαχθεῖ, huc retrahendum esse.

Καλαχθεῖ. Κα ad præcedentem vocem pertinere modo monui ; με vero vel μα ejus loco præligendum esse ex Latino textu et interpretatione hujus versi per Græcum ἐβασίλευσας aperte patet. Similiter Apocal. XII, 7, legitur, מלכת.

Εἰς λύτρωσιν ἀγγελικήν. Clemens in *Excerptis ex Valentinianorum Didascalia*, pag. 793, col. 1, B : Ἐν τῇ χειροθεσίᾳ λέγουσιν ἐπὶ τέλους· *Εἰς λύ-*

Digitized by Google

τμωσιν ἀγγελικὴν, τουτέστιν ἣν καὶ ἄγγελοι ἔχουσιν, etc. « In impositione manuum dicunt : *In redemptionem angelicam*, id est eam, cujus angeli participes facti sunt. » Vide plura ibidem.

Ὄνομα τὸ τῆς ἀποκαταστάσεως. Ὀνόματα τὰ τῆς ἀποκαταστάσεως legere amat Rhenferdius § 35, sicut paulo ante, Ἑβραϊκά τινα ὀνόματα ἐπιλέγουσι. Intelligit autem per ὀνόματα τῆς ἀποκαστάσεως, « verba restitutionis, » novam formulam redemptionis, quod redemptio nihil aliud sit quam restitutio in integrum, ut ex Levitici cap. xxv probat. Ex ejus itaque sententia textum aliter distinxi, et ab ὄνομα novam incepi periodum.

Μεσσία. Id est Christi. Atque ita interpretatio hujus formulæ habet : « Christi non divido Spiritum, » etc. Ast reliquæ voces, Οὐφαρέγ, etc., ab interpretatione hujus formulæ omnino discrepant, ac magis cum ea quam post hæc Irenæus refert, responsione in tiatorum convenit. Unde suspicor, Hebraica verba ipsius formulæ redemptionis ex Irenæi textu mox excidisse, adeo ut tam Epiphanius quam vetus interpres mutilatum habuerint exemplar : vel Irenæum haud integro formularum redemptionis et responsionum codice usum esse.

Οὐφαρέγ. Hac voce exprimi videtur istud in responsione initiatorum : « Et redimo. »

Ναμεμψαιμάν. Ex Epiphanii hæres. 36, Heracleonitarum, ubi easdem voces repetit, colligitur, ultimam syllabam μάν cum sequenti voce jungendam esse, ac reponendum ναμεμψαί vel ναμεμψά. Quanquam et hæc lectio corrupta ac nata videatur ex νεψί vel ναψέ, juxta Græca τὴν ψυχήν μου. Ista vero, ἀπὸ τοῦ αἰῶνος τούτου, in Syriaca formula non comparent, quæ Græcis litteris ita exprimerentur, μὰν ἀλέμα ἄνα.

Χαλδαΐαν. Epiphanius loco citato melius habet : Μενχαλδία. Hoc vero, ut respondeat istis : Καὶ πάντων τῶν παρ' αὐτοῦ, legendum est : Οὐ μεν χαλ δι, vel οὐ μεν χολ δε.

Μοσομηδ αέα. Interpretatio habet, ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰαώ· quod Syris est, בשמה דיהוה, Βασμὴ δὲ Ἰαώ. Unde αέα loco Ἰαώ positum, et ab initio hujus vocis littera β in μ, ob similitudinem transmutata est.

Ἀκφραναί. Nai ad sequentem pertinet vocem. Pro ἄκφρα forte legendum βακαφούρα, Syris בכפורא ἐν λύτρῳ, sive, ut interpretatio habet, εἰς ἀπολύτρωσιν. Excidisse vero hic videtur alia vox, forte ipsa radix כפר, qua expressum fuit ὃς ἐλυτρώσατο.

Ψαούα. Ultima præcedentis vocis syllaba huc relata, et rejecto ουα, facile oritur vox νάψα vel νάψη, נפשה, τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, ut interpretatio habet.

Ἰησοῦ Ναζαρία. Jesum Nazarenum denotari quilibet videt. In interpretatione vero legitur, ἐν τῷ Χριστῷ τῷ ζῶντι.

Mortuos. Vereor ne interpres τελευτῶντας, aut quodcunque aliud Irenæi verbum fuerit, minus recte transtulerit « mortuos, » cum « morientes » potius reddere debuisset. Epiphanius **70** enim proxime ante obitum ista solemnia ab Heracleonitis, de quibus hic sermo est, peracta esse perspicue indicat. Quin et de catholicis pseudo-Dionysius *De ecclesiastica hierarchia*, cap. 7, scribit : « Ubi cuncti consalutaverunt, » allatum defuncti corpus, ἐπιχέει τῷ κεκοιμημένῳ τὸ ἔλαιον ὁ ἱεράρχης· « super defuncto fundit oleum pontifex. » Et post alia : « Olei unctio baptizandum quondam evocabat ad sacra certamina. Nunc autem infusum oleum signat, eum qui defunctus est eadem sacra exegisse certamina, sicque fuisse consummatum. » Quæ de apostolico ægrotos ad recuperandam sanitatem ungendi ritu aliisque ejusmodi sacris et sacramentis hic disserit Feuardentius, a proposito aliena sunt.

Pag. 97. *Ἐγὼ υἱός.* Græca quæ sequuntur, pe- A tita sunt ex Epiphanii hæres. 36, Heracleonitarum ; adeo ut hos esse pateat, de quibus hoc loco loquitur Irenæus. In iis vero quæ præcedunt, haud stricte quidem eumdem verborum tenorem ac ordinem servavit Epiphanius (neque enim in hac hæresi Irenæum nominatim allegavit), attamen ita vestigia ejus legit, ut Græca ipsius Irenæi verba, quæ vacuum implerent locum, inde colligere possimus, quæ talia fuisse videntur : Ἄλλοι εἰσὶν οἱ λυτροῦντες τοὺς τελευτῶντας (sive ἐξελθόντας) ἐπὶ τὴν τελευτὴν ἐξόδου, ἐπιβάλλοντες ταῖς κεφαλαῖς αὐτῶν ἔλαιον καὶ ὕδωρ, ἢ προειρημένον μύρον μεθ' ὕδατος, καὶ μετ' ἐπικλήσεων προειρημένων, ἵνα ἀκράτητοι καὶ ἀόρατοι ταῖς Ἀρχαῖς καὶ Ἐξουσίαις γένωνται, εἰς τὸ ὑπερβῆναι (ἀοράτως legitur in Epiphanio) τὸν ἔσω αὐτῶν ἄνθρωπον· ὡς σώματος μὲν τούτων ἐν τῇ κτίσει... καταλιμπανομένου, τῆς δὲ ψυχῆς περισταμένης τῷ Δημιούργῳ. Καὶ ἐγκελεύονται αὐτοῖς ἐλθοῦσιν ἐπὶ τὰς Ἐξουσίας τάδε εἰπεῖν μετὰ τὴν τελευτήν.

B *Adnotationes Fr. Feuardentii in cap.* 19.

Pag. 98. *Cum teneamus.* Prioribus et sequentibus hæresibus, partes potiores Symboli, quod « Regulam fidei » appellat, constanter opponit, præcipue de Dei unitate, ejus omnipotentia ac rerum omnium creatione : eadem opera Verbum et Spiritum sanctum Patri conjungens in mundi productione et administratione, ut eorum unica sit et inseparabilis operatio, quorum unicam credimus voluntatem, ait Augustinus [68].

Sed per Verbum et Spiritum suum. Opus creationis et gubernationis hujus mundi æque tribuens Spiritui sancto, atque Patri et Filio, satis docet eum cum his unius esse voluntatis, potestatis atque deitatis : ac idcirco impiæ sycophantiæ in hunc B. martyrem convincuntur Magdeburgenses, centuriatores, cum in favorem Arianorum, Macedonianorum et Eunomianorum scribunt, Irenæum de « Spiritus sancti divinitate nunquam locutum esse. »

C *Hic qui mundum.* Cum vet, cod. delevimus, « unum. »

Hic qui Deus Abraham. Non solum ineptus, sed et palam impius fuit Valentinus gentilis, qui ex hoc loco concludere voluit solum Patrem esse verum Deum Israelis, quem patriarchæ cognoverunt et coluerunt, non autem Filium ac Spiritum : quoniam his tribus, ut dicebamus, totius mundi creationem et administrationem tanquam uni Deo vero hic tribuit : figmenta vero Gnosticorum de Propatore, Rytho, Sige et Æonibus solummodo a deitate excluduntur, non Filius aut Spiritus sanctus.

Sed per sententiam malam immutant. Sic et beatus Hieronymus Comment. in III cap. Danielis, in VIII Ezechielis, et in III Oseæ, docet omnem hæresim esse idololatriam, olim designatam per idola, quæ seu Judæi, seu gentiles coluerunt : quoniam hæretici errorum suorum figmentis verum Deum in simulacrum transmutant, veluti hoc tempore Calviniani Deum sibi fingunt auctorem peccatorum, quique majorem hominum partem destinato creat ut damnet, non possit constituere duo corpora in eodem loco, aut unum eodem tempore in duobus, etc. Certe nec prophetæ, nec apostoli, nec martyres, nec sancti Patres talem Deum agnoverunt vel docuerunt. De his supra cap. 12, nota 14.

Ex Jo. Ernesti Grabii adnotationibus in cap. 19.

Pag. 98. *Plasma autem Dei.* Id est carnem, quam, ut æternum viveret, resurrecturam negabant hæretici. Contra quos prolixe disputat lib. v, ac inter alia hæc, præsentibus consona habet sub finem capitis 5 : « Contradicunt suæ saluti, impossibile existimantes posse Deum suscitantem corpora in sempiternum perseverationem eis donare. » Unde cap. 6 pergit : « Glorificabitur autem Deus in suo plasmate, » id est carne, de qua post pauca ait, quod

[68] Lib. I de Trinit., cap. 4 et 12, et lib. II, cap. 5.

Digitized by Google

sit « plasmata secundum imaginem Dei. » Et mox iterum : « Si enim substantiam tollat aliquis carnis, id est plasmatis. » Et sic sæpius in sequentibus.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 20.

Pag. 99. *Magicam exercens artem.* Sic proprie reddidit : Ἐν τῇ πόλει μαγεύων, « in civitate exercens artem magicam : » vet. edit., « in civitate magus. »

Universam magiam. Mira sunt et horrenda relatu, quæ de isto scripserunt Clemens Rom. [49] et Abdias [50], quod videlicet per aera volaret, igni commisceretur, statuas loco moveri, animare exanima, lapidesque panem faceret. « Possum facere, » aiebat, « ut volentibus me comprehendere non appaream, rursus volens videri palam sim, si fugere velim montem perforem, et saxa quasi lutum pertranseam, vinctus meipsum solvam, et eos qui vincula injecerint vinctos reddam, novas arbores subito oriri faciam, repentina virgulta producam, in ignem meipsum injiciam, ut non ardeam, vultum meum commuto, ut cognoscar, sed et duas facies habere me possum hominibus ostendere, ut ovis aut capra efficiar, in aere volando invehar, aurum plurimum ostendam, reges faciam, adorabor ut Dominus publice : divinis donabor honoribus, » etc. Ad hæc nefanda, insana mentis ambitione agitabatur, « ut gloriosus, » ait Irenæus, id est, quasi ob præclara facinora eximius, « ab omnibus haberetur : » deinde turpis lucri gratia, cui addictissimum fuisse illum scribit Epiphanius. Hinc observandum quam recte Augustinus hæreticum definiat [51], eum esse, « qui alicujus temporalis commodi, et maxime gloriæ, principatusque gratia, falsas ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur. »

Sub Claudio Cæsare. Ante Irenæum, B. Justinus fusius hoc ita describserat [52] : « Simon Samarita, ortus e Gitta oppido, sub Claudio Cæsare, subnixus ope dæmonum, et fretus magicis artibus, in hac urbe regia Deus est habitus, et quasi Deus honoratus : statua posita in Tiberi inter duos pontes, cum hoc titulo, SIMONI DEO SANCTO, quem ferme omnes Samaritæ, et aliquot etiam in aliis nationibus tanquam primarium Deum adorant, una cum Helena quadam, quam tunc circumducebat, antea publice prostitutam, quam ipsi appellant primam intelligentiam. » His subscribunt Tertullianus, cap. 13 *Apolog.*, Euseb. libro II *Histor.*, cap. 12; Cyrill. Jerosol. catech. sexta; Theodoret. libro primo *Hæret. fabul.* Observa autem vilissimorum hæreticorum satanicam plane superbiam, qua, instar diaboli, pro diis haberi et coli velint. Manichæis exprobrat Augustinus [53], quod Paschati ac passioni Christi solemniter consecratos dies rejicerent, ut diem mortis Manichæi celebrarent, atque per dominum suum Manichæum jurarent. Annon hoc est impurissimo mancipio potius servire, quam supremo omnium Domino et Creatori?

Hic Selenen. Sic post Irenæum Augustinus et Cyrillus illam appellant : sed Justinus, Tertullianus, Eusebius, Epiphanius, Theodoret., Damascen. « Helenam » vocant; quod semel indicasse sufficiat. « Hanc eadem pecunia quam apostolis obtulerat, » ait Tertullian. [54], « de loco libidinis publicæ redemit, dignam certe pro Spiritu sancto mercedem. » Ipsam vero circumduxisse, et cum natura lascivus esset, in abscondito eidem permisceri solitum, scribit Epiphanius [55].

Hic tantum addenda videntur quæ scribit Nicetas lib. IV *Orthodoxiæ*, c. 1 : « Simon meretrici cuidam Tyriæ genere, Helenæque nomine, quam secum circumductabat, primæ Notionis appellationem indiderat; et quemadmodum se Deum Patrem, ita A et illam aliorum (*Iren.* omnium) esse matrem dicebat. In hujus gratiam cœlo se descendisse subjungebat, ut eam a vinculis, quibus detinebatur, assereret; hominibusque in seipsum credentibus salutis auctor esset, » etc. In quibus perspicimus quam scelestissimum lasciviæ gloriæque mancipium fuerit Simon, omnium hæreticorum parens.

Stesichorum. Lyricus poeta fuit natus XXXVII olympiade, qui fertur scripsisse Helenæ vituperationem, indeque exoculatum fuisse, rursusque ob palinodiam, Castoris et Pollucis opera, visum recepisse. Hujus rei meminit et Tertullian. [56] dicens, « Helenam ut Priamo, sic oculis Stesichori exitiosissimam, quem et exæcavit ob convicium carminis, dehinc reluminavit, ob satisfactionem laudis. » Ex profanis hanc fabulam tangunt Horatius ode XVII Epod., Lucianus libro secundo *Veraruм histor.*, et Philostratus libro sexto *De vita Apollonii*.

Uti eam assumeret primam. Sic legendum proposimus ex vet. cod., ita indicante etiam Tertulliano [57] : « Hanc esse ovem perditam, ad quam descenderit Pater summus, Simon scilicet, et primum recuperata ea, et revecta, nescio humeris an femoribus, exinde ad hominum respexerit salutem. » Delevimus vero « pœnam. »

71 Pag. 100. *Sed non secunaum operas justas.* Notavimus ad cap. 1 hujus libri, Simonianos et Valentinianos in hac fuisse hæresi, non bonis operibus, sed sola fide hominem salvari. Adjicimus Eunomianos, imo et pseudo-apostolos, de quibus tam frequenter et graviter conqueritur Apostolus, eodem errore imbutos fuisse, ut docet B. Augustinus, lib. *De hæres.*, c. 54 et lib. *De fide et operibus*, c. 14, ut vel inde considerent secum Lutherani et Calviniani, quos habeant priores dogmatum suorum assertores.

Exorcismis et incantationibus utuntur. Exorcismis, id est adjurationibus et imprecationibus, quæ religionis metu obstringunt, etiam magos et a Christo C alienos usos esse, ex sacris liquidum est [58]. Apostolos quemdam invenisse ejicientem dæmonia, qui ad eorum consortium non pertinebat, multosque impios supremo judici dicturos : « In nomine tuo dæmonia ejecimus [59]; » imo et larvatum illum pontificem, Dominum validissimo exorcismo adjurasse, referunt Evangelia [60]. Quin et ipsum diabolum Christo dixisse, Ὁρκίζω σε, « Adjuro te per Deum, ne me torqueas [61]. » Quid ergo mirum, si mancipium ejus, ad tetras imposturas, adjurationibus dæmones evocaret?

Amatoria quoque. Nonnihil de his adnotavimus in cap. 9. Reliqua quæ ad hunc locum pertinent ita explicat Theodor. [62] : « Qui sectæ Simonis erant, se audacter omni libidini et intemperantiæ dedebant, et omni incantationum et præstigiarum genere utebantur, amatoria quædam et pellicentia machinantes, » etc.

Cæterum, « agogima » superius vertit, « allectantia, » videlicet, pocula. Ἀγωγίαι quoque vocantur lenocinia, oblectamenta. Πάρεδροι proprie sunt assessores, consiliarii, et auxiliarii. Astabant etenim his impostoribus spiritus immundi, qui eis ad quidvis contra pietatem audendum et aggrediendum auxiliabantur. Πάρεργον autem, etsi non unum significet, hoc tamen loco, res supervacaneas indicare puto. « Oniropompi, » composita vox ἀπὸ τοῦ ὄνειρου, quod est somnus et somnium, et πομπεύω, pompam agito, ostento, glorior : siquidem de insomniis suis, tanquam de divinis oraculis gloriabantur, atque triumphabant.

Imaginem quoque. Disputationem de imaginibus referemus in caput 24 hujus libri.

Habent quoque vocabulum. Delevimus « vocabula. »

[49] Lib. III Recog. [50] Lib. I Hist. apo. [51] Lib. de util. cred., cap. 1. [52] Apol. 2. [53] Lib. contra epist. Manichæi, cap. 8, et l. XIX contra Faust., cap. 22. [54] Lib. de anima. [55] Contra hæres. 21. [56] Lib. de anima. [57] Ibid. [58] Luc. IX. [59] Matth. VII, 22. [60] Matth. XXVI, 63. [61] Marc. V, 7. [62] Lib. I Hæret. fab.

Digitized by Google

Cæterum, nec catholicos, nec Christianos quidem appellandos esse hæreticos; sed a principe sectæ cognominandos, non solus hic censet Irenæus, sed et Justin. martyr his verbis: « Sunt distincti cognominibus, denominati a quibusdam, ut quisque fuit auctor alicujus novæ doctrinæ. Ex his alii vocantur Marcionitæ, alii Valentiniani, alii Basilidiani, alii Saturniani, alii alio vocabulo, quisque a primo inventore sui dogmatis. » De iisdem et Lactant. scribit [63]: « Illi dæmoniacis fraudibus irretiti, divinum nomen et cultum per imprudentiam perdiderunt. Cum enim Phryges, aut Novatiani, aut Valentiniani, aut Marcellæ, aut Anthropiani, seu quilibet alii, nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana et externa vocabula induerunt. » Antea quoque Tert. [64]: « Quid hæreticis, inquit, et Christianis? Si hæretici sunt, Christiani esse non possunt. » Isthæc quoque persequuntur et confirmant Cypr. [65], Athanas. [66], Chrysost. [67], aliique deinceps Patres, adeo ut etiam legibus suis imperatores prohibuerint hæreticis nomen Christianum usurpare. C. lege 6, de hæresibus. Viderint illi, qui hos et fratres suos appellant, et religionis reformatæ speciosum titulum eis tribuunt, quo pacto possunt vere esse ipsi catholici.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 21.

Pag. 100. *Hujus successor.* Quia hujus hæresiarchæ originem, dogmata, et perditos mores eleganter describit Euseb. [68], verba ejus addere libuit. « Menander, ait, qui Simoni Mago successit, seipsum propter sceleratam morum suorum improbitatem, secundum diabolicæ molitionis propugnaculum, illo priore nihilo plane imbecilliorem præstitit. Erat iste etiam Samaritanus: qui ubi ad summum præstigiarum fastigium, ut facile cum magistro contenderet, pervenerat, majoribus portentis se nobilitavit; et Servatorem, ad hominum conservationem ac salutem, cœlitus e sæculis invisibilibus demissum se prædicavit, docuitque neminem aliter ex angelorum dominatu, qui mundum fabricassent, se posse eripere, quam ut prius experientia magica ab ipso tradita instructus esset, et baptismate, quod ille impertire solebat, ablutus. Quo quidem qui essent dignati, eos perpetuam in hac vita immortalitatem adepturos, et non amplius subituros mortem; sed eodem in loco in æternum commorantes, nulli senio, nullive internecioni aliquando obnoxios fore. Ista certe ex Irenæi scriptis facile licet perspicere. » Huc usque Eusebius, qui et Antiochiæ potissimum plurimos illum seduxisse ex Justini Apol. 2 subjicit, lib. III *Hist.*, cap. 20.

Et ultra non posse mori. Tertull. [69] impudentem hanc pollicitationem digna vellicatione excipiens, e contra « mortem, omnium quæstionum finem, et totius humani generis sententia, naturæ debitum pronuntiat. Hoc stipulata est vox Dei, hoc spopondit omne quod nascitur, ut jam hinc non Epicuri stupor suffundatur, negantis debitum istud ad nos pertinere: sed hæretici magi Menandri Samaritani furor conspuatur, dicentis mortem ad suos non modo non pertinere, verum nec pervenire, in hoc scilicet se a superna et arcana potestate legatum, ut immortales, et incorruptibiles, et statim resurrectionis compotes fiant, qui baptisma ejus induerint.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 22.

Pag. 100. *Ex iis Saturninus.* Hunc « Saturnilum » vocant Epiphanius [70], et Theodoretus [71]. Porro cum eum ab Antiochæa, quæ est ad Daphnen, ortum dicit Irenæus, ab aliis ejusdem nominis urbibus, quas duodecim fuisse narrat Stephanus, secernit: ut ibi suæ impietatis organa diabolum præcipue direxisse indicet, ubi majore animi alacritate apostolorum prædicatio excepta fuerat. Illic enim ministerio Pauli, Barnabæ, et celebrium aliquot aliorum virorum tanta incrementa Ecclesia fecerat, ut ibi primum vocarentur Christiani. Septem annis Ecclesiæ illi præfuerat Petrus; postea Evodius; dehinc præclarus ille Ignatius « per magni Petri dexteram, » ait Theodoretus [72], « pontificatus gratiam suscepit. »

A septem autem. Libri hujus c. 20 hunc errorem tribuit etiam Simoni; cap. 21, Menandro: quibus consentiunt Tertull., Epiphan., Theodoret. et Philastrius. In eumdem autem disputatur infra libr. II, cap. 2, 3, 11, 12, etc.

Eo quod statim. Expunximus « eo statu qui. »

Et similitudinem nostram. Vox « nostram » hoc loco suspecta est, propterea quod Epiphanius scribat, eam a fictitiis angelis Saturnilo omissam fuisse: quo videlicet error verisimilitudinem haberet, tanquam alii quidam fecissent hominem, imago vero alterius fuisset.

Quasi vermiculus scarisaret. Σκαρίζειν « saltare » significat. Sed apertius Theodoretus [73]: « Cum autem figmentum non posset origi, sed instar vermis serperet, miserta, inquit, divina potentia vitæ scintillam immisit. » Epiphanius [74]: « Cum factus fuisset homo, et propter impotentiam suam non posset ipsum perficere, jacuisse ipsum, et se volutasse in terra situm instar vermis reptilis, » etc. Tertull., « super terram jacuisse reptantem, » etc.

Salvatorem autem innatum. Delevimus « ignotum, » docente vetere codice, et consentientibus Tertull. [75] ac Epiphanio [76], quod hic impostor Christum vere natum et hominem factum negaret: sed solo phantasmate genitum et passum, seu, ut hic additur, putative visum hominem.

Pag. 101. *Nubere autem et generare.* Mirum est Gnosticos ferme omnes matrimonium honestum non tantum damnasse, sed et ipsum exsecrando, Satanæ opus vocitasse, cum promiscuos concubitus et nefarias libidines palam profiterentur. « Sed bellum, » ait Theodoretus [77], « adversus Creatorem hujus universitatis gerebant, ideo ne per matrimonium opificium ejus augeretur, formidabant. » Adversus hunc errorem acerrime disputat toto lib. III *Strom.* Clemens Alex. et Tertullianus lib. I *Contra Marcionem*; atque lib. V contra eumdem, in cujus sectione 38 etiam quinquies vocat nuptias sacramentum, ut Augustinus lib. I *De nuptiis et concupiscentia*, sexies: et libro unico *De bono conjugali* contra Jovinianum, decies. Videant ergo recentiores Gnostici quo pergant, quosque dogmatum suorum parentes habeant, cum matrimonium sacramentum esse a Deo institutum negant, ut inter profanos contractus, quos leviori negotio solvunt, repouant.

Ab animalibus abstinent. Hunc locum, simulque additam ex vetere codice emendationem ita illustrat Epiphanius [78]: « Matrimonium contrahere et generare, idem scurra ex Satana esse dicit. Unde etiam plures ex ipsis ab animatis abstinent, quo per simulatam suam vitam reliquos ad suam fraudem illiciant. » Hos et procul dubio significat B. Clemens Rom. [79]: « Quidam nuptias respuunt, carnem item et vinum in rebus abominandis ponunt: item nubere, et liberis operam dare prohibent, ac quosdam cibos capere, scilicet ut hac continentia suæ sententiæ pravitatem facilius probare possint. Quidam vero ex iis docent abstinendum carnibus, non quod parcant animantibus ratione carentibus, sed quod ea animam rationis participem habere existimant, eosque pœnas cædis daturos, qui ea occidere audent. » Hanc vero doctrinam dæmoniorum, cum Apostolo perpetuo damnavit Ecclesia, quæ nihil

[63] Lib. IV, c. 30. [64] Lib. Præscr., cap. 7 et 28. [65] Lib. de unit. Eccles. [66] Ser. 2 cont. Arian. [67] Hom. 35 in Acta. [68] Lib. III Hist., cap. 20. [69] Lib. de anima. [70] Contra hæres. 23. [71] Lib. I Hæret. fab. [72] Dialog. 1. [73] Lib. I Hæret. fab. [74] Contra hæres. 23. [75] Lib. Præscr. [76] Contra hæres. 23. [77] Epit. divin. decret. [78] Contra hæres. 23. [79] Lib. VI Const. apost., c. 10.

Digitized by Google

natura immundum esse, nihil a Satana, sed omnia a Deo creata, benedicta, et valde bona esse credit. Observa autem quam simulata pietate in Christi gregem graves lupi isti grassarentur, et Ecclesiam Dei, ait Clemens Rom. [80], « veluti vulpeculæ vineam, labefactarent. »

Perfectam hujusmodi continentiam. Ita vet. cod.; delevimus vero « perfecta hujusmodi continentia. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 23.

Pag. 101. *Basilides.* Hunc Alexandriæ ortum, in Egypto autem errorum suorum scholas instituisse Adriano imperante, tradit Eusebius [81] : simulque Castorem Agrippam scriptorem præstantissimum, valentissima refutatione, subtile captionum illius viri acumen apertissime detexisse. Cæterum, polygraphum fuisse, ut qui viginti quatuor Commentariorum libros in Evangelium scripserit, post Clementem Alex. [82] monet idem Eusebius. Tertullianus paulo apertioribus verbis hujus hæreses ita extulit : « Basilides dicit summum Deum nomine Abraxam ; a quo mentem creatam, quam Græci νοῦν appellant. Inde Verbum, ex illo Providentiam, Virtutem, et Sapientiam. Ex ipsis inde principatus et potestates, et angelos factos. Deinde, infinitas angelorum editiones et probolas. Ab ipsis angelis trecentos sexaginta quinque cœlos institutos ; et mundum in honore Abraxæ, cujus nomen hunc in se habeat numerum computatum. » Sic quoque Epiphanius, Theodoretus, et Nicetas.

Deinde a Logo. His deliriis plures deos constituere, imo et ex diabolis deos effingere Basilidem scribit Clemens Alexand. lib. IV et V *Strom.*

Antitypi. Delevimus « tanti typi, » auctoritate vet. codicis. Est autem ἀντίτυπος idem quod similis et ejusdem formæ.

Quod etiam a nobis videtur. Delevimus « qui a nobis videntur, » auctoritate vet. codic., emendationem probantibus Theodoreto atque Niceta. Ille enim habet, « hoc cœlum ultimum, quod a nobis videtur. » Iste vero, « quod aspectabile nobis est. »

Reliquæ resiluerunt gentes. Expunximus « residuæ ruerunt, » auctor. vet. cod. Locum vero illustrat Epiphanius [83] : « Hanc gentem etiam aliæ gentes bello impetiverunt, et multa mala ipsi intulerunt, propter aliorum angelorum æmulationem, quoniam propulsati velut contempti ab ipso, etiam ipsi proprias gentes contra gentem Israel commoverunt. » Theodoretus [84] : « Judæorum administrationem sortito, volenti autem suis gentibus subjicere, alios principes restitisse. » Tertullian. [85] : « In ultimis quidem angelis, et qui hunc fecerunt mundum, novissimum ponit Basilides Judæorum Deum : id est, Deum legis et prophetarum, quod Deum negat, sed angelum dicit. Huic sortito contigisse semen Abrahæ, atque ideo hunc de terra Ægypti filios Israel in terram Chanaan transtulisse. Hunc turbulentiorem præ cæteris angelis, atque ideo et seditiones frequenter et bella concutere, sed et humanum sanguinem fundere. »

Innatum autem. Theodoretus [86] : « Ingenitum autem hæc videntem, primogenitam mentem suam misisse, quam etiam Christum appellavit, ut servaret eos, qui vellent credere. » Subscribit Nicetas.

Quapropter neque passum. Tertullianus [87] : « Hunc passum apud Judæos non esse, sed vice ipsius Simonem crucifixum esse ; unde nec in eum credendum esse, qui sit crucifixus, ne quis confiteatur in Simonem credidisse. » Sed eo longe apertius Epiphanius : « Confugit nobis alium fabulæ ac dramatis actum, non Jesum passum esse asserens ; sed Simonem Cyrenæum. Nam quoniam dum Dominus e Jerosolymis exturbaretur, ut Evangelii series habet, coegerunt quemdam Simonem ad portandam crucem : hunc reperit ut nequitiei suæ tragœdiam confingeret. Et illum, inquit, in eo quod portabat crucem, transformavit in suam speciem ipsum in Simonem, et pro seipso tradidit Simonem, ut crucifigeretur. Cum autem ille crucifigeretur, stabat ex opposito invisibilis Jesus, deridens eos qui Simonem crucifigebant. Ipse vero discessit ad cœlestia, tradito Simone ad crucifigendum, et illæsus processit ad cœlum. Verum ipse Simon crucifixus est, et non Christus, » etc. Nicetas vero sic impietatem istam refellit : « Si Cyrenensis ille passus est, quis alter ille fuit qui surrexit a mortuis ? Vulnera quæ in cruce acceperat, ostendit apostolis. Denique cum corpore in cœlos ascendit. »

Animæ autem soli. Tertul. [88] : « Carnis resurrectionem graviter impugnat, negans salutem corporis repromissam. »

Pag. 102. *Prophetias autem.* Theodor. [89] : « Prophetias quoque dixit ab angelis esse factas ; legem autem fuisse latam a principe Judæorum. »

Habere autem. Epiphanius [90] : « Sed et hinc omni immunditia profectum capiente, quæ a Simone Mago initium accepit, omne studium malitiei ac petulantiæ discipulos suos perficere præcepit hic erro, et viros ipsi fidem habentes, cum mulieribus multiplicem quamdam misturam pravi proposi i docet. Quare dicit Apostolus [91], propter hos et similes ipsis, revelari iram Dei et justum judicium super eos, qui veritatem in injustitia detinent. Propter hanc enim causam, voluptatis scilicet, multi in hæresim delabuntur, cum reperiant locum licenter perficiendi voluptatem suam in turpibus operationibus. »

Utuntur autem et hi magia. Locum hunc, cum emendatione, ex vetere codice sic explicat Theodoretus [92] : « Porro autem hi quoque, sicut qui Menandri et Simonis sectam sequuntur, incantationibus et præstigiis, et omnis generis imposturis utuntur. » Epiphanius vero [93] : « Quin et magicis artibus ac curiosi atibus impostor ille addictus esse non desiit. » Itaque pro « imaginibus » reposuimus « magia. »

Salvatorem esse Caulacau. Theodoretus [94] : « Servatorem autem et Dominum Caulacuam nominant. » Damascenus de Nicolao Antiochen. d. [95] : « Hic in mundum invexit quædam barbara nomina, ut Caulacauchus et Protonicus, aliaque permulta. » Epiphanius : « Alii Καυλακαχάχ gloriflcant, principem quemdam hunc sic appellantes, decipere conantes imperitos per hominum terriculamenta, et conflctam barbaram nominis appellationem. » Et post pauca : « Sed et de Caulacauch quis legentium non riserit ? quod dictiones Hebraice probe dictas, et Græce recte expositas, et nunc apud eos, qui Græce norunt manifestas, et nihil obliqui habentes ; ipsi in idolorum effictiones, et in formas, et insubstantivos principatus ; et, ut ita dicam, statuarum figmenta efformant, apud simplices per imaginationem errorem dispergentes, ad turpis et fabulosæ artis ipsorum conseminationem. Caulacauch enim in Isaia scriptum est [96], et est quædam dictio in duodecima visione, ubi dicit θλῖψιν ἐπὶ θλῖψιν, ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδα, ἔτι μικρὸν ἔτι μικρὸν προσδέχου. Id est, affictionem ad afflictionem, spem ad spem, adhuc parum, adhuc parum assume. » Sic enim Septuaginta, quos imitatur, Græce reddiderunt verba ista Hebraica, צו לצו צו לצו קו לקו קו לקו זעיר שם זעיר שם. Quæ sic de verbo ad verbum vertit Sanctes : « Præceptum post præceptum, præceptum post præceptum ; linea post lineam, linea post lineam ; parum ibi, parum ibi. » Communis translatio : « Manda remanda, manda remanda, exspecta reexspecta, exspecta reexspecta ; modicum ibi, modicum ibi. » Porro verbis illis Isaias Judæorum impietatem describit, qua prophetarum

[80] Lib. VI Const., cap. 17. [81] Lib. IV Hist., cap. 7. [82] Lib. IV Strom. [83] Contra hæres. 34. [84] Lib. I Hæret. fab. [85] Lib. de Præsc. [86] Lib. I Hæret. [87] Lib. de Præsc. [88] Lib. de Præsc. [89] Lib. Hæret. fab. [90] Contra hæres. 34. [91] Rom. I, 18. [92] Lib. I Hæret. fab. [93] Contra hæres. 24. [94] Lib. I Hæret. fab. [95] Lib. de Hæres. [96] Cap. XXVIII, 10.

Digitized by Google

voces et comminationes cum dicteriis excipiebant, et mimesi quadam imitabantur, cum contemptu et irrisione. Vel, ut aliis placet, socordiam et ignorantiam populi arguit, qui velut pueri, pedetentim docendus erat singulis diebus singula præcepta divina tradenda, ut solent institui infantes, quorum captus est admodum exiguus. At impostores isti, ignota sibi, aut saltem rudioribus verba, velut grandia mysteria continerent, populo inculcabant.

Incognitum. Delevimus « coguitum, » auctoritate vet. cod. et « oportere, » pro « oportet » legimus.

Quapropter et parati. Tertullianus [97]: « Martyria negat esse facienda. » Epiphanius : « Rursus autem asserit non oportere martyrium subire. Qui enim martyrium subit, mercedis exsors reperietur, cum martyrium sustineat, pro eo qui hominem fecit. Sustinet enim martyrium pro crucifixo Simone, » etc.

Et Judæos quidem. Epiphanius [98]: « Quod si ipse et sodales ejus interrogentur, Judæos quidem seipsos non amplius esse dicunt ; Christianos autem nondum factos esse, sed negare semper, habere autem in seipso tacite fidem et nemini ostendere, » etc.

Non autem multos. Epiphanius : « Jubet autem solum de Patre et suo mysterio, nemini revelare, sed silentio in seipsis continere. Uni vero de mille revelare, et duobus de decem millibus. » Theodoretus : « Hæc autem dicunt esse ineffabilia, et nec ab omnibus capi aut comprehendi posse, præterquam ab uno ex mille. »

Trecentorum autem. Hunc locum ita imitatus est Theodoretus [99] : « Dicit autem principem ipsorum esse Abraxax ; nominis enim supputatio trecentorum sexaginta quinque numerum significat. » Eadem habet et Damascen. [1] ; Augustin. [2] vero in partium supputatione diutius immoratur, ita scribens : **73** « Basilides trecentos sexaginta quinque cœlos esse dicebat, quo numero dierum annus includitur. Unde etiam quasi sanctum nomen commendat, quod est Ἀβράξας : cujus nominis litteræ secundum Græcam supputationem, eumdem numerum complent. Sunt enim septem, α, et β, et ρ, et α, et ξ, et α, et ς, id est, unum et duo, et centum et unum, et sexaginta et unum, et ducenta, quæ fiunt in summa trecenta sexaginta quinque. » Epiphanii [3] prolixior tractatio, in qua etiam Irenæum nominatim appellat, in idem redit. Porro, Beatus Hieronymus [4] asserit « Mithram, » sub eodem numero aliarum litterarum, ethnicis esse, quam Basilides portentoso nomine vocat « Abraxan. »

Cæterum, Baronius vir doctissimus et lectissimus, appendice ad secundum tomum *Annalium*, ex inscriptionibus cujusdam gemmæ e ruderibus erutæ, contendit legendum potius ABRACAΞ, seu ABRASAX ; quam ABRAXAS ; et eumdem Basilidi loco fuisse summi Dei, cujus et imagines amuleti loco suis exhiberet plane monstrosas, ut ex eâ, quæ gemma continetur, apparet ; ac proinde summo jure damnatas fuisse ab Irenæo. Legit enim ille in hoc Irenæi capite : « Utuntur autem imaginibus ; » emendationemque tam veteris codicis, quam Epiphanii ac Theodoreti non sequitur, sed propriam sententiam.

Ex Jo. Er. Grabii adnotationibus in cap. 23.

Pag. 102. *Quemadmodum et mundus nomen esse... Caulacau.* Textus hic certe est mutilus vel corruptus, indeque difficile genuinum elicere sensum. Theodoretus hæc ita accepit, quasi Salvatoris nomen fuerit « Caulacau. » Ita enim loco citato scribit : Τὸν δὲ Σωτῆρα καὶ Κύριον Καυλακούαν (lege Καυλακαύαν) ὀνομάζουσι. Epiphanius quoque hæres. 25, § 3, de Nicolaitis ait, quod titulo « Caulaucau » ἀρχοντά τινα, « principem aliquem » appellent. Sed quantum ex Irenæi verbis, licet vitiatis, conjicere licet, nomen « Caulacau, » quod proprie « linea ad lineam » significat, ex Isaiæ xxviii, 10, desumptum, non ipsi Salvatori, sed mundo tribuerunt Basilidiani, quod mundus ipsis quasi duplex linea videretur, per quam descendit et ascendit Salvator.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 24.

Pag. 103. *Carpocrates.* Hunc genere Alexandrinum fuisse tradit Theodoretus [5] ; magum autem et impurum fornicarium Tertullianus [6] ; alios vero omnes hæreticos morum improbitate eumdem superasse ; quippe qui ex Simonis, Menandri, Saturnini, Basilidis et Nicolai sententia sordes hauserit, et sectam inde construxerit, quam Gnosticorum nominavit, ut testis est Epiphanius [7].

Circumlatione. Theodoretus : « Dominum Jesum ex Joseph et Maria natum esse dicebat, sicut et alii homines ; virtute autem fuisse insignem, ut qui puram habebat animam et memorem suæ cum Ingenito consuetudinis. » Epiphanius quoque correctiones ex vetere codice adhibitas agnoscens : « Quandoquidem, ait, validam præ cæteris hominibus habebat animam et memoria tenebat ea, quæ visa erant ab ipsa superne, quando et in circumferentia ignoti illius Patris erat, demissæ sunt, inquiebat Carpocras, ab eodem Patre in animam ipsius virtutes, quo visorum ab ipsa recordata, et potentia corroborata, angelos mundi fabricatores effugeret, » etc. Pro « circulatione, circumlatione » reposuimus : ut mox pro « ut in mundi fabricatoribus, uti mundi fabricatores. »

Et ea quæ. Epiphanius : « Quin et similes ipsi animas, æqualia ipsi amplexas, eodem modo liberatas, sursum volasse ad ignotum Patrem, » etc. Damascenus : « Quod si quis similia quæ Jesus, gereret ; eum illius similem esse dicebat. »

Jesu autem dicunt animam. Hunc locum ad mediam usque partem capitis hujus, iisdem verbis transcripsit Epiphanius *Contra hæres.* 27, quæ, ne paginas oneremus, adducere non libet. Ejus vero auctoritate, et veteris codicis consensu, pro « pejus, » reposuimus « pœnis, » et pro « erant, inerant hominibus. »

Dignas habitas. Ita legit vetus codex : Epiphanii interpres, « eadem virtute dignæ factæ. » Itaque delevimus « dignos habitos. »

Artes enim magicas. Hanc sententiam sic exprimit Eusebius [8] : « Isti magicas Simonis præstigias non ex occulto quidem, ut ille, sed jam in apertum jure proferendas censuerunt ; et non modo philtris amatoriis curiose ab illis elaboratis, et quibusdam dæmonibus, qui eorum animis nefaria injecere somnia, quique illis assessores exstitere, verum etiam aliis non disparibus ineptiis, se jam tanquam rebus maximi fere momenti et ponderis nobilitarunt. »

Qui et ipsi ad detractionem. Epiphanius [9] : « Sunt autem a Satana subornati ac producti, in opprobrium ac scandalum Ecclesiæ Dei. Indiderunt enim sibi ipsis cognomen Christianorum, ad hoc ut gentes per ipsos offendantur, et sanctæ Ecclesiæ Dei utilitatem et veram prædicationem, propter illorum nefaria facta et incomparabilem improbitatem, aversentur, et ut gentes ipsorum assiduo nefaria opera considerantes, putent etiam sanctas Dei Ecclesias tales esse et avertant, velut dixi, aures a Dei et veritatis doctrina, » etc. De iisdem quoque conqueritur Eusebius libro quarto *Hist.*, capite septimo, et longe ante hos Justin. mart. in *Colloquio cum Tryphone*, omnium gravissime.

Pag. 104. *Si non præoccupans.* Isthæc explicatius narrat Theodoretus [10] : « Cum Pythagoricas a cor-

[97] Lib. de Præsc. [98] Contra hæres. 24. [99] Lib. 1 Hæret. fab. [1] Lib. de hæres. [2] Lib. de hæres. [3] Contra hæres. 24. [4] Lib. 1 Comm. in Amos. [5] Lib. 1 Hæret. fab. [6] Lib. de anima. [7] Contra hæres 27. [8] Lib. IV Histor., cap. 7. [9] Contra hæres. 27. [10] Lib. 1 Hæret. fab.

Digitized by Google

poribus in corpora trajectiones admisissent, quod eis connexum a Pythagora dicebatur, non admiserunt. Pythagoras enim dicebat animas quæ peccarant, mitti in corpora, ut et pœnas darent, et rite expiarentur. Dicunt enim animas missi in corpora, ut omne genus libidinis et petulantiæ peragant; eas ergo, quæ in uno descensu impleverint, non egere alia missione; quæ autem parum peccarunt, et bis mitti, et ter, et sæpius, donec omnia vitiorum genera impleverint. »

Quæ sunt secundum nos civitates. Septem vocabulas, quas ex vetere cod. adjecimus, agnoscit Epiphanius [11], et sententiam longe apertius explicat. « Ita habent ipsorum libri, inquit, ut si quis prudentia præditus legat, admiretur, ac stupeat et non credat, quod hæc sic ab hominibus fiant, non solum his qui civitatem nobiscum habitant, sed etiam his, qui cum bestiis et similibus bestiis ac pecoribus, ferme dixerim, quæ canes ac sues faciunt, facere audent. Aiunt enim, oportere his omnibus penitus uti, ut ne egressæ animæ aliquo opere relicto, ea de causa revertantur in corpus rursus ad faciendum ea, quæ non fecerunt. »

Propter eam. Vetus codex subindicat legendum, « propterea quod deest libertati aliqua res. »

Cum ea cum adversario. Hunc Evangelii locum et fusissime et præclare discutit Tertullianus libro *De anima*, contra hujus Carpocratis opinionem.

Sed sit. Expunximus « sic, » auctoritate veteris codicis, probante id quoque Epiphanio.

Et si quidem fiunt hæc. Cum laudis digna præfatione hæc ex Irenæo transcripsit Theodoretus [12] usque ad illud, « alii vero ex ipsis signant. »

Alii vero ex ipsis. Epiph.: « Cæterum, signaculum per cauterium, aut novaculam, aut subulam immittunt ac incutiunt Carpocratiani in dexteram inferiorem auriculam iis, qui ab ipsis decepti sunt. » Symbolis inustionibusque istis externis, opinor, utebantur, ut primo occursu ejusdem secum factionis asseclas agnoscerent, consilia communicarent, et promiscuis concubitibus miscerentur. In his vero nec a variarum gentium moribus recedebant, quarum meminit Tertullian. lib. *De velandis virginibus*, « Garamantes pennis, strobulis Barbaros, cicadis Athenienses, cirris Germanos, et stigmatibus Britones, » insignitos fuisse narrans. Signum quoque inter Gnosticos Epiphanius [13] tradit exstitisse virorum ad feminas, et feminarum ad viros; in extendendo manum ad salutationem, videlicet subter palmam contrectationem quamdam titillationis, per hoc se inducere ostendentes, quod ejusdem religionis esset qui accessit. Hinc igitur mutua cognitione accepta, statim ad epulationem convertuntur. Ubi compotarunt et venas impleverunt, ad cœtum se convertunt, et vir quidem concedens uxorem alteri, ad ipsam dicit: « Surge, fac dilectionem cum fratre, » etc. Postremo, stigmata illa, obedientiæ et servitutis perpetuæ signa erant, quibus sectæ illi quasi sacramento nomina dabant, a qua deficere nunquam liceret. Sic dudum servo Hebræo, qui anni septimi beneficio noluisset liber exire, servitutem libertati anteponens, subula aurem ad ostium perforare lex jubebat [14]. Cæterum, præcursores certe Antichristi agebant Gnostici, quem suos in dextera et fronte signaturum prædicit sacra Joannis revelatio [15]. An vero recentiores, veteribus illis meliores sint, judicent qui mores eorum melius explorarunt.

Unde et Marcellina. Ut apostoli parum mulierum usi sunt ad ciborum præparationem et mulierum infidelium contubernia privatim erudienda, remota omni turpitudinis suspicione, aliisque piis officiis, atque ideo presbyteras et diaconissas illos instituisse constat [16]: sic et pseudoprophetæ isti latius virus suum dispergebant, et utrumque sexum corrumpebant impudicarum mulierum ministerio. Marcellinæ autem hujus meminerunt etiam Epiphan. [17] et 74 August. Hieron. id genus bestiarum catalogum contexuit, quem hic addere libet: « Simon Magus hæresim condidit, Helenæ meretricis adjutus auxilio; Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum repertor, choros duxit feminarum; Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet; Apelles Philomenen comitem suarum habuit doctrinarum; Montanus immundi spiritus prædicator, multas ecclesias per Priscam et Maximillam, nobiles et opulentas feminas, primum auro corrupit, deinde hæresi polluit. Arius, ut orbem deciperet, sororem principis prius decepit. Donatus per Africam, ut infelices quosque fœtentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adjutus est [18]. In Hispania Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca deduxit in foveam, successoremque sui Priscillianum habuit, cui juncta Galla, alterius et vicinæ hæreseos reliquit hæredem. »

Pag. 105. *Et imagines quasdam.* Augustinus [19]: « Sectæ Simonis fuisse traditur socia quædam Marcellina, quæ colebat imagines Jesu, et Pauli, et Homeri, et Pythagoræ, adorandò, incensumque ponendo. » Theodoretus [20]: « Qui sectæ Simonis erant, cum statuam ejus in Jovis figuram construxissent, Helenæ autem in Minervæ speciem, eis thura adolebant, ac libabant, et tanquam deos adorabant. » Epiphanius [21]: « Habent imagines per colorem depictas, quidam etiam ex auro, et argento ac reliqua materia, quas sane imagines Jesu esse dicunt, et sub Pilato factas esse: habent autem eas occulte. Insuperque philosophorum quorumdam, Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, et aliorum, cum quibus etiam alias imagines Jesu collocant, collocatasque adorant, et gentium mysteria perficiunt. Qui vero sunt gentium mores alii, quam sacrificium atque alia? »

Plurimas igitur ex Patribus et justissimas rationes audis, quibus permotus Irenæus Gnosticorum imagines reprobat: siquidem more gentium thure et sacrificiis eis libabant, et tanquam viventes deos, supremo cultu adorabant, creaturæ servientes potius quam Creatori. Deinde profanorum et impiorum simulacris illas miscebant, Christo Deo Salvatori nostro illos æquantes. Postremo, dum occulte illas asservabant, cum per ethnicos palam liceret, facile quisque sibi persuadebit monstrosas et propudiosas fuisse; maxime cum talem Christum illis figuris exprimerent, qualem portentosis animi opinionibus eum esse contingebant.

Magdeburgenses itaque et Gallasius, qui ex hoc Irenæi loco contendunt tunc temporis nullum imaginum Christi et apostolorum usum in Ecclesia fuisse, nec veterum testimoniis, aut exemplis comprobari posse; vel crassissima ignorantia laborant, vel certe impudentissimo mendacio omnibus student imponere.

Non dissimili impietate ac inscitia in publico Mompelgartensi colloquio palam Beza clamavit: « Ecclesiam veterem picturis caruisse. » Incaper, « Ecclesiam primitivam trecentis annis usum imaginum non habuisse. » Prorupit rursum in istas, etiam Lutheranis astantibus, horrendas et exsecrandas voces: « Fateor me ex animo Crucifixi imaginem detestari, ideoque eam non possum ferre, » etc.

Ego autem contra, apertissimis et validissimis assertionibus, quod primum asserunt, falsum esse, et Christi apostolorumque sæculo, pium et pu-

[11] Contra hæres. 27 [12] Lib. I Hæret. fab. [13] Contra hæres. 26. [14] Exod. xxi, 6; Deut. xv, 17. [15] Apoc. xiii, 16. [16] Clem. Rom., lib. II Const. apost., cap. 32, et lib. III, c. 15. [17] Epist. ad Ctesiph. [18] Optatus, lib. I contra Parmen. [19] Lib. de hæres. [20] Lib. I Hæret. fab. [21] Contra hæres. 27.

blicum usum venerandarum imaginum inter Christianos fuisse evincam.

1. Nicodemum illum, qui noctu primum Jesum convenit, et ejusdem postea corpus passionis cruciatibus laniatum, de cruce deposuit, « propriis manibus crucifixi imaginem sibi efformasse, » eamque ante mortem Gamalieli tradidisse asservandam, et hunc Jacobo; Jacobum Simeoni; isumque sibi succedenti Zacchæo; sicque deinceps conservatam, quoadusque Judæi in Berytho Syriæ urbe, omnia passionis Dominicæ probra in eamdem renovarunt, pluribus inde consecutis miraculis; elegantissimo libro ante 1260 annos docuit magnus ille Athanasius [21]: quem perlectum ante annos octingentos, omnium Patrum suffragiis excepit universalis Nicæna synodus.

2. Superstes adhuc cum apostolis peregrinabatur Christus, cum mulier illa, quam a profluvio sanguinis curaverat, in Cæsarea Palæstinæ in monumentum accepti beneficii illius, « imaginem æream palam erexit, » quam Eusebius [22] illic « adhuc stantem conspexit, simulque alias Petri et Pauli a Christianis religiose conservari. » Imo testantur historiæ Eusebium proxime secutæ [23], illas Christi et hemorrhoissæ statuas, ad tempora usque Juliani Apostatæ permansisse; qui, ut iconoclastarum avum decebat, sicut Christianæ fidei, ita Christi et sanctorum imaginibus bellum indixerat.

3. Accedit apostolorum ipsorum constitutio in synodo Antiochena, cujus summa talis est: Περὶ τοῦ μὴ πλανᾶσθαι τοὺς σωζομένους εἰς τὰ εἴδωλα· ἀλλὰ ἀντεικονίζειν τὴν θεανδρίκου ἀχράντου, χειροποίητον στήλην τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῶν αὐτοῦ θεραπόντων ἀντικρὺ τῶν εἰδώλων καὶ Ἰουδαίων, etc. Id est, « non debere servatos circa idola errare; sed pro eis incontaminatam veri Dei simul et hominis, Salvatorisque nostri Jesu Christi, et servorum ipsius, manibus efformatam imaginem, contra idola et Judæos erigere, » etc. Tria vero hic diserte notata habes. Primum, Christi Domini et servorum ejus manibus efformandas esse imagines; deinde, idolorum districtam prohibitionem; postremo, gentium idolomaniæ et Judæorum superstitioni opponendas esse Christi et sanctorum imagines. Hunc autem apostolicum canonem, germanum esse, non recens, unus et alter in angulo affirmant; sed prope innumerabiles, qui in publico totius orbis theatro ante octingentos annos convenerunt Patres, synodo Nicæna posteriore. Hoc quoque canone innixus Basilius Magnus, ante 1270 asseruit [24], « imaginum usum ab apostolis emanasse; » simulque eo adhuc antiquior Eusebius [25], « a majoribus prodisse confirmans; » et Pamphilus martyr utroque superior, hanc apostolorum constitutionem, cum pluribus aliis, se in Origenis bibliotheca reperisse testatur [26].

4. Subjungam Damasceni [27], Evagrii [28] et Nicephori [29] ex archivis Edessæ civitatis depromptam narrationem, de rege Abagaro, alias Augaro, qui fama curationum Christi permotus, consequendæ sanitatis ergo, Ananiam cursorem expeditum ad eum misit. Sed cum pro votis res minime succederet regi, ut desiderio quo flagrabat, vel ex parte faceret satis, pictorem eximium misit, qui Christi faciem effictam accurate, afferret. At cum pictor ob splendorem vultus, opus non posset absolvere; Salvator « textum lineum petiit, in eoque expressam faciei imaginem ad regem misit. » Hanc adhuc sua ætate, non sine populi veneratione Edessæ conspexisse, Leo Constantinopolitanus lector coram universali synodo Nicæna confirmavit.

Persarum etiam regem eadem tempestate Christi et Matris ejus figuras accepisse subjicit Nicephorus [30]. Quin et beatam Lucam evangelistam B. Virginis, quam de facie noverat, simulque beatorum Petri et Pauli imagines depinxisse, quæ Pulcheriæ imperatricis sæculo, adhuc Constantinopoli servabantur, non semel affirmat.

Postremo, quis si vel a limine venerandam antiquitatem salutaverit, nescit crucis Dominicæ signum et figuram, usumque ejus, apostolis et Christianis omnibus frequentissimum fuisse? Dionysius Areopagita unico libro *De ecclesiastica hierar.* octies illius meminit. Nicodemus in *Histor. de passione et resurrectione Salvatoris*, ter. Alibis decem et octo locis, ejusdem expressione apostolos varia perfecisse miracula recenset. Justinus in *Dialogo*, ex Veteris Testamenti variis figuris, et in calce *Apolog.* 2, in omnium rerum creatarum ordinibus efficiam, accurate docet. Quem nunc latent præclara Ignatii, Martialis, Tertulliani, Cypriani, Origenis, Lactantii, Athanasii, de figuratione crucis verba? Apertissimum ergo est Christi et apostolorum ævo sacrarum imaginum usum fuisse.

Alterum falsæ assertionis caput, quo aiunt nec veteris Ecclesiæ exemplis, nec priscorum Patrum testimoniis imaginum usum confirmari posse, ex Calvini officina prodiit; qui annis quingentis a Christo, quibus adhuc florebat religio et sinceriior doctrina vigebat, Christiana templa ab imaginibus vacua fuisse scribere non erubuit; quo mendacio nihil impudentius dici potest. Siquidem ante 1100 annos scripsit Augustinus [31], « pluribus locis Petrum et Paulum una cum Christo depictos, etiam paganos vidisse; et Abrahæ sponte filium immolantis nobile factum, tot linguis cantatum, et tot locis pictum, ut aures et oculos dissimulantium feriret. Insuper Adami et Evæ foliis contegentium pudenda, adjuisso peccato, picturas prostitisse. » Idem apertissimis verbis, « Dominicæ crucis figuram, hominisque inibi patientis affixam imaginem, ad crucifixi Domini nostri recordationem, et peregrinantis fidei excitationem, humiliter complecti, supplicitèr venerari » suadet [32].

Idem postremo, publica de B. Stephano martyrium subeunte, ad populum suum concione dicit [33]: « Passio ejus insignis est, multumque mirabilis; hanc modo de libro Actuum apost. cum legeretur au livimus non solum, sed etiam oculis spectavimus. » Quibus aperte significat non modo historias sanctorum martyrum publice legi solitas in templis; verum in tabellis graphice depictas et expressas, oculis fidelium tum subjectas fuisse.

Accedit et Paulinus [34], ad quem tot Augustini et Hieronymi exstant epistolæ. Is Severum extollit, « quod in loco refectionis 75 humanæ, id est baptisterio, B. Martini effigiem depinxisset, ut deponentibus in lavacro terrenæ imaginis vetustatem imitanda cœlestis animæ occurreret effigies. » Mox præterea ad eumdem hos versus, quos imagini Crucifixi eo loci erectæ ascribi curaret:

Cerne coronatam Domini super atria Christi
Stare crucem, duro spondentem celsa labori
Præmia; tolle crucem, qui vis auferre coronam.

Et ad alias crucis imagines in ingressu basilicæ:

Ardua floriferæ crux cingitur orbe coronæ,
Et Domini fuso tincta cruore rubet;
Quæque super signum residens cœleste columbæ,
Simplicibus produnt regna patere Dei.

[21] Lib. de pass. imaginis Domini nostri Jesu Christi. [22] Lib. VII Hist., cap. 14. [23] Antipater Bostrensis episc., orat. de muliere laborante; Sozomenus lib. V Hist., cap. 20. [24] Ep. ad Jul. [25] Lib. VII Hist., cap. 14. [26] Turrianus lib. I, pro com. apost., cap. 25. [27] Lib. IV De fide orth., cap. 17. [28] Lib. IV Histor., c. 26. [29] Lib. II Hist., cap. 7. [30] Lib. II Hist., c. 45, et lib. VI, cap. 16, et lib. XIV, cap. 2. [31] Lib. I de consensu evang., cap. 10; lib. XXII contra Faust., cap. 73. [32] Lib. V contra duas Pelagianum, c. 2; lib. II de visit. infir., c. 3. [33] Serm. 2 de S. Steph. [34] Epist. 12 ad Severum.

Digitized by Google

Damasus etiam ea ætate res gestas superiorum pontificum colligens [58-75], « Joannis Baptistæ confessionem, ex argento auream : item, et crucis imaginem, » Hilarium, qui longe eum præcesserat, fecisse narrat.

Hieronymus quoque Paulam magno pietatis ardore montem Calvariæ conscendisse narrat [76], « et prostratam ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorasse. »

« Veluti malum in navi crucem erectam in ecclesia esse, quia inter sæculi naufragia servatur incolumis, » concionabatur Ambrosius [77].

Eximium poetam Christianum Prudentium præterire non possum ; qui certamina martyrum experimentes imagines in templis collocatas versibus cecinit, cum genibus ad sancti Cassiani martyris tumulum advolveretur [78] :

Erexi ad cælum faciem, stetit obvia contra
Fusis colorum picta imago martyris.
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circum pueri, miserabile visu,
Confossa parvis membra figebant stylis.
Ædituus consultus ait : Quod prospicis, hospes,
Non est inanis, aut anilis fabula ;
Historiam pictura refert, quæ tradita libris,
Veram vetusti temporis monstrat fidem, etc.

His omnibus superior Lactantius, his lectissimis versibus (quos et Gyraldus, et antiqua exemplaria probant esse germana) docet qua pietate Christi de cruce pendentis imago, in templis publice erecta sit contemplanda, quando Christum ita loquentem inducit [79] :

Quisquis ades, mediique subis in limina templi,
Siste parum, insontemque tuo pro crimine pœnam
Respice me, me conde animo, me in pectore serva, etc.

Et paulo post medium :

Cerne manus clavis fixas, tractosque lacertos,
Atque ingens lateri vulnus, cerne inde flvorem
Sanguineum, fossosque pedes, artusque cruentos.
Flecte genu, I gnumque crucis venerabile adora
Flebilis, innocuo terramque cruore madentem
Ore pavens humili, lacrymis suffunde subortis, etc.

Tertullianus denique vir apostolicorum temporum, jam tunc publicum et in sacris conventibus fuisse imaginum usum ostendit manifeste, scribens [80], etiam in ipsis sanctis calicibus insculptas fuisse Christi, instar boni Pastoris ovem aberrantem in humeros referentis, effigies.

Hucusque Latinos Patres impudens mendacium Calvini retegentes audivimus ; addamus jam, si placet, ut omni ex parte convincatur, ejusdem ætatis et Græcos. Imperante Theodosio, B. Theodoretus Cyri episcopus, Simeonem Stylitem tanta sanctitatis fama nobilitatum scripsit [81], « ut Romani in omnibus etiam officinarum vestibulis, et porticibus, ejus imagines collocarent, securitatem et custodiam quamdam rebus suis præstare arbitrati. »

At ille ipse est Simeon, qui ante Theodoreti tempora, epistola ad Justinum imperatorem, gravissime fuerat conquestus de Samaritis, « qui in Christi Domini nostri imaginem ejusque Matris insanda facinore grassati fuerant. »

Addam pulcherrimum Leontii Neapolis episcopi suffragium. « Sicut Jacob, inquit [82], accipiens a filiis vestem Joseph sanguine conspersam, eum lacrymis eam osculatus est, per eam arbitratus se Joseph osculari et in manibus habere ; sic et omnes imaginem Christi, aut apostoli, aut martyris tenentes, ipsum Christum, aut martyrem videmur nobis animo complecti. »

Basilium Magnum ante hos omnes, « historias imaginum sanctorum prophetarum, apostolorum et martyrum in omnibus per Orientem ecclesiis erectas sese suscepisse, et palam honorasse, ut ab apostolis traditum fuerat, » idem sibi ipse testis est [83].

Ejus frater Gregorius Nyssenus [84], « non infrequenter passionis Christi figuram cum lacrymis intuebatur, » adeo efficaciter ob oculos historiam pictura ponebat.

Istis non inferior Chrysostomus, « B. Meletii imaginem in annulis, poculis, phialis, thalami parietibus, et aliis locis, multos effinxisse, ut corporis sanctissimi viri formam ubique conspicerent, » et narrat et laudat [85]. Quin et se « ex cera confictam imaginem, pietate plenam amasse » non dissimulat [86].

Athanasius omnem imaginibus exhibitum honorem ad prototypum referri docet [87].

Denique his omnibus superior Eusebius, imperatorem Constantinum tanto divini amoris ardore incensum refert [88], « ut etiam in medio foro urbis Constantinopol. Danielem cum leonibus in ære incisum, aurique lamiuis splendescentem ; simulque in ipso palatii introitu in maxima tabula, salutaris Christi passionis insigne ex lapillis pretiosis cujusque modi auroque multo polite elaboratis, confectum, figendum curaverit. » Evicimus ergo ex Latinæ et Græcæ Ecclesiæ præstantissimis plurimisque Patribus, non longius a Christi ascensione, quam quadringentis annis recedentibus, « sub quibus sincerior Dei cultus, » vel confitentibus adversariis, « adhuc viguit, » usum imaginum, Christi et apostolorum tempore, atque deinceps, et sacrum et publicum inter Christianos fuisse. Qui illum igitur oppugnant, Manichæi, Juliani Apostatæ, impurissimi Mahometis, Turcarum tyrannidis, et Judæorum propugnatores potius, quam pietatis et veritatis Christianæ assertores haberi debent.

Sed ut etiam proprio judicio Calviniani et Bezani maneant condemnati, coronidis vice isthæc adjiciam. Beza, ut in Actis colloquii Monpelgartensis refertur, pag. 393 et 400, usum picturæ et sculpturæ in historiis sacris (inter quas et Christi passionem commemorandam nemo Christianus negabit) repræsentandis, per se ἀδιάφορον esse, concessit. Deinde, Paulinum Nolanum epi copum morem pingendorum parietum invexisse sin plici zelo ; et eumdem tam bono consilio institutisse imagines (id vero, ut paulo ante ex eodem audivimus, in locis sacris), ut nemo studium ejus reprobare aut reprehendere posuit. « Præterea, nos, » inquit idem Beza, « non modo picturas, sed etiam sculpturas nunquam improbavimus ; quarum magnus est usus non solum in sacris historiis repræsentandis, sed etiam in rebus civilibus. Quod vero ad imagines sive pictas, sive sculptas attinet, earum usum non rejicimus » Et postea (pag. 421) : « Descriptio Dei in Daniele et Isaia proposita [89], si pingatur, ego ἀδιάφορον esse concedo. » Denique se suosque sectatores iconomachos damnans, librum evulgavit in quo plurimorum hæreticorum imagines apprime depictas repræsentat ; et cum his velut adhuc viventibus loquitur, ingentemque consolationem animi inde capere se profitetur. Igitur, idem saltem fieri posse ex Christi patientis imagine, ex aposto-

[58-75] De vitis pontificum. [76] In epitaphio Paulæ. [77] Serm. 53. [78] Carmine de passione B. Cassiani martyris. [79] Carm. de pass. Christi. [80] Lib. de pudicitia, cap. 7 et 10. [81] In Vita Simeonis. [82] Lib. v Apol. pro Christ. [83] Epist. ad Jul., in Actis conc. Nicæn. [84] Serm. de patriarcha Abraham in conc. Nic. [85] In encomio Meletii. [86] Orat. quod vet. et nov. Test. unus sit legislator. [87] Orat. 4 contra Arian. [88] Lib. iii de vita Constant., cap. 48. [89] Daniel. viii ; Isa. vi.

Digitized by Google

lorum, martyrum aliorumque sanctorum iconibus, nemo sensus communis et rationis compos negabit.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 25.

Pag. 105. *Cerinthus autem.* Hunc primum in Ægypto philosophiæ diu operam dedisse, auctor est Theodoretus [90], deinde Jerosolymis, Cæsareæ, Antiochiæque frequenter apostolis ipsis restitisse; atque demum in Asia longe lateque impietatem suam propagasse scribit Epiphanius [91].

Cyrillus Jerosolymitan. Cerinthum vastatorem Ecclesiæ nominat. Eusebius refert [92] eum jactasse revelationes, quasi per angelos sibi dictata fuissent, quæ proferebat. Philastrius addit illum asseruisse Christum a mortuis nondum resurrexisse. Augustin. observationem legis Mosaicæ, festorum, victimarum, et sacrificiorum Judaicorum necessariam esse.

Dionysius Alexand. lib. II *De promissionibus*, hunc quoque « regnum Christi terrestre futurum somniasse docet, quippe qui invitamentis corporis, et carnis cumprimis obsequeretur illecebris, et quarum rerum cupiditate ducebatur, in eisdem beatam vitam fore asseruit, ut in ventris et earum partium, quæ ad venerem spectant, expletione. »

Et ignorante eum. Emendationem ex vet. cod. agnoscit, et sententiam hujus loci sic exprimit Theodoretus [93] : « Docuit esse quidem unum universorum Deum, eum autem non esse mundi creatorem, sed separatas quasdam potestates, et eum omnino nescientes. » Itaque « eum, » pro « eo » reposuimus, ut mox « Deum, » pro « Deo. »

Impossibile enim. In simili cœno volutatum Marcionem, argutissimo hoc dilemmate premit Tertull. [94] rationem desiderans, **76** qua non putaverit Filium Dei ex Virgine natum esse : « Necesse est, inquit, ut aut impossibilem, aut inconvenientem Deo existimaveris nativitatem. Sed Deo nihil impossibile, nisi quod non vult. An ergo voluerit nasci (quia si voluit, potuit, et natus est), consideremus. » Et post pauca : « Scelestissime hominum, qui interemptores excusas Dei : quodcunque Deo indignum est, mihi expedit. Salvus sum, si non confundar de Domino meo. Qui me, inquit, confusus fuerit, confundar et ego ejus. Alias non invenio materias confusionis, quæ me per contemptum ruboris probent bene impudentem et feliciter stultum. Natus est Dei Filius; prorsus credibile est, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit; certum est, quia impossibile est. » Observa autem hæreticos tutissimum asylum semper putasse, id clamitare Deo impossibile, quod credere renuunt.

Fuisse autem eum Joseph, etc. Tertullianus hujus quoque erroris illum coarguit : « Cerinthus, inquit [95], Christum hominem tantummodo sine deitate contendit. » Et libro *De carne Christi* : « Poterit hæc opinio Ebioni convenire, qui nudum hominem constituit Jesum. » Hoc et Ignatius notaverat Epist. ad Philadel. Eusebius libro tertio *Hist.* et Hieron. in *Catalogo*, post Iren. lib. III, cap. 3, testificantur B. Joannem adversus horum blasphemias Evangelium conscripsisse.

Et post baptismum. Apertius Epiphanius [96] : « Ex supernis autem, ex supremo Deo, postquam adultus factus fuit Jesus, ex semine Joseph et Maria genitus, descendisse Christum in ipsum, hoc est Spiritum sanctum in specie columbæ in Jordane, et revelasse ipsi, et per ipsum posteris, ignotum Patrem. Et propterea postquam venit virtus in ipsum ex supernis, virtutes perpetrasse; et ubi ipse passus est, id quod ex supernis venerat, a Jesu sursum volasse. »

Hinc autem manifestum est, hæc vetera monstra Christum in diversas lacera se personas, quarum una cœlestis et impatibilis esset, altera patibilis et terrena : quod Nestoriani postea invehere sunt conati. Hoc et præsenti sæculo pro viribus instaurat Beza, scribens in Christo duas esse uniones hypostaticas; Calvinus quoque affirmans, Verbum, mediatoris suscepisse personam. Has hæreses refellit Irenæus libro III, cap. 18, 19, 20, 21.

Epiphanius addit superioribus, Cerinthianos usos esse Evangelio secundum Matthæum ex parte, non ex toto; Paulum vero reprobasse, propterea quod non obedierit circumcisioni. Atque hos esse, qui ab eodem Paulo dicti sunt pseudo-apostoli, operatores dolosi, qui se transformant in apostolos Christi.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 26.

Pag. 105. *Qui autem dicuntur Ebionæi.* Quantum ad nomen hujus Ebionis attinet, Eusebius [97], Epiphan. [98] et Theod. [99] illud lingua Hebraica inopem et mendicum significare recte putarunt; quando quidem אֶבְיוֹן pauperem et pauperrimum Hebræis significat. Hunc vero non solum Romæ et in Asia prædicasse, radicesque spinosarum propaginum, a Nabathea, Paneade, Moabitide et Cocaborum regione in Basanitide terra; sed et in Cypro egisse, testis est Epiphanius; simulque ex Samaritanorum abominatione, Judæorum improbitate, Osseorum et Nazareorum opinione, Cerinthianorum forma, Carpocratianorum impietate, sub Christianorum appellatione, horrendum et perniciosum dogmatis sui monstrum composuisse.

Ea autem quæ sunt. Tertull. [1] : « Ebion nudum hominem, et tantum ex semine David, id est non et Dei Filium constituit Jesum; plane prophetis aliquo gloriosiorem, ut ita in nonnullis angelum fuisse dicatur. » Epiphanius [2] : « Primum quidem Ebion, Christum ex semine viri, hoc est ipsius Joseph, esse decrevit, » etc. Euseb. [3] : « Eum simplicem, vulgarem et solum hominem censuerunt, et ex concubitu, conjunctioneque Joseph viri cum Maria uxore sua in hanc lucem editum; verum propter progressionem, quam in virtute fecisset, hominem justum censuerunt; at solum hominem tamen. » Addit postea rursum [4], Ebionem prædicasse Christum esse filium quidem Davidis, sed non Dei; operibus autem suis justificatum fuisse. Quosdam etiam ejusdem sectæ (ut nunquam sibi consentiunt hæreticorum ministri), admisisse Christum natum ex Virgine de Spiritu sancto; sed non exstitisse priusquam homo fieret. Hanc impietatem postea suscitarunt Samosateniani et Photiniani, ut tradit Augustinus libro *De hæres.*, cap. 91. Et hoc sæculo in eamdem impegerunt Servetiani, ac sequaces; cujus erroris Calvinianos dicunt se habere consortes et patronos. In hanc hæresim disputat Irenæus lib. III, cap. 30 et 31.

Circumciduntur. Qui tunc temporis se Judæum circumcisione, et reliquis cæremoniis profitebatur, in primis a gemina persecutione immunis erat. Priore, Romanorum, quia imperatores patrio ritu Judæos vivere concesserant. Posteriore, Judæorum, qui in eos, ut asseclas ejusdem observationis, non insurgebant. Qui autem in Christum credebant, deserto Judaismo, utrorumque tyrannide adeo vexabantur, ut « permulti Jesum esse Christum fateri dubitarent, ne insectationem ferrent eorum qui furiis spiritus impostoris agitati, confessores illius

[90] Lib. II Hæret. fab. [91] Contra hæres. 28. [92] Lib. III Hist., c. 23, et lib. VII, c. 20. [93] Lib. II Hæret. fab. [94] Lib. de carne Christi. [95] Lib. Præscr. [96] Contra hæres. 28. [97] Lib. III Hist., cap. 27. [98] Contra hæres. 30. [99] Lib. II Hæret. fab. [1] Lib. de carne Christi. [2] Contra hæres. 30. [3] Lib. III Hist., cap. 27. [4] Lib. III Hist., cap. 27.

Digitized by Google

nominis enecare et persequi non desinebant, » ut elegantur scripsit Justinus martyr in *Dialogo*. Ebionæos autem, ex prima istorum classe fuisse evidentissimum est.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 27.

Pag. 105. *Nicolaum.* Hunc Nicolaum Antiochenum genere, proselytum autem professione, atque e septem illis diaconis, electis ab apostolis in ministerium quotidianum, fuisse conveniunt omnes. At Clemens Alexand. [5] et Theodor. [6] admittunt quidem objurgatum ab apostolis de uxoris zelotypia, illam in medium adduxisse, et cui vellet nubere permisisse; sed exinde illum continenter et pudice vixisse; filiasque ejus virgines et filium incorruptum consenuisse volunt. Alii porro promiscuos mulierum amplexus, imo et permistiones obscenas, exsecrabilesque tam peregisse, tum docuisse scribunt [7]; quod et Irenæus innuit, dicens sectatores ejus indiscrete vivere. Philastrius et Augustinus Nicolaitis tribuunt, quod post Deum plures virtutes finxerint, prodigiosisque luserint nominibus, sicut postea Gnostici. Nicetas lib. I *Thesauri orthodoxiæ* scribit eos feminam quamdam nomine Prunicum coluisse: et quosdam eorum Caulaucam esse veneratos. « Sunt autem hæc, inquit, effeminatam mollitiem significantia nomina. Quandoquidem προύνικος *coitum* significat. Græci enim si de virginum defloratoribus loquantur, his verbis uti solent, ἐπρουνίκευσεν τήνδε. Ad Caulaucam quod attinet, honeste quidem ab Hebræis effertur: a Gnosticis vero ad turpitudinem detortum est. » Eusebius porro testatur hanc sectam parum durasse; Tertullianus vero in Caianam hæresim demutatam dicit.

Quæ et ego odi. Auctoritate vet. cod. consentiente quoque Vulgata Bibliorum tralatione, delevimus « odio. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 28.

Pag. 105. *Et Cerdon.* Integrum hoc caput, ut Eusebius ex Irenæo transcripsit [8], Græcum et nova tralatione Latinum factum addendum curavimus. Longe porro prolixiorem catalogum blasphemiarum illius recenset Tertul. [9], scilicet, quod legem et prophetas repudiarit, Deo creatori renuntiaverit, Christum in substantia carnis non venisse, sed solo phantasmate; nec omnino passum, sed quasi passum; nec ex Virgine natum fuisse dixerit. Sed et resurrectionem corporum negavit, solumque Lucæ Evangelium, nec tamen totum, recepit. Apostoli Pauli neque omnes, neque totas Epistolas admisit; Acta apostolorum et Apocalypsim Joannis, quasi falsa, rejecit. Ejus porro inconstantiam notans Irenæus lib. II, cap. 4, ait eum sæpe in Ecclesiam venisse, et exhomologesim faciendo, modo quidem latenter decendo, modo vero traductus in his quæ docebat male, donec tandem a communione Christianorum submoveretur. Illum vero venena sua non solum a Simone Mago, sed et a Saturnino accepisse; eademque Marcioni discipulo, ut vipera aspidi, impertivisse, docet Epiphanius contra hæresim 41.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 28.

Jerosolymam adorent, quasi domus sit Dei. Quod Irenæus in Ebionitis judaizantibus, id in ipsis Judæis reprehendit S. Barnabas apostolus in Epistola catholica, § 16: « Errantes miseri, non in ipsum Deum effectorem eorum spem habuerunt, sed in ædem, quasi domus Dei esset. »

Pag. 105. *Ἐπὶ Ὑγῖνον ἔτατον κλῆρον.* Hunc locum una cum principio sequentis capitis, tacito licet Irenæi nomine, transcripsisse videtur S. Cyprianus epist. 74 ad Pompeium: « Cujus (Marcionis) magister Cerdon sub Hygino tunc episcopo, qui in urbe nonus fuit, Romam venit; quem Marcion secutus, additis ad crimen augmentis, impudentius cæteris et abruptius in Deum Patrem creatorem blasphemare instituit. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 29.

Pag. 106. *Succedens autem ei Marcion.* Primæ hujus sententiæ emendationes ex veter. cod. agnoscit Eusebius [10]. Philastrius [10a] **77**, hunc Ephesum venisse scribit, ibique a Joannis discipulis convictum, atque inde pulsum Romam confugisse; ibique noster Irenæus Polycarpo obvium factum, et ab eo primogenitum Satanæ vocatum fuisse testatur. Sed et adhuc vixisse, cum adversus illum calamum stringeret Justinus martyr, indicat ipse *Apologia* 2. Cæterum, cum aliquot sæculis ante Epiphanium, quinque libris ortum, patriam, lapsum, superbiam, luxuriam, hypocrisim, mortemque ejus graphice depinxerit Tertullianus, in his ulterius recensendis non immorabimur. Origenem solum adjiciam, lib. I *Dialog. contra Marc.* testificantem eum tres deos confinxisse, videlicet Deum Judæorum, Deum Christianorum, Deum gentilium. Insuper, et duos Christos, quorum alter apparuerit tempore Tiberii, alter a Creatore promittatur; cum alioqui non nisi duos se deos ponere profiteretur, bonorum auctorem unum, malorum alterum.

Dissolventem prophetas et legem. Hoc illi commune fuit cum Simonianis, Basilidianis et Saturnianis, ut ex superioribus liquet. Idem Epiphanius et Augustinus tribuunt Manichæis; Euthimius et Nicetas Bogomilis, Audeanis et Euchytis, seu Sataneanis; Antoninus, Albingensibus; Lindanus et Prateolus hodiernis Anabaptistis. Hanc vero hæresim refellit Irenæus libro quarto, capite vicesimo, vicesimo primo, vicesimo secundo, vicesimo quarto, vicesimo septimo, tricesimo, tricesimo primo, et alibi passim; et post hunc, Epiphanius contra hæresim sexagesimam sextam. Augustinus denique duobus libris *Contra adversar. legis*, et XXXIII *Contra Faustum*. Tantum addit Epiphanius fraudes illius adeo invaluisse, ut sua adhuc ætate Romæ, et in Italia, in Ægyptoque, et Palæstina, et in Arabia, ac Syria, in Cypro, atque Thebaide, quin et in Perside, et aliis pluribus locis sectatores haberet. Porro auctoritate Eusebii, et veteris nostri codicis pro « adimplevit, » restituimus « adampliavit: » et pro « impurate blasphematus, imprudorate blasphemans; » et mox pro « Jesum autem qui est a Deo Patre, » reposuimus « Jesum autem ab eo Patre qui est. »

Auferens quæcunque. Sacrilegam hanc audaciam frequenter arguit Tertullianus, ut libro *De carne Christi*: « His consiliis tot originalia instrumenta Christi delere Marcion ausus est, ne caro ejus vera probaretur. Ex qua, oro te, auctoritate? Si propheta es, prænuntia aliquid; si apostolus, prædica publice; si apostolicus, cum apostolis senti; si tantum Christianus es, crede quod traditum est, » etc. Et lib. *De præscrip.*: « Marcion exerte et palam machæra, non stylo usus est; quoniam ad materiam suam cædem Scripturarum confecit. » Idem etiam exprobrat lib. II, IV et V, quos in ejus hæreses scripsit. Hinc Cyrillus Jeros. [11]: « Marcion ab his quæ de lege veteri in novo testamento redargutus, ausus est ea exscindere testimonia, et sine testimoniis relinquere eum, qui annuntiabatur fidei sermonem; » quod et repetit catech. 16.

Vere diaboli os accipiens. Non maledicendi libidine, sed ob exsecrandas, quas evomebat, blasphemias in cœlum, et totum sanctorum ordinem, digno hoc epitheto Marcionem exornat Irenæus;

[5] Lib. III Strom. [6] Lib. III Hæret. fab. [7] Epiph. contra hær. 25; Tertull. lib. de Præscript. [8] Lib. IV Hist., cap. 10. [9] Lib. de Præscr. [10] Lib. IV Hist., cap. 10. [10a] Lib. III, cap. 3. [11] Catech. 6.

Digitized by Google

eodem jure, quo Paulus Elymam magum « filium diaboli, et omnis justitiæ inimicum » vocaverat. Vere enim diaboli et serpentis, quem Apocalypsis describit bellum facere in cœlum, et habitantes in eo, organum erat. Sanctos siquidem patriarchas, prophetas et justos omnes, quos Christus pio cruore redemit, damnare; impios vero quoslibet servare, annon est terram cœlo, vel potius paradisum inferno miscere?

Seorsum contradicemus. Ex hoc loco Eusebius colligit Irenæum libro quodam separatim edito, e Marcionis scriptis Marcionem ipsum refutasse [15]. Porro errores de duobus diis confutat infra libro II, capite tertio et decimo, et toto fere libro tertio. Mundi opus indignum esse Deo, refellit libro secundo, capite tertio. Abrahamum salvatum esse probat libro quarto, capite decimo octavo. Quod legis dissolutionem Christum introduxisse cavillabatur, infringit lib. IV, cap. 27 et Clemens Alexand., II *Strom.* Clarissimos alios Ecclesiæ proceres, Justinum martyrem, Dionysium Corinthium, Theophilum Antiochenum, Philippum Gortynensem, Modestum, Melitonem, Apollinarium, adversus immanem hanc belluam summa industria scriptis depugnasse, testatur Eusebius libro quarto *Histor.*, capite decimo septimo, vicesimo secundo, vicesimo tertio, vicesimo quarto, vicesimo quinto, vicesimo sexto, vicesimo septimo. Patet etiam ex Clementis II *Strom.* Marcionitas docuisse, timorem Dei ex lege ortum, malum esse; ex Tertulliano, Deum esse peccatorum auctorem; et in homine post lapsum, non esse relictum liberum voluntatis arbitrium; quæ tres hæreses hoc tempore a Calvinianis improbe reparantur.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 30.

Pag. 106. *Nunc autem et necessario.* Ordo sensusque satis indicant hoc caput non fuisse a superiori sejungendum. Cæterum, non solus Irenæus hic docet omnes hæreticos Simonis Magi discipulos esse, licet id non fateantur; sed et Clemens uterque, Cyrillus, Epiphanius, Philastrius, Augustinus, et alii passim.

Ut exempli gratia. Quia hæc usque ad calcem transcripsit Eusebius, verba ejus Græca, Latina facta hic adjecimus.

Pag. 107. *Qui vocantur continentes.* Hi sunt, qui ex Græcis nominibus appellantur Encratitæ, quod a conjugiis, vino et carnibus, tanquam rebus natura malis, omnino abstinendum censerent; item Hydroparastæ, quod in conficienda Eucharistia, aqua solum utendum judicarent; iidem et Tatiani, de quibus sequitur caput, quod huic fuisset continuo jungendum, ni confusionem quamdam lectoribus, ex tot permutationibus capitum, afferre timuissem. Cæterum, Epiphanius *Contra hæres.* 61, quæ est Apostolicorum, scribit hos cum Encratitis, Marcionitis et Saturninis sensisse, non posse salvari eos, qui non cælibes viverent; quod Ignatius *Epist. ad Philipp.*, Clemens III *Strom.*, August. lib. *De bono conjugali*, aliique catholici Patres passim refellunt.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 31.

Pag. 107. *Tatiano quodam.* Integrum hoc caput consequenter transcribit Eusebius [16], cujus verba etiam emendationes ex vetere codice amplectuntur.

Quæ autem alii scriptores ecclesiastici de hoc Tatiano tradiderunt, non inutile fuerit addidisse. Primo, ex Syria ortum asserit Clemens Alexand. III *Strom.* Dein non parvam sibi gloriam ex arte rhetorica comparasse, testis est Hieronymus [17]. At de se loquentem Tatianum, cum se prius idolorum mysteriorum participem fuisse confessus esset, audiamus : « Hæc cum viderem, ait [18], et omnes ubique deorum cultus per effeminatos et androgynos constitui experimento novissem; item apud Romanos Latialem Jovem humano cruore et sanguine per homicidia fuso placari; Dianam vero non procul Megalopoli similibus gaudere, et alium alibi dæmonem malorum auctorem facinorum deprehenderem; in me descendens, quomodo tandem potirer inquirebam. Et cum diligenter circumspicerem, in libros quosdam barbaros incidere mihi contigit, antiquiores multo quam Græcorum philosophia, si spectes ætatem; et augustiores, si illorum errores. His ego fidem adhibui, quod stylus non esset phaleratus, nec ulla scriptorum affectatio, et sermo nusquam obscurus; futurorum item eventuum prænotione, et magnitudine promissionum, et quod unum universorum monarcham statuerent impulsus. » Hactenus ille. Romam autem commigrasse, et B. Justini sectatorem effectum, in Ecclesia effulsisse, quandiu a latere ejus non discessit, sed ad fidem propagandam, et contra Crescentis Cynici latratus, ethnicorumque sycophantias tutandam egregie, diuque navasse operam conveniunt omnes. Quin et Eusebius addit [19] eumdem διὰ τεσσάρων, « quatuor Evangeliorum, et magnum librorum numerum posteris reliquisse, inter quos ille apud multos, quasi pleno ore celebratur, quem contra gentiles edidit. » Sed nihil ex omni parte beatum. « Cum enim Justinus martyrio functus esset, quasi cæcus ductore destitutus, » inquit Epiphanius [20], « per præcipitia lapsus est. Romaque digressus, ad Orientem sese contulit, ubi varias sparsit hæreses. Mysteriis autem similiter usus est ad imitationem sanctæ Ecclesiæ, hoc uno dempto quod solam aquam adhibebat; » indeque Hydroparastarum superstitionem ortam asserit Theodoretus [18]. Delevimus autem « doctrina constituta, non quasdam invisibiles; » et reposuimus « doctrinæ constituit. Æonas quosdam invisibiles. »

Adæ autem saluti. Libellum *De Adæ pœnitentia* licet rejiciat Gallasius [19], ipsum tamen pœnitentiam egisse de peccatis, cum salvus sit, necesse est. « Castigatione etiam non vulgari plexus est, » ait Epiphanius [20], « et e regione paradisi in exsilium actus, quo memor esset bonæ vitæ per pœnitentiam in memoriam revocatæ. » In hanc autem hæresim disputant Tertullianus in calce libri *De præscript.*, Epiph. contra hær. 46 et amplissime hic noster Irenæus lib. III, cap. 34, 35, 37 et 39, his argumentis eum salvum esse confirmans : primo quia Tatianorum sententia contraria, esset inaudita et nova; secundo, quoniam Deus noluit maledicere Adamo, vel Evæ, sed tantum terræ ac serpenti; tertio, quia fructibus pœnitentiæ seipsos mox addixerunt; quarto, quod decuerit Christum, pastorem optimum, hanc primam ovem suam aberrantem quærere et salvare; postremo, ne diabolus adversus Deum gloriaretur, quod adhuc invictus cum primis spoliis suis remaneret.

Cæterum, Tatiani damnantes nuptias, negabant matrimonium esse sacramentum a Deo institutum et probatum; quod et Hugnostici nunc faciunt. Insuper illi dicebant eucharistiam posse sola aqua confici; quod et Beza probat, scribens in Epistolis « cœnam cum sola sicera, aut cerevisia, aut aqua denique ministrandam esse, ubi vinum deesset. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 32.

Multas nuptias. Ut insanæ libidinis suæ furores

[15] Lib. v Hist., cap. 8. [16] Lib. iv Hist., cap. 27. [17] Lib. de script. eccles. [18] Orat. contra Græcos. [19] Lib. iv Hist., cap. 27. [20] Contra hæres. 46. [18] Lib. i Hæret. fab. [19] Dist. 15. [20] Contra hæres 46.

Digitized by Google

affatim explerent, et voluptatum amatores hujus licentiæ inescarent illecebris, hanc uxorum varietatem inducebant. Paris impudentiæ Ebionæos quoque reos agit Epiphanius, quod videlicet, si quis vellet, posset prioribus nuptiis disjunctis, alteris copulari, usque ad secundas et tertias nuptias. Hermogenem etiam arguit Tertullianus, « quod assidue nuberet. » Istiusmodi priscorum Gnosticorum impuritatem, ut ne latum unguem a patribus discederet proles, magno animi ardore imitantur recentiores. Lutherum enim, ut ab ipso capite exordiar, impudicissimum hominem fuisse, plus satis indicant hæc ejus verba, per discipulum et commensalem ejus Henricum Petrum Rebenstock, Eschersheymensem ministrum, in libris *Colloquiorum* illius evulgata [21] : « Cælebs olim hoc apud me concluseram, ut si mihi insperato moriendum fuisset, vel etiam in lecto mortis, mihi puella desponsanda adhiberetur; cui in testimonium duos scyphos (argenteos) dicassem. » Impuritatem suam rursus indicans aiebat [22] : « Mallem me lenonem fuisse, quam Christum 15 annis missis sacrificasse. » Alios quoque ad omnem lasciviam invitans dicebat [23] : « Quisquis Satanicas cogitationes aliis cogitationibus, ut de puella pulchra, pellere potest, huic suadeo. » Nec tantum privatis colloquiis, sed et publicis concionibus ac scriptis alios ad omnem intemperantiam, et proprio exemplo, et his verbis accendebat [24] : « Ut non est in meis viribus situm, ut vir non sim, tam non est etiam mei juris, ut absque muliere sim. Rursum, ut in tua manu non est, ut femina non sis, sic nec in te est, ut absque viro degas. Nec enim libera est electio, aut consilium; sed res natura necessaria, ut marem femineæ, feminam mari sociari oporteat. Tam necessarium hoc est, quam edere, bibere, purgare, mucum emungere, somno et excubiis intentum esse. » Obsecro, quis Nicolaita, quis Carpocratianus, quis ganeo, quis adulter, quis corruptor juventutis, isto turpior et pestilentior oriri posset? Annon etiam cum Basilidianis multas simul induxit nuptias, quando (ut in prædictis *Colloquiis* scribitur) landgravii Hassiæ, et aliorum principum « concubinatus » censet esse « matrimonia [25]? » Waltzerrimam Frederici Saxoniæ ducis « pellicem, conjugem occultam » appellat [26]? Anglorum regi Henrico ducit potius permittendum fuisse, « alteram reginam quoque ducere, quam priorem repudiare; et exemplo Judæorum (adde et Turcarum) duas simul uxores habere [27]? » Ilursumque in sermone de matrimonio, habito Wittembergæ 1522, ibidemque in tomo septimo Operum ejusdem excuso 1557, de marito paululum morosam uxorem habente ait [28] : « Hic opportunum est ut maritus dicat : Si tu nolueris, alia volet. Si domina nolit, veniat ancilla. Si tum rennat, repudia eam : et in vicem Vasthi, Esther subroga, Assueri regis exemplo. » Annon est hoc ethnicam plane polygamiam restituere, et veterum Gnosticorum impuritates ab Orco revocare?

Quanta vero ex his Lutheri concionibus et scriptis secuta sit in Germania, et ubicunque admissum fuit hoc (si placet inferis) repurgatum Evangelium, lascivia et bonorum morum depravatio, plus satis manifestum fecerunt Melanchthon, scribens in quadam epistola [29], « fas esse viro duas saltem uxores simul ducere; » Bucerus ex monacho, tertio maritus; Ochinus et Beza polygamiam publicis scriptis asserentes; Hetzerus Anabaptista tredecim eodem tempore retinens; et Bucoldius ejusdem farinæ quindecim assumens [30]; Genevenses denique, Turcico more, matrimonii vinculum multis levioribusque de causis ita totiesque solventes, ut vivente prima uxore, liceat secundam, tertiam, sextam, duodecimam, vicesimamque (si sors tulerit) superducere. Renatos igitur veteres Gnosticos in istis novis, quis negabit? Calvinianorum lascivos mores et sermones Commentariis nostris in Epistolam B. Judæ apostoli opportuno loco retulimus.

Hæc curare. Ita vetus codex; expunximus vero, « hoc comparare. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 33.

Pag. 107. *Super hos autem.* Omnibus modis confusas Gnosticorum sectas, inter sese dissectas jam subjicit; et deliriones eorum de Barbelone, patre innominato, Ennoea, Autogene, Harmoge, Ligno, aliisque portentis magis quam nominibus recenset. Ad hunc autem locum attendens Hieronymus epistola ad Theodoram, laudat insignem Lucinii viri ejus pietatem, quod vastantibus Hispanias Basilidis hæresibus, nequaquam susceperit Armagil, Barbelon, Abraxas, Balsamum, et ridiculum Leusiboram, cæteraque magis portenta quam nomina; quæ ad imperitorum et muliercularum animos concitandos, quasi de Hebræis fontibus hausta essent, impudenter jactabant. Idem rursum Com. in cap. III Amos, hæc subnotans ait : « Et Iberæ ineptiæ in Balsamo, Barbeloque mirantur. »

Velut a terra fungi. Locum hunc explicans Epiphanius, nominatim sic Irenæi meminit [31] : « Gnosticorum quidem differentiæ sunt decem, in una plaga somnii ipsorum, et conjugationibus, et octonariis, et masculorum ac feminarum æculis vicissim æqualiter percussis. In uno enim tempore, hi omnes velut fungi e terra eruperunt, et velut abominabilium ac graveolentium herbarum germina, et gramen spinosum, et velut latebra multorum scorpionum ex uno omnes tempore in vitam excreverunt. Et sicut antea dixi, instar fungorum, sua deformitate sub unum contactum apparuerunt, velut etiam a sancto Irenæo jam de ipsis dictum est : contemporanei enim hi fuerunt. » Fungorum autem Plinio [32] multa sunt genera, quorum origo a terra et pituita arborum, quos et annumerat inter ea quæ periculose manduntur, propter magnam cum venenis cognationem. De quorum veneno inter alios vide Nicandrum in *Alexiphar.* His vero recte comparantur tot hæreticorum examina, quandoquidem instar fungorum temere repenteque prosiliunt, et aut nullum, aut inutilem, vel perniciosissimum fructum proferunt.

Quidam eorum Æonem. Hæc fere ad verbum transcribit Theodoretus : « Ex Valentini seminibus, inquit[33], Barbeliotarum, seu Borborianorum, vel Naasenorum, vel Stratioticorum, vel Phemionitarum qui vocantur, exsecranda secta pullulavit. Ponebant enim Æonem quemdam ab interitu alienum, degere in spiritu virginali, quem nominant Barbeloth; Barbeloth autem ab eo petiisse Præscientiam. Cum ea autem processisset, deinde rursus petivisset, processit Incorruptibilitas, deinde Vita æterna. Lætantem autem Barbeloth concepisse, et Lucem peperisse. Eam dicunt inunctam spiritus perfectione, Christum fuisse nominatam, » etc.

Et magnificabant hi. Ita vet. cod.; delevimus « et glorificabitur ei. »

Pag. 108. *Emissiones factas.* Auctoritate vet. cod. sex has voces addidimus; expunximus « luminaria. »

Super hæc emittit Autogenes. Theodoretus : « Per se genitum autem dicunt produxisse hominem perfectum et verum, quem etiam Adamantem appellant. Una autem cum eo productam esse conjugem, perfectam cognitionem; hinc rursus os-

[21] Tom. II, pag. 160. [22] Pag. 119. [23] Pag. 125. [24] Tom. V Operum Witemb. 1557 editorum, folio 119. [25] Pag. 153. [26] Pag. 166. [27] Tom. I Colloq., pag. 236. [28] Pag. 125. [29] Staphyl. [30] Flor Vander hær. [31] Contra hæres. 31. [32] Lib. XXII, c. 25. [33] Contra Barbeliotas; Epiph. contr. hær. 23 et 26.

Digitized by Google

tensam esse Matrem, Patrem et Filium; ex homine autem et cognitione, lignum germinasse. Cognitionem autem hoc quoque nominant. Jam vero ex primo angelo productum esse dicunt Spiritum sanctum, quem etiam Sapientiam et Pronycon appellarunt. Hanc autem dicunt conjugem appetentem, peperisse opus in quo erat ignorantia et arrogantia. Hoc autem opus Protarchonta, hoc est primum principem, appellant, et eum esse dicunt creaturarum opificem. Ipsum autem cum arrogantia congressum, genuisse vitium et partes ejus. Hæc ergo summatim exposui, figmenti prolixitatem prætermittens. Eorum autem mysteria, quis est adeo infelix, ut vel lingua proferat? Omnem enim improbam ratiocinationem, omnem denique exsecrabilem cogitationem superant, quæ ab illis tanquam divina peraguntur. Borboriani ea de causa cognominati sunt. »

Hinc autem dicunt. Ita restituimus ex vet. cod.; prius erat, « hinc enim dicitur. »

Ex adnotationibus Jo. Ern. Grabii in cap. 33.

Pag. 107. *Quidam enim eorum.* Theodoretus lib. II *Hæret. fabul.*, cap. 13, eis imponit nomen Βαρβηλιωτῶν, ἤγουν Βορβοριανῶν, ἢ Ναασηνῶν, ἢ Στρατιωτικῶν, ἢ Φηβιωνιτῶν. Ita enim ex Epiphanii hæres. 35, § 2, legendum, loco Φιμιονιτῶν, ut perperam in Theodoreto exciderunt. Similitudo enim litterarum **79** β et μ librario fraudi fuit, ut in hac voce hallucinaretur.

Ennœam autem hanc. . postulasse Prognosin. Minus recte itaque Theodoretus Barbeloni eam tribuit postulationem, quam Irenæus Ennœæ, id est, cogitationi innominabilis Patris, se ipsum Barbeloni manifestare cupientis ascribit.

Pag. 108. *Asseverabat*, etc. Nisi me conjectura fallit, Irenæus scripsit διϊσχυρίζετο. Ita enim veteres Glossæ : « assevero, » διϊσχυρίζομαι. Atqui habet quidem istud verbum hanc significationem; sed ea nihil ad præsentem rem facit. In alia itaque, quam Suidas in *Lexico* suppeditat, notione accipiendum, pro ἀμφιβάλλω, « ambigo, animi pendeo. » Anceps enim, ex hæreticorum sententia, hærebat Sophia ista, nescia quo se verteret, ut conjugem inveniret. Hinc modo « extendebatur, » scilicet in superiora (sicuti supra pag. 11, lin. 8), Valentiniani, Gnosticorum filii, suam Sophiam dicebant ἐκτεινομένην ἀεὶ ἐπὶ τὸ (τὰ) πράσθεν), modo « prospiciebat ad inferiores partes, » etc.

Ex adnotationibus N. Gallasii in cap. 34.

Pag. 109. *Jaldaboth.* Ut res istæ confictæ sunt ab insanis et impiis hominibus, ita ficta et obscura nomina ab ipsis imponi oportuit, ad excitandam admirationem, et terrendum vulgus imperitum. Illa autem, quo plus haberent admirationis, et majorem sanctitatis speciem præ se ferrent, ut plurimum ab Hebræa, aut Syriaca lingua deduxerunt. Ut hoc nomen *Jaldaboth*, quantum conjicere licet, compositum est ex ילד *ialad*, pario, genero, et אבות *Aboth*, quæ significant *genitum a Patribus*. Hoc elegans nomen primo illi filio inditum est. *Iao* unum ex Dei nominibus est, addita tantum ad יה *iah*, littera *O* יהו. Item Adoneus ab אדון *Adon*, et *Elœus* ab אלהי *Elohe*. Hæc nomina, sunt Dei nomina in Scripturis. *Sabaoth* notæ est significationis pro exercitibus. Ut *Deus Sabaoth*, id est *exercituum*, vocatur. Nam צבאות *Tsebaoth*, Hebræis τοὺς *exercitus* significat. *Oreus* ab אור *Or*, deductum videtur, quod significat *lucem* : quasi diceret, lucidum ac splendidum. Astapheus, *inundantem* significat, a verbo שטף, *Schataph* : unde שטף *Scheteph*, i. e. *inundatio* : quasi longe lateque expandens potestatem suam. Quæ postea subjungit, egregia sunt deliria, quæ ad poetarum imitationem hæretici confixerunt. Nam ut Homerus invidos, ambitiosos, æmulos, atque inter se contendentes deos describit; ita Gnostici in cœlestibus suis potestatibus et diis idem statui voluerunt. Atque hoc videlicet præclara ipsorum cognitione et sublimi lumine dignissimum fuit.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 34.

Pag. 108. *Vocare primum hominem.* « Invocari » vet. cod.; unde suspicor « vocari » faciendum, cum et Theodoretus id videatur indicare contra Sethianos, ubi paucis, sed apertioribus, totum hoc caput æmulatur. « Sethiani, inquit, quos vel Ophianos, vel Ophitas quidam nominant, hominem vocant omnium Deum, lucem ipsum rursus cognominantes; ejus autem mentis comprehensionem, filium hominis, et secundum hominem appellant. Post eum autem esse Spiritum sanctum; infra eos autem quatuor elementa, aquam, tenebras, abyssum, chaos; feminatum autem Spiritum vocant, et eum super elementa ferri dicunt, amasse autem primum et secundum hominem, formam Spiritus, et progenuisse lucem, quam Christum vocant. »

Pag. 109. *Et esse hanc.* Delevimus « hanc : » ut mox quoque pro « superiori » reposuimus « superiora : » et « eum, » pro « eam. »

Illuminantem. Putavimus legendum « illuminante : » sicut paulo ante « exsultante. »

Cum autem non potuisset. Theodor.[35] : « Cum non posset autem mulier ferre lucis magnitudinem, scaturiisse, et Christum quidem una cum matre attractum esse in Æonem, a corruptione et interitu alienum, quem etiam veram Ecclesiam appellant. »

Virtutem autem. Theodor.: « Rorem autem, qui e luce scaturiit, deorsum cecidisse dicunt, et appellatum esse Sapientiam et Pronycon, et masculo-feminam. »

Quæ superebullüit. Expunximus « superebullit, » auctor. vet. cod.

Et descendentem. Delevimus « descendentes, » auctor. vet. cod., cui consentit his verbis Theodoretus[35] : « In aquis autem, corpus quidem ex ipsis accepisse, et ne submergeretur in periculum venisse, sed tamen emersisse. Ex corpore autem, quo contectus fuit, cœlum esse constitutum. Deinde cum reliquum abjecisset, ad matrem evolasse. » Epiph.[36] : « Hanc autem Prunicum dicunt descendisse in aquas, et ipsis permistam fuisse, et non potuisse ad superna procedere, eo quod gravitati materiæ permista esset. » Hæc quoque perstringit Tertull. in calce libri *De præscript.*

Humectationi. Expunximus, « humectationem, » auctor. vet. cod.

Resiliit, et in sublimitatem, etc. Epiphan. : « Levavit autem seipsam per vim ad superiora, et seipsam extendit, atque sic facta est superius cœlum; et sic stabilita, inventa est non amplius potens neque sursum ascendere, neque infra descendere, sed in medio fixa ac extenta permansit. » Tertull : « Cum in superiora voluisset emitti, gravitate materiæ permista sibi, non potuisse ad superna pervenire, et in medietate relictum extendisse totum, effecisse sic cœlum. »

Hic quoque tertius. Theod.: « Prunici filius rursus alium filium produxit, et ex illo dicunt alium esse constitutum, et usque ad septenarium numerum processisse productiones. Ab unoquoque autem eorum, unum cœlum fuisse fabricatum, et unumquemque proprium habitasse. Hæc etiam attingit Tertull. lib. *De præscript.*

Et nomina autem. Epiphan.[37] : « Cæterum majorum principum hæc nomina esse dicunt. In primo quidem cœlo esse Iao principem; in secundo vero Saclam principem scortationis; in tertio Setla principem; in quarto vero dicunt esse Daden; in

[35] Contra Sethianos. [36] Ibid. [37] Contra hæres. 37. [37] Contra hæres. 26.

Digitized by Google

quinto Eloæum, qui et Adoneus appellatur; in sexto vero, alii Ialdabaoth esse dicunt, alii Elilæum; alii etiam septimum cœlum constituunt, in quo constituunt esse Sabaoth; alii hoc negant, et Ialdabaoth in septimo esse pronuntiant; in octavo vero eum, quæ Barbelo appellatur. Tradunt autem Sabaoth, alii formam asini habere, alii porci,» etc. Theodoretus: «Prædictis autem filiis nomina imposuerunt, usi lingua Hebraica, quorum meminisse duxi supervacaneum.» Quia vero his abutebantur ad commovendum imperitum vulgus, quasi majora sanctitatis sacramenta continerent, illorum originem et interpretationem præterire non libuit. *Ialdabaoth* compositum est a יָלַד, *ialad*, id est parere, parturire, generare et nasci, et plurali nomine אבות *Aboth*, id est patres; inde *Ialdabaoth*, id est qui generavit patres; vel יֶלֶד אבות, id est a patribus genitus, filius patrum. *Iao* ex prava intelligentia nominis Dei *Iehova*, addita tantum littera *O*, ad יה, efficitur *Iaho*, de quo et superius admotavimus. Adoneus ab אדון *Adon*, id est Dominus. Eloæus ab אלוה *Alha*, a quo אלהי *Eloha*, id est dii, aut Deus, judex, angelus. Sabaoth a radice צבא Saba, id est exitus, finis, tempus determinatum, unde plurale femininum צבאות est, *exercitus*. Oreus deducitur ab אור, quod et nomen, et verbum potest esse, sign fi catque lucem, et lucere; inde *Oreus*, id est lucidus. Astapheus a verbo שטף *Schataph*, id est, lavare, mundare, unde nomen *Scheteph*, id est inundatio.

Quibus factis. Theodor.: «Dicunt autem alios, cum primo seditionem agitasse, qui horum quidem erat avus, illorum vero abavus, aliorum tritavus; eum vero animi anxium, in materiæ fæcem cogitationem defixisse, et genuisse ex ipsa filium Ophiomorphon, seu serpentiformem.» Tertull.: «Rursum Ialdabaoth istum in indignationem conversum, ex semetipso edidisse virtutem, et similitudinem serpentis,» etc. Itaque vet. cod. auct. et Theodoreti, pro «faciem materiæ, fæcem» reposuimus.

P. 110. *Hunc autem ipsum esse Nun.* Hæc fuit propria Ophitarum hæresis, de qua scripserunt abundantius Tertull. ad finem libri *Præscr.*, Clemens Alex. VII *Strom.* Epiphanius contra hæres. 27, Philastrius, August., Theodoret., Damascenus.

Unde exsultantem. Theodor.: «Deinde gloriantem Ophiomorphi patrem, dixisse: «Ego Deus et Pater, «et nullus est me superior;» matrem autem ægre tulisse, et acclamasse: «Ne mentire, est enim te «superior Pater omnium, primus homo, filius homi«nis.» Hæc autem verba cum audisset serpentis pater, inquit: «Agite, faciamus hominem ad ima«ginem nostram.» Quin etiam multa alia adjiciunt, quæ et impietate plena sunt, et nihil habent jucunditatis.» Hunc etiam locum tangit Epiphan. contra hæres. 25.

Ad seducendum. Ita vet. cod., delevimus autem «ad esse se ducendum.»

Sex autem Virtutes. Tertull.[58]: «Virtutes illas, et angelos inferiores, hominem fecisse dicunt; et quia ab infirmioribus et mediocribus virtutibus institutus esset, quasi vermem jacuisse reptantem. Illum vero Æonem, ex quo Ialdabaoth processisset, invidia commotum, scintillam quamdam jacenti homini immisisse, qua excitatus, per prudentiam saperet et intelligere posset superiora.» Epiphan.[59]: «Septem ab eo geniti filii 80 sive sæcula, sive dii, sive angeli (diversis enim nominibus apud ipsos appellantur), juxta formam patris sui Ialdabaoth, formaverant hominem,» etc.

Mater autem ipsorum. Tertull.: «Ialdabaoth aiunt, in indignationem commotum, conversum, ex semetipso addidisse virtutem et similitudinem serpentis; et hanc fuisse virtutem in paradiso, id est istum fuisse serpentem, cui Eva quasi filio Dei crediderat. Decerpsit, inquiunt, de fructu arboris, atque ideo generi humano scientiam bonorum et malorum contribuit.»

Manducantes autem. Decem et octo has voces ex vet. cod. restituimus, id quoque approbantibus Epiphanio et Theodor.

Sed et serpentem. Epiph.[60]: «Ialdabaoth vero, aiunt, non voluit commemorare supernam Matrem, neque supernum Patrem hominibus. Postea autem serpens et cognitionem intulit, et hominem ac mulierem, omnem supernorum mysteriorum cognitionem docuit. Quapropter Pater, id est Jaldabaoth, iratus, dejecit ipsum de cœlo, et hinc regem de cœlo serpentem dicunt; qui portionem serpentis, et nihil aliud possident.»

Pag. 111. *Michael et Samuel.* Theodor.: «Ophiomorphum autem illum vocant Michaelem et Samana.» Vetus cod. habet «Samael;» quod fortasse retinendum, non injuria quis ideo putet, quod magiæ seduli cultores isti magicis spirituum nominibus abuterentur, inter quæ non sunt postrema isthæc duo nomina. Illi siquidem ab antiquis Hebræorum patribus accepisse dicunt, septem planetis totidem præesse angelos, ex quibus Michael Mercurio, vel secundum alios soli, et vento orientali præsit; Marti vero Camael, alias Zamael, qui forte cum hoc Samaele idem est, dominatur. In malis etiam spiritibus, quatuor reges potentissimos, juxta quatuor orbis partes constituunt, primumque illorum Urieum, et ab Hebræis Samaelem vocatum, atque in Oriente regnare putant. Illi rursum in communibus per synagogas precibus (Genebrardo interprete) sic orant: «Accusationis Samuelis ne conderis; memento autem defensionem Michaelis:» quibus indicant se hunc Samuelem, quem Michaeli opponunt, maligni angeli loco reputare[61].

Quod etiam supra de Norea, quasi Adæ filia scribunt, obscurum est. Epiphanius quidem contra hæresim 26 aliqua tradit de Noria, quam alii dixerunt fuisse uxorem Noe, et non Seth. Cæterum, Vincentius in *Speculo*, Antoninus in *Summa*, Nauclerus in *Generat.*, Bergomas in *Supplemento*, et Wernerus in *Fasciculo* scribunt, cum Caino genitam fuisse Calmanam, cum Abele Delboram, quæ post necem ejus nupserit Seth. Comestor in *Hist. scholast.* affirmat Methodium martyrem idipsum revelatione accepisse et tradidisse.

Abraham elegisse. Epiph.: «Et hic Jaldabaoth, inquiunt, est Deus Judæorum; sed non est ita, absit: sed judicaturus est eos Deus omnipotens, qui Deus est et Judæorum, et Christianorum, et omnium, et non Jaldabaoth quispiam est, juxta delirum ipsorum fabulamentum.» Theodor.: «Prophetas etiam dividunt, et septem filiis, ut volunt, attribuunt.»

Jesum autem. Ita codex vetus, excusi vero habebant, «omnia autem.»

Pag. 112. *Et hunc maximum errorem.* Theodor.[62]: «Jesum autem dicunt esse alium præter Christum; et eum quidem, qui Deus est, ex Virgine esse natum, Christum autem e cœlis ad ipsum descendisse. Dicunt autem apostolos quoque errasse, ratos Salvatoris carnem resurrexisse.»

Post depositionem. Sic legendum indicavit vetus codex; excusi habebant, «post de passione.»

Velut Lernæa hydra. Hydram serpentem ferunt in Lerna palude prope Argos exstitisse, quam aiu centum capitum, alii vero tantum octo dicunt, e quibus unum immortale esset. Cum hoc autem monstro multum diuque conflictatum Herculem fingunt, eo quod, uno inciso capite, plura renascerentur. De qua vide Hesiodum in Θεογ. et Platonem

[58] Lib. Præscr. [59] Contra hæres. 37. [60] Ibid. [61] Trithemius ad Max. Cæs.; Reuchlinus, lib. III Cabalæ. [62] Lib. I Hæret. fab.

Digitized by Google

in *Sophista*. Athanasius [45] Arianos, ut Irenæus Gnosticos, cum hoc monstro comparans : « Hæreticus, ait, ut res ipsa docet, pravum omnino et undequaque corruptum animum ad impietatem habet. Ecce enim ubique refutati Ariani, erubescere tamen nequaquam possunt, sed quemadmodum in fabulis ethnicorum celebrata hydra, sublatis prioribus serpentibus, aliisque pullulantibus pervicaciter contendebat novo semper objectu anguium contra eum, qui ipsi suos serpentes tollebat ; ita quoque isti exsecrabiles homines, ethnico animo, dejecti ab illis quæ objiciebant, alias reperiunt, Judaicas et stultas controversias comminiscuntur, ut ita se magis Christi perduelles et oppugnatores declarent. » Ejusdem etiam fabulæ elegantem accommodationem habet Basilius Magnus, in calce libri *De vera virginitate*.

Quidam etiam ipsam. Theod. : « Nonnulli dicunt ipsum serpentem cum Sapientia consuetudinem habere, et tanquam cum Deo adversario, cum creatore bellum gerentem Adam decepisse, et cognitionem dedisse, et propterea dictum esse serpentem prudentissimum omnium esse : flexuosam quoque intestinorum nostrorum positionem, corpus serpentis imitari. » Hoc attigit et Epiphanius contra hæresim 37.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 34.

Alii. « Sethianos » eos vocat Theodoretus lib. I *Hæret. fabul.*, cap. 14, eosque ab aliquibus « Ophianos, » vel « Ophitas » vocari testatur ; contra quam Epiphanius, qui Sethianos ab Ophitis distinguit, et horum hæresim num. 37, illorum num. 39, seorsim recenset.

Ne movisse quoque eas, petulanter agentem usque ad abyssos. Id est, non potuisse aquas movere, licet ipsa, petulanti motu, ad ima usque descenderet.

Argumentata est. Græce. ut ex veteri Glossario colligo, ἐτεχνάσατο, « machinata est. »

Adversus Patrem operantem. Id est, Patri Jaldabaoth adversantem, dum Adamum et Evam docuit cognitionem superiorum numinum, quibus inferior sit Jaldabaoth, uti Epiphanius hæres. 37 et Theodoretus explicant.

Dum fratrem suum Abel occideret, etc. Inter plurima stulta hæreticorum effata, hoc sane verissimum est, quod et S. Clemens habet in *Epist. ad Corinth*, § 5, post memoratum ζῆλον δίκαιον καὶ ἀσεβῆ addens : Δι' οὗ καὶ θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον. Unde narrata de Caino et Abelo historia, subdit : Ὁρᾶτε ἀδελφοί· ζῆλος καὶ φθόνος ἀδελφοκτονίαν κατειργάσατο.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 35.

Pag. 112. *Alii autem*. Theodor. : « Alii autem, quos Cainos nominant, dicunt etiam Cain a superna auctoritate fuisse liberatum ; Esau autem, Core, et Sodomitas, et omnes alios ejusmodi, suos esse cognatos confitentur, et eos odio quidem esse habitos a Creatore, sed nihil ab eo noxæ accepisse ; Sapientia enim ab eis eripuit, quod in eis habebat. Quin etiam Judam proditorem, solum ex omnibus apostolis dicunt hanc cognitionem habuisse, et ideo effecisse proditionis mysterium. Ejus autem Evangelium proferunt, quod illi composuerunt. » His consona sunt ea quæ scribit Epiphanius contra hæresim 38, ideo repetere necesse non duximus. Ad tantam Gnosticorum ipsorum dementiam, non possum non obstupescere, quod animis hominum, qui Christo nomen semel dederint, tantas errorum caligines offuderit pater ille mendacii, ut cœlum terræ misceant, dum sceleratos justificant, reprobatos salvant ; Abel, Enoch, Noe, Abraham, et reliquum beatorum cœtum inferis mancipant ; eos vero, qui Deo, angelis et hominibus exosi sunt, suspiciunt, mirantur, adorant.

Pari cæcitate laborare mihi videntur recentiores Gnostici, ut ovo prognati eodem, cum Aerium, Vigilantium, Novatum, Donatum, Eunomium, Jovinianum, Berengarium, Felicianos, Albigenses, Waldenses, et Hussitas totius orbis sententia damnatos, in cœlos ferunt, beatos, verosque Dei servos prædicant.

Contra vero, sanctissimos et antiquissimos quosque apostolorum discipulos ac successores multis probris vexant, lacerant, reprobant. Luthero enim magnus ac divinoloquus Dionysius Areopagita, Pauli discipulus, et Galliarum apostolus, « multa garrit de nominibus divinis, de cœlesti et eccl. hierarchia ; sed sunt mera commenta [46]. » Sanctissimus et doctissimus Hieronymus, eidem apostatæ : « Totus nihil est. Nihil boni scripsit, inter doctores Ecclesiæ non est numerandus, quia fuit hæreticus. Nihil de Christo tractat, nisi quod nomine utitur. Neque de fide, spe et charitate, neque operibus fidei loquitur [48]. » Subdit denique, indicans quam vere Cainico et Carpocratico animo affectus esset erga tam pium virum : « Nullum inter scriptores ita odi ut ipsum ; tantum de jejuniis, cibis et virginitate scripsit [46]. » Facundissimi et piissimi Chrysostomi libri, Gnostico plane Lutheri judicio, « sunt tantum chaos et sacci verborum, sine re. Auctor est seditiosus et garrulus [47]. » Gregorius Nazianzenus, cognomento Theologus, ejusdem censura : « In sua poesi versatus, nihil sincere de Deo scripsit [48]. » Nec patri suo subtilissimo, et philosopho, et theologo Augustino hic degener filius pepercit dicens : « Multi libri Augustini nihil sunt [49]. » Hæc et multa graviora, pluraque convicia in selectissimos Dei servos, sanctosque **81** Ecclesiæ Christi proceres evomere non horruerunt novi Gnostici.

Quin et eo amentiæ pervenerunt, ut e kalendario Christianorum, nominibus SS. apostolorum, martyrum, angelorum, Virginis Mariæ, imo Epiphanias, Resurrectionis, et Ascensionis Jesu Christi, et sacrosanctæ Trinitatis deletis, in eorum locum et ordinem Antiochos, Cæsares, Holophernes, Pharaones, et eos qui passim ob blasphemias, errores, et concitatos tumultus, magistratus sententia justissime neci traditi sunt ardeliones, substituerint et supposuerint. Sed de his alibi.

Jam autem et collegi. Epiphan. : « Sed et alia quædam scripta eodem modo confingunt contra uterum, quem Hysteram vocant, eamque Hysteram creatorem universæ hujus molis cœli ac terræ appellant. Et non posse, aiunt, alios salvari, nisi per omnia processerint, velut etiam Carpocrates dicit. Unusquisque enim ipsorum ob hanc nimirum causam, nefaria faciens, et turpes actiones perficiens, et quæcunque peccata faciens, uniuscujusque nomen angeli invocat, tum eorum, qui sunt angeli, tum eorum qui ficte ab ipsis angeli dicuntur, et unicuique eorum attribuit nefarium quoddam peccatorum in terra opus, propriam actionem ad nomen angeli cujus vult referens. » Expunximus ab excusis codd. « colligi. »

Angeli nomine dicere. Auctoritate vet. cod. delevimus « Angeli nomen edicere. »

Pag. 113. *O tu, angele*. Sic omnino legendum colligitur tam ex Epiphanio, quam Nicetæ *Orthodoxia*. Quod si jure sint isti exsecrandi, quod obscenitates suas purissimis angelis velut auctoribus tribuerent, quanto magis Calviniani et Bezani, qui Deum opt. maxim. tam adulterii Davidis, incestus Absalom, et proditionis Judæ auctorem esse scribunt, et prædicant, quam conversionis Pauli, et confessionis Petri.

Quæ ab illis. Prius erat, « quoniam ab illis. » Rationem porro designant, cur hæc portentosa plane figmenta tam studiose laborioseque investigarit et scripserit.

[45] Serm. 4 contra Arianos. [46] Tom. I Colleg., pag. 187. [48] Tom. II, p. 24. [46] Pag. 137, tom. II Coll. Pag. 155. [47] Pag. 183. [48] Pag. 24.

Digitized by Google

Delectatio autem eorum. Id est, his nugis, imo exsecrandis et detestandis blasphemiis gloriantur et triumphant, quarum oporteret penitus erubescere ac pudefieri. Nisi contra fidem omnium codicum, legere malueris, « detectio autem eorum, » etc., quam lectionem non temere forsitan quis constabiliret ex eo quod supra c. 19 legitur : « Cum sit adversus omnes hæreticos detectio, » etc., et mox Præfatione in libr. secundum : « Quod sit detectio et eversio sententiæ ipsorum ; » iterumque Præfatione in librum IV : « De detectione et eversione falsæ cognitionis. »

Jam non elaboravit. Quid si legeremus, « jam non elaborant, » ut conveniat cum his, « videntes quoniam fera est ? »

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 35.

Pag. 112. *Alii autem.* Καϊνοι ab Epiphanio hæres. 38 dicti; a Theodoreto lib. I *Hæret. fabul.*, cap. 15. Καϊνοί. Unde patet, ante hæc, cap. 1, pag. 193, pro Καινισταί legi debere Καϊνισταί, uti jam ante me animadvertit Cotelerius in Not. ad tom. I *Monument. Eccles. Græcæ*, col. 776, B.

VARIORUM NOTÆ

IN LIBRUM SECUNDUM SANCTI IRENÆI.

Adnotationes Fr. Feuardentii in præfationem libri secundi.

Pag. 115. *Præfatio secundi libri.* Magno studio cavisse hunc sanctissimum martyrem, ne libri isti assuetis hæreticorum artibus depravarentur, neve argumentorum aut titulorum adjectione eis opus foret, evidentissimum est, tum ex obtestatione ad scribas initio operis præfixa, tum ex præfationibus singulis librorum principiis appositis; quibus ea, quæ in superiore proposuit, et quæ in proximo dicturus est, paucis complectitur. Porro secundi libri hujus capita, sive sectiones, dissimiles et plures sunt in veteri nostro exemplari, quam in excusis omnibus, quæ interdum magis conveniunt, interdum etiam minus; qua de re lectorem hic monere potius quam quidquam mutare visum fuit, ut et suis locis pro re nata indicabimus. Cæterum, postquam superiore libro portentosas Gnosticorum opiniones, quasi perniciosa monstra, e suis lustris in apertum campum eduxisset; hoc secundo singula acerrime persequitur; quæ et propriis illorum placitis, quasi suopte mucrone jugulat, simul et indicat quid quisque illorum ex philosophorum lacunis hauserit; unde veteris philosophiæ, atque adeo Gnosticorum deliriorum, quæ magna ex parte abolevit divina providentia, parum quaris, paulo obscurior liber fortasse videbitur. Nos tamen dabimus operam, ut non sine fructu aliquo, æquo et benevolo lectori, idem et simile semper hæreticorum ingenium, fraudesque Satanæ reteguntur, et omnibus patescant.

Qui sunt a Valentino. Id est, Valentini sectatoribus atque discipulis; sicut et alibi frequenter, « qui sunt a Simone, qui sunt a Marcione, » etc., pro « Simoniani et Marcionitæ : » quod semel notasse sufficiat.

Minutatim perexivimus. Jacobus Billius, vir Græce et Latine doctissimus, ac Gregorii Nazianzeni, Damasceni, Isidori Pelusiotæ, primorumque decem et octo libri primi Irenæi capitum interpres fidissimus et lectissimus, tres libros conscripsit, qui post ejus obitum, nomine *Sacrarum observationum* in lucem prodierunt. In his plurimos hujus sanctissimi martyris librorum locos solerter expendit, feliciter explicavit, ac magna fide correxit. Hujus itaque diligentia et studio (quod semel dictum sufficiat) suffulti, eosdem, et alios multo plures pro viribus emendabimus, ab hoc quem nos signavimus incipientes. « Perexire, inquit, novo, ac Latinis prorsus inusitato more dixit, quod Græci διεξελθεῖν, id est, *commemorare* dicunt. »

Et quia non postremitatis. Capite primo libri primi, retulit eos Demiurgum, id est, hujus mundi Creatorem censere nunc labis, nunc cujusdam extremitatis fructum.

Quod sit detectio. Ex hoc loco, et primis in quartum librum Præfationis verbis, ejusdemque libri ultima clausula, libri deinde quinti principio, verisimam esse apparet horum librorum inscriptionem, quam libro quinto *Histor.*, cap. septimo, ponit Eusebius his verbis : Ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως βιβλία πέντε, id est, ne a veteri interprete discedamus, *Detectionis et eversionis falsi nominis scientiæ, libri quinque.* Et certe videtur vir apostolicus eam sumpsisse ex Apostoli I ad Timoth. verbis, quibus evitandas ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως monet. Præterea, ad eam respexisse putarim etiam Eusebium, prima statim præfatione *Hist. eccles.*, ubi eadem fere verba, quæ hoc titulo habentur, retinet, dum se de his, qui Christi nomine passi sunt, et qui falsas opiniones scriptis suis everterunt, dicturum proponit. De his quædam adnotavimus initio hujus operis.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 1.

Pag. 116. *A primo et maximo.* Primum et maximum caput appellat, quod est in hac disputatione summum, nempe Deum esse unicum; quod hoc capite concluditur, quibusdam de ejus immensitate præmissis. Siquidem tot deos constituebant fanatici isti homines, quot Æonas, et Angelos, quotque affectiones, et passiones ipsis inesse somniabant, ut acute deprehendit Clemens Alex. lib. V *Strom.*, quod amplius ex sequentibus patebit.

Cum sit solus Deus. Dictio exclusiva « solus, » etiam quinquies hic repetita, non sejungit Filium, aut Spiritum sanctum a Patre conditore omnium, ut blaterant novi Ariani; quandoquidem trium sit unica voluntas, potestas, atque deitas, ut infra plenius dicetur: sed tantum excludit fictitios Æones, Bythos, Patricos, Matricos, et Angelos, a quibus omnia facta fuisse hi nebulones fabulabantur. Hoc idem argumentum de immensitate divina pertractant Dionysius lib. *De divinis nom.*, cap. 9; Athanasius *Contra gregales Sabellii;* Nazianzenus Apologia prima; Augustinus libro primo *Confessionum*, capite quinto; libro *Meditationum*, capite vicesimo nono et tricesimo; Damascenus libro primo, capite octavo, etc.

82 *Et solus continens omnia.* Vult Deum eminenter ac excellenter omnes omnium creatarum rerum perfectiones in seipso comprehendere : quod et ante eum docuit his verbis Dionysius [80] : « Cum-

[80] Lib. de div. nom., cap. 5.

Digitized by Google

eta continet Deus secundum super-expansam et simplicem infinitatem suam. » Subscribit Augustinus, libro quarto *De Trinitate*, capite primo, et tractatu primo *in Joannem*.

Quemadmodum. Primum est argumentum hujus capitis, sumptum ab infinitate divinæ naturæ, quæ sua immensitate omnia permeat, omnibus ubique adest, nullis limitibus definiri potest, sed ipsa continet omnia et ambit. Nihil igitur extra Deum, nec Deus ipse extra quidpiam esse potest. Non multum absimili argumento Tertull. utitur lib. 1 *in Marcionem* : « Sicut enim, ait, Creator, ex hoc et Deus, et indubitatus Deus, quia omnia ipsius, nihil extraneum illi; ita et illius idcirco non Deus, quia omnia non ejus, ideoque et extranea. Denique, universitas Creatoris est; jam nec locum video Dei alterius. Plena et occupata sunt omnia suo auctore. Si vacat aliquid spatii alicujus divinitati in creaturis, plane falso vacabit, » etc. De hac porro Dei unitate, ante Irenæum gravissime disserunt Ignatius *Epist. ad Philip. et Philadelph.*; Clemens in *Recognit.*; Justinus martyr libro *De monarchia*, et *Oratione ad Græcos*; Athenagoras in *Legatione*; post eum vero Clemens Alex. in *Paræneticо*; Arnobius *Advers. gentes*; Cyprianus lib. *Quod idola non sunt dii*; in primis autem Lactantius libr. 1, cap. 3, 4, 5, 6, 7. Hæc tantum subjicio, quæ in hanc rem scripsit lib. *De ira Dei*, cap. 11 : « Non possunt in hoc mundo multi esse rectores, nec in una domo multi domini, nec in navi una multi gubernatores, nec in armento aut grege duces multi, nec in uno examine multi reges; sed nec in cœlo multi soles esse poterunt, sicut nec animæ plures in uno corpore, » etc. Cæterum illud, « Quemadmodum, » usurpatur hic et infra non raro interrogative, pro « quomodo, » quod semel monuisse sufficiet.

Necessitas est omnis. Græcismus, ut et infra, « necessitas ergo erit. Necessitas est omnino, » ἀνάγκη subaudito verbo ἐστί' « necessitas est, » pro « necesse est. » Ut apud Platonem ἀνάγκη τὰς αἰτίας πρώτας μεταδιώκειν· quæ Tullius vertit : « Necesse est primas causas conquirere. » Et πᾶσα ἀνάγκη, « omnis necessitas : » pro omnino necesse est.

Et Marcionis bonus Deus. Libro primo, cap. 29, recensuit Marcionem duos longe diversos deos constituisse, unum hujus universi, et omnium malorum factorem; alterum autem totius bonitatis fontem, Patremque Domini nostri Jesu Christi. De his et Tertullianus : « Ponticus duos deos affert tanquam duas simplegadas naufragii sui; quem negare non potuit, id est Creatorem, id est nostrum; et quem probare non poterit, id est suum. » Et infra : « Marcion dispares deos constituit, alterum judicem, ferum, bellipotentem; alterum mitem, placidum, et tantummodo bonum atque optimum. »

In quod, etc. Sic legendum existimavimus cum veteri codice, consentientibus quæ leguntur libro 1, cap. 4 et 13, de Achamoth matre, quam ovem extra Pleroma peregrinatam fingunt. Expunximus « id quod est. »

Cum Pleromate. Aliud est argumentum, quo probat vel duos nusquam esse deos, vel infinitum numerum et deorum, et mundorum necessario constituendum esse, quod omni fide caret. Simile argumentum, sed vi majore torquet in Marcionem Tertullianus : « Veritas Christiana, inquit, districte pronuntiat : Deus si non unus est, non est : quia dignius credimus non esse quodcunque non ita fuerit, ut esse debebit. Deum autem ut scias unum esse debere, quære quid sit Deus, et non aliter invenies. » Et paulo infra : « Ineluctabilis iste complexus in hoc sententiam constringit, aut negandum Deum esse summum magnum, quod nemo patietur sapiens; aut nulli alii communicandum. Aut quæ ratio duo summa magna composuit? Primo enim exigam, cur non plura, si duo, quando locupletiorem oporteret credi substantiam divinitatis, si competeret ei numerus? Honestior et liberalior Valentinus, qui simul ausus est duos concipere, Bythum et Sigen, cum usque ad 30 Æonum fetus, tanquam Æoniæ strophæ examen divinitatis effudit. » Neque valde dissimilia pro Dei unitate leguntur apud Philonem, Athenagoram, Lactantium et Damascenum, quæ scite collegisse videtur Thomas Aquinas libr. 1 *Contra gentes*, cap. 43.

Continebit utraque. Auctoritate vet. cod. delevimus « continebitur aqua. »

Continebuntur. Expunximus « continebantur enim et circumfiniebantur : » paulo post quoque pro « excitante, » reposuimus « excidente, » et pro « aliquantos, aliquando, » ejusdem vet. cod. auctoritate.

Et cum hæc sic se habeant. Tertium est argumentum, quo ab unico mundo, ejusque per providentiam administratione, unicum Deum esse ostendit. Idem, sed prolixius, et apertius post Philonem persequitur Lactantius lib. 1, cap. 3, evidentibus etiam adhibitis exemplis, de unico in exercitu imperatore, et unica in corpore anima. Cyprianus tractatu *Contra idololat.* monarchiam divinam probat ex apum rege, et gregis duce.

Qui autem ab angelis. Caput 2 signat hic vetus codex. Ostendit vero nec mundum creatum fuisse ab angelis, ut Simon, Menander, Saturninus, Basilides et Carpocrates dicebant, lib. 1, cap. 20, 21, 22, 23, 24, nec ab alia quadam virtute separata valde, et distante a supremo Deo, ut Marcionem et Cerinthum voluisse scripsit lib. 1, cap. 25, 29. Varias autem philosophorum sententias de ortu mundi recenset, et refellit Lactantius lib. *De ira Dei*, c. 10.

Quanto magis Deo? Pro « quanto minus, » Græcorum more.

Post deinde. Dilemma est vehementer eos premens, cujus alterum cornu habes initio capitis secundi, ideoque sectionem veteris codicis convenire magis existimo; sed mutare nolui, ne his sectionibus assuetis negotium facerem.

Ex. Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 1 libri II.

Initium. Ἀρχή procul dubio fuit in Græco, quæ vox hic non « initium, » sed « principium rerum, » a quo dependent, denotat.

Quem videlicet, et Proonta, et Proarchen vocant. Vid. supra lib. 1, cap. 1, ab initio. Cæterum, ex hoc loco et initio cap. 3 hujus libri, ubi « Proarchen » et « Bythum » Valentinianorum, et « bonum Deum » Marcionis auctor noster nominat, haud vane colligitur Marcionem quidem supremum illud ens, quod super Creatorem mundi fingebat, « Deum » appellasse; Valentinianos autem ab hoc nomine abstinuisse. Unde Elias Cretensis in *Commentar.* ad Gregorii Nazianzeni, orat. 25, varia hæreticorum de Bytho et Sige somniantium nomina recensens, inter alia scribit : « Quidam ex ipsis Bythum Deum, alii Silentium Deum esse dicebant, ut Simon et Marcion. » Quasi hi soli Dei titulum usurpassent.

Cum Pleromate. Nescio quid Feuardentio in mentem venerit, ut in sua editione ab his verbis : « Cum pleromate; » non modo cum Eras. et Gallas. novam inchoarit periodum, sed alteram plane, sive novam hujus capitis sectionem fecerit, cum semicolon solum illa distinguat. Quo ipso factum, ut et præcedentia, et sequentia, haud perfectum habeant sensum, ac lectori meræ offundantur tenebræ.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 2.

Si autem in illius. Est alterum cornu superioris dilemmatis, quo a plurimis absurdis undequaque sequentibus probat, mundum ab alio fabricari nec debuisse, nec potuisse, quam ab unico et vero Deo : quod etiam domesticis exemplis confirmabat.

Fabricatorem. Veteris codic. auctoritate delevimus « fabricatores : » et paulo ante « erunt, » pro « erant, » posuimus.

Digitized by Google

Quemadmodum in regem. Confirmat mundum a Deo creatum, desumpto exemplo a rege, in cujus laudem aut vituperium omnis exercitus ac belli, cui præest, successus refertur. Proxima linea, « conditio hujus civitatis, » sumitur pro omni creatione, re creata, hoc universo. Sic namque in his libris frequenter usurpatur, ut cap. 6 « ignis in conditione numeratur, » id est, inter res conditas; et cap. 56, « sunt in cœlis spiritales conditiones, » id est, creaturæ.

Sic igitur. Concludit solum Deum mundi esse conditorem; non angelos, ut Gnostici contendebant: quod, ut et reliquas hæreses, ex philosophorum lacunis hauserant. Siquidem angelos creatores esse corporum nostrorum, et animalium, sententia fuerat Platonis et Porphyrii, quos ea de re acerrime oppugnat Augustinus XII *De civit.*, c. 16. Idem etiam ex Philastrio recitat Proclianitas cum Seleucianis sensisse creatores animarum esse angelos. Sed quæstione 21, lib. II *Quæst. in Exod.*, asserit angelos dici non posse animalium creatores, sicut nec agricolæ segetum vel arborum, vel quorumcunque in terra gignentium. Isthæc etiam fusius excutit lib. III *De Trinit.*, cap. 8 et 9; noster quoque Irenæus lib. IV, cap. 37.

Hominibus assimilant. Divinam potentiam, vires quascunque creatas superare, nec morem artificum in operibus 83 imitari asserit: quippe quæ nullis organis, nullo coadjuvante, nulla denique subjecta materia egeat, ad quorumcunque productionem. De his et Justinus martyr ita in Aristotelem disserit: « Naturæ, artique a Deo præscriptum terminum esse novimus; quod si Deus præscriptioni non subest, sed e quodlibet facit quidlibet, nullo termino impediente quominus faciat quæ vult: annon exemptus est a necessitate e subjectis creandi? » Athenagoras quoque putat eos pessime in Deum contumeliosos esse, « qui vires humanas et divinas, artifices et Deum inter se comparant. » Theophilus Antiochenus hinc Dei potestatem innotescere credit, « quod ex his quæ non sunt, facit, ut libitum est, quæ vult. Quæ enim apud homines sunt impossibilia, apud Deum possibilia habentur, » etc. Cæterum vet. cod. auctoritate « qui » transposuimus, et « inopibus » pro « in operibus » legendum propo-uimus.

Qualitatis substantiam. Sic legendum docuit vetus codex, pro « æqualitatis; » ut et paulo supra, « et ignorante Patrem, » pro « Patre. »

Proprium enim hoc Dei est, eminentiæ. Argumentum est sumptum a divina excellentia, et omni sufficientia. Qui scapte natura sufficientissimus est ad omnia, non indiget cujuscunque alterius ope, aut industria, ad condendum quodcunque voluerit. Deus Pater, Filius, ac Spiritus sanctus est istiusmodi, dicentibus Scripturis: « Bonorum meorum non eges [81]; meus est orbis terræ [82]; Deus manibus humanis non colitur indigens aliquo [83]. » Igitur, etc. Vel sic: Deus coæterno et consubstantiali Verbo atque Spiritu suo potis fuit satis ad omnia condenda, ut voces prophetarum et apostolorum personant, Gen. I, Psal. XXXII et CXXXVIII, Joan. I, Hebr. I. Nullius itaque alterius a seipso indiguit.

Et sine ipso factum est nihil. Ita huic sententiæ finem imponit etiam lib. III, cap. 8 et 11, alibique non raro; quod et Tertullianus libris *Adv. Hermogenem*, *Praxeam*, *De resurrectione carnis*, et quinto *Adv. Marcionem*; Cyprianus lib. II *Adv. Judæos*, cap. 3; Augustinus, Hieronymus, et Vulgata editio; ex Græcis quoque Origenes, Nazianzenus, Cyrillus Alexand., non illibenter servant; tametsi aliter videatur locus interpungendus Chrysostomo et Theophylacto, quibus nec Irenæus noster utramque admittens lectionem lib. III, cap. 11, contradicit.

Qui est secundum nos mundus. Græca phrasis, qualis Act. XVII, καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι. Et apud Nazianzenum ἡ καθ' ἡμᾶς οἰκουμένη, « nostra terra habitabilis. » Sic et proxime dicitur, « omnia quæ sunt secundum nos, » id est, hæc terrena et visibilia.

Ex Joan. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 2.

Pag. 118. *Ut is, qui inciperet eum cognoscere, homo fieret.* Regeneratio quidem hominis fit per cognitionem Dei; sed qua ratione quis Deum cognoscere incipiens, homo primum creetur et fiat, haud capio.

Dicit. Sed ubi Scriptura Geneseos dicit, « omnia quæ sunt secundum nos, fecisse Deum per Verbum suum? » Respondeo Irenæum forte respexisse prima Moysis verba, mox ab eo citata: « In principio Deus fecit cœlum et terram. » Per « principium » enim mystice « Verbum » sive « Filium Dei, » quidam antiquissimorum Patrum intellexerunt, de quibus vide commentatores in Genesin, et adde quæ tom. I *Spicilegii Patrum* sæculi II, pag. 132, attuli. Vel etiam Irenæus istud Moysis: « Dixit Deus; » in rerum creatione prolatum ita accepit, quasi Deus per substantiale Verbum, ab æterno in Patre exsistens, sed tunc quasi ad extra procedens, omnia produxerit. Quomodo et inter alios Tertullianus lib. *Contra Praxean*, cap. 5, philosophatus est, ita scribens: « Ut primum Deus voluit ea, quæ cum Sophiæ ratione et Sermone (Λόγῳ) disposuerat intra se, in substantias et species suas edere, ipsum primum protulit Sermonem ... ut per ipsum fierent universa. » Unde mox citat verba Geneseos, ubi dixit Deus: « Fiat lux, » etc.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 3.

Pag. 118. *Quoniam autem hic Deus.* Concludit ex superioribus, novoque Pauli testimonio, Deum mundi creatorem esse Patrem Domini nostri Jesu Christi: et confictas ab eis fabulas de Bytho, Pleromate, Æonibus, et multis diis omnino stare non posse. Cæterum, impurus canis Servetus, et qui ex eo prodierunt Gentiliani, novi Ariani et Samosateniani volunt tatratu suo suadere, Irenæum hoc loco, et aliis aliquot similibus, Filium Dei omni divinitate spoliare, et solum Patrem verum Deum esse profiteri. Sed non attendunt ter quaterque miseri tenebriones, præcipuum beati Patris scopum esse, ut confictos a Valentinianis Æones, Bythos, Propatores, et mundi labes, a quibus Christum ortum ac missum comminiscebantur, omnino refellat: probet autem ecoutrario illum verum esse Filium ejus Patris, qui dicitur, et est Deus Israelis, distinctus quidem ab eo secundum personæ rationem, sed unius cum eo naturæ, atque dominii.

Instabilis igitur. Vetus codex tertium caput ab hoc loco exorditur, et commodius forsan, cum huic sectioni magis conveniant argumenta capitibus prælixa. Concludit autem Bythum illum, de quo tanta fabulatos fuisse scripsit lib. I, cap. 2, 5 et 19, una cum Pleromate mera somnia esse. Deinde, pluribus affirmat, nec Deo ignorante aliquos condidisse hunc mundum, cum omnia præsciat, et mente complectatur; nec sine blasphemia posse illum labis et ignorantiæ fructum existimari. Instabilem porro vocat Bythum, id est figmentum adeo infirmum, et somnium tam vanum, ut nullo modo stare, nullis argumentis stabiliri valeat.

Pag. 119. *Nec quidem causam reddere habebunt.* Hellenismus, *αἰτίαν οὐκ ἔχουσιν ἀποδοῦναι*, « non poterunt causam assignare ac donare; » ut ἔχω εἰπεῖν, « possum dicere. »

Si autem præscius. Asserit eumdem Deum hunc mundum tandem aliquando perfecisse, qui eum præscientia mentis ab æterno conceperat.

Sed aut æternum. Docet hoc dilemmate, sive æternum, sive temporalem dixerint esse mundum, semper falsum esse quod dicebant, ab uno quidem

[81] Psal. XV, 2. [82] Psal. XLIX, 12. [83] Act. XVII, 25.

Digitized by Google

mente conceptum, ab alio vero conditum esse; duos deos inde, et mundi fabricatores diversos constituentes.

Dignum esse. Marcionitarum quoque blasphemia erat, mundi opus Deo indignum esse. « Narem enim contrahentes, ait Tertullianus, convertuntur ad destructionem Creatoris. Nimirum, inquiunt, grande opus, et Deo dignum mundus! At cum et animalia rides minutiora, quæ maximus artifex de industria ingeniis aut viribus ampliavit, sic magnitudinem in mediocritate probari docens, quemadmodum virtutem in infirmitate; imitare, si potes, apis ædificia, formicæ stabula, aranææ retia, bombycis stamina; sustine, si potes, ipsas lectuli et segetis tuæ bestias, cantaridis venena, muscæ spicula, culicis et tubam et lanceam. Qualia erunt majora, cum tam modicis aut juvaris, aut læderis, ut nec in modicis despicias Creatorem? » etc. Hanc hæresim post Irenæum et Tertullianum, passim carpit Clemens Alexandrinus lib. III et IV *Strom.* Origenes quoque homil. 2 in diversos, et Rufinus auctor *Expositionis symboli* apud Cyprianum, inter Manichæorum insanias annumerant, quod Deum mundi creatorem negarint, ut ad diabolum ejus conditionem referrent.

Emissiones. Expunximus « emissionis, » auct. veteris cod.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 3.

Pag. 118. *Pater.* In nostris Græcis et Vulgatis Latinis Novi Testamenti codicibus legitur: Καὶ Πατὴρ πάντων, « et Pater omnium; » quomodo Firmilianus quoque epist. 75 inter Cyprianicas hunc Apostoli locum citavit. Sed in Irenæi codice tam copulativa καί, quam vox πάντων defuisse videtur, quia sine utraque verba S. Pauli allegavit, non modo hic, sed et lib. IV, cap. 37 (alterum enim locum lib. IV, c. 52, corruptum esse, in notis ibi moneo). Neque « omnium » ab auctore nostro lectum fuisse, exinde colligo quia Deum « Patrem » respectu Jesu Christi hic dictum accepit. Et copula καί quidem abest etiam a versione Syriaca, ac Æthiopica, necnon apud Chrysostomum in Comment. ad hunc locum; sed qui vocem « omnium » omiserit, excepto Irenæo, novi neminem. Quanquam in loco parallelo I Cor. VIII, 6, ipse Apostolus omiserit, simpliciter ponens: Εἷς Θεὸς ὁ Πατὴρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα. « Unus Deus Pater, ex quo omnia. »

Nobis. In Græcis nostris codd. est ὑμῖν. Sed « nobis » præter Irenæum hoc aliisque locis ante dictis, habent Firmilianus in citata epistola, Hilarius in *Comment.* ad hunc locum, scholiastes apud Hieronymum; quamvis ipse Hieronymus in *Commentario* suo neutrum horum agnoscat, sicut et deest in codice Alexandrino aliisque, quos recenset nunquam sine honoris præfatione a me nominandus doctissimus D. Millius in sua Novi Testamenti editione.

Majus Pleromate. Ita recte editt. Eras. et mss. Voss. ac Merc. 2. Sed Gallasio placuit « majus » in « magis » commutare; hâneque lectionem retinuit Feuardentius, et Billius loco citato acriter eam defendit, altera prorsus rejecta. « Hoc enim vult Irenæus, inquit, Vacuum illud, quod Valentiniani inducebant, stultius adhuc absurdiusque esse Pleromate illo, quod jam confutarat, » cap. scilicet 1 hujus libri. Quæ gratis omnino ab eo dicta sunt. Quod enim Irenæus « ostensum » sive demonstratum dicit, est id: vacuum nempe a Valentinianis conflictum, ipso Pleromate majus esse. Ita enim supra cap. 1, pag. 107, col. 1: « Cum enim sit secundum eos et aliud quid, quod quidem extra Pleroma esse dicunt, in quod et superiorem erraticam virtutem descendisse opinantur (vid. lib. I, cap. 1, § 7), necesse est omni modo, aut continere id quod est extra, contineri autem Pleroma, » etc. At vero « id quod continet, eo quod continetur majus est, » ut paulo ante pag. 106 ait. « Vacuum » itaque « Pleromate » Valentinianorum « majus » hoc loco ab Irenæo dictum esse, nullum est dubium. Accedit quod a voce « instabilis » nova inchoanda sit periodus, ut mox dicam: ista vero avulsa, lectionem « magis » consistere haud posse, quilibet videt.

Pag. 119. *Aut in præsentia.* etc. Dixerat Irenæus eumdem supremum Deum, qui ideam mundi mente conceperat, ejus structuram ad effectum perduxisse. Veritus autem, ne pertinaces adversarii hanc sequelam haud admitterent, sed alteri Deo ideam, alteri creationem mundi attribuere pergerent, alia quoque via eos aggreditur, et urget, a quocunque tandem mundus statuatur creatus, si tamen secundum ideam in mente summi Dei, ipso præsente, vel præsciente, efformatus fuerit, omnino creaturam pro bona habendam esse, aut omne, quod in eam conjicitur probrum, in ipsum supremum Deum redundare.

Ex adnotationibus Nicolai Gallasii in cap. 3.

Pag. 119. *Sed aut æternum mundum mente concepit, secundum eos hæreticos, Deus, aut temporalem: quæ utraque sunt incredibilia.* Ut intelligas hunc locum, qui obscurus alioqui et perplexus est, conjunge priorem sententiam, ad quam postrema istius pars referri debet. Nam docet Irenæus hæreticos non posse hoc dilemmate juvari. Nam sive æternum, sive temporalem dicant esse mundum, utroque modo falsum et incredibile esse quod asserunt, ab eo mente conceptum, ab alio vero factum esse. Nam ita sequeretur duos esse deos, duos conditores, quorum uni, velut architecto, designatio, aut idea; alteri formatio tribueretur. Quoquo igitur modo acciperent, vel æternum mundum, quod ipsi affirmabant, vel temporalem esse, ut docet Scriptura, neutro modo ipsorum dogma consistere, sed absurdum et impium esse. Quare « concludit unum Deum Patrem universorum, ut sua ipsius mente concepit, ita eo tempore quo statuerat, nullius ope adjutum, hunc mundum edidisse.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 4.

Instabile. « Subtilis » legebant (in capitis hujus argumento) omnes excusi codices, et cum his Vaticanus manuscriptus. At, cum vix dici posset quid sibi vellet hæc dictio, putarunt quidam vocem ὑπόχολον ad verbum reddidisse interpretem. Alii legendum putarunt: « Solubile est Pleroma. » Cum vero vetus codex haberet inter summas capitum initio libri positas, « invisibilis est Pleroma, » hic autem « instabilis, » legendum putavi « instabile. » Accedit, quod cap. 3 lib. hujus habet, « instabilis igitur qui est secundum eos Bythus; et id quod est hujus Pleroma; » et Præfatione in hunc lib. vocat « invisibile Pleroma; » et intra cap. 5, « Pleroma vacuum, indispositum et tenebrosum. »

Pag. 119. *Causa igitur.* Concludit mundi opificium soli Deo ascribendum esse: Pleroma, Bythum, Sigen et Vacuum, quæ Valentinianos conflixisse lib. I, cap. 1 et 5, docuerat, una cum professoribus vana esse et inania. Porro hasce fabulas sumpserant ab Orpheo et Hesiodo, qui, ut est apud Theophilum et Lactantium, tradiderunt omnium rerum principium, Chaos, quod isti Bythum, Profundum, Æona, Proarchen et Propatora appellant. Augustinus autem lib. *De Genesi contra Manich.* non negat mundum ex ea rudi materia factum, quam Græci χαός vocant; sed hoc ipsum a Deo ex nihilo conditum his verbis Moysis intelligit: « Terra autem erat informis, » etc.

Confingenda est. Cæterum unde vacuitas. Quinque has voculas ex vet. cod. inseruimus, quibus longe evidentius efficitur dilemma, quo probat Vacuum quod comminiscebantur, sive a Patre emissum dicant, sive a semetipso generatum, omnino inane et fictitium esse.

Necessitas ergo erit. De hoc Græcismo, et multis similibus dictum est superius.

Digitized by Google

Antiquius autem. Vet. cod. hic quarti capitis initium facit, sed meo judicio incommodius.

Ptolemæi et Heracleonis. Ptolemæum hunc Præfatione in primum librum vocat « flosculum scholæ Valentini; » et sub caloem primi capitis, ejus adhuc meminit; ut et capite 40 hujus secundi. Epiphanius illius epistolam prolixam satis, sed venenis hæreseos suæ scatentem transcripsit contra Ptolemaitas. Heracleonem vero paria cum Valentino sensisse scribit Tertull.[84], at novitate quadam pronuntiationis, alia sentire videri voluisse; eumdem plura subinde scripsisse asserit Clemens Alex. IV *Strom.* Epiphanius hæreses istius 30 loco annumerat, et propria disputatione in eas agit.

Nam necessitas est. Delevimus tria puncta absoluta, ut quinque lineas includeremus parenthesi, quod id sensus omnino postulare videretur; et sententiam interrogatione clausimus.

Sustinens. Delevimus « subsistens, » auctor. vet. cod.

Et velut maculam. Expunximus « vel maculam : » mox quoque « percipere » pro « perficere » reposuimus.

Ad perfectum. Octo voces adjecimus : delevimus autem quatuor, « aut quem factum dicunt. »

Solvetur autem. Dissolvit figmenta illorum de Vacuo et umbra Pleromatis, ex eo quod intra Patrem et conditorem hujus mundi nihil potest inane, informe, erroneum, aut tenebrosum esse : cum, vel ipsis etiam fatentibus, lumen sit clarissimum.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 4.

Pag. 119. *Aporiati.* Ita et paulo post initium cap. 6 hujus libri : « Quid autem si non plorasset, et risisset, et aporiata esset mater ipsorum? » Cæterum « aporiati, » Græce dicti ἀπορούμενοι sive διαπορούμενοι, i. e. « consternati, » sicut supra pag. 20, lin. 16, ἀπορίαν reddidit « consternationem; » et pag. 21, lin. 22, διηπόρει, « consternabatur. »

Nam necessitas est. Hæc verba parenthesi recte inclusit Feuardentius, sed eam nimium protendit usque ad, « in tunica maculam; » cum desinat in istis verbis : « non secundum localem sententiam. » Repetit vero Irenæus in hac parenthesi absurdum, ad quod hæreticos jam supra cap. 1 deduxerat : nempe si Bythus vel Pleroma non omnia intra se complecteretur, sed ab aliquo alio exterius contineretur, hoc illo majus fore; quod quidem ab omni veritatis specie alienum necessario ab adversariis admittendum ait; aut dicendum, quod « intus » et « extra, » non de « locali, » verum « intellectuali comprehensione » accipi debeant. Atqui posterius illud tanquam alterum absurdum et improprie dictum hæreticis objicit Irenæus, atque propriis eorum assertis de Jesu, Servatore matris Achamoth, repugnare, sequenti capite ostendit.

Pag. 120. *Solvetur.* Dissolvit figmenta illorum de Vacuo et umbra Pleromatis, ex eo quod intra Patrem et conditorem hujus mundi nihil potest inane, informe, erroneum et tenebrosum esse; cum vel ipsis etiam fatentibus lumen sit clarissimum. Feuard. Omittere autem debuisset quatuor voces, « et conditorem hujus mundi, » quia Irenæi argumentatio primum solum Patrem atque Pleroma ferit, a quo conditorem hujus mundi distinctum faciebant hæretici.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 5.

Pag. 120. *Adversus eos igitur.* Deum plane poeticum et ridiculum sibi fingere Valentinianos, toto hoc capite ostendit, ob portentosas absurditates in Deum Patrem, quem servum necessitatis; et Christum Jesum, quem ignorantem dicebant; simul et beatos angelos, quos brutis etiam ipsis deteriores esse, ex illorum propositis sequebatur.

A *Qui est extra Pleroma.* Adjecimus duas voces, « est Pleroma, » auctor. vet. cod.

Et reliqua omnia. Novo dilemmate compellit eos aut fateri æterna cœlestiaque, temporalia et terrena esse, quod secum manifeste pugnat : aut reprobandum esse Pleroma, Christumque ipsorum ignorantiæ causam, et in magna fuisse ignorantia dicendum.

Pag. 121. *Sic enim dicunt,* etc. Videlicet, ut sub principium capitis primi lib. I recitavit. Addidimus autem « cum formasset, » et delevimus « eum formasse, » auctor. vet. cod.

Et iterum. Caput sextum hic inchoat vetus cod. et minus commode.

Quam enim incusationem. Ostendit omnes illas accusationes, quas nominatim adversus Demiurgum instituerunt, et contra Deum hujus universi parentem unicum recurrere.

In posterioribus. Quinque has voces ex vetere codice adjecimus.

B *Non decet autem.* Et hic initium capitis 7 constituit vetus, non satis apposite. Concludit porro Irenæus, Gnosticos suis delirationibus Deum totius libertatis fontem, **85** turpissimæ necessitati ac servituti, ut ethnici Jovem suum subjicere. Quam impietatem Hugnostici nunc conantur reparare, post Calvinum et Bezam garrientes, « Deum necessitatis sibi loco esse, nec posse ulla decreta sua revocare : » nec alia multa præstare, de quibus in Dialog. nostris disseruimus. Cæterum, quod superiori linea dicitur, « concedens sistere errorem, » Billius judicat positum, pro « consistere et emergere. » Græce συνίστασθαι : et postea, « de pœnitentia eradicare, » idem esse, quod mutare sententiam, ἐκ μεταβολῆς.

Excideret. Delevimus « excederet : » et mox « tantam » pro « tantum; » ac « pater » pro « mater, » auctor. vet. cod. reposuimus.

Homericus Jupiter. Locus est *Iliados* primo, quo C poeta suum Jovem necessitati et fato servire non dissimulat. « Ast nullo modo, » ait noster Augustinus[86], « violat corruptio Deum nostrum, nulla voluntate, nulla necessitate, nullo improviso casu, quoniam ipse Deus, et quod sibi vult, bonum est, et ipse est idem bonum. Nec cogeris ad aliquid, quia voluntas tua non est major potentia. »

Pag. 122. *Quomodo autem et ignorabant.* Arguit errorem, quo dicebant angelos fabricatores mundi Deum omnipotentem penitus ignorasse; tametsi enim possit non videri, propter influitam eminentiam et incomprehensibilem majestatem; ignorari tamen nequit, propter omnipotentiæ ac providentiæ cunctos manifestissimos effectus.

Invisibilis quidem. Corporeis luminibus Dei majestatem conspici non posse, magno consensu docuerunt Patres, tum qui præcesserunt, tum qui secuti sunt ætatem hujus præclari martyris. « Si quis dixerit, » ait Dionysius Areopag.[86], « absque ullo medio, quibusdam sanctorum divinas apparitiones contigisse, intelligat ut secretum ipsum Dei, quodcunque tandem illud est, nemo unquam vidit, neque videbit. Cæterum divinæ illæ apparitiones sanctis viris per signa Deo convenientissima, sacris quibusdam, atque intuentium modo, ac viribus accommodatis, visionibus contigere. » Habet similia idem epist. ad Caium monachum. Quin et Moysen Deum vidisse, idem pernegat lib. *De mystica theologia,* c. 1. Subscribit Dionys. Justin. in *Dial.* frequenter affirmans Patrem universorum nemini unquam visum. Reliquos omitto.

Ignotus autem. Deum ex operibus suis natura omnibus notum esse, et ab imperatore Romano sumpto exemplo paulo post confirmat. Idem post alia non minus ad rem accommodata, paulo ante Irenæum usurparat Theophilus Antiochenus : « Ut anima, inquit[87], in humano corpore non videtur,

[84] Lib. Præsc. [85] Lib. VII Confes., cap. 4. [86] L. de cœlesti hier., cap. 2. [87] Lib. I ad Autolycum.

Digitized by Google

invisibilis exsistens, verum ex corporis motu cognoscitur : sic nec Deus humanis et corporeis oculis videri potest ; cæterum ex providentia, qua singula ordinat, suisque operibus aspicitur et apprehenditur. Quemadmodum si quis cernat navem, suis armamentis instructam, mare sulcare, et in portum appellere, certe credit aliquem, a quo gubernetur, in ea esse gubernatorem : sic certe nemo sit adeo abjecti animi, quin credat Deum gubernatorem esse omnium, quamvis oculis carnalibus eum non assequamur. » Et paulo post : « Imperator terrestris esse præsumitur, quamvis non ab omnibus videatur, oculos vertenti in leges et imperii administrationem. Præterea esse cognoscitur, si quis oculos in potentatus et potestates, nec non imagines ejus conjiciat : et Deum ex potentia, et operibus suis cognoscere cunctaris ? » Et qui utrumque præcessit Dionysius Areop. creaturarum ordinatissimam dispositionem, ut ab ipso productam, imagines quasdam ac similitudines divinorum exemplarium præ se ferre, ut pro viribus ad Deum scanderemus, et seorsim ab omnibus, et in omnibus agnosceremus, recte affirmavit [86]. Hinc autem concludit Justinus martyr in *Apolog.* 2, Socratem, Heraclitum, et alios quosdam, qui cum ratione inter Græcos vixerunt, Deum unum et verum ita duce natura cognovisse, ut propemodum Christiani dici possint. Tertull. quoque scribit [87] : « Neminem negare, quia nemo ignorat quod ultro natura suggerit, Deum esse universitatis conditorem. » In *Apologet.* autem, et lib. *De testimonio animæ*, animam rationalem vocat naturaliter Christianam. In hanc rem disserunt Lactantius lib. I, cap. 3, et August. lib. *De spirit. et lit.*, cap. 12, tractat. 106 *in Joannem*, lib. VIII, *De civit.*, cap. 6, et serm. 55 *de verb. Domini.*

Quomodo dicunt. Cod excus. habebant « quomodo autem. »

Salvabuntur homines. His non vult B. martyr, patres a condito orbe ad Christi adventum, recta in cœlum evolasse, quo aperta Dei visione fruerentur : cum infra doceat Christi animam ad inferna descendisse, et tribus diebus conversatam cum animabus defunctorum, quæ erant in medio umbræ mortis. Superest ergo, ut de ea salutis specie, quæ consistit in remissione peccatorum, profligatione Satanæ, et spe in Christum venturum, loquatur : quod apertius explicat lib. IV, cap. 30. Hic quoque non obscure, cum ait : « Salvabuntur et a spiritibus nequissimis, » etc. Recte namque Augustinus non uno loco contendit, priscos patres, qui ante adventum Christi vixerunt, non solum in filiis Israel, sed etiam in gentibus, quales fuerunt Job et Melchisedech, per fidem cultumque unius Dei, et futuri mediatoris, a peccatis potuisse mundari atque justificari. Lib. II, *De gratia Christi* contra Pelag., cap. 24, et lib. I *De peccatorum meritis et remissione*, cap. 28 et 29.

Judæi atque nunc. Christianos sive ex gentibus sive ex Judæis, Irenæi sæculo, dæmones corporibus hominum exorcismis frequenter ejecisse, amplissimis testibus Tertulliano [88], Justino [89], Theophilo [90], et Cypriano, cuivis facile apparet : Judæos vero mordicus adhuc Moysi addictos, et Christum Messiam respuentes, non ita forsan omnibus. At non modo hic Irenæum, sed et plerosque gravissimos auctores id asserere comperio. Justinus enim archisynagogum Tryphonem cum comitiva sic alloquitur : « Si dæmonia adjuretis per omnia nomina vestrorum regum, prophetarum, patriarcharum, justorumque, nullum non erit contumax : at si quis vestrum adjuret ea per Deum Abraham, Isaac et Jacob, fortassis obsequerentur. Utuntur tamen vestri exorcistæ arte hac, sicut et gentes, adhibendo suffitus et alligamenta. » Hæc ille. Accedit Josephus [91], qui Judæum quemdam nomine Eleazarum, præsente Vespasiano imperat., ejus filiis, tribunis, et universo simul exercitu Romano, curasse eos, qui a dæmoniis vexabantur, confirmat, exorcismorum formulis, quas rex Salomon quondam ediderat : ad quas etiam Christum Dominum respexisse putat Hieronymus, cum Judæis diceret : « Si in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt [92] ? » Sed omnem nodum dissolvit Evangelium, quo aperte scribitur apostolos quemdam invenisse, qui ad Christianum contubernium nihil attineret, qui nihilominus in nomine Christi ejiciebat dæmonia [93]. His mihi credibilius efficitur, quod ex Talmud Hierosolymitano refert frater Petrus Galatinus : in nomine Jesu Nazareni, quemdam Judæum, qui mortiferum quid deglutierat, ab alio mox sanatum fuisse, lib. VIII *De arcanis fidei*, cap. 5.

Noluerint. Expunximus « voluerint, » auctor. vet. cod.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 5.

Pag. 120. *Adversus eos igitur.* Repetit Irenæus dilemma, quo Valentinianos et Marcionitas vexaverat, ac docet, eos necessario absurda proposita incurrere, sive mundum extra Pleroma et sub bono Deo conditum, sive intra Pleroma et sphæram boni Dei a Demiurgo, vel ab Angelis factum dixerint ; illos insuper, dum creaturas intra Pleroma dicerent ignorantiæ fructus, universo Pleromati labem ignorantiæ aspergere, ac ipsi Christo hujus ignorantiæ causam ascribere, si quidem is Matrem rerum omnium, Achamothaim scilicet, agnitionis expertem fecerit. Qua occasione obiter præcludit effugium adversariorum, jam præcedenti capite memoratum, nempe « intra » et « extra » Pleroma, non localis subsistentiæ, sed « cognitionis » et « ignorantiæ » ratione dici, eosque propriis assertis de Jesu Servatore, ad formam cognitionis Matri communicandam, extra Pleroma egresso, fortiter prosternit. Novo posthæc dilemmate veritatis hostes aggreditur, ex accusatione creaturis intra Pleroma conditis intentata concludens, supremum Deum, aut Demiurgo infirmiorem, aut necessitati subjectum fore dicendum, si citra ejus concessionem vel approbationem, intra ejus sphæram, creaturæ cum tanta imperfectione fuissent productæ. Tum denique id, quod titulus exhibet, argumentum prolixius prosequitur, angelos, a quibus mundum conditum fingebant hæretici, Deum haud ignorare demonstrans.

Et reliqua omnia, etc. Novo dilemmate compellit eos, aut fateri, æterna cœlestiaque, temporalia et terrena esse, quod secum manifeste pugnat ; aut reprobandum esse Pleroma, (quodque) Christus ipsorum ignorantiæ causa, et in magna fuisse ignorantia dicendus. Feuard. Sed prius membrum hujus dilemmatis in Irenæi verbis haud deprehendo : nec video quomodo, stante eo, collectio procedat. Cæterum Feuardentium turbavit vox « æterna, » quæ vel prorsus delenda, vel in aliam est commutanda. Neque enim hæretici choica dicebant æterna, imo contra diserte docebant : Τὸ χοϊκὸν ἀδύνατον σωτηρίας μετασχεῖν· οὐ γὰρ εἶναι λέγουσιν αὐτοὶ δεκτικὸν αὐτῆς, etc. « Choicum impossibile est salutem percipere : non enim esse illum capacem salutis dicunt, » uti cap. 1, lib. I, pag. 30, l. 4 legimus. Accedit, quod mox p. 122, col. 1, lin. 12 Irenæus scribat : « quam [96] enim incusationem faciunt... de his, quæ facta sunt materialia et temporalia, recurret in Patrem. » Sic itaque conjicio legendum : « Et reliqua omnia, quæcunque sunt conditionis (i. e. quæcunque sunt

[86] Lib. De divin. nom., cap. 7. [87] Lib. de spectaculis. [88] Apol., cap. 25. [89] In dialog. [90] Lib. II ad Autol. [91] Lib. VIII Antiq., cap. 2. [92] Matth. XII, 27 ; Luc. XI, 19. [93] In XII Matth. ; Marc. IX, 37 ; Luc. IX, 49.

Digitized by Google

per creationem producta), quæ accusant, quasi temporalia sint, ac terrena (*pro* æterna) et choica, » etc., quomodo cap. 7, p. 128, col. 2, lin. 3 (cap. 8, n. 3) « terrena et choica » jungit.

Pag. 121. *Hæc autem adversus omnes*, etc. Intelligit Saturnini, Basilidis, Carpocratis sectatores, aliosque Gnosticos, ut ex cap. 56 hujus libri patet, ubi itidem scribit : « Quanta autem rursus diximus adversus eos, qui dicunt omnia quidem comprehendere Patrem universorum, etc., et adversus eos, qui sunt a Saturnino, et a Basilide et a Carpocrate, et reliquos Gnosticorum, qui eadem similiter dicunt, idem dicetur. »

Quam enim incusationem. Ostendit omnes illas accusationes, quas nominatim adversus Demiurgum instituerunt, et contra Deum hujus universi parentem unicum recurrere. Feuard. Debuisset dicere, « contra Deum Propatorem hæreticorum recurrere. »

Siquidem quemadmodum, etc. « Quemadmodum » pro «quasi,» vel «sicut» hic usurpatum, et Græce ὥσπερ ἐν κοιλίᾳ Πληρώματος scriptum fuisse puto.

Pag. 122. *Apostasia universa.* I. e. ab omni grandi peccato, quod hominem a Deo separat. Sic lib. v, cap. 21 : « Dominatus est (diabolus) homini per apostasiam. » Et cap. 29 : « Sexcenti itaque anni Noe, sub quo fuit diluvium propter apostasiam. »

Domini nostri. Jesu Christi scilicet, cui cum omnia subjecta sint, licet non viderint eum, et Dei Patris imperio angelos subditos esse colligit Irenæus, licet eum intueri nequeant.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 6.

Quomodo immensus. (Argumenti capitis verba sunt.) Isthæc portentosa figmenta de Æonum ideis, seu imaginibus, Pleromate, Nu et Monogene, quæ Gnosticos magna impudentia inculcare lib. I, cap. 1, scripserat, toto hoc capite refellit : unicum evincens esse rerum omnium opificem, qui sine ullius alterius virtutis adminiculo, mundum hunc disposuerit. Hæc autem deliria, e Platonicis ideis fabricata fuisse, infra cap. 19 inculenter asserit : quibus subscribit Tertullianus lib. *De anima :* « In ideis Platonicis, Gnosticorum hæretica semina relucere, quæ hæreticarum idearum sacramenta » auncupat. Justinus quoque utroque superior, postquam secum pugnare Platonem ostendit, subjicit [66] : « Scripta Moysis nactus Plato, postquam non pensitavit ita ut debuit (negationem interpres Gelenius omisit), existimavit esse quamdam antiquiorem speciem separatam ab ista, quæ sensu percipitur, illam etiam rerum exemplar nominare solitus. » Et paulo post : « Ad eumdem modum de terra, cœlo, homine, in errorem lapsus videtur, nam et horum ideas esse putat. » Nec solis tribus his antiquissimis Patribus, sed et Ambrosio lib. IV *De fide*, cap. 3, et libr. I *Hexaem.*, cap. 1 et 2; Nazianzeno orat. 2 de theologia; August. lib. LXXXIII *Quæst.*, q. 46, et Cyrillo lib. II *In Julianum*, minus gratam fuisse idearum constitutionem liquet; nec solum Luciani *Icaromenippum* illas insectari nostri putent. Quanta vero de eis fuerit digladiatio inter summos philosophos Platonem et Aristotelem, et qui deinceps illarum assertores et inficiatores, quibusque rationibus impugnantur illi et isti; non paucis referunt earumdem acerrimi propugnatores Jo. Franciscus Picus libro VI *Examinis vanitatis gentium et veritatis Christianæ*, cap. 15, et F. Franciscus Venetus Minor, lib. *De harmonia mundi*, cantici secundi quinque capitibus.

Pag. 122. *Esse autem imagines.* Probat merum delirium esse, quod cum tanto supercilio tradebant, nimirum Salvatorem per quasdam ideas et similitudines Pleroma coluisse, etiam Patre id ignorante : quoniam repugnat aliquid consistere extra perfectam Plenitudinem (quam appellant Pleroma) : vel si quidpiam fuerit, tam subito periisse. Insuper, blasphemum esse, Unigenito Dei ignorantiam tribuere, docet.

Primum Deum. Delevimus « primam. »

Si autem suave est. Initium est capitis octavi in vet. cod. cui et præfixa est ea summa, quæ ibidem infra habetur.

Pag. 123. *Honorata.* Codices excusi habebant « inhonorata. »

Simile. Expunximus « similis, » auct. vet. cod.

Et sine hoc autem. Probat non esse verisimile, tot tamque varias creaturas, ideas esse paucorum atque fictitiorum Æonum, cum et Æones dicerent æquales et concordes esse : inferiora vero ista sibi plerumque adversentur, et mutuam necem inferant. Rursum, oportere quosdam Æones natura malos, feros, terrestres et reprobos esse, ac econtrario; cum tales homines in terris degere non differentur.

Pag. 124. *Et quædam quidem.* Undecim dictiones ex veteri codice restituimus : delevimus unicam « innocentia. »

Et ignis æternus. Cum ignis æternus, adeoque ipsa gehenna nullius Æonum idea sit; falsa est ratio idearum ab eis constituta. Nec angelorum Pleromatis ideæ sunt, cum sint specie diversi ac innumerabiles; Æones vero tantum triginta, ac ejusdem sortis et formæ. Denique, cum idearum progressio evadat in infinitum, in unico et vero Deo creatore consistendum, et quiescendum est.

Primo enim. Vetus codex hac sententia exorditur caput nonum; cui addit idem argumentum, quod infra habetur.

Quæ enim sunt. Cod. excusi habebant, « Quæ cum sint. »

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 6.

Pag. 123. *Extremæ confusionis, non habentis propriam substantiam.* Diu me hic locus torsit, nec potui sensum proposito congruum inde elicere, donec animadverti, interpretem male duos genitivos Græcos in Latino servasse, qui per ablativos reddendi erant hoc modo : « extrema confusione, » quæ scilicet in umbra et vacuo erat, « non habente propriam substantiam, » antequam distinctæ materiæ per passiones matris Achamoth in ea orirentur. De quibus vide supra pag. 21.

Pag. 124. *Dena millia*, etc. Hæc Danielis verba Græce habentur in S. Clementis *Epist ad Corinth.*, cap. 34 : Λέγει γὰρ ἡ Γραφή· Μύριαι μυριάδες παρειστήκεισαν αὐτῷ, καὶ χίλιαι χιλιάδες ἐλειτούργουν αὐτῷ. Atque ita etiam apud Gregorium Nyssenum, homil. 8, in Ecclesiasten, et Cyrillum Alexandrinum, epistola in Symbolum. Ast in illa, quæ jam sub nomine LXX interpretum exstat, versione convenienter archetypo legitur inverso ordine : Χίλιαι χιλιάδες ἐλειτούργουν αὐτῷ, καὶ μύριαι μυριάδες παρειστήκεισαν αὐτῷ. Confer de varia hujus loci citatione Cotelerii notas ad laudatam Clementis epistolam.

Et manet conditio integra in imagine Pleromatis, etc. Quis horum verborum sit sensus, dictu aliquantum difficile est. Videtur autem Irenæus ex eo, quod plurimorum Pleromatis angelorum imagines sint innumerabiles Creatoris angeli, inferre, haud necesse esse, ut reliquæ creaturæ dictos Pleromatis angelos repræsentarent; sed « integram conditionem, quæ » scilicet « secundum nos est, » ut alibi loqui amat Irenæus, id est, omnes visibiles creaturas, reservari « ad Pleromatis imaginem » exprimendam; quam tamen referre nequeant, « triginta Æonibus non consequentibus, » i. e. non adæquantibus, « multiformem conditionis sive creaturarum « varietatem. »

Bythus ipsorum unde habuit speciem, etc. Fingebant enim hæretici, Demiurgum creaturas efformasse secundum ideam, quam Bythus, « præforma-

[66] Orat. ad Græcos.

Digitized by Google

verat, et mente conceperat, » uti supra cap. 3 loquitur Irenæus.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 7.

Pag. 123. *Si autem hæc.* Ostendit inferiora ista, supernarum rerum umbras non esse, cum illa corporea sint, continuoque transeant, hæc vere spiritalia et sempiterna; sed nec ea, quæ sunt sursum, adumbrare quæ deorsum visuntur. Fictitium quoque Bythum illorum, non esse omnium Pleroma; neque extra Deum Patrem ullum Pleroma exsistere. Hæc vero somnia ex Democriti et Epicuri insanis opinionibus mutuatos esse Gnosticos, pari vanitate cum illis ineptientes, immutatis tantum nomenclaturis, aperte convincit infra, c. 19. Quod enim illi ἀτόμους, et κενόν, hoc isti Pleroma et Vacuum, sive, ut Irenæo placet, « ea quæ sunt, et id quod non est, » nominarunt. Qui de his plura cupit, consulat Plutarchum lib. I, cap. 3, et lib. II, cap. 1, *De placitis philos.*; Laertium in Epicuro; Lucretium Velleium Ciceronianum; et ex nostris Augustinum epist. 6. Primum autem ejus argumentum est. Umbræ non sunt, nisi rerum corporearum et opacarum : Æones, juxta horum sententiam, sunt spiritales; igitur hic nec umbras, nec ideas habent. Deinde, Æones sunt æterni; umbra res fugacissima, etc.

Nulli obscurare possunt. Græca locutio, pro « nulli caliginem offundere, » τὰ πνευματικὰ μηδενὶ ἐπισκοτεῖν δύναται.

Et non jam transeunt. Septem has voces ex vet. cod. addimus.

Si quidem. Delevimus « qui, » ut mox pro « ut » posuimus « aut : » deinde « prætermittant » pro « permittant; » et « circumscribatur, » pro « circumscriptura. » Probat autem hoc loco, extra Deum Patrem omnium, nullum Pleroma, nulla sæcula, nullosve angelos esse posse.

Aut umbram capiet. Id est, neque fieri poterit, ut vacuum, **87** aut umbra sit. Sic cap. 16 : « Et hæc quidem in hominibus capit dicere; » Græc. ἐνδέχεται.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 8.

Pag. 125. *Falsus autem.* Quod hujus lib. cap. 3 et 4 vacuum et ejus umbram, vana commenta dixerat, et hic rursus confirmat : et infra lib. IV, cap. 38, apud Deum nihil vacuum esse asseverans. Ista autem eos confinxisse putarem, ut Moysis verba hæc depravarent : « Terra erat inanis et vacua [67]; » quibus duntaxat terræ molem adhuc inanem, inaspectabilem, et informem tum fuisse docet, cum illum ornatum, quem postea recepit, necdum haberet.

Vacui autem et hi. Ludit in ambiguitate vocabuli κενόν, quod initio capitis vacuum significat, hic autem stultum et inane.

Pag. 126. *Quandoquidem.* Initium est capitis 10 in vet. cod. cui prængitur idem argumentum, quod ibidem infra.

Et Dominus hunc Patrem. Nimirum Matth. cap. V, ỳ 16 : « Glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. » ỳ 45 : « Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est. » Matth. cap. VI, ỳ 9 : « Pater noster, qui es in cœlis. » etc.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 9.

Pag. 126. *Nunc autem sufficit.* In quatuor classes distributis hominibus, horum omnium consensione et fide, probat unicum et solum verum Deum esse universorum opificem. Primam quam ad Moysen usque porrigi puto, asserit Adami traditione et doctrina, unicum Creatorem celebrasse. Etenim ut crassam illam et immanem idololatriam, nonnisi a diluvio, quarta decima videlicet hominum generatione, incepisse affirmant Clemens [68], Cyrillus [69], Epiphanius : sic primum hominem fide in promissum mulieris semen, et Deum verum, veram religionem verbis et exemplis posteros docuisse, Deo cruentis mactatis hostiis, constanter affirmant Hebræi. Astipulatur non semel Athanasius magnus, cum Abelem, prout a patre didicerat, de primogenitis Deo obtulisse confirmat, epistola, « Quod Nicæna synodus. » etc., et in « Omnia mihi tradita sunt, [70] » etc. Secunda classe eos complectitur Irenæus, qui legis pædagogia et prophetarum oraculis, a Moyse ad Christum usque, Deum verum agnoverunt et adoraverunt, ut fusius explicat cap. ultimo hujus, et undecimo libri III. Tertia, ethnicos commemorat, qui ex ipsa mundi dispositione, unicum Numen agnoverunt, de quibus cap. 4 et 5 hujus dictum est. Postrema, Ecclesiæ jam per totum orbem expansæ unanimi voce, omnium evidentissime propositam thesin asseverat.

Testimonium. Delevimus « testimonia, » et adjecimus « omnibus » auctor. vet. cod., atque mox pro « sentientibus, » reposuimus « consentientibus. »

A Primoplasti traditione. Et paulo post : « Hanc accepit ab apostolis traditionem. » Ex quibus perspicitur quanta sit auctoritas, visque sanctarum traditionum, quam hic constanter opponit cunctis hæreticis, etiam in summorum capitum totius Christianæ religionis assertionem. Sed de his copiose disseremus in cap. 3 libri II.

Hymnizantibus. Sic fere semper reddit verbum Græcum ὑμνείουσι vel ὑμνολογοῦσι, pro « hymnis celebrant, laudant. »

Ipsa enim conditio. Non dubito Irenæum alludere ad ista Pauli : « Invisibilia enim Dei, a creatura (Irenæus suo more, *conditionem* appellat) mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur : sempiterna quoque virtus et divinitas, » etc. Nam, ut et Sapiens quoque ait : « A magnitudine et specie creaturæ potest Creator videri. » Hinc Augustinus eleganter scribit [71] : « Si quis audiat, dicunt hæc omnia : Non ipsa nos fecimus, sed fecit nos qui manet in æternum. Cœlum, terra, et omnia quæ in eis sunt, undique mihi dicunt, ut te amem; nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. Interrogavi terram, et quæcunque in ea sunt; interrogavi mare, abyssos, et reptilia, et responderunt : Non sumus Deus tuus; quære super nos. Interrogavi auras stabiles, etc.; interrogavi cœlum, solem, lunam, et stellas, etc.; responderunt, et clamaverunt voce grandi : Non sumus Deus tuus, sed quæ fecit Deus tuus. Interrogavi mundi molem : Dic mihi si tu es Deus meus, an non? Non sum, inquit, ego; sed per ipsum sum ego. Supra me quære eum, qui fecit et regit me. Interrogatio creaturarum, est profunda consideratio ipsarum, quoniam omnia clamant, Deus nos fecit, » etc. Nec prætermittere possum, quæ in hanc rem fertur magnus Antonius respondisse cuidam suadenti illi, ut libris vacaret : « Meus liber, inquit, est natura rerum a Deo conditarum : quæ quotiescunque animo libitum sit meo, libros ipsius Dei ad legendum suppeditat [72]. » Ergo apposite dicitur hic ab Irenæo, « creatura ostendere Creatorem, factura factorem, et mundus conditorem atque rectorem suum. »

Disposuit. Excusi codices legebant « deposuit. »

Ethnicis pejores. Non solum dicit, sed et probat hæreticorum ministros ethnicis deteriores reddere suos auditores; quod et de his, qui hac tempestate per Europam surrexerunt hæreticis, evidenter et solide me verissimum esse probantem, æquis animis ferant lectores benevoli.

Ne quis ergo addubitet hoc ipsum, quod hic contendit vir apostolicus, etiam novissimi hujus ævi Gnosticis, id est, Lutheranis et Calvinianis contigisse, ministrorum de se mutuis testimoniis sic ostendo. Calvini namque judicio, ultima *Admonit.*

[67] Gen. I, 2. [68] Lib. Recogn. [69] Lib. IV cont. Jul. [70] Reuchlin. l. I Cabalæ. [71] Lib. IX Confess. cap. 10; l. X, cap. 6, et lib. Soliloq., c. 31. [72] Socrates, lib. IV, cap. 18.

Digitized by Google

ad Westphalum, « Lutherani sunt bruti homines, qui ne guttam quidem ingenui pudoris retinent, nec Dei, nec angelorum judicium magnopere curant, pleni furioso impetu, nugatoria levitate, cæca temulentia, canina improbitate, diabolica superbia, feroces, omni humanitate spoliati, vertiginosi; Cyclopes, superba factio Gigantum, latratores, phrenetici, protervi, bestiæ. » Idem lib. contra Heshusium, Lutheranos appellat « homines improbos, rabiosos, mancipia Satanæ, qua diabolus horribili modo fascinaverit. » Item, « canes, nebulones, et impuros spiritus. » Bezæ, Heshusius minister Lutheranus, cum suis « est Polyphemus, simia, cothurnatus, vegrandis et pileatus asinus, canis in balneo, asinissimus sophista, impudens nebulo, impudens sycophanta, bellua, larva, asinus bipes, histrio, monstrum mistum ex simiarum et onagrorum specie, animal carnivorum, Cyclops, furens et dignus qui ex tilia pendeat. » Bullingerus *Repetitione de Eucharistia*, Brentium Lutheri discipulum vocat « aprum Calydonium, qui vineam Domini evertit. » Sturmius *Palinodia* ad Lucam Osiandrum, illum habet pro « Caio Caligula, et Ulyssis nepote. » Joannes Lascus expertum se queritur « Lutheranos Balticos, Turcis longe crudeliores et inhumaniores. » Erasmus in *Defensione Diatribæ*, scribit « Lutherum nulla maledicentia fuisse saturabilem, Oreste insaniorem, odio lymphatum, philautia temulentum. » Schlusselburgius, ex scriptis Calvinianorum, refert hos doctrinam Lutheranam vocare, « commentum hominum, crassum delirium a diabolo suggestum, absurdum et portentosum dogma, Satanæ excrementum, cujus et ipsum Satanam pudeat. Lutheranos vero clamant esse hæreticos, asinos, diaboli incantatione excæcatos, a Satanæ spiritu motos, et diabolos [73]. » Jezlerus Sacramentarius lib. *De diuturnitate belli Eucharistici*, pag. 93, fatetur sectæ suæ propugnatores passim Lutheranos nominare, « Anthropophagos, hæmatopotas, Thyestas, Christicidas, artolatras, impanati Dei cultores, abnegatores redemptionis per Christum factæ, » etc. Anon ergo ethnicis longe deteriores?

Sed quales Calviniani et Sacramentarii, Lutheri et asseclarum suorum censura sint habendi, idem Jezlerus dicat: « Cum hæc, inquit, ad aures Lutheranorum pervenerunt, longe duriora verba in adversarios emiserunt: asserendo quod sint mendaces, falsarii, sacramentiperdæ, corruptores testamenti Christi, dæmoniaci; a diabolis omni ex parte, ante, pone, supra, infra, intus, et extra obsessi, diaboli martyres; annumerandi cum Nestorianis, Arianis, Turcis, et omnium mortalium, quos unquam terra sustinuit, deterrimi. » Lutherus ipse *Disput. de Eucharistia*, eosdem Sacramentarios nuncupat, « Sues, canes, idololatras, irrationales asinos, tenebriones, larvas diaboli, miseros Swermeros, insanos atque phreneticos morientes, progeniem viperarum, animicidas, hostes Filii Dei, latrones corporum et animarum, lupos rapaces, infernales molossos, Germanicos Turcas, ipsis etiam Turcis deteriores, diabolicos atque infernales lupos, » Satana missos et obsessos, diabolum loco Dei proponentes, Christum minus facientes quam Arius atque Mahomet, quosque diabolus contra Christum moderatur, et additis calcaribus agitat. » Beza, alter horum antistes, apud Schlusselburgium [74] vocatur « atheus, bestia, nugator, impudens rabula, diabolus incarnatus, Beelzebub; » ab Heshusio, « prostitutum scortum; » a Daniele Hoffmanno, « præstigiator, calumniator, conscientiæ nullius, blasphemus cavillator, perversus ac detestandus Verbi divini violator. » Schlusselburgius rursum affirmat [75], « spiritum Calvinisticum esse spiritum tenebrarum, Satanam per Calvinistas ut per organa sua loqui, Bezam suam *Creophagiam*, dictante diabolo, concinnasse; Calvinismum denique, Arianismum et Mahometismum esse fratres, sorores, et tres caligas ejusdem panni. » Georgio Richen Rostochiensi ministro, « Sacramentarii sunt diaboli ad æternam gehennam damnati. » Zarnovius [76] censet eosdem 88 esse « antichristos, illusores mundi, qui Dominum gloriæ histrionem faciunt, inimicos Filii Dei, delusos a Satana, Balaami filios, et Mahometanos. » Joannes Schutz Præfatione in lib. *Causarum* ait: « Sacramentarismus camarina est quædam, in quam multæ hæreses confluunt, ultima Satanæ ira, quam furiis agitatus contra Christum ejusque Ecclesiam exercet. Qui Sacramentariorum partes sequitur (subjicit ille), is manifestus atque ejuratus est hostis Dei, et fidei quam in baptismate Christi dedit, oblitus, » etc. Manifestum est igitur, Lutheranorum ministrorum multiplici judicio, Sacramentarios omnem ethnicorum impietatem penitus superare.

Quid etiam quod quisque istorum hæresiarcharum, suos auditores, discipulos et populares, ex quo novum hoc Evangelium susceperunt, cunctis paganis et Turcis deteriores evasisse palam contestantur? Lutherus profecto quantum ex suo Evangelio Wittembergenses paucis annis profecissent, his satis indicat [77]: « Ex Evangelio, » Lutherano scilicet, « adeo effrenes facti sunt homines, ut quidquid illis libeat, liceat. Non terrentur inferno [78], etc. Sub papa mansit nomen Christi; sed nostra ingratitudo et securitas merebitur quod Christus non nominabitur, et implebitur illud verbum: «Filius hominis cum veniet, putas inveniet fidem [79]?» « In tota parochia Wittembergensi tantum unus habetur rusticus, qui suam familiam ad verbum Dei et catechismum hortetur. Cæteri omnes recte ad diabolum ire pergunt [80]. » Item in *Colloquiis* collectis a conviva ejus Aurifabro, conqueritur [81], « discipulos suos magna ex parte esse Epicureos; et hoc quærere in concionibus, ut bonos dies habeant; vocari reformatos, cum reipsa potius incarnati dæmones esse videantur: vix inter paganos, Judæos, Turcas, aut alios infideles homines, adeo contumaces reperiri, apud quos omnis honestas, et quidquid est virtutum penitus interierit, neque ullius peccati ratio habeatur, » etc. Quis autem Luthero de suis discipulis et auditoribus non crederet? Spangembergius et ipse Luthero familiaris testatur suos Lutheranos « esse homines tam feros, ut jam nolint Deum agnoscere, nec ullam illius rationem habere; sed facere quidquid diabolus et caro suaserit [82]. » His porro de se suisque tam constanter testificantibus, quis fidem non haberet?

Sed Calvinus fortasse, doctrinæ suæ professores et discipulos aliquanto meliores esse confirmat. Imo vero cum ipsis in inferno damnatis et cacodæmonibus comparat [83], præscribens eis ut cœnam susceturi serio profiteantur, « se ad nullum bonum aptos; sed in omne malum propensos, et divinorum præceptorum perpetuos infractores et contemptores esse; » quod sane diabolorum et perditorum proprium est. Præterea, de se suisque comministris, satellitibus, senioribus et diaconibus, scribit [84]: « Christum non aspicimus nisi carneis oculis, unde fit ut nihil in ipso magnificum appareat. Vitioso nostro sensu, quidquid in ipso est, ejusque doctrina, pervertimus. Multa falsa arripimus, quæ Evangelii contemptum pariunt. » Et rursum [85]: « Experientia ipsa docet nos esse a Deo penitus aversos, ejus odio plenos et infectos, et lucem

[73] Lib. II, art. 1. Theol. Cal. [74] Lib. II, art. 1. [75] Lib. III, tit. 8. Jo. Schutz lib. Causar., c. 50. [76] Lib. II. Did. [77] Tom. I Colloq., pag. 57. [78] Pag. 49. [79] Luc. XVIII, 8. [80] Pag. 94. [81] Col. 2[illegible]. [82] Lib. Narrat. benef. [83] In Catech. [84] In cap. VI Joann., v. 41. [85] In c. XIV Joan., v. 14 et 15.

Digitized by Google

Evangelii nostris perversis inventionibus obscurare. » Iterumque ut et ipse propheta reputaretur, de sectatorum suorum corruptissimis moribus, barbarie et atheismis ita vaticinatus est in Præf. *Catechismi* sui, ad ministros suos in orientali Frisia : « De posteritate sic ego anxius sum, ut vix cogitare audeam. Nisi enim mirabiliter Deus e cœlo succurrerit, videre mihi videor extremam barbariem impendere orbi. Atque utinam non paulo post sentiant filii nostri fuisse hoc verum potius vaticinium, quam conjecturam, » etc. Quæ nimis vera esse, omnibus modis per Calvinianos proculcata in Galliis, Helvetia, Germania, Anglia, Scotia, Hibernia et Belgio religio catholica palam testatur.

Evicimus ergo ex non suspectis aut dubiis testibus, sed de ministrorum scriptorum fructibus certissimis non solum priores Gnosticos, quod S. martyr Iren. affirmat, sed etiam postremos istos, ethnicis pejores esse, ac discipulos suos efficere.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 10.

Pag. 126. *Et qui dicunt semetipsos.* Recte colligit ex superioribus, opiniones istorum sua absurditate et impietate ethnicorum paradoxa superare, quantumvis omnia se nosse venditarent ; quoniam supra verum Deum, alius quærendus non est, nec ejus opera alium ostendunt ; quidquid de Achamoth somniarent.

Manifeste nihil. Delevimus « manifestum est ; » ut mox « parabolas, » pro « parabolæ ; » et paulo infra « majus » pro « magis » reposuimus.

Quia autem parabolas. Vult probationes Gnosticorum sumptas a parabolis de ove errante, operariis, drachma perdita, fermentō abscondito, et aliis parabolis evangelicis, de quibus lib. I, cap. 1, 13, 15 et 17, nullius esse ponderis, cum possint in multos et contrarios sensus torqueri ; ac ideo in contentionibus non debeant adduci, quandoquidem non sint certæ veritatis regulæ, ut cap. 46 hujus libri apertius dicitur. Plurimum igitur abest, ut ex his efficere possint, supra Creatorem alium Deum quærendum esse.

Omnis autem quæstio. Id retundit quod importune urgebant : « Quærite, et invenietis [86] ; » ut alium Deum a vero et Creatore investigandum suaderent : de quo dicetur cap. 18 hujus libri.

Hi autem. Initium est capitis 11 in vet. cod., in quo adverbium « bis » desideratur ; prælixam epigraphen eamdem habet, quæ paulo post.

Pag. 127. *Sua voluntate et virtute substantia usus.* Græce, τῇ οἰκείᾳ βουλήσει οὐσιώσει χρησάμενος, id est, « sola sua voluntate ac potentia pro creatis omnibus rebus. »

Quod enim dicunt. Contendit figmenta eorum de Achamoth matre, et productione materiæ, potius subsannanda et exsibilanda esse, quam graviori disputatione refellenda ; quando constat cuncta ab uno et vero Deo condita esse.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 10.

Pag. 126. *Alterum Deum fabricaverunt.* Tam Valentinianos quam Marcionitas sub universo hæreticorum vocabulo ejusdem criminis arguit, ac quod ex obscuris Scripturis ignotum producant Deum, graviter reprehendit Origenes in *Comment.* ad psalm. XL, tom. I. edit Huetii, pag. 50, sequentibus verbis : Αἱ Γραφαὶ αὐτοῦ μεγάλαι μὲν καὶ πεπληρωμέναι νοημάτων εἰσὶν ἀπορρήτων καὶ μυστικῶν καὶ δυσθεωρήτων· σφόδρα δὲ καὶ δυσδιήγητοί εἰσι, καὶ αἴτιαι δοκοῦσι τοῦ τὰς ἀπαιδεύτους πλανᾶσθαι τῶν ἑτεροδόξων ψυχὰς, ἀπερισκέπτως καὶ μετὰ προπετείας, κατηγορούντων τοῦ Θεοῦ ἐξ ὧν οὐ νοοῦσι Γραφῶν, καὶ διὰ τοῦτο ἐκπιπτόντων ἐκ ἀναπλασμὸν ἄλλου Θεοῦ. « Scripturæ ejus (Dei) magnis quidem et arcanis, abstrusisque et difficillimæ considerationis sententiis refertæ sunt, sed et difficillimam habent explicationem, et videntur ansa erroris fuisse

[86] Matth. VII, 7 ; Luc. XI, 9.

A rudibus heterodoxorum animis, inconsiderate et petulanter Deum ex iis quas non intelligunt Scripturis accusantium, indeque ad alium Deum confugiendum prolabentium. »

Baptismum veritatis. Ita forte baptismum Joannis, quo Jesus tingebatur, vocarunt in oppositione ad typicos et carnales Judæorum baptismos, de quibus Hebr. IX, 10.

Pag. 127. *Sua voluntate et virtute substantia usus.* Græce τῇ οἰκείᾳ βουλήσει (καὶ δυνάμει) οὐσιώσει χρησάμενος, id est, « sola sua voluntate ac potentia procreatis rebus omnibus. » Feuard. ex Bill., lib. I *Observ. sacr.*, cap. 33. Sed explico clarius : « sola sua voluntate ac potentia loco substantiæ, » sive materiæ, ex qua creaturas formaret, « usus » Confer sequens caput.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 11.

Pag. 117. *Attribuere enim.* Materiam illam, ex qua cuncta efformata fuerunt, Deum etiam creasse
B contendit, contra eos, qui vel ex Achamoth prodiisse putabant, ut Gnostici ; vel Deo coæternam, ut Hermogenes, quem unico libro post Irenæum mire exagitavit et protrivit Tertullianus. Idem Marcioni quoque acerrimum bellum indixit, quod una cum Valentinianis, materiam nunquam natam opinaretur, libr. *Præscript.* et lib. V *Contra Marc.* Eumdem errorem postmodum ab Oreo revocasse Seleucianos et Hermianos, Augustinus testis est lib. *De hæres.*

Quoniam homines. Lactantius lib. II, cap. 9, refutat Ciceronem et alios dicentes Deum nihil efficere posse, nisi ex subjecta et parata materia ; insuper, non esse probabile materiam rerum a Deo factam : eo quod sic omnipotentem Deum ad imbecillitatem hominum redigerent, nihil aliud quam opificium ei concedentes. Jureque damnat hanc eorum comparationem : ut faber cum quid ædificaturus est, non ipse facit materiam, sed utitur ea quæ sit parata, fictorque item cera, etc.
C Imo vero, respondet Lactantius, « non oportuit. Erit enim Deus minoris potestatis, si ex parato facit quod est hominis, » etc. Cæterum, materiam primam et informem ex qua cætera postea condita sunt, etiam Deum ab initio rerum creasse, post Irenæum testificantur Athanas. lib. *De incarnatione Verbi*, et serm. 3 *contra Arian.* ; Eusebius lib. VII *De præparat. evang.*, cap 8 ; Ambrosius lib. I *Hexaem.* ; Nyssenus lib. *De opificio hominis*, cap. 23 ; Aug. lib. *De Genesi ad lit.*, cap. 14 ; lib. XX, *Contra Faustum*, cap. 14, et libr. XII *Confes.*, c. 4.

89 *Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap.* 11.

Pag. 127. *Quoniam homines.* Irenæum hic, nisi fallor, imitatus est Theodoretus lib. V *Hæret. fabul.*, quo summam catholicæ doctrinæ contra eos exposuit cap. 5, ita scribens : Ἐπειδὴ γὰρ πᾶσα τέχνη παρὰ ἀνθρώποις ὕλης ὑποκειμένης προσδεῖται, καὶ κεραμευτικὴ μὲν πηλοῦ, οἰκοδομικὴ δὲ λίθων
D καὶ πλίνθων, ξύλων δὲ ἡ τεκτονικὴ καὶ ναυπηγική, καὶ ἠρίων ἡ ὑφαντική, καὶ ἡ σκυτοτομικὴ δὲ δερμάτων, καὶ ζωγραφία καὶ γυψοποιητικὴ χρωμάτων, καὶ συλλήβδην εἰπεῖν, ἑκάστη τέχνη τῶν προσφόρων ὑλῶν· ὑπέλαβον οἱ ἀνοήτοι καὶ τὸν Θεὸν μὴ δύνασθαι ὕλης δίχα δημιουργεῖν, καὶ οὐ συνεῖδον ὅσον ἀνθρώπου καὶ Θεοῦ τὸ διάφορον, καὶ ὡς οὐχ οἷόν τε τὴν εἰκόνα πάντα ἔχειν ὅσα τὸ ἀρχέτυπον, καὶ ὅτι ἄνθρωπος μὲν, ὡς εἰκὼν, ἐξ ὄντων δημιουργεῖ, Θεὸς δὲ καὶ ἐξ ὄντων καὶ μὴ ὄντων. « Quoniam enim ars omnis apud homines subjecta materia indiget, et figulina luto, et structoria lapidibus et lateribus, lignis fabrilis et navium ædificatrix, et lanis textoria, et pellibus sutoria, et pingendi gypsandique ars coloribus, atque, ut semel dicam, artes singulæ materia convenienti ; existimarunt stolidi Deum quoque sine materia creare non posse, nec intellexerunt quantum Dei et hominum sit discrimen,

Digitized by Google

et quod fieri non possit, ut omnia habeat imago, quæ archetypum, et quod homo quidem, velut imago, ex iis quæ exstant, creet; Deus vero et ex iis quæ exstant, et ex non exstantibus. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 12.

P. 127. *Credentes autem.* Hic Carpocratem et sectatores præsertim refellit, qui, ut signavit l. I, c. 24, mundum, et cuncta quæ in eo sunt, ab angelis facta dicebant. Cæterum, tametsi Epiphanius contra hæresim Samosateni disputans, fateatur Scripturam nusquam tempus indicare quo creati sint angeli; omnino tamen constat ex eadem creatos esse, non creatores; quoniam et Job, et David, et socii Danielis eos inter res creatas connumerant, et ad celebrandum Creatorem sùum invitant. Hinc et Lactantius scribit[87]: « Deus multos genuit operum suorum ministros, quos Græci ἀγγέλους nominant, » etc. Athanas. serm. 3 contra Arianos de his quoque disserit.

Voluntates. Delevimus « voluntatis, » auct. vet. cod., etsi sic cum excusis habeat codex Vaticanus.

Similes Æsopi cani. Hoc eodem apologo utitur Epiphanius contra Cerdonianos: « Contigit, inquit, his canis proverbium, qui umbræ intentus, non continuit quod habebat in ore, et in aquam intuens, et majorem umbram aquæ esse putans, quam cibum, quem in ore ferebat, aperto ore etiam eum, quem habebat, amisit. Sic et hi, cum viam reperierint, et umbram assequi velint in suspicione eorum obortam, solum cibum, qui in ore ipsorum, ut ita dicam, erat ex Deo donatus, amiserunt: sed etiam perniciem sibi ipsis attraxerunt. » Nos adversus hujus temporis Gnosticos, illo etiam uti jure optimo possumus, qui umbris et metonymiis inhiantes, veri corporis Christi usu excidunt. Nec injuria Lutherus de hujusmodi Sacramentariis scripsit[88]: « Satanas in mundo haud dubie auctor est eis hujus sacramenti eucharistiæ labefactandi ac evertendi; contendens plane, epoto ovo, nobis tantum relinquere putamina. Hoc est, Christi corpus et sanguinem e pane et vino tollere, ut præter simplicem panem a pistore confectum, nihil reliquum remaneat. »

Sed quoniam. Principium est cap. 12 in vet. cod. eum argumento ibidem signato.

Ut calumniosi. Prius erat « et calumniosi. » Vaticanus codex: « et quæstionem inferentes, » etc., paulo post legit.

Bene hæc arbitrati sumus. Duobus argumentorum generibus illos urgere constituit: priore, crebris et acutis de ratione figmentorum interrogationibus, quas cum non potuerint solvere, ad metam redargutionis cogantur; quod egregie præstat sequentibus, usque ad 36 capitibus; posteriore, apertissimis firmissimisque Scripturarum testimoniis, quibus postea pugnat.

Ex Joan. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 12.

Pag. 127. *Docentis autem, et per se attribuentis.* Christus et verbo docuit, et per merita sua « tribuit nobis potestatem filios Dei fieri[89], » quæ in veteri testamento nec ita clare revelata, nec isto modo, quo in novo fœdere, fidelibus data erat. Judæi enim filii Dei dicebantur, quod a Deo creati essent, quodque Spiritum Dei accepissent, sed servitutis et timoris; nos vero libertatis et dilectionis. Unde Joannes Chrysostomus homil. 14 in Epist. ad Romanos cap. VIII, considerans ista Apostoli verba: « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, » comparatione inter Judæos et Christianos instituta, inter alia ait: Ἐκεῖνοι μὲν εἰ καὶ υἱοὶ ἐκαλοῦντο, ἀλλ' ὡς δοῦλοι· ἡμεῖς δὲ ὡς ἐλεύθεροι γενόμενοι τὴν υἱοθεσίαν ἐλάβομεν, καὶ τὸν οὐρανὸν ἀναμένομεν.... κἀκεῖνοι φόβῳ τιμωρίας πάντα ἔπραττον ἀγόμενοι, οἱ δὲ Πνεύματος ἐπιθυμίᾳ καὶ πόθῳ. « Illi quidem quanquam filii vocabantur, tamen tanquam servi; nos autem ut liberi facti adoptionem accepimus, et cœlum exspectamus.... Illi pœnæ formidine ducti omnia agebant, hi Spiritus desiderio et amore. » Atqui « omnis qui non amplius sub timore pædagogo degit, sed virtutem propter ipsam eligit, filius Dei est, » ut Origenes scribit lib. I *Contra Celsum*. Sed de his prolixius dicendi hic non est locus.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 13.

Pag. 128. *Primo quidem.* Consentit cod. vet. in numero capitis hujus et argumento. Porro, ostendit triginta annos ætatis Domini nullo modo patrocinari fictioni illorum de triacontade, id est triginta Æonibus, quam descripsit lib. I, cap. 1 et 14. Superstitiosam hanc numerorum applicationem, ex Pythagoricis excerptam, tradit infra cap. 19. Tertullianus ista deliramenta ita suo more irridet[90]: « Hoc erit Pleroma illud Æonum, divinitatis tricenariæ plenitudo. Interim in tricenario fecunditas tota deficit; castrata est vis, et potestas, et libido genitalis Æonum, quasi non et numerorum tanta adhuc coagula superessent, et nulla alia de pædagogio nomina. Quare enim non et quinquaginta, et centum procreantur? » etc.

Triginta annorum. Hoc argumentum Gnosticorum ita convellit Cyrillus Jerosolym.[91]: « Aspice nugas et deliria commentorum. Unde habes probationem triginta sæculorum? Cum, inquit Valent., scriptum sit, quod Jesus baptizatus sit tanquam annorum triginta. Et qualis est hæc demonstratio? Numquid igitur, quia quinque panes divisit in quinque millia, quinque sunt dii? Quia duodecim habuit discipulos, duodecim debent esse dii? » etc.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 14.

Pag. 128. *Quoniam enim.* Hoc et proximo capite dissolvit fabulas de triacontade, conjugationibus, et Sophia, quas libro I, capit. 1, recitaverat. Insuper et nugas de Ennœæ, sive Siges emissione; quod perinde impossibile sit Cogitationem et Silentium per se consistere, atque sine humectatione aquam, aut duritia lapidem.

Hoc autem non enumerato. Sophiæ vigesimum locum tribuunt in ea Æonum enumeratione, quæ capite 1 adumbratur. Postea dicunt eam aberrasse ab illa Plenitudine, quæ Pleroma vocatur; aut igitur incompletum est Pleroma tricenarium, aut Sophia non aberravit.

Sed viginti et novem. Codices excusi habebant « viginti et octo. »

Et qua rursum Nun et Alethiam. « Nun » nostro judicio adjicimus, quandoquidem sic confecta est ab illis secunda conjugatio; et paulo post Irenæus utrumque copulat. Hanc autem emissionem probat impossibilem, ex eo quod Siges, id est Silentii, nulla sit actio; mentis autem operationes sint immanentes. Paulo post legimus, « ab unita, » pro, « adunita, » auctoritate veter. codic.

Utrisque exorbitant. Delevimus « utriusque exorbitent. »

Hoc autem sic se habente. Probat emissiones Æonum indiscretas esse, quandoquidem duos Æones sibi perpetuo affirment cohærere.

Et cum hæc dicantur. Capitis decimi quarti initium est in veteri codice cum epigraphe ea, quæ paulo ante habetur, et aliquanto meo judicio commodius.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 15.

Pag. 128. *De passione enim.* Probat conjugationes illas triginta Æonum disjunctas non esse, quia sejungi non potest Cogitatio a Propatore, nec Mens a Veritate, nec Verbum a Vita. Primigeniam octonationem, et duodecadem, et triacontadem rursus expugnat.

Iterum reliquam. Expunximus « derelinquam. »

Quemadmodum gallinæ. Tertullianus istiusmodi

[87] Libr. II, cap. 9. [88] Tomo VII, serm. de euchar. [89] Joan. I, 12. [90] Lib. cont. Valent. [91] Catech. 6.

Digitized by Google

aniles fabulas irrisione pari excipit[92] : « Sophia, inquit, in mœrore ex semetipsa sola, nulla opera conjugii concepit, et procreat feminam. Miraris hæc? et gallina sortita est de suo parere, sed et vultures feminas tantum parere aiunt, et tamen sine masculo mater. » Addere potuisset equas vento concipere in Cappadocia, ut tradit Augustinus[93] ; et in Hispania ad Tagum amnem, si vera scribunt Homerus, Varro, Columella, 90 Plinius et Justinus. Reposuimus autem « gallinæ, » pro « gallina. »

Pag. 129. *Post demum.* Ostendit incompossibiles ac incompatibiles prorsus esse Æones octonarii in eodem Pleromate; quoniam Sermo et Silentium simul stare non possunt; sicut lumen et tenebræ simul esse nequeunt.

Si autem Endiatheton Logon. Billius Græce : ἂν δὲ ἐνδιάθετον Λόγον εἴπωσιν. Id est: « Si autem intus conditum Sermonem dixerint. » Ἐνδιαθέτῳ λόγῳ Græci opponunt προφορικόν, hoc est, ut cap. 16 vertit interpres, « emissibile Verbum; » vel ut capit. 49, « emissionis Verbum; » vel denique, ut capit. 16, « prolativum, » etc. Vult ergo Irenæus etiam Sigen internam esse, si Logos sit interior; et ea propter neutrum posse dici emissum.

Emissiones. Expunximus « emissionis. »

Secundum autem id. Ostendit plures quam triginta Æones numerandos esse, si veræ sunt ab eis ordinatæ conjugationes. Etenim si Monogenes emisit Horum, postea quoque Christus, et Spiritus sanctus, et Soter prodierunt; jam sunt 34 Æones in Pleromate, non 30 solum.

Emissum enim. Initium est cap. 15 in vet. cod. cum argumento supraposito; quæ autem hic refellit, habentur lib. 1, cap. 1.

Hoc enim manifestum. Proverbialis hyperbole, sacris et profanis scriptoribus frequentissima, qua rem apertissimam et omnibus evidentissimam significant. Eusebius *Contra Hieroclem :* ἀλλὰ γὰρ καὶ τυφλῷ φασὶ δῆλον. « Sed etiam vel cæco perspicuum aiunt esse. » Utuntur quoque eadem Plato in *Sophista*, Homerus *Odyss.* octava, Quintil. libro duodecimo, Erasm. in *Chiliad.*

Si plus fuerit. Cod. excusi habebant, « ipsius fuerit.

Quærant igitur. Caput 16 hic signatur in veter. codic. cum proximo argumento, sed minus commode.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 15.

Pag. 129. *Hæc enim consumptibilia sunt invicem.* Ζυγὸς et λόγου antithesis omnibus est familiaris. Sic Gregorius Nazianzenus carm. 12, ad episcopos : Θύσω καὶ σιγὴν, ὡς τοπάροιθε λόγον. Et orat. 14, p. 216 : Οἱ τοῦ λόγου τοσαύτης ἐσμὲν σιγῆς μεστοί. Confer Pearsonii *Vindicias epistolarum S. Ignatii*, part. II, cap. 4.

Non est Endiathetos. Hæretici igitur fictitium suum λόγον statuerunt προφορικόν : sed catholici de vero Λόγῳ Filio Dei certa ratione negarunt. Sic Clemens Alexandrinus lib. v *Stromat.*, pag. 547, Ὁ γὰρ τοῦ Πατρὸς τῶν ὅλων Λόγος οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ προφορικὸς, σοφία δὲ καὶ χρηστότης φανερωτάτη τοῦ Θεοῦ. « Verbum enim Patris universorum non est hoc quod profertur, sed sapientia et bonitas Dei manifesta. » Et Cyrillus Hierosolymitanus catech. 4 Illuminatorum : Πίστευε ὅτι ἑνὸς Θεοῦ μονογενὴς εἷς ἐστιν Υἱὸς πρὸ πάντων τῶν αἰώνων Θεὸς Λόγος, οὐ προφορητικὸς εἰς ἀέρα διαχεόμενος, οὐδὲ λόγοις ἀνυποστάτοις ἐξομοιούμενος. « Crede unigenitum atque unicum unius Dei esse Filium ante omnia sæcula Deum Verbum, non prolatitium, inque aera diffusum, neque sermonibus hominum non subsistentibus simile. » Omnino enim tale Verbum naturæ Dei haud convenit, uti Joannes Philoponus observavit lib. VI *De mundi creatione*, cap. 4 scribens : Οὐ γὰρ προφορικὸν λόγον, τὸν ἅμα τῷ προελθεῖν λυόμενον, τῷ Θεῷ περιάπτειν θεμις. « Neque enim prolatitium verbum, quod simul ut profertur resolvitur, Deo accommodare fas est. »

Quem et Sotera dicunt. Istud Hori cognomen auctor noster lib. I, cap. 1, § 3 et 5, ubi sex ejus appellationes ex instituto recensel, prorsus tacuit; unde in notis ibidem id ex hoc loco addidi. Verumtamen animum subit suspicio, ne forte Græcus Irenæi textus hic corruptus, aut ab interprete haud recte lectus fuerit, voce σταυρόν, quæ inter alia Hori cognomina dicto loco exstat, et σωτῆρα inter se commutatis, quod per hujusmodi abbreviationem στρν, indeque unica solum littera α pro ν posita vel lecta, facile fieri potuit. Esto penes lectorem de hac conjectura judicium.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 16.

Pag. 129. *Et ipsum quidem.* Evincit vanam commentationem esse, quod Profundum et Cogitatio Mentem produxerint : cum ipsa cogitatio, quantumvis latens et abdita, potius a mente emittatur; sicut et Enthymesis, quam Intentionem alibi, et Consilium vocat, aliæque animi affectiones. Impium deinde ostendit, hominum affectus, motus et perturbationes Deo ascribere. Idem facit Lactantius lib. *De ira Dei*, cap. 15 et 16, quod et antea præstiterat auctor *Responsionum ad quæstiones orthodoxorum*, apud Justinum martyrem, quæst. 36 et 51.

Cap. 12. *Nus enim est ipsum.* Tertullianus libro *De anima*, de Nu, seu mente, ait : « Νοῦς apud Græcos, non aliud quid intelligimus, quam suggestum animæ ingenitum et insitum et nativitus proprium, quo agit, quo sapit, » etc.

Et fons universi sensus. Codices excusi, « et fons universis. »

Non capit igitur. Græca phrasis, qua non raro utitur, ut paulo post : « Et hæc quidem in hominibus capit dici. » Crebro quoque, qui controversiam Latine scripsit, Tertullianus, verbum ἐνδέχεται, sic imitatur, ut lib. *De resurrectione carn.*, lib. I, III et V *Contra Marcionem :* « corpus animale capit dici, » id est recipit hanc nomenclaturam, dignum est hoc nomine.

Pag. 130. *Incogitatu.* Delevimus « incogitate, » ut mox « sensu manente, » pro « sensum a mente, » reposuimus.

Prima enim motio. Initium est cap. 17 in veteri cod. cum epigraphe sequenti.

Hæc est autem Enthymesis. Docet porro Enthymesin, seu cogitationem ac intentionem, cum pene eadem sit cum Ennœa, id est sensatione et consilio, et a Nu, id est mente producatur, extra Plenitudinem non emitti. Igitur stare non possunt tam variæ Æonum emissiones.

Et hæc quidem. Variæ animorum affectiones, prolationesque successivæ, et alternantes recte et vere affirmantur de hominibus : Deum his obnoxium confingere, nefas.

Deum autem. Codices excusi, « Deinde autem, » et paulo post « Patrem » delevimus, et « Patri » reposuimus.

Si autem Scripturas. Locus insignis, quo docet passiones humanas in Deum non cadere : ac proinde Gnosticos turpiter hallucinari, cum his eum subjiciunt. In hanc rem legatur Cyrillus Jerosol. catech. 8.

Et simplex. Affirmat Deum esse omnino simplicem, id est omni compositione, sive ex materia et forma, sive ex genere et differentia, sive ex ente, modis et passionibus ejus, sive ex subjecto et accidente; hoc est, tam physica quam metaphysica carere; quod post Irenæum latius confirmant Clemens Alexand. lib. I *Pædagogi*, cap. 8; Origenes lib. VII *Contra Celsum;* Augustin. lib. VI *De Trinitat.*, cap. 6 et 7 et scholastici omnes. Porro Ὁμοιόκωλον « ni-

[92] Lib. contra Valent. [93] Lib. XXI De civit., cap. 5.

Digitized by Google

milimembrium» reddit pari tralatione, qua Paulus dicitur, «seminiverbius :» Deus enim membra, alterius a seipso rationis et formæ, non habet.

Cum sit sensus. Hanc sententiam frequenter inculcat, infra cap. 18 et 47 hujus libri, et lib. III. c. 8 et lib. IV, cap. 6. Indicat vero ea, quæ enumerat, non esse facultates, aut ab eisdem productas affectiones quasdam a natura Dei alienas, quemadmodum in creatis rebus. Recte igitur post Irenæum, VIII *De civitat. Dei* Augustinus[96] : « Deo non aliud est esse, aliud vivere; nec aliud illi est vivere, aliud intelligere; nec aliud intelligere, aliud beatum esse : sed quod est illi vivere, intelligere, beatum esse, hoc est illi esse. » Et lib. II[98] : « Deus Pater qui genuit, simplex est; et Filius qui genitus est, pariter simplex est; et hoc est illud de quo genitus est : sed ideo simplex dicitur, quoniam quod habet, hoc est. »

Si autem et in reliquis omnibus. Ita vet. cod., delevimus itaque, « et hominibus. »

Pag. 131. *A vivo is.* Expunximus « animus; » et mox « motiones » pro « animationes » restituimus.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 16.

Pag. 130. *Verbum rectissime appellabitur.* Λόγος ἐνδιάθετος scilicet dicebatur a philosophis, cujus et præcedenti capite fecit mentionem.

Ad loquendum eos. Πρὸς τὸ λαλεῖν αὐτούς, id est « ut ipsi loquantur, ac verba faciant. » Neque enim ea ex hominum ore procedunt, antequam præcesserit cogitatio, vel ubi res requirit, diuturnior deliberatio ac consultatio.

Similimembrius. Vocem ὁμοιόκωλος in Græco fuisse suspicatur Feuard., mihi ὁμοιομερής potius ab Irenæo dictus videtur Deus, utpote cujus pars, si qua dicenda, et totum prorsus eadem sunt.

Sensus. Νοῦς fuit in Græco, hic et postea sæpe, uti colligitur ex cap. 18, pag. 138, col. 1, lin. 26, aliisque locis, præsertim ex lib. I, cap. 6, ubi in hac ipsa sententia ὅλος νοῦς ab interprete redditur, « totus sensus. »

Sensuabilitas. Vox νόησις ab Irenæo usurpata videtur.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 17.

Pag. 131. *Si enim sensum.* Προβολάς istas, id est emissiones, projectiones, vel productiones, quas recensuerat initio capitis **91** primi libri primi, Deo neutiquam convenire ostendit, cum partitionibus non subjaceat : nec Logon seu Verbum emittat, quod a se divulsione quadam naturæ separetur. Sic et antea de Filio Dei docuerant sanctissimi alii martyres. Ignatius[99] : Ὡς ἐστιν αὐτοῦ Λόγος, οὐ ῥητὸς, ἀλλ' οὐσιώδης, οὐ γάρ ἐστι λαλιᾶς ἐνάρθρου φώνημα, ἀλλ' ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσία γεννητή. Id est : « Ille est ipsius (Patris) Verbum, non prolatum, sed substantiale : non enim locutionis articulatæ vox est, sed divinæ efficaciæ substantia genita. » Justinus[97] : « Intelligimus Filium e Patre prognatum, sicut lumen e lumine promicans. Nam hac imagine refertur et coæternitas, et essentiæ identitas, et passionis expers nativitas. » Et paulo post : « Non enim decisione, aut defluxu, aut divisione elucescit, sed ex ipsa essentia, sine ulla passione, procedit. » Et Tatianus ejusdem non malus aliquando auditor[98] : « Verbum a Patre genitum» profitetur, « οὐ κατὰ ἀποκοπήν, non per avulsionem, cum genitorem nunquam relinquat. » Accedit Tertullianus *Contra Praxean :* « Protulit Deus Sermonem, sicut radix fructum, et fons fluvium, et sol radium; nec frutex a radice, nec fluvius a fonte, nec radius a sole discernitur, sicut nec a Deo Sermo. » Origenem cum Valentinianis idem sensisse hac in re, quidam dudum voluerunt; at eos falsos esse, multis ejus allatis scriptis, dilucide evincit Pamphilus martyr, aut potius Eusebius, in *Apologia* pro eodem. Innumera istiusmodi Patrum testimonia, quibus cum Gnosticis recentiores Ariani convincuntur, consulto præterimus.

Emittentem radios. Delevimus « emittente ; » et paulo post « dicant, » pro « dicent, » legendum proposuimus ex vet. cod.

Si autem non emissum. Demonstrat Logon non esse extra Patrem emissum, a definitione emissionis sumpta ratiocinatione. Deinde, si intra Patrem emissus est, nec Patrem ignorare potuit, nec diminutionum passionibus subjacere; quod tamen ab illis affirmabatur. Porro autem, « quemadmodum, » pro « quomodo, » ut alias frequentissime usurpat.

Jam igitur. Exordium est cap. 18 in veteri codice, quod commodius ostendit argumentum affixum sequenti capiti, cujus priores sententiæ ab hoc sejungi non deberent, nisi duobus punctis. Cæterum, « ignorabunt, » pro « ignorabant; » et postea, « similitudine, » pro « similitudinem; » denique, « incidet, » pro « incidit, » vet. cod. auctor. legimus.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 17.

Pag. 131. *Emissio enim.... manifestatio.* Hinc S. Patres « missionem » Filii et Spiritus sancti quandoque per « manifestationem » explicant. « Nec Filii, nec Spiritus S. missionem localiter factam quisque debet Christianus intelligere; sed illo missionis nomine, opus intelligamus manifestationis indultæ, » ait Fulgentius, lib. II *Ad Monimum*, cap. 6. Et ante ipsum Severianus in homilia de æneo serpente, itemque de S. Trinitate, tom. VI Operum Chrysostomi, ex editione Frontonis Ducæi, pag. 58 : *Τί οὖν βούλεται τὸ, ἀπεστάλη; ἀντὶ τοῦ, διὰ σαρκὸς ἔλαμψεν.* Ἡ γὰρ ἀποστολὴ οὐ τὴν ἀπὸ τόπων εἰς τόπους μετάβασιν σημαίνει, ἀλλὰ τὴν ἐκ τῆς ἀοράτου θεότητος εἰς ἐμφανῆ παρουσίαν. « Quid igitur sibi vult illud, *Missus est?* pro eo, ac si dixisset, *conspectus est, in carne apparens nobis affulsit.* Legatio enim illa non ullam profectionem de loco in locum significat, sed ex invisibili deitate in aspectabilem præsentiam. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 18.

Pag. 131. *Quemadmodum.* Passiones, ignorantiam, vacuum, et emissiones, in Deum Patrem non cadere rursus confirmat, quod hæc mortalium propria sint; Verbi vero divini generatio a prolatione verborum hominum omnium recedat; vitam quoque Dei aliam non esse a mente et essentia ejus. Infert postremo pugnas, quibus inter se more omnium hæreticorum digladiabantur, et quasi mutuis cædibus corruebant.

Sensus emissione. Expunximus « sensu emissionis; » et paulo post, pro « conjuncti sunt in primo, » restituimus « convicti sunt in primo libro. »

Sed quoniam. Refutata prima Æonum conjugatione ac emissione, qua nugabantur Bythum et Sigen emisisse Nun et Alethiam; nunc secundam coarguit, ostendens passiones ab illis conflictas non cadere in Deum, sed hominibus tantum convenire; et Logon non sic emissum a Nu, ut blaterabant. Initium porro capitis decimi noni hic constituit codex manusc. cum infra posito argumento.

Pag. 132. *Et suo verbo.* Codices excusi, « et suum verbum; » paulo post quoque « præponere, » pro « præparare, » reposuimus.

Peccaverunt autem. Asserit Zoen, id est, vitam Dei non esse sexto loco constituendam in Plenitudine, sed potius primo : nec fingendum extra Deum emissam fuisse, cum ipse sit vita sua. Deinde, sub nomine Dei omnes ejus perfectiones, quales sunt incorruptio, veritas, sapientia, bonitas, etc., cum revera sint ipse Deus, omnino significari et comprehendi. Denique insipientissimorum hominum

[96] Cap. 6. [98] Cap. 10. [99] Ad Magnes. [97] Lib. de Trin. [98] Orat. contra Græcos.

Digitized by Google

esse putare, aut mentem, aut veritatem, aut Verbum Dei aliquo tempore vita caruisse.

De ea autem. Initium sequentis capitis vigesimi, cum sua epigraphe, hic constituit vetus codex. His autem evertit et eam emissionem, qua dicebant per conjugationem Hominis et Ecclesiæ duodecim Æones prodiisse. Idque facit ex mutuis pugnis et dissidiis Gnosticorum ministrorum, nec in hac re secum, nec cum ipsa veritate convenientium.

Hoc idem et in hujus ævi Gnosticis observandum esse non semel supra notavimus. Hic solum adjicio Tigurinos, in *Præfatione apologetica* ad Ecclesias Germaniæ reformatas, Lutheranis exprobrare, quod inter se nequaquam conveniant de peccato originali, de justificatione, de libero arbitrio, de Evangelio, de lege, de Christi ad inferos descensu, de ipsius persona, de cæremoniis, de filiorum Dei electione ad vitam æternam, et multis aliis fidei Christianæ articulis. Nec injuria exprobrant, quandoquidem sint inter illos, Lutherani alii molles, ut sunt Ienenses, Lipsenses, et Wirtembergenses; alii rigidi, ut Mansfeldenses, Tubingenses, Illyricani. Deinde sunt inter illos Antinomi, Osiandrini, Majoristæ, Flaccíani, Substantiarii, Accidentarii, Ubiquitarii; qui nullis hactenus colloquiis, nullis principum suorum edictis, nullis exsiliis, nullis denique scriptis potuerunt in concordiam coalescere. Hi iidem Tigurini, in fine *Orthodoxi consensus*, triginta sententias ex operibus Lutheri citant, de sola eucharistia, quibus probant eum turpiter dissentire ab iis, quæ ipsemet alibi scripsit ac docuit. Et ne suspectum sit horum tanquam adversariorum testimonium, aliud Osiandri Lutherani, in confutatione cujusdam scripti Melancthonis, sponte confitentis, viginti discrepantes esse sententias apud solos Confessionistas, de unico justificationis articulo.

Ac ne sibi blandiantur Calviniani, quasi secum belle convenirent, initio Dialogorum nostrorum, evicimus Anglicanos a Genevanis quindecim ad minus religionis capitibus palam dissidere; deinde, Calvinum et Bezam plusquam centum locis secum aperte pugnare. Manifestum est omnibus, de unica ista Christi sententia: « Hoc est corpus meum [99], » octoginta esse inter illos diversas interpretationes; nec unquam inficias ire poterunt, Vermilium a Beza in colloquio Pissiacensi dissensisse. Certe de baptizandis pueris adulterinis, usurpandisque nominibus Trinitatis ac personarum consubstantialium, contraria et pugnantia decernunt Poloni et Genevani. De omnipotentia Dei aliter sentiunt Heidelbergenses et Sabaudi. De descensu Christi ad inferos, de veterum Patrum limbo, voce *substantialiter* admittenda, et aliis multis Tigurini et Genevani non conveniunt. Et quorsum tot diversæ fidei confessiones, ut Tigurina, Genevana, Bezana, Gallica, Belgica, Anglica, in dies cuduntur et recuduntur, si unica est inter eos fides ac religio? Quot quibusque probris sese onerant et traducunt in Anglia Puritani et pseudoepiscopi? etc. Qui plura de his desiderat, consulere poterit Staphylum, Lindani tabulas, Jurgiewicium libro *De bello quinti Evangelii*, et collectam a Rescio *Ministromachiam*. Nos his paucis contenti sumus patefecisse, Hugnosticos nunc non minus inter se pugnare atque digladiari in paradoxis suis affirmandis, quam olim parentes eorum Gnostici mutuo dissenserunt.

Pugnant adversus invicem. Mutuas hæreticorum pugnas, tropæa Ecclesiæ catholicæ ultro parare, alias adnotavimus, fidemque rectam illustrari et confirmari illorum conflictationibus. Nam cum hæreses pleræque, ex incauta alterius hæreseos evitatione et insectatione oboriantur, ut de Ario apparet, qui Sabellii personas confundentis odio, in naturæ distractionem incidit; et Eutyche, qui Nestorii errorem fugiens, in naturarum confusionem incurrit: hinc fit, ut cum ingenio, eloquentia, et linguarum peritia aliquando valeant; in ea parte, qua adversam hæresim impugnant et orthodoxam fidem sequuntur, optimam et utilissimam operam navent Ecclesiæ. Hæc abunde explicat Vigilius martyr libro secundo et quarto *Contra Eutychen*; et non raro noster Irenæus.

Generationes intentionum. Quatuor has voces ex veter. codic. addidimus, expunximus «generationis.»

92 *Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap.* 18.

Pag. 132. *Lationem prolativi hominum verbi*, etc. Ad hos hæreticos queque quadrat, quod de aliis ait Origenes tom. 1 *Commen. in Joannem*, pag. 24: ὀλόμενοι προφορὰν πατρικὴν, οἱονεὶ ἐν συλλαβαῖς κειμένην εἶναι τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, « existimantes Filium Dei esse paternam prolationem, quasi in syllabis positam. »

Transferunt in Dei æternum Verbum, et prolationis initium donantes, etc. Bene notanda Irenæi sententia de æternitate Filii Dei, nullum habentis initium, e diametro Arianorum hæresi adversa.

Imo magis ipse Deus, cum sit Verbum. Hic ὁμοούσιον Verbi sive Filii Dei aperte statuit Irenæus, et ad Joan. 1, 1, alludit.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 19.

Pag. 133. *Multo verisimilius.* Quia malos fures superiori capite Gnosticos vocarat, furta illorum a tredecim philosophorum scriptis, isto fusissime retegit: in quibus nihilominus multo plura rectius tradita esse, quam in hæreticorum libris, pronuntiat. Utrumque frequenter et Tertullianus libro *Contra Hermogenem*, dum « philosophos hæreticorum patriarchas » appellat; et libro *Præscriptionum*: « Hæreses a philosophia subornantur, inde Æones, et formæ nescio quæ, et trinitas hominis apud Valentinum, Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus de tranquillitate, a Stoicis venerat. Et uti anima interire videatur, ab Epicureis observatur. Et ut carnis restitutio negetur, de una omnium philosophorum schola sumitur. Et ubi materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est. Et ubi de igneo Deo allegatur, Heraclitus intervenit. Eadem materiæ apud hæreticos et philosophos volutantur, fidem retractatus implicantur. » Et paulo post idem vetustissimus theologus ita scribit: « Quid Athenis et Jerosolymis? quid academiæ et Ecclesiæ? quid hæreticis et Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est, » etc. Idem rursus alibi [1]: Discede ab ethnico, hæretice; redde illi suos sensus, qui nec ille de tuis instruitur. Quid cæco duci inviteris, si vides? quid vestitis a nudo, si Christum induisti? quid alieno uteris clypeo, si ab Apostolo armatus es? » etc.

Nequaquam tamen putandum vel Irenæum, vel alios quosvis sanctos ac veteres theologos studia prohibere aut damnare philosophica; cum et ipsi peritissimi et acutissimi fuerint philosophi, probeque noverint disciplinas liberales ad cæterarum disquisitionem et tractationem necessarias et commodissimas esse: sed hoc in istis coarguunt et vituperant, quod artibus illis abuterentur ad subvertendam et opprimendam veritatem, quibus eam tutari et propagare debuissent. Sic et Paulus eos severe increpat [2], « qui veritatem Dei in injustitia detinent, et cum cognoverunt Deum, non sicut Deum glorificaverunt, » etc. Studia porro philosophica et humaniora impense commendant Clemens in *Strom.*, Basilius epistola ad nepotes, Hieronymus epistola ad Magnum.

Antiphanes. Ejus nominis varios refert Suidas, sed nulli eorum *Theogoniæ* descriptionem tribuit. Oportet igitur vel Antiphanem hunc poetam illum

[99] Matth. xxvi, 26; Marc. xiv, 22; Luc. xxii, 19.

[1] Lib. de resur. [2] Rom. 1, 18.

Digitized by Google

esse, cujus epigrammata exstant in *Florilegio* Planudis, et frequentes sententiæ apud Athenæum et Stobæum; quique natus Olympiade XCIII, comœdias 365, aut, ut alii volunt, 290 scripsisse, terdecies vicisse, atque in Chio obiisse fertur, annos natus 74. Vel certe pro Antiphane, contra omnium codicum fidem, legendum esset *Hesiodus*, quod Epiphanius indicare videtur de Valentino ita loquens: « Imitator Hesiodi *Theogoniæ*, qui ut fabulosa gentium poesi mundo illusit; sic et Valentinus aliis nominibus in alia transmutatis mundum decipere voluit, Hesiodum habens opinionis suæ fundatorem. » Hesiodum certe post Orpheum asseruisse chaos omnium esse rerum principium, ex ejusdem verbis copiose satis probat Eugubinus lib. I, capit. 10, *De perenni philosoph.* Lactantius scribit [5]: « Homerus nil nobis dare potuit, quod pertineat ad veritatem. Potuit Hesiodus, sed tamen nil dedit; non a Deo conditore sumens exordium, sed a chao; cum explanare ante debuerit chaos ipse unde, quando, quomodo esse cœpisset, » etc.

Pleroma, *Matris*. Codices excusi, « Pleromatis. »

Thales. Unus fuit ex sapientibus illis septem, qui eodem tempore in Græcia floruerunt, id est anno mundi 3366, si Hebræorum supputationi credimus; sin Theophili Alexand., 3035, Olympiade XLIII, quo tempore in Babylonem Judæi captivi, eversa Jerosolyma, abducebantur. Id vero docuisse de rerum principiis, quæ hic habet Irenæus, magno consensu scripserunt Justinus, Eusebius, Lactantius, lib. I, cap. 5; August. VIII *De civitat.*, cap. 2. Thaletis conjecturas affert Plutarchus in *Placitis*, quod semen omnium animantium humidum sit, nec alimentum sine humido constet, quin et astra ipsa putabat humoribus Oceani vegetari. Putarem ego vel traditione quadam, vel lectione librorum Moysis, aut certe oraculis Sibyllinis, quædam de rerum creatione illos tenuisse, de qua dicitur: « Spiritus ferebatur super aquas [6]; » et: « Producant aquæ reptile [7]. »

Homerus. A cæcitate id nomen consecutus est, cum prius Melesigetes diceretur. Patriam illius indicare operosum est, cum septem Græciæ urbes eum sibi certatim vindicent. Colophonii civem suum dicunt, Chii sibi vindicant, Salamini repetunt, Smyrnenses suum esse confirmant. Extat de ea re distichon hoc apud Gellium:

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ μίζαν Ὁμήρου
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφών, Σαλαμὶς, Χίος, Ἄργος,
[*Ἀθῆναι.*

Id est:

Septem urbes certant de stirpe insignis Homeri,
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Chius, Argos,
[*Athenæ.*

Multo minus de ætate ejus conveniunt, cum novem ea de re pugnantes referat sententias Clemens Alexand. primo *Stromatum*. Sententiam porro ejus de Oceano mari, præter superiores auctores, referunt etiam Theophilus Antioch. lib. II *Ad Autolycum*, et Athenagoras *Apologia pro Christianis*; ubi et Orpheum hac in re sequens, non amplius quam 400 annis ante se illum vixisse affirmat.

Anaximander. Thaletis auditor, et ejusdem patriæ fuit, quo sublato, ut nomine proprio sectam constitueret, multo absurdiora est commentatus; videlicet ipsum infinitum causam esse generationis et corruptionis omnium. « Ex ipso namque, ait, cœlos segregatos, cæterosque mundos infinitos, » et alia plura, quæ fusius descripserunt Plutarchus et Laertius; ex sacris Eusebius [8], et Justinus martyr *Oratione ad Græcos*, Augustin. VIII *De civit.*, cap. 2.

Anaxagoras. Clazomenius fuit, Anaximenis auditor, Socratis et Euripidis præceptor, Olympiade LXX, cum Xerxes in Græciam trajecit, genere, divitiis et philosophia clarissimus. Docebat autem, solem candens ferrum esse, Peloponeso majorem, hoc universum ita ex parvis similium partium corporibus compositum, ut aurum ex minutissimis ramentis constat; animantesque primo ex humore, calore, terraque manasse, postea ex invicem natas esse, mares a dextris, feminas a sinistris, ut scribit Laertius, cui post Aristotelem etiam astipulatur Justinus martyr *Orat. ad Græcos*. Cur vero ἄθεος et irreligiosus nominaretur ab Irenæo aliquantulum hæsi, quod non consentiret vel. cod., quodque Mentem divinam omnia composuisse docuisset, quod atheus non dixisset. At quæ subjicit Laertius, nodum solvunt, videlicet, ipsum a Cleone impietatis accusatum, quod solem laminam candentem, vel ut Augustino placet [9], lapidem ardentem, non Deum esse diceret: ideoque « quia non solem, sed Creatorem solis venerabatur, » addit Eusebius [8], « parum abfuit, quin sit ab Atheniensibus lapidibus obrutus. » His accedit Plutarchus, qui Euripidem deos gentium, Areopagitarum formidine, inficiari per se non audentem, Sisyphum et Anaxagoram id præstantes recensere fecit. Luciani etiam Timon Jovem fulmina in Anaxagoræ caput ejaculatum dicit, quod familiaribus suasisset, nullo pacto esse illos, qui dii vocarentur. His adde Velleium apud Ciceronem *De natura deorum*, sententiam Anaxagoræ istis verbis referentem: « Anaxagoras primus omnium rerum descriptionem et mundum Mentis infinitæ vi ac ratione designari et confici dicit; » Platonem denique in *Cratylo*, justum et plum judicantem, quod Anaxagoras Mentem ex se omnipotentem cuncta condidisse docuerit, etc. Ergo non Irenæi, sed quorumdam ethnicorum æmulorum judicio Anaxagoras ἄθεος nuncupatur.

93 Pag. 134. *Hoc autem*. Gnosticos arguit Irenæus, quia post philosophos, mundi fabricatorem mundum ipsum ex subjecta materia fecisse, dicerent: quod et ante eum fecerant Theophilus Antioch.[9] eo nomine Platonicos damnans; simul et Justinus [10], Platonem nominatim reum agens, quod Deum non ποιητήν, id est factorem, sed δημιουργόν, id est conditorem, qui condendi facultatem a materia habuisset, asserebat. Hos secutus Tertullianus, toto orationis impetu, eamdem sententiam amplexantem Hermogenem obruit, materiam illam affirmans ignotam esse prophetis, apostolis, imo et ipsi Christo. His accedit et Eusebius [11], adductis sententiis Dionysii Alex., Origenis, et Maximi, illos absque scelere non esse pronuntians, qui materiam primam ad fictionem totius, Deo subjiciunt.

Contra vero nihil frequentius nunc audiunt theologorum scholæ, quam Deum ex materia informi corporea omnia condidisse; in eamque sententiam pedibus et manibus feruntur Dionysius Areop., Tatianus, Lactantius, Augustinus, Theodoretus.

Conciliabuntur autem facile, si materiam illam Deo non esse coæternam, nec ingenitam, ut cum philosophis Hermogenes volebat, nec ex Achamoth Æonis errantis commentatione ortam, cum Gnosticis dixeris; sed a Deo opt. max. ex nihilo aliquando creatam, indeque formarum adjectione, omnia ab eodem condita fuisse cum Patribus senseris: quod non obscure indicat Irenæus cap. 10 et 11 hujus libri.

Hi qui ex Porticu. Zeno horum princeps nomen Zenoniorum principio sectæ dederat; at cum in

[5] Lib. I, cap. 5. [6] Gen. I, 2. [7] Ibid., 20. [8] Lib. I de Præp., cap. 5, et lib. XIV, cap. 5. [9] Lib. VIII de Civit., cap. 41. [8] Lib. XIV de Præp., cap. 5. [9] Libr. II ad Autolycum. [10] Orat. ad Græcos. [11] Lib. VII de Præp., cap. 8.

Digitized by Google

porticum, quæ Græcis στοὰ dicitur, frequentius ad disserendum convenirent, Stoica secta nuncupata est; quam etiam ad tempora B. Pauli durasse, ex Actorum libro certum est, quando concioni illius de resurrectione, Athenis sese opposuerunt. Inter horum paradoxa refert Laertius [12], quod unum Deum docerent, ipsumque Mentem, et Fatum, et Jovem, variis quoque aliis nominibus appellarent; partes quoque omnia penetrantes haberet, ob idque Græcis Δία vocari, quod in æthere distentum sit imperium ejus; Ἥραν vero, quod in aere; Ἥφαιστον, quod in artificiali igne; Ποσειδῶνα, quod in humore; Δημητράν, quod in terra. Laertio subscribit Euseb. lib. XIV *De præpar.*, cap. 6, et lib. XV, cap. 14. Adversus horum fatalem necessitatem, cui etiam Deum subjectum volebant, disserit Epiphan. contra hæresim quintam; et eo longe antiquior Justinus martyr *Apol.* 1, et infra non semel Irenæus.

Non extra Hesiodi. Hesiodus, libro qui inscribitur *Opera et dies*, Pandoram fingit omnium primam mulierem, Vulcani artificio, Jovis autem jussione fabricatam; quam singuli dii donis suis ornaverunt, Pallas sapientiæ, Venus formæ, Apollo musices, Mercurius eloquentiæ, indeque Pandoram dictam, quasi omnium donum, vel ab omnibus donatam, vel omnium rerum genere dotatam. Hujus fabulæ commentationem eleganter accommodat Nazianzenus adversus mulieres sese ambitiosius excolentes. Perstringit et Fulgentius libro secundo *Mythologiarum*.

Pandoron. Ita ex vet. cod. reposuimus; « Pandoram » expunximus.

A Cynicis. Antisthenis sectatores hoc nomine vocati fuerunt, sive a Cynosarge gymnasio; sive a canina mordacitate, qua nec diis, nec hominibus parcebant: aut, ut alii volunt, ab eo, quod canum more in propatulo coire non dubitarent, sicut de Crate et Hipparchia tradit Laertius [13], qui et Diogenem mulieres communes esse oportere, nihilque iniquum quodvis gustare animal, nec injustum humanis vesci carnibus, asseruisse scribit. Perstringit et Nazianzenus [14] Diogenis helluationes, et Cratetis de matrimoniorum communitate sententiam. Immunditia impudentiæ suæ, qua naturali verecundiæ reluctabantur, Cynicos nuncupatos affirmat quoque August. lib. *De nupt. et concup.*, cap. 22, quos et patronos libidinis vocat lib. IV *Contra Julianum Pelag.* Gnosticorum porro immunditias retulit Irenæus, lib. I, c. 1, 8, 9, 20, 23, 24 et 32.

Et minutiloquium. « Multiloquium et subtilitatem » habet cod. vet. Aristotelem suis assertionibus, ob subtilitatem, fidem ab omnibus haberi voluisse, et suæ eloquentiæ plus æquo confisum, omnibus aliis philosophis bellum indixisse, ante Irenæum Justinus quoque notaverat. Καὶ περὶ τούτων (ait *Orat. ad Græcos*) πιστεύεται ἑαυτὸν, διὰ δοκιμότητα φράσεως, ἀξιῶν. Queritur et Nazianzenus, « quod artium Aristotelis pravum artificium, et Platonicæ eloquentiæ præstigiæ, ut Ægyptiacæ plagæ, in Ecclesiam irrepserint. » Orat. de moderatione in disputationibus servanda. Damnat quoque Theodorus presbyter Severum hæreticum [15], quod « eum solum agnosceret præstantissimum theologum, qui scite se exercuisset in Aristotelicis categoriis, et reliqua supellectile externorum a Christo philosophorum. »

A Pythagoricis. Ante Irenæum Justinus [16]: « Pythagoras Samius, ait, Muesarchi filius, arbitratur principium, numeros, et mensuras, et horum concinnitates, elementaque ex utrisque composita: præterea unitatem, et infinitam dyada. » De his et Laertius fusissime.

Pag. 135. *Dicemus autem.* Initium est capitis 22 A in vet. cod. cum argumento infra ibidem posito.

Cognitio, habere. Vet. cod., « habere gloriam iniquam; » — « cognitionem habere, » legendum censerem, etsi nulli consentiant codices.

Per pithanologiam. Id est suadelam, vimque quamdam alliciendi suadendique.

Reliquarum emissionum. Expunximus « reliquorum » auct. vet. cod.

Frustra autem, et prout evenit. Billius observat hanc loquendi formam huic auctori frequentem esse, cui hæc Græca respondent, εἰκῇ δὲ καὶ ὡς ἔτυχε. Paulo post, ejusdem judicio, « Ainon » reposuimus, pro « Æonon. »

Et quemadmodum periclitata est perire. Similis locutio Jonæ I, 4, « et navis periclitabatur conteri, » καὶ πλοῖον ἐκινδύνευσε τοῦ συντριβῆναι. Hebr., « navis cogitabat conteri, » id est, periculum erat, ne contereretur. Ita et Quintilianus, « periclitatur rumpi. »

B Pag. 136. *Duodecim dii ipsorum.* De his strictim Lactantius lib. I, cap. 15, et eum secutus August. in *Civitate Dei*, ex Varrone. Dii majorum gentium vocantur a Cicerone, qui ad imitationem reipublicæ Romanæ (cui duodecim Patres Romulus præfecerat) Consentes appellantur. Ennius illos versibus istis enumerat:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Conjunxerunt etiam illos per conflicta matrimonia, sicut et postea Gnostici suos Æones, ut hoc modo convenirent: Jupiter et Juno, Mars et Venus, Mercurius et Minerva, etc. Finxerunt enim alios plurimos esse deos ministros et populares, ut tradit Lactantius lib. I, capite tertio et quinto.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 19.

Pag. 135. *Antiphanes in Theogonia.* Sine dubio est Antiphanes iste, cujus Ἀφροδίτης γονὰ citantur ab Athenæo pag. 487 et 666 seq.

C *Veterem.... inutilem.* Similiter adversus alios hæreticos, inveteratarum ac inutilium Judaicarum fabularum sectatores, scribit S. Ignatius *Epist. ad Magnesianos*, § 8: Μὴ πλανᾶσθε ταῖς ἑτεροδοξίαις, μηδὲ μυθεύμασι παλαιοῖς ἀνωφελέσιν οὖσι. « Ne seducamini falsis doctrinis, neque fabulis veteribus, quæ inutiles sunt. »

Epicuro. Epicurum anno tertio CIX olympiadis, septem annis ab obitu Platonis, natum scribit Laertius, lib. X *De vitis philos.*, et lectis Democriti libris, postmodum philosophiæ operam dedisse, librosque *De atomis* edidisse. « Scripsit etiam, » subjicit Laertius, « infinita volumina, adeo ut illorum multitudine cunctos superarit; inter quæ optima ea putat, quæ sunt *De atomis*, et *Vacuo*. » Laertio [subscribunt Justinus *Orat. ad Græcos*, et August. lib. VIII *De civit. Dei*, cap. 5. Democritus, quem Irenæus subjungit, principia, atomos, et inane opinatus est, influitosque mundos generationi et corruptioni obnoxios. Atomos quoque magnitudine et numero infinitos ferri in toto, ac rotari, atque ita concretiones omnes gignere. Eadem ante Democritum, Leucippum asseruisse tradit Aristoteles I *De generat.*

D *Plato vero rursus materiam dici*, etc. Apuleius lib. I *De doctrina Platonis*: « Initia rerum tria arbitrabatur Plato, Deum et materiam, rerumque formas, quas ἰδέας idem vocat. » Cyrillus lib. II *Contra Julianum* ante medium: Καὶ πάλιν ὁ μὲν δὴ δεινὸς καὶ διαβόητος Πλάτων τρεῖς ἀρχὰς εἶναι τοῦ παντὸς διορίζεται, Θεὸν, καὶ ὕλην, καὶ εἶδος· καὶ Θεὸν μὲν εἶναί φησι τὸν ποιητήν· ὕλην δὲ τὸ ὑποκείμενον· εἶδος δὲ τὸ ἑκάστου τῶν γινομένων παράδειγμα. « Rursus sapiens ille Plato et omnium prædicatione celeberrimus tria principia universi

[12] Lib. VII. [13] Lib. VI. [14] Orat. in laudem Heronis. [15] Isagoge in Anastasium Antiochenum. [16] Orat. ad Græcos

Digitized by Google

constituit : Deum, materiam et ideam. Deum opificem esse asserit; materiam, subjectum; ideam vero, exemplar cujuscunque eorum quæ fiunt. » Quæ descripsit fere ex Justini martyris *Parænesi ad Græcos*, pag. 5 edit. Sylburgii. Confer Menagii Notas ad lib. III Diogenis Laertii, num. 69.

Pag. 134. *Propter generositatem.* Se « spirituales » a matre Achamoth natos, et « semina electionis » esse gloriabantur insani isti homunciones. Atque hæc erat ipsorum « generositas, » Græce εὐγένεια, ut ex veteribus glossis colligo. Eadem vox usurpatur a Tertulliano lib. IV *Contra Marcionem*, cap. 5, ubi Ecclesias ab apostolis fundatas, per successionem episcoporum, probari docet : « Sic, inquit, et cæterarum (Ecclesiarum) generositas recognoscitur. » Et lib. *De carne Christi*, cap. 9 : « Quomodo, inquam, contemni et pati posset, sicut dixi, si quid in illa carne de generositate cœlesti radiasset. »

Cum sint cum eis ejusdem testamenti. Græce διαθήκης, id est συνωμοσίας. Ita enim Hesychius in *Lexico* : Διαθήκη, συνωμοσία· ἐνικῶς, οὐ πληθυντικῶς τὰς διαθήκας ἔλεγον. « Testamentum, » id est, « conjuratio, » vel sodalitium (nam et Plato lib. II *De republ.* ξυνωμοσίας καὶ ἑταιρείας jungit). « In singulari, non plurali διαθῆκαι dicuntur; » in hac scilicet significatione.

A Pythagoricis. Ante Irenæum Justinus *Orat. ad Græcos* : « Pythagoras Samius, ait, Mnesarchi filius, arbitratur principium, numeros, et mensuras, et horum concinnitates, elementaque ex utrisque composita : præterea unitatem, et infinitam dyada. » De his et Laertius fusissime. FEUARD. Ubi obiter notandum, citata Justini verba, ut et plura, quæ præcedunt de variis philosophorum, circa rerum principia, sententiis, ex Plutarchi lib. I *De placitis philosophorum*, cap. 3, quod est περὶ ἀρχῶν, τί ἐστιν, petita esse. Ita enim hujus verba sonant : Πάλιν δὲ ἀπὸ ἄλλης ἀρχῆς Πυθαγόρας Μνησάρχου, Σάμιος... ἀρχὰς τοὺς ἀριθμοὺς, καὶ τὰς συμμετρίας τὰς ἐν τούτοις, ἃς καὶ ἁρμονίας καλεῖ, τὰ δὲ ἐξ ἀμφοτέρων στοιχεῖα, καλούμενα δὲ γεωμετρικά. Πάλιν δὲ τὴν μονάδα καὶ ἀόριστον δυάδα ἐν ταῖς ἀρχαῖς. Quæ a Justini textu pag. 3 edit. Sylburg. in fine nihil fere discrepant, nisi quod hic συμμετρίας et ἁρμονίας numerorum distinctas faciat, cum Plutarchus ut synonyma ista acceperit.

Et initium ipsorum parem et imparem. Similiter Aristoteles lib. I *Metaphysicorum*, cap. 5, Pythagoreorum sententiam exponit his verbis : Φαίνονται δὲ καὶ οὗτοι τὸν ἀριθμὸν νομίζοντες ἀρχὴν εἶναι..... τοῦ δὲ ἀριθμοῦ στοιχεῖα τὸ ἄρτιον καὶ τὸ περιττόν· τούτων δὲ τὸ μὲν πεπερασμένον, τὸ δὲ ἄπειρον. « Videntur etiam isti numerum existimare principium esse... numeri autem elementa par et impar, quorum alterum finitum, alterum infinitum faciunt. » Par scilicet infinitum, finitum vero impar, ut ex mox dicendis patebit.

Ex quibus et ea, quæ sensibilia, et insensata sunt, subjecerunt. Ἐξ ὧν καὶ τὰ αἰσθητὰ, καὶ τὰ ἀναίσθητα ὑπετίθεντο. « Ex quibus tam sensibilia, quam ea quæ sub sensum haud cadunt, esse supponunt. » Sensibilia autem sive visibilia ad parem, insensata sive invisibilia ad imparem numerum referenda esse, patet ex verbis Aristotelis lib. III *Physicorum*, cap. 4, § 4 : « Pythagorei ponunt infinitum in rebus sensibilibus, ἐν τοῖς αἰσθητοῖς, quia numerum haud statuunt separatum : atque asserunt id quod est extra cœlum, esse infinitum, καὶ εἶναι δὲ τὸ ἔξω τοῦ οὐρανοῦ ἄπειρον. » Atqui mox § 5 subdit : Καὶ οἱ μὲν τὸ ἄπειρον εἶναι τὸ ἄρτιον. « Et illi quidem infinitum » aiunt « esse par. » Confer Themistium, Simplicium, Philoponum, aliosque in hunc locum commentatores. Quibus accedit Eustrathius in lib. I *Ethic.* : Δύο συστοιχίας ὁ Πυθαγόρας ἐξέθετο, μίαν μὲν ταύτην πέρας, περιττόν· ἑτέραν δὲ ταύτην ἄπειρον, ἄρτιον. « Duos ordines statuerat Pythagoras : unum quidem finitum, impar; alterum vero infinitum, par. » Cum itaque ex Pythagoreorum sententia, par ac infinitum coincidant, infinitum autem in rebus sensibilibus exsistat, ex pari sensibilia, ex impari insensibilia ortum duxerint necesse est.

Ex altera quidem substitutionis initia esse; altera autem sensationis et substantiæ. Locum hunc difficillimum sicco pede transiit Feuardentius, nec hisce obscurissimis ullam attulit lucem : an aliquam afferre queam, tentabo. Per « sensationem » et « substantiam, » designata mihi videtur « materia; » per « substitutionem » vero, « forma » rerum. Nam, nullo verbo interposito, sequitur : « Ex quibus primis omnia perfecta dicunt, quemadmodum statuam de æramento et formatione. » Et quidem « materiam » inde « sensationem, atque substantiam » dictam patet, quod ea sit sensibilis et subsistens; unde vero « formæ » nomen « substitutionis? » Posset forte cuipiam hanc rem cogitanti, in mentem venire, quod pro οὐσίᾳ, « substantiam » dixerit interpres, pro ὑποστάσει vero, « substitutionem; » quodque nomen ὑποστάσεως formæ datum sit, quia illa dat esse rei, uti scholastici loquuntur, et rem facit proprie ὑφιστάνειν. Neque enim, ut Alexander in lib. II Aristotelis de anima scribit, ἡ ὕλη αὐτὴ καθ' αὑτὴν ὑπόστασιν ἔχειν δύναται, ὅτι μηδέπω εἶδός ἐστιν ἐν αὐτῇ. Sed huic conjecturæ obstat, quod interpres ὑπόστασιν semper voce « substantiæ » expresserit, quodque lib. V, cap. 36, hæc verba : οὐχ ἡ ὑπόστασις, οὐδὲ ἡ οὐσία τῆς κτίσεως ἐξαφανίζεται, reddiderit : « Non enim substantia, neque materia conditionis exterminatur. » Et hoc igitur loco οὐσίαν ac ὑπόστασιν ita Latine vertere in promptu erat, nec necesse obscuro « substitutionis » vocabulo uti. Alia itaque opus est conjectura. Suppeditat eam vetus Glossarium, quod inspicienti mihi occurrit « substitutio » ὑποκατάστασις, indeque suspicio incidit, in Græco textu, loco « substantiæ, » vocem ὑποστάσεως, loco « substitutionis » vero, ὑποκαταστάσεως exstitisse, ut adeo παρονομασίᾳ luserit Irenæus, vel secta Pythagoricorum. Formæ vero rerum materialium sublunarium Pythagoreis ideo forte ὑποκαταστάσεως nomine appellatæ sunt, quod hæ expressæ ipsis viderentur, secundum speciem supernarum καταστάσεων, id est formarum, sive idearum. Hæc enim synonyma sunt, ac proinde Galenus lib. I *De crisibus* ait, Hippocratem τῶν νοσημάτων καταστάσεις vocasse οἷον τὰς ἰδέας αὐτῶν. Meliora si quis afferat, ea, hisce missis, libenter acceptabo.

Ex quibus primis. Id est materia et forma, tanquam primis rerum principiis.

Hoc autem ii his, qui sunt extra Pleroma, plasserunt. Hæc enim inferiora omnia ex materia et forma componuntur.

Sensationis autem initia dixerunt, in quem, etc. Textus hoc loco corruptus, ita videtur corrigendus : « Sensationis autem initia dixerunt, in quantum » (Græce ἐφ' ὅσον pro « in quem; » nam utraque vox eodem fere modo abbreviata in quibusdam mss. occurrit) « sensus intelligens » (omisso « est; » Græce διάνοια συνιεῖσα) « ejus quod primum assumptum est, quærit quoadusque defatigatus (pro « defatigata »), ad unum et indivisibile concurrat. » *Defatigata* autem ex Græco καταπεπονημένη, vel κεκοπωμένη posuit interpres, velut oblitus, quod præcedentem Græcam vocem διάνοια Latina masculini generis verterit. Cæterum hæc Pythagoreorum effata respondere videntur istis hæreticorum hypothesibus, quibus originem materiæ deducebant ex temeraria inquisitione primi Patris, et inordinata Enthymesi, sive intentione magnitudinem illius comprehendendi, qua Sophia laboravit, extra Pleroma ejecta, et recepta tandem, nihilominus post se pravam istam intentionem reli-

Digitized by Google

quit, ex qua Creatorem mundi, et post eum creaturas ab eo conditas prodiisse insani homines fingebant. uti cap. 1 lib. 1 prolixe expositum legitur.

Pag. 135. *Vocum novitates.* An interpres ex Irenæi Græco καινοφωνίας, vel pro more ex veteri Latina Bibliorum versione « vocum novitates » posuerit, ambiguus hæreo. De hac fidem abunde faciunt, post Tertullianum *De præscript. adversus hæreticos*, cap. 16, Ambrosiaster *Comment. ad I Timoth.* VI; Augustinus tract. 97 in Joannem, aliique Latini. De Græco autem tam S. Pauli quam Irenæi textu dubium videri posset. Fuere enim Græci Patres, qui καινοφωνίας legerunt, interque hos Chrysostomus, de quo Œcumenius et Theophylactus ambo ad hunc locum Pauli scribunt : Ὁ μακάριος Ἰοάννης τὰς νεωτέρας παραινέσεις καινοφωνίας εἶπε, διὰ τῆς αι διφθόγγου τὸ και γράφων, ὡς ἔοικε. « Beatus autem Joannes recentiores admoniliones dixit vocum novitates, legens, ut videtur, καινοφωνίας per αι diphthongum in prima. » Ac licet apud Chrysostomum loco citato, in editis nostris exemplaribus legamus καινοφωνίας, ipsum tamen scripsisse, vel legisse καινοφωνίας, præter citatos auctores, id plane confirmat, quod in loco parallelo ad II Timoth., cap. II, v. 16, tam in textu quam in Commentario καινοφωνίας expresserit. Fieri igitur potuit, ut et S. Irenæus ita legerit, scripserituque. Quidquid vero de Irenæo statuatur, in epistola B. Apostoli genuinam esse lectionem καινοφωνίας, quam post Clementem Alexandrinum, loco mox citando post Œcumenium et Theophylactum, in vulgatis exemplaribus Græcis nos agnoscimus, omnes largientur, puto, qui hunc locum contulerint cum altero Coloss. II, 8 : Βλέπετε μήτις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης. Ubi licet in Alexandrino codice iterum καινῆς legatur, per errorem tamen librarii id factum patet; ex quo, et supra citato in loco variam lectionem ortam esse, mihi nullum est dubium.

Falsæ agnitionis. Irenæum apostolicam phrasin ψευδωνύμου γνώσεως, quam alias in ipso hujus operis titulo expressit, 95 hoc quoque loco retinuisse existimo, licet vetus interpretatio non « falso nominatæ, » sed « falsæ » agnitionis habeat, quasi ψευδοῦς in Græco fuisset. Confer Præfationes libri IV et V. Cæterum notatu digna est Clementis Alexandrini observatio lib. I *Stromatum*, pag. 383, ubi citatis Apostoli verbis hæc subdit : Ὑπὸ ταύτης ἐλεγχόμενοι τῆς φωνῆς οἱ ἀπὸ τῶν αἱρέσεων, τὰς πρὸς Τιμόθεον ἀθετοῦσιν Ἐπιστολάς. « Cum ab hac voce redarguantur hæretici, Epistolas ad Timotheum abrogant. » Id quod de Marcione constat ex Tertulliani lib. V adversus hunc hæresiarcham in fine, et Epiphanii hæres. 42. Neque mirum : quippe eum aperte feriebat prophetia Apostoli I Timoth. IV, 1 seqq.

Ex his, qui in labe facti sunt, Æonibus habuisse substantiam. Atqui, dices, Soter, sive Jesus, ex omnibus Æonibus substantiam habuit; Christus a Monogene Propatoris originem cepit; aut sola Sophia, ultimum inter triginta Æones locum tenens, in labe facta est, et pœnam inquisitionis incogniti Patris debitam sustinuit : quomodo ergo hic omnes Æones, ipseque Monogenes, in labe facti dicuntur? Responsionem suppeditant, quæ leguntur supra pag. 10 (8) : « Quæ (passio, qua Sophia laborávit) exorsa fuerat in iis, quæ sunt erga Nun et Alethiam; derivavit autem in hunc Æonem, id est Sophiam. » Confer infra cap. 24. Et Nus itaque cum reliquis Æonibus, hujus passionis sive labis quodammodo participes fuere.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 20.

Pag. 136. *Revertamur.* Initium est cap. 23 in vetteri codice cum argumento infra posito. Urget autem crebris percontationibus Gnosticos, ut rationem reddant de Æonum emissionibus, numeris, imaginibus, et partitionibus; ut vel hujus penuria confusi, conticescant; vel absurdiora comminiscentes exsibilentur.

Et diem duodecim horas. Undecim has voces ex vet. cod. adjecimus.

Prima et archegonos. Quærit quamobrem octo tantum Æones in principali Pleromatis conjugatione ac emissione constituerint, nec plures, nec pauciores; cum et numerus ternarius, quinarius, et septenarius suis mysteriis non careant? Deinde, cur non etiam ex conjugatione Logi et Zoes, nec plures nec pauciores quam decem prodierint? Denique, qui fit, ut Anthropos et Ecclesia duodecim tantummodo pepererint? Horum rationes, aut solidas probationes cum afferre non possent, concludit plane anilia esse deliramenta.

Qui sunt conditionis. Hoc nomine hic, et in sequentibus frequentissime, omnes species inferne creatas et visibiles intelligit. Ita et Tertull. libr. *De resur. carn.* : « Impii ipsam conditionem colunt adversus Creatorem. »

Apta est rhythmisatio. Plura de hoc nomine disserit August. lib. III et V *Musicæ* : sed hic tantum voce ea illam superstitiosam Æonum et emissionum enumerationem Irenæum velle significare puto.

Enarrabunt, vel in eum descendent. Ita legimus ex veter. cod. Delevimus autem « enarrarent » et « descenderent. » Et paulo post, « ejusmodi figuræ, » pro, « figura. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 21.

Pag. 137. *Si autem nulli.* Tam frequens Gnosticorum pleroma, ex propria ipsorum dispositione evertit, ad immensas idearum ideas illos adigens : simul Basilidis de cœlis 365 mataeologias et commenta, quæ lib. I, cap. 22 et 23, enarraverat, quasi per transennam confutat, pie tandem colligens longe tutius et salubrius esse, in unius et solius Dei confessione permanere, quam tanta impietatum examina confingere.

Perfecit esse. Codices excusi, « perfecisse. »

Sicut passus est Basilides. I. e. quod Basilidi accidit.

Quoniam. Quantus sit numerus sphærarum cœlestium, parum inter se conveniunt philosophi et theologi. Unicam vult Chrysostomus; duas Origenes; de tribus non ambigit Damascenus; quosdam quatuor, alios septem, multos octo constituisse, testis est Augustinus, XII *De Genesi*, cap. 30, nonam addere Ptolemæo et Alphragano visum est; Alphonsus, Lignerius, et Regiomontanus experientia et ratione moti, decimam adjiciunt; magna nunc confidentia theologi his undecimam connectunt; quam a lucis fulgore, empyreum cœlum appellant. Gnosticis propior accedit Aristoteles, qui XII *Metaphysices*, 47, aut 55, cœlestes orbes esse per se motos, totidemque motores admisit. Nos interea dum conciliabuntur, Augustino obsecuti [17], illuc potius satagemus pervenire.

In aliquo uno. Græce, ἐρείδειν τὸν νοῦν, id est, mentem statuere ac figere.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 22.

Pag. 137. *Etenim hoc quod.* Sic legendum docet vetus codex; quapropter sustulimus, « hi qui. » Initium porro hujus capitis est pars dilemmatis præcedentis. Ideoque a superiore dirimendum non fuisse, cum veter. codic. indicat et epigraphe supra posita. Complectitur autem quid Valentiniani, catholicis; Basilidis sectatores, Valentinianis; et utrisque rursus, alii objiciebant. Investigat deinde, uniti, an divisi; ejusdem substantiæ participes, an alterius; tempore eodem, an diverso; ejusdem formæ, an differentes; simplices, an compositi

[17] In psal. XXXII.

Digitized by Google

emissi fuerint conflicti illi Æones; responsionum A partes omnes eadem opera refellens.

Pag. 138. *Perseverant. Ejus igitur.* Codices excusi omnes habebant, « perseverant ejus. Igitur quæ sunt secundum, » etc.

Hujus rei. Indicat se pii alicujus haud dubie et catholici pastoris precibus, et adhortatione hanc in Gnosticos scribendi provinciam suscepisse; cujus rei quoque meminit præfatione in librum primum; et apertius initio libri quinti.

Et quoniam. Hic signatur caput 24 in vet. cod.

Quæritur igitur. Jam crebris et acutis interrogationibus Gnosticos urget; quas cum nequeant solvere, recte concludit inania et exsibilanda esse figmenta, quæcunque de Bytho, Pleromate et conjugationibus Æonum fabulabantur. Cæterum, « utrum, » pro « verum; » et « partiliter, » pro « pariter, » auct. vet. cod. restituimus.

Jam igitur. C. 25 cum sua epigraphe notat vet. cod.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 23.

Pag. 138. *Si autem velut.* Ex ortu, successione, ætate, substantia, et passionibus Æonum, colligit fictitios esse; proinde, illis omissis ad unum omnium rerum principium redeundum.

Juvenius. Νεώτερον, « recentius, posterius. » Comparativis istiusmodi non raro utitur, ut supra, cap. 19 : « Novius aliquid. » Et proximo capite : « Juvenior aliquis. » Et cap. 33 : « Qui est decorior. » Homini Græco, Latine scribenti, hæc facile condonantur : quanquam etiam apud Columellam lib. IX, cap. 11, legatur « Juvenius examen. »

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 23.

Pag. 138. *Velut a lumine... velut a facula faculæ.* Eadem similitudine Filii Dei a Patre generationem illustrarunt Justinus martyr in *Dialogo cum Tryphone Judæo*, pag. 284 et pag. 358, eumque imitatus est non modo pseudo Justinus in *Expositione fidei*, pag. 380, sed et genuinus ejus discipulus Tatianus C in *Oratione ad Græcos*, pag. 145, ac Athenagoras in *Legatione pro Christianis*, pag. 27. Unde nihil novi statuerunt Nicæni Patres, dum Filium Dei dixerunt, « Deum de Deo, lumen de lumine. » Merito quoque addiderunt ὁμοούσιον Πατρί, perinde ut Irenæus noster ex eo, quod « Æones a Logo, velut lumina a lumine accensa » dicuntur, collegit, quod « ejusdem substantiæ sint cum principe emissionis ipsorum. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 24.

Pag. 138. *Labes igitur ejus.* Convincit impia et insana esse deliramenta illa de labe ignorantiæ, producta a primo Patre, cum in eum ignorantia non cadat; simulque de junioris Æonis ementita ab ipsis passione et aporia; quando ejusmodi passionum Deus sit expers, ejusque Verbum, et Sapientia, ut Deus est; quin potius ipsi una cum fictitia Matre in profundum ignorationis demerguntur, et suis ipsi verbis blasphemare convincuntur.

Pag. 139. *Et si quis stellas dicat eos.* Auctoritate veter. cod. expunximus, « quas stellas dicant. » Sensus autem est : Etiamsi suos Æones stellas esse dixerint, nihilominus ejusdem erunt genere substantiæ : sicque omnes, aut patibiles aut impatibiles, lucidi vel obscuri.

Si autem impium. Impietatis eos arguit, quod Deum Patrem omnium passionibus et molestiis subjicerent, quam blasphemiam instaurare conati sunt Patri-passiani; a quibus nostro sæculo non abhorruit Lutherus, dum lib. *De conciliis*, refert sibi negotium fuisse cum quibusdam Nestorianis, « eo quod divinitatem Christi (quæ a Patre alia non 96 est) pati non posse, adversus seipsum assererent. » Eam igitur pati posse Lutherus volebat, quod Gnosticam impietatem plane redolet.

Si omnes erant. Expunximus « erunt, » auct. vet. cod.

Sed Nus Pater. Lactantius lib. I, cap. 5, Deum puram mentem et esse, et dici etiam ab ethnicis probat ex hoc loco Cic.[16]: « Nec Deus, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam, et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens. »

Non igitur jam Logos. Errorem hunc, quo Filium Dei Patrem ignorare contendebant, Origenem postea amplexum esse, citatis ejus verbis, ait Epiphanius; quo tamen eum liberare conatur Pamphilus martyr seu Eusebius, in *Apol.*, vultque a sycophantis virus istud in ejus opera effusum, ut tanti hominis famam obscurarent, vel hæreses suas latius spargerent.

Non capit igitur. Οὐκ ἐνδέχεται, id est fieri non potest. Ut et cap. 7 hujus libri, « aut umbram capiet. » Et cap. 16 : « In hominibus capit dici. » Et alibi non raro.

Cum sit a tali. Delevimus, « at illi, » auct. vet. cod.

Præter has autem. Initium est capitis 26, in vet. B cod. cum suo argumento.

Pag. 140. *Quacunque.* Expunximus, « quandocunque. »

In quem capiunt. Vetus codex, « in quæ; » cui et Græcus B. Petri contextus concordat, εἰς ἃ; sicque legunt Œcumenius, et alii Græci omnes. Utramque lectionem Com. nostris in primam D. Petri Epist., unde hoc testimonium sumptum est, amplectimur et explicamus.

Et quemadmodum. Perpetuo fere pro, « quomodo. » Docet autem vere deliram et stolidam esse eam prolationem ignorantiæ Æonum, quam a cæci nati petebant historia. Insuper, eos omnino perversos et excæcatos esse, qui causam mali ac supinæ hominum ignorantiæ, divinæ tribuerent voluntati.

Inincusabilis erat, qui non poterat. Ita vet. cod.; excusi habebant, « inexcusabilis erat, quoniam. »

Per emissionem. Codices excusi, « permissionem. »

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 24.

Pag. 139. *Quomodo a sole radios.* Eodem inter alia simili, ad declarandam Filii a Deo Patre generationem, usus est Tertullianus lib. *Contra Praxean*, cap. 8 : « Nec dubitaverim dicere Filium, et radicis fruticem, et fontis fluvium, et solis radium, » etc.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 25.

Pag. 141. *Quomodo autem.* Ostendit divinam sapientiam nec ignorantiæ, nec deminutionibus, nec passionibus ullo pacto expositam esse, cum hæc inter se pugnent; nec Ἐνθύμησιν ejus, quam « excogitationem » vocat Tertullian., vel « intentionem, » ut habet Irenæi interpres, ab ea separari posse. De hac Enthymesi habes supra, lib. I, cap. 1, et lib. II, cap. 10 et 11, infra quoque frequenter.

Sophiam passam Æonem. Ita vet. cod.; excusi, « Sophiam passam Æonem. »

Quomodo autem. Caput 28 signatur in vet. cod. D cum summa, quæ infra ascribitur. Docet vero bonam intentionem, seu, ut Tertull. loquitur, « excogitationem, » cum scelerata in eodem animo, et ad idem objectum simul stare non posse. Item, non posse seorsim ab intellectu consistere. Igitur prorsus delirum et impossibile esse illud omne, quod de Enthymesi sunt nugati. Restituimus vero, « ipsa autem, » pro, « ipsum autem : » quoniam de Enthymesi disseritur, quæ cum sit accidens, non potest actu esse, nisi in subjecto.

Esset passibile. Codices excusi, « est et passibile; » et paulo post pro « dictus, discens » reposuimus, vet. cod. auctoritate.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 26.

Pag. 141. *Quemadmodum igitur.* Probat Enthymesin, id est cogitationem, vel intentionem separatam τὰ πάθη non recipere. Deinde disserit cur

[16] Tuscul. I, 27.

Digitized by Google

Christus dixerit apostolis : « Quærite et invenietis[19], » de quo super., infra quoque abundantius c. 28 et 53.

Quod suasi sint. Ita vetus cod. : excusi, « eo quod ipsa sint. »

Quemadmodum. Ter hoc capite, et alias frequenter, vocabulum istud pro, « quomodo, » vel « quo pacto » usurpat.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 27.

Pag. 141. *Quemadmodum.* Verba ista jungenda esse superioribus, contextus ipse, cum veter. cod. qui vocem « enim » non habet, non obscure indicat. Contendit juniorem illum Æonem pati non potuisse, quæ fingebant, si spiritalis esset substantiæ; quod nonnisi inter similes fuerit diversatus.

Assueta. Delevimus « assumpta, » auct. vet. cod., ut paulo post, « emissus, » pro « emissum » restituimus.

Apud comicum Menandrum. Hunc a Theophrasto comicum institutum fuisse olympiade CXIV, auctor est Laertius; mente autem acutum, sed strabum, et insani in mulieres amoris addit Suidas; octoginta fabulas, comœdias centum et quinque eum edidisse tradit Apollodorus; antiquorum autem poetarum furem insignem vocant Eusebius et Porphyrius; cujus rei gratia ab Aristophane admonitus fuit. Multa ex illius scriptis Justinus et Clemens Alexandr. suis interserunt.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 28.

Pag. 141. *Super hæc quoque.* Probat Æonis fictitiam esse ac impossibilem passionem; cum et ipsi super Patrem omnium tam impie quam inaniter inquirentes, perfici se, non pati fateantur.

Quærite et invenietis. Locum hunc ambitiosius jactitabant hæretici, indeque apostolis et Ecclesiæ non omnia, quæ ad salutarem doctrinam spectabant, aperta esse, contendebant; ut quod unusquisque eorum postea somniasset, se juxta Dominicum præscriptum investigasse et comperisse venditaret. De hoc adnotavimus in primum cap. lib. I.

In passionem recidisse. Per Æonem istum, quem capite primo lib. I Gnostici dixerunt in tantas angustias et consternationes conjectum fuisse, ut a superno lumine derelictus, et ἀπορία, id est desperatione fractus exclamaverit : « Tristis est anima mea usque ad mortem[20], » et : « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me[21]? » Christum Dominum procul dubio intelligebant. Id luculenter indicant ab illis ea de re adductæ Scripturæ, quas nullus unquam, nisi Christo convenire, ausus est dicere; indicant, et quæ tradita sunt capite vicesimo quinto libri hujus; ubi Æonem illum Mentem Patris, et Sophiam, et Monogenem vocant. Recte igitur antea adnotavimus recentiores Gnosticos ista superioribus istis mutuatos horrendas illas voces, quibus Christum aliquando flammas inferni, supplicia que desperantium et damnatorum hominum perpessum esse blasphemant.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 28.

Pag. 141. *In passionem dicunt recidisse.* Per Æonem, quem in tantas angustias recidisse docuerunt hæretici, non Christum Dominum intellexerunt, uti quidem videtur velle Feuardentius, sed fictitiam suam Sophiam, tam a ficto hæreticorum, quam vero catholicorum Christo distinctam. Vide lib. I, cap. 1, § 2 et 3.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 29.

Pag. 142. *Vesana.* Codices excusi, « vesania. »

Dicentes se esse conceptum. Satanica plane hæc est ambitio, qua stemma suum cœlestibus illis Æonibus acceptum ferebant. Nec mirum, aut hæreticis insuetum, cum eorum parens Simon sese Dei A nomine, et Montanus, Spiritus sancti, venditarint. Manichæus se apostolum Christi; Novatus sectatores suos, Puros vocitabat. Pari fastu, nostræ tempestatis Gnostici ambitiosis titulis se et hæresiarchas suos ostentant; alios Elias secundos, Baptistas et præcursores Domini, quintos evangelistas, alteros Paulos, Gedeones, prophetas, reformatores, Spiritus sancti delicias dictitant. Nam Joannes Aurifaber libro *Colloquiorum* mensalium Lutheri præceptoris sui, eumdem appellat, « virum Dei, prophetam Germaniæ, tertium Eliam, doctorem Ecclesiæ omnium maximum, solum θεολόγων θεολογώτατον, Scripturæ verissimum et divinissimum interpretem, sanctum Lutherum, potentem in dictis et factis, Ecclesiæ jam olim a Deo per os Pauli et Hussi promissum. » Idem rursus furiosum apostatam ac incestuosum hæresiarcham illum, non modo cunctis sanctis Patribus, martyribus, evangelistis, duodecim apostolis, sed et angelis impudentia plane B diabolica præferens, duobus his versibus extollit : *Christus habet primas, habeas tibi, Paule, secundas.*

Ast loca post illos proxima Luther habet.

Alius quoque *Colloquiorum* Lutheri collector Henricus Petrus Rebenstock, refert eumdem Lutherum sæpe de seipso dixisse[22] : « Ego Isaias, Philippus Melanchthon Jeremias. » Quinetiam de postrema cæcitate et amentia suorum sequacium prædixisse[23] : « Nos patimur paroxismum; oppriment nos nostri usque ad exhalationem animæ. Deinde adorabunt 97 nostra stercora, » etc. Vere nunc stercora, imo omni stercore spurciora et fœdiora mendacia, et damnabiles hæreses Lutheri venerantur et adorant Germani, Daci, Suedi, Hungari, etc.

Et consternationem infecit. Id est, intulit, vel incussit. Gr., ἀπορίαν ἐνεποίησεν. Loquitur enim de affectionibus, in quas Æon ille miser incidit.

Ejusdem adnotationes in cap. 30.

C Pag. 142. *Qualis est.* Vanissima esse ostendit, quæcunque fabulabantur de semine tam suo, quam angelorum, quoniam beatis angelis sunt injuriosa et Deo creatori contumeliosa, denique nulla probatione confirmari possunt.

Qui sunt erga Salvatorem. Ita vet. cod.; excusi vero, « qui sunt. Ergo Salvatorem, » etc.

Ignorasse fabricatorem. Divinam unitatem Marcion laceravit, Hypostaseon trinitatem Sabellius confudit; simplicitatem labefactarunt Anthropomorphitæ; omnipotentiæ post Alardum detrahunt Sacramentarii; misericordiæ Novatiani; Ariani et Eunomiani æqualitati; at divinæ majestatis oculos aliquid subterfugere, ignorantiaque Deum laborare, præter istos, nescio, si quis deperditæ adeo mentis unquam fuerit ut id cogitarit. A tanto sacrilegio ethnicos etiam abhorruisse, ex præclaris versibus Philemonis, Menandri et Euripidis, quos in librum suum *De monarchia* inseruit Justinus Martyr, clarum est. In hanc impietatem videtur Dionysius D Areopag. integro capite septimo libri *De divinis nom.* disputare. Varia quoque ad hanc rem philosophorum, comicorum et tragicorum testimonia congerit Theophilus Antiochenus, libro secundo *Ad Autolycum*; eamdem persequitur acerrime et Irenæus capitibus proximis.

Cum sit. Delevimus « sint : » et mox « exsistens » pro « exsistentes » posuimus auctor. vet. cod.

Ejusdem adnotationes in cap. 31.

Pag. 142. *Demiurgum autem.* Contra omnem rationem affirmabant Demiurgum, id est Deum hujus universi effectorem, quædam ignorasse; quorum ipsi scientiam profitebantur, sibi ipsis longe potiora tribuentes, quam Deo omnipotenti.

[19] Matth. VII, 7; Luc. XI, 9. [20] Matth. XXVI, 38; Marc. XIV, 34. [21] Matth. XXVII, 46; Marc. XV, 34. [22] Tom. II, pag. 28 et 199. [23] Tom. II, p. 149.

Digitized by Google

Cum ex eadem substantia. Animam ejusdem esse substantiæ cum Deo mundi fabricatore, hæresis fuit Manichæorum, et Priscillianistarum, ut colligitur ex anathematismis concilii Bracarensis; quam ex Gnosticorum istorum sentina vides haustam fuisse. Licet enim disputationibus gravissimis aliquando dissenserint Patres de origine animæ, ut ex Tertulliani, Apollinaris, Arnobii, Luciferi, Tatiani, Origenis, et Augustini scriptis, omnibus in confesso est : eorum tamen nullus Gnosticorum sententiæ subscripsit.

Animabus. Expunximus « animæ; » et mox « Deo, » pro « Deus » restituimus auct. vet cod.

Adhuc etiam. Initium est capitis vigesimi noni in vet. cod.

Pag. 143. *Ex ignorantia et labe.* Delevimus « ignorantiæ; » et paulo post « formationem, » pro « formatione » reposuimus.

Ejusdem adnotationes in cap. 32.

Pag. 143. *Si enim.* Ex propositis Gnosticorum sequitur, tenebras utiliores esse lumine : et filiis, perfectionis ac utilitatis fuisse id, quod matri periculosum fuerat; quod valde est ridiculum. Quæ porro hic refutantur, late descripsit et recitavit lib. I, cap. 1.

Ejusdem adnotationes in cap. 33.

Pag. 143. *Adhuc etiam.* Quatuor propositis quæstionibus, adjectisque, juxta eorum mentem totidem responsis, falsa convincit esse quæ comminiscebantur de Matre sua, et ejus imagine; de angelorum imaginibus, Demiurgi, et spiritalis imperfecti emissione; atque ex his consequi docet, semen illud non angelorum, sed animarum figuras debere præ se ferre.

Pag. 143. *Operosius.* Id est, ad res gerendas efficacius et aptius.

In eo. Ita vet. cod.; excusi vero, « eam. » De charactere et figura animarum postea disputabitur, videlicet cap. 65.

Ex Jo. Er. Grabii adnotationibus in cap. 33.

Pag. 143. *Superflua est igitur in homines descensio ejus.* Hanc enim eo fine semini isti attribuebant hæretici, ut animabus hominum immissum, ibi « figuretur, et augescat, et paratum fiat ad susceptionem perfectæ rationis, » sicuti cap. 31 dictum est. Ast nonnisi ad primam ac infantilem hæc quadrant ætatem; quam cum semen istud excesserit, utpote jam olim a Matre emissum, frustra dicebatur id in animas hominum demitti.

Operosius. Id est, ad res gerendas efficacius et aptius.

Animalibus. « Animales » intellige homines, Græce ψυχικούς, non « animalia. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 34.

Pag. 143. *Adhuc autem.* Initium est capitis 30 in vet. cod. cum ejusdem argumento. Damnat fabulas illas de semine et conceptione, quas circa medium capitis primi lib. I retulerat.

Qui erant in viis mendici. Huic simile est illud Tertull. [24] : « Major pars credentium, simplices, imprudentes, et idiotæ. » Item Minutii Felicis in *Octavio* : « Pars vestrum et major et melior, egetis, algetis, opere, fame laboratis, et Deus patitur, » etc.

Pag. 144. *Non multi sapientes apud vos.* Verba sunt Apostoli, I Cor. I, quæ paulo aliter citat, quam habeat aut Vulgata editio, aut contextus Græcus, ὅτι οὐ πολλοὶ σοφοὶ κατὰ σαρκά, atque sic ex Græcis legunt Chrysostomus et Theodor., et ex Latinis Ambrosius et Primasius; sed sensum reddidit Irenæus.

Nec enim oportet. Elegans plane proverbium, eodem fere sensu usurpatum, quo illud est apud Virgilium [25] :

..... *Et crimine ab uno,*
Disce omnes.

Ex Jo. Er. Grabii adnotationibus in cap. 34.

Pag. 144. *Nec enim oportet.* Huc quadrat istud Athenagoræ, in *Legatione pro Christianis* ante medium pag. 13, edit. Paris.: Ταῦτα μὲν οὖν, μικρὰ ἀπὸ μεγάλων, καὶ ὀλίγα ἀπὸ πολλῶν, ἵνα μὴ ἐπὶ πλεῖον ὑμῖν ἐνοχλοίημεν. Καὶ γὰρ τὸ μέλι καὶ οἶνον δοκιμάζοντες, μικρῷ μέρει τοῦ παντὸς τὸ πᾶν, εἰ καλὸν, δοκιμάζουσιν. « Et hæc parva quidem de magnis, pauca de multis retulimus, ne nimium molesti vobis essemus. Nam et qui mel aut vinum explorant, ex exigua parte totius, de toto judicant. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 35.

Pag. 144. *Sed quemadmodum.* Hanc sententiam revulsam a fine capitis 34, initium 35 constituimus. Asserit vero nec alterum Deum supra fabricatorem hujus universi constituere, nec unicum in persona Christum in plures distrahere licitum esse : quod ipsos tentare supra dixerat, lib. I, capit. 1. Billius porro de hujus capitis initio scribit [26] : « Mihi dubium non est, quin pro, *maxima*, substituendum sit, *maxime*. Nam quod in Græco erat συνεχτικώτατα, id verborum tenacissimus interpres reddidit, *maxime continentia*; ego, præcipua ac maximi ponderis. Sic enim clarior est sensus. » Acutiorum judicio hæc ego discutienda relinquo.

Ejusdem adnotationes in cap. 36.

Pag. 144. *Illam enim.* Caput 32 inchoatur in vet. codic. cum sua epigraphe. Demonstrat autem vanas et futiles esse probationes, quibus Æonis duodecimi passiones et angustias asseverabant, nec per Judæ apostasiam ac defectionem ipsas posse confirmari. Demum, variis antithesibus ostendit, passionem Domini nostri nihil commune aut affine habere cum ficta Æonis passione. Quæ autem hic refelluntur, habes lib. I, cap. 1, paulo post initium; et lib. II, cap. 25, 26, 27, 28.

Uno enim anno. In hac quoque videtur fuisse sententia Tertullian. lib. *Advers. Judæos*, cap. 8, et lib. I *Advers. Marcionem*, cap. 15, quod etiam notat Eusebius in *Chron.* Eamdem opinionem amplexantur Lactantius lib. IV, cap. 10; Julius Africanus lib. *De temp.* apud Hieronymum *Comment. in Danielem*; Clemens Alexand. lib. I *Strom.*; Paulus Orosius lib. VII, capite decimo; quibus accedere videtur Augustinus lib. XVIII *De civitat.*, cap. 54. et lib. XXII, cap. 15, tametsi contrarium tueatur lib. II *De doctrina Christiana*, capite vigesimo octavo. At vero, hunc Gnosticorum errorem tam acriter cap. 38 et 39 hujus libri refellit Irenæus, ut in alium inclinare videatur. De hac re ante me scripserunt viri doctissimi et diligentissimi Pamelius in *Paradoxis Tertulliani*, et Benedictus Pererius Comm. in caput undecimum Danielis. Hos studiosus lector consulat.

Pag. 145. *Sed neque.* Expunximus « quæ; » et postea « neque in similibus, » pro « ei quæ in invisibilibus, » auctor. veter. cod. reposuimus.

Dominus autem noster passus est passionem validam. Id est, non modo sponte et confidenter ad passionem accessit, Judæisque capiendum,ligandum, conspuendam, denique crucifigendum semetipsum obtulit; verum etiam illa toti mundo inaudita dolorum tolerantia, homini assumpto omnem gloriam et exaltationem, et generi humano justitiam et salutem æternam promeruit. Cyprianus martyr hos fructus passionis Christi post Irenæum

[24] Lib. cont. Prax. [25] Æncid. II, vers. 65, 66. [26] Lib. I sacr. Observat.

Digitized by Google

sic attingit « Christus Filius hominis esse voluit, ut nos filios Dei faceret; vulneratus est, ut vulnera nostra sanaret; servivit, ut ad libertatem servientes extraheret; mori sustinuit, ut immortalitatem mortalibus exhiberet. »

Ejusdem adnotationes in cap. 37.

Pag. 145. *Illorum autem.* Persequitur institutam confutationem fictitiæ Æonis passionis, docens Judam illius typum non fuisse, cum duodecimus apostolorum fuerit, Æonem vero trigesimo loco constituerent; sed neque illius Enthymesecos, cum in Pleroma redierit, hic vero nusquam postea cum apostolis numeretur sit. Tantumdem deinceps facit de duodecim apostolis, septuaginta discipulis, et B. Paulo, ob nullas Æonum emissiones figurandas, electos fuisse a Christo Domino, ostendens. Postremo figmentum de Salvatore, quem τὸ πᾶν nominabant, dissolvit, nihil aliud quam poeticum mendacium esse, confirmans.

Irrationabile. Caput 33 signat vet. cod. cum argumento supra scripto. Expunximus, « Inenarrabile. »

Pag. 146. *Sed neque de Paulo.* Vet. cod. hic 34 caput exordiuntur. Delevimus, « omnium collatio. »

Hermes. Hic philosophus in Ægypto post Moysen claruit, et Τρισμέγιστος, id est ter maximus, vocatus fuit; quin et Moysen ipsum Hermetem esse, qui, propter litterarum inventionem, id nomen apud Ægyptios consecutus sit, apud Eusebium lib. I *De præpar. evang.*, cap. 6, putat Eupolemus. Ab ipso conscripta feruntur Pymander, Asclepius, et Iatromathematica. Plura de eodem habet Augustinus VIII *De civit.*, cap. 23, 24, 26. Notandum autem Hesiodum poetam in *Operibus*, totum istud carmen ad verbum transcripsisse : quo loco Mercurii donum in Pandoram proponit his verbis :

Ἐν δ' ἄρα οἱ στήθεσσι διάκτορος Ἀργειφόντης,
Ψεύδεά θ' αἰμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλοπον ἦθος
Τεῦξε ....

Mater enim, hoc est Leto. Græcis Λητὼ, Latona dicitur Cœi filia; a Jove dilecta pariter et oppressa, ex quo geminam concepit prolem, Apollinem et Dianam.

Pelops. Pelops Tantali Phrygiæ regis filius fuit, cujus pater, cum deos in terris vagantes hospitio et convivio excepisset, ut certo aliquo argumento divinitatem eorum experiretur, Pelopem filium membratim dissectum, illis epulandum apposuit; a cujus esu cum cæteri dii abhorrerent, sola Ceres humerum dextrum absumpsit : Jupiter vero misertus, utque deitatis suæ specimen præberet, collectis partibus omnibus, fingitur ad vitam illum revocasse. Post Pindarum, hujus rei meminit Orosius libro primo, capite duodecimo, et Tatianus *Oratione contra Græcos.*

Ex qua et isti compuncti. Billius. Græce, κεκαυτηριασμένοι, id est quasi cauterio inusti : Paulina vox I Tim. IV, 2.

Ex Jo. Er. Gr. adnotationibus in cap. 37.

Pag. 146. *Possit ostendere, neque secunda decade.* Hic textus est mutilus, neque ullus ms. codex medelam ei suppeditat. Sententia tamen et argumentatio auctoris satis perspicue elucet, eo nimirum tendens, quod vanum sit duodecim Christi apostolos, typos facere duodecim Æonum, ab Homine et Ecclesia proseminatorum, cum haud alii dentur apostoli numero decem et octo, quibus vel decas, vel ogdoas priorum Æonum adumbraretur; septuaginta enim discipulos a Servatore postea electos huc trahi non posse, utpote numero longe superiores.

Hermes. Hæc Hesiodi verba, quibus Mercurium, Jovis filium, jussu Patris, virtutem callide persuadendi Pandoræ donasse asserit, ad hos hæreticos applicat Irenæus, atque Mercurium αἰμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλοπον ἦθος his quoque hæreticis videri tribuisse, « ad seducendum » vanis sermonibus « stultos hominum, ut credant figmentis eorum. »

Pelops. Meminit Pelopis Pindarus *Olympiorum* od. 1, deque eo, inter Latinos poetas, consona prorsus Irenæo cecinit Ovidius lib. VI *Metamorph.* 1,407, 406 :

..... *Manibus mox cæsa paternis*
Membra ferunt junxisse deos.....

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 38.

Pag. 146. *Quia autem.* Trigesimum quintum caput notat vet. cod. cum affixa ibidem epigraphe. Probat Irenæus, nec triginta Æones illos, quorum de inventione tantopere sibi placebant, alicubi consistere, nec per annum trigesimum, quo Christus adiit baptisma Joannis, eos repræsentari. Locum autem Isaiæ, quo perperam probare nitebantur, Dominum mense duodecimo a baptismate passum, religiose explicat de tempore legis evangelicæ et gratiæ, dieque extremi judicii, quem postea Hieronymus et Cyrillus in Isaiæ caput sexagesimum primum sunt imitati. Quæ hic refelluntur, enarravit libro primo, capite primo, ubi et aliquid de Tertulliano et Clemente Alex. adnotavimus.

Vocare annum. Cum Septuaginta scripserint καλέσαι, et vetus codex noster « vocare » contineat, hoc ipsum pro « vocate » substituimus. Atque ita legit Cyprianus lib. II *Advers. Judæos*, cap. 10.

Plurima. Expunximus « Pleroma. »

Pag. 147. *Omne tempus.* Codices excusi, « omne temporis. »

Ex Jo. Er. Grab. adnotationibus in cap. 38.

Pag. 146. *Alioquin ipsum primum erunt discernentes*, etc. Si enim triginta tantum sunt Æones Pleromatis, Servator, qui præter istos triginta numeratur, non erit in Pleromate; quod ipsi indecorum putat Irenæus. Confer supra pag. 129, col. 1.

Dies retributionis ..... judicium. Ita et Theodoretus ἡμέραν ἀνταποδόσεως, exponit τῆς κρίσεως τὴν ἡμέραν.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 39.

Pag. 147. *Est autem valde.* Trigesimum sextum caput signat vet. cod. cum suo argumento, quod hic certe melius conveniret, cum apertis testimoniis comprobet, Christum plus uno et duobus annis docuisse. Porro, « est valde admirari, » locutio est his similis, « videre est, licet videre. »

Qui per eum renascuntur in Deum, infantes. Renascentiæ nomine, Dominica et apostolica phrasi[27], baptismum intelligit, aperte confirmans apostolorum traditionem de baptismo infantium parvulorum, adversus Anabaptistarum impietatem. Illam vero ante Irenæum asseruerant Dionysius Areopagita capite ultimo *Eccles. hier.*, Clemens libro sexto *Const.*, capite decimo quinto; auctor *Quæstion. ad orthodox.* apud Justinum martyrem, quæstion. 56; post Irenæum, Origenes in cap. VI ad Rom.; Cyprianus epist. ad Fidum; Cyrillus Jerosolym. catéches. mystag. I; Nazianzenus orat. in sanctum lavacrum; Basilius *Exhort. ad baptismum*; Chrysostom. homil. ad neophytos; Hieronymus epist. ad Lætam; Augustinus, Theodoretus, etc.

Pag. 148. *Quia autem.* Psulo aliter ex Hippocrate hominis ætates enumerat Philo[28] : « In hominis natura, ait, septem sunt tempora, quæ ætates vocant : Infans, puer, adolescens, et reliquæ. Infans est, donec intra septennium dentes emittat; puer, usque ad genituræ excretionem, ad geminatum septennium; adolescens, usque ad

[27] Joan. III, 5; Tit. III, 5. [28] Lib. de mundi opific.

Digitized by Google

barbæ hirsutiem, ad annum ter septimum; vir usque ad undequinquagesimum, ad septies septimum. Quidquid vero deinceps sequitur, ad senium pertinet. » Ei subscribit Macrobius lib. I in *Somnium Scipionis*, cap. 6.

Quam habens Dominus. Disertis verbis affirmat Christum ultra quadragesimum, aut etiam quinquagesimum annum docuisse; idque Scripturis et rationibus, sed imbecillis, confirmare nititur : quod communi Ecclesiæ judicio non est receptum. Candide autem de beatissimo martyre sentiendum, quod impetu ipso refellendi Gnosticos, qui annum trigesimum primum illum non excessisse dicebant, in partem contrariam delatus est. Sanctissimis enim et doctissimis hoc non raro contigisse, ipsa luce manifestius est. Itaque hinc apparet, auctorem *Methodi ad facilem historiarum cognitionem* [20], quantumvis variæ lectionis famam sectetur, Irenæum nunquam legisse : qui eum ad unam et triginta annos tantum vixisse Christum asserentem facit; quod tam aperte et pertinaciter adversus Gnosticos oppugnat. Præstitisset hominem eo libro, ne dicam cætera, vel sanctis Patribus saltem pepercisse. At Epiphanius contra hæresim 51 diligenti annorum per consules supputatione, rectissime colligit, passum Christum anno ætatis trigesimo tertio. Quod etiam Ignatius Joannis auditor, testis omni exceptione major, diligenter notaverat *Epistola ad Trallianos* : « Annos agens triginta, ait, Dominus baptizatus est a Joanne, vere ac non opinione, et tribus annis prædicato Evangelio 99, ac factis signis et prodigiis, tandem a pseudo Judæis et Pilato præside judicatus est, mortuus et sepultus. » Quod vero a senioribus, qui Joannem apostolum audierant, profert argumentum, tanti viri bona venia dixerim, nec Ignatius, nec Polycarpus, nec Evodius, nec Clemens, nec Dionysius, Joannis, Pauli, Petrique auditores istud affirmant : quinimo ex horum scriptis contrarium facile colligitur. Potuit ergo istud audivisse a Papia, Aristionis et Joannis Presbyteri discipulo, qui auctore Eusebio [20], homo fuit pertenuis ingenii, et res quasdam ab apostolis subobscure et parabolice dictas non satis intellexit. Cæterum, Augustinus libro secundo *De doctrina Christiana*, capite vigesimo octavo, utrumque forsitan, id est tam Papiam quam Irenæum, intelligens, refert quosdam dixisse, Christum quadraginta et sex annos vixisse : sed ignorantia historiæ lapsos esse affirmat.

Ex Jo. Er. Grabii adnotationibus in cap. 39.

Pag. 147. *Secunda vice ascendit in diem festum Paschæ.* Haud recte quidem Irenæus « diem festum Judæorum, quo Jesus Jerosolymam ascendisse » dicitur Joan. v, 1, de Paschate accepit; interim paulo post Joan. VI, quod caput itidem auctor noster citat, vers. 4, expressa alterius Paschatis Judæorum appropinquantis fit mentio. Unde secundus prædicationis Christi annus optime colligitur.

Πάντες. Quod Clementem et Dionysium memorat Feuardentius, ἀπροσδιόνυσον est; neque enim hi in Asia apud Joannem apostolum commorati leguntur; ut nihil de suppositiliis eorum scriptis dicam. Cæterum præter Papiam alios fuisse seniores, qui Irenæum in istam de seniore Christi ætate induxerunt opinionem, pluralis, in quo loquitur, numerus, addita insuper voce πάντες, satis indicat; licet, quinam isti fuerint, dici nequeat.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 40.

Pag. 148. *Utrumne his.* Expunximus « hisne » auctor. veter. cod.

Ne in somniis quidem. Proverbium est sacris et profanis omnibus frequentissimum. Theocritus in *Bucolic.*, μηδ' ἐν ὀνείροις, « neque in somniis. » Plutarchus libello adversus Stoicos : οὐδ' ὀνείρατα, « nec per somnia. » Chrysostomus [21] adversus Judæos : οὐδ' ἐς ὄναρ. Indicat autem Irenæus Ptolemæum hæreticum nulla ratione apostolicam doctrinam attigisse.

Quinquaginta annos. Chrysostomus legit, « quadraginta annos. » Theophylactus autem tribuit Judæorum insaniæ, quod hominem triginta tres annos ferme natum, quinquagenario compararint. Ex quibus satis patet, Irenæi argumentum ex hoc loco sumptum, valde imbecillum esse.

Irrationabile est enim. Imo vero, quod cum sanctissimi martyris indulgentia dictum sit, Judæi longe atrociora mentiti sunt in eum : utpote quod esset vorator, potator vini, seductor, blasphemus, et in virtute Beelzebub ejiceret dæmonia, etc. Indeque patet Irenæum ex hoc loco nihil probare.

Homerus poeta. Locus est Iliados Δ, ubi post singulare certamen Menelai et Paridis, deos consilia agitasse, et ordine consedisse fingit.

Sed et de illa muliere. Caput 57 hic signat vet. cod.

Undecim. Delevimus « duodecim » sect. vet. cod.

Pag. 149. *Satanas.* Expunximus « sanatas. »

Negotio eorum. Ita vetus codex; excusi, « negatio Æonum. »

Jesus enim nomen. Nam plane Hebraicum est, non Græcum, significans, Epiphanio auctore [22], medicum, curatorem, et salvatorem. Ideo et Cyrillus Jerosolymitanus scribit [23] : « *Jesus* apud Hebræos significat salvatorem; in lingua vero Græca medicum sonat; quandoquidem et corporum medicus est, et animarum curator. » De numero autem qui ex litteris ejus nominis consurgit, ait Ven. Beda : « Hujus sacrosancti nominis *Jesu* non tantum etymologia, sed et ipse, qui litteris comprehenditur numerus, perpetuæ salutis nostræ mysteria redolet. Sex quippe litteris apud Græcos scribitur Ἰησοῦς, quarum numeri sunt x, et VIII, et CC, et LXX, et CCCC, et CC, qui fiunt simul DCCCLXXXVIII, qui profecto numerus figuram resurrectionis adauget. Octavus enim numerus in sacris litteris resurrectionis gloriæ convenit; quia Dominus octava die, hoc est post septimam Sabbati resurrexit. Et ipsi, post sex sæculi ætates, et septimam Sabbati animarum, quæ nunc interim in alia vita geritur, quasi octavo tempore surgemus. » Ferunt etiam Sibyllam Cumanam hujus nominis litterarum et numeri meminisse. Quin etiam Constantinus Magnus in Oratione quam Eusebius libris de vita ejus adjunxit, deinde Augustinus lib. XIX *De civit.*, cap. 23, referunt oraculum Sibyllæ Erythrææ de Christo, acrostichis versibus ita concinnatum, ut initiis litterarum initialium legantur hæc verba : ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΕΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ. Jesus Christus Dei Filius Salvator. De numeris autem, et potestate elementorum ejusmodi nominum dictum est supra.

DCCCLXXXVIII. Ita vetus codex manuscriptus; excusi « Dat. XXXVIII. »

Ex adnotationibus Nicolai Gallasii in cap. 41.

Pag. 149 seqq. Ostendit Irenæus falli hæreticos, sibique et aliis impudentissime imponere, cum ex litteris nominis Ἰησοῦς, supputationem suam deducunt. Id enim prorsus inane est, nec ulla ratione constare potest, propterea quod nomen hoc Græcum non sit, sed Hebræum. Verum in declaranda hujus nominis origine, et propria significatione, quos auctores secutus sit Irenæus, plane ignoro. Satis enim conspicuum est, et docti fatentur omnes, deduci a יָשַׁע « Jascha, » unde יְשׁוּעָה, quod significat « salvavit; » id quod ipsius angeli Gabrielis interpretatio aperte demonstrat. Nam cum jubet hoc nomen Christo imponi, rationem subjungit:

[20] Cap. 7. [20] Lib. IV Hist., cap. 33. [21] Concione 3. [22] Cont. hær. 29. [23] Catech. 10.

Digitized by Google

« ipse enim salvabit populum suum a peccatis ipsius. » Qui ergo a יש « Iesch » potius quam a ישע deducunt, necesse est cum angelo, id est cum Deo ipso, cujus jussu ita locutus est angelus, disputare. Verum de hac origine aut significatione, nullum prorsus fit verbum ab Irenæo. Ac sane videtur, tum in hac dictione, tum in aliis, veterem aliquam Hebræorum cabbalam secutus. Quid enim affine habet nomen « Jesu, » cum nomine cœli? ישוע cum שמים. Terram etiam, quæ nomine ארץ vocatur, eodem nomine « Jesu » comprehendi, qua ratione probari potest? Apud quos etiam « Sura usser » dicatur, nescio. Vestigia quidem nonnulla apparent nominis « Arets, » verum inversi et repetiti; sed ita legisse aut scripsisse nullos audio. Cum de his dubitarem, doctos viros, atque in litteris tum Hebraicis, tum Chaldaicis exercitatos consului; qui aut a cabbala quadam ignota id ortum esse, aut ab ignorantia et corruptione linguæ profectum esse censuerunt. Idem de nomine « Sion, » de quo paulo post ait in nomine Jesu comprehendi. Dimidias vero litteras existimant esse י et ו, non quod imperfectæ sint, sed quod cæteris omnibus minores sint ac breviores; atque ex his etiam reliquas omnes factas esse, Hebræorum plerique autumant. Nulla enim est littera, quæ ex his duabus strui et concinnari non possit. Ideoque decem primas litteras ab א usque ad י, præcipuas esse dictas, quod cæteræ ex illis, aut ad earum similitudinem efformatæ sint. Nomen « Barneth, » quod Deo tribuit, videtur ductum a ברא « Bara, » id est « creavit. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 41.

Pag. 149. *Hæc autem in nullo communicant.* Scopus Irenæi in hoc capite est, ut ostendat Gnosticos turpiter ballucinari, et aliis impudenter imponere, cum ex nominis Græci Ἰησοῦς syllabis, litteris, et numeris ipsis respondentibus confirmare figmenta sua nitebantur; propterea quod nomen illud Hebræum sit, cujus litteræ Hebraicæ non conveniunt cum litteris Græcis, neque cum earumdem numero; atque hoc unum præcipue considerandum et discendum hoc capite existimo.

Cæterum, quæ de nominis « Jesu » Hebraicis litteris, origine, et significatione scribit, ipsum videlicet esse duarum litterarum et dimidiæ, cœlumque significare; non satis assequor. Etenim certissimum est « Jesu » Hebræum esse, deductum a ישע « Iascha, » quod est, « salvavit: » et sic scribi ישוע quatuor litteris, quæ numerum 386 faciunt. Nam ratione arithmetica, י iod continet 10, ש schin 300, ו vau 6, ע aiin 70. Ἰησοῦς autem Græcorum supputatione 888 reddit; quandoquidem, ι, 10, η, 8, σ, 200, ο, 70, υ, 400, σ, 200 continet. Ut vero significet Dominum cœli et terræ, oportet illud, more veterum, per tres litteras scribere יהו et per notaricon, id est ex singulis litteris integras dictiones sic colligere, ut iod, quæ prima littera est τοῦ τετραγραμμάτου יהוה quod Dominum, sive Κύριον reddunt LXX, «Dominum» nobis exprimat. Deinde ש prima sit littera vocis שמים, quæ « cœlum » significat. Postremo, ו sit initium ארץ, quod est, « et terra; » adeo tres litteræ illius nominis, iod, schin, vau, simul per notaricon reductæ, indicent Dominum cœli et terræ.

Sed non satis video, quo pacto nomen « Sion » in nomine 100 « Jesu » comprehendatur. Nullo etiam idiomate « Sura Usser, » sive « User » dicitur terra. Oportet igitur vel ab aliqua cabala mini adhuc ignota, hæc desumpsisse Irenæum: vel quod magis mihi probatur, a quibusdam Judæorum rabbidis, quos consuluerit, deceptum fuisse, veluti initio capitis subindicare videtur, dum scribit: « Sicut periti eorum dicunt. » Pro suo enim odio in Christum, et nos, qui ejus censemur nomine, solent impuri vespi illi multa confingere, et audacter obtrudere, quibus fidem nostram obscurent; quod facile colligas ex locis Isaiæ, Jeremiæ, Davidis, Esdræ, audaci sacrilegio obtruncatis et mutilatis ab illis, uti probat et convincit Justinus martyr in *Dialogo*.

Superior porro ex singulis litteris integra nomina colligendi ratio, quam cabalæ auctores sequuntur, reperitur etiam in oraculis Sibyllinis, lib. II:

Nimirum Deus is finxit tetragrammaton ADAM
Qui primus fuit, et qui nomine complet
Ortus, occasus, austrum, Boreamque rigentem.

Istud clarius explicatur apud Cyprianum, tractatu de montibus Sina et Sion, et Augustinum tractat. 9 et 10 in Joan. Oriens Græcis vocatur ἀνατολή, occidens δύσις, septentrio Ἄρκτος, meridies μεσημβρία: harum dictionum si litteras initiales simul junxeris, efficies nomen A Δ A M. Rationem hujus assignat Cyprianus, quod Dominus ex quatuor cardinibus orbis terrarum pugno comprehendit terram, et finxit hominem ex omni limo terræ: sed de hac re non disputo.

Pag. 150. *Episemi eorum.* Ἐπίσημον proprie significat umbilicum clypei, notam, signum, maculam: sed his in locis accipitur pro nota numerali, quæ sex indicat.

Et dimidiam. Dimidiam litteram appellat י iod, quod cæteris brevior sit ac minor; atque ex illa reliquas omnes factas esse plerique Hebræorum opinantur.

Sion. Dictionem istam ignorat penitus codex; nec facile apparet quid sibi hoc loco velit.

Ruit ergo. Veteris codicis aliquantum diversa est lectio hoc pacto: « Corruit ergo numerus calculi, quem MDCCCLXXXVIII, et per omnia, » etc.

Antiquiores. Hebraicas litteras reliquas omnes inventione et usu præcessisse, variis conjecturis permotus, post Irenæum, asserit Eusebius [35]. Suidas illarum, sicuti aliarum omnium artium, inventores facit Adamum, Sethumque filium ipsius. Sethi filios rerum cœlestium disciplinas in columnis scripsisse testatur Josephus [36]. Enoch deinde quasdam prophetias litteris commendasse non ambigua: Augustinus [36], Origenes [37], Tertullianus [38]. Libros de maleficiis et necromanticis artibus Chamo filio Noe tribuunt Comestor, et Joan. Cassianus collationis octavæ cap. 21. Sibyllæ Erythreæ ascripta oracula in fidei suæ confirmationem recitavit Constantinus Magnus Orat. ad sanctorum cœtum. Hos autem omnes Cadmi, Phœnicum regis, Palamedis, Simonidis, et Carpentæ, quos aliarum litterarum repertores volunt, ætate multis sæculis superare nullus nescit.

Decem quidem. Illæ decem sunt ab א aleph usque ad י iod; quæ ideo primæ et præcipuæ dicuntur, quod cæteræ ex illis, aut ad illarum similitudinem efformatæ sint: et numeri digiti ex ipsis conficiantur.

Secundum subsequentiam. Id est a sinistra in dexteram more Græcorum et Latinorum. Eo autem modo scribunt Hebræi, dum alienis characteribus suas voces exprimunt: vel alii ab ipsis Hebraice quidpiam exarantes, ut de Pilato fertur, qui cum titulum crucis Christi componeret, Hebraicas litteras Latino more collocaverit.

Barneth. Vetus codex « Baruch, » quod Philoni, Hieronymo et Pagnino *benedictum* significat « Barneh » Chaldaica vox est ejusdem significationis. In codice Vaticano deest adverbium « Hebraice. »

Etenim ex lege. Initium est capitis 39 in vet. cod.

[35] Lib. x de præp. evang., cap. 2. [36] Lib. I Antiq., cap. 2. [36] Lib. I de civit., cap. 23. [37] Homil. 28 in Numer. [38] Lib. de habitu mul.

Digitized by Google

cum argumento quod eidem superius affixum est, et multo commodius, meo judicio.

Et altitudo. Sex has voces hactenus desiderarant omnes excusi codices.

Hæc ante. Codices exc., « Hæc autem ;» deinde « significativam » pro « significantiam ; » et paulo post « reliqui » pro « reliquis » restituimus.

Calamiscos. Καλαμίσκος significat, præter alia, parvulam arundinem et fistulam : et quia harum formam habebant tres cannæ illæ, ex candelabri Mosaici medio stipite prodeuntes, hic Græca voce καλαμίσκους eas appellat.

Smyrnæ. Σμύρνα arbuscula est Arabiæ, cujus cortice inciso, liquor quidam pinguis effluit, qui stacte medicis appellatur. Vide Dioscoridem lib. I, c. 78 ; Theophr. lib. IV *De hist. plant.* ; Plinium lib. XII, cap. 15 et 16.

Ireos D. Iris multa significat : sed hic herba suaviter olens et aromatica est ; de qua Dioscor. lib I ; Theophrast. *De hist. plant.* ; Plinius lib. XXI, cap. 7.

Cinamomi CCL. Nomen cinamomi, aut cinnamomi in multa scinditur, quæ legendo notes licet. Hic species fruticis odori esse videtur, de quo Plin. lib. XII, cap. 19 ; Theophrast. lib. XIX, cap. 47 ; Dioscor. lib. I. Dicitur autem cinamomum, quia in modum cannæ, subtiles et replicatos habet calamos, cinerei vel nigri coloris, qui fracti, visibile spiramentum reddunt ; et subtile quidem carum, grossum vero vile et despectum.

Calamisci. CCL. Exodi XXX Septuaginta legunt καὶ καλάμου εὐώδους, id est calami odoriferi. Calamus igitur, a quo calamiscus, hic frutex est in Arabia, India, et Syria, juxta Libanum montem proveniens, aspectu similis arundini, casiæ sapore, tactu mollis ; et cum frangitur, locum suavissimo replet odore. Vide Plinium lib. XII, cap. 20 et alios.

De stacte. Σταχτὴ Græcis vocatur succus quidam, sive lacryma, emanans inciso cortice myrrhæ, de qua supra. Consule Plinium, lib. XII, cap. 6 et 14 ; Dioscor., lib. I, cap. 75 et 78. De illa rabbi David in lib. *Radicum* ita scribit : « Dicunt quod Nataph sit Zari, hoc est gutta sive stacte ; sic appellata, quod stillet ex arboribus Ketaph, sicut dixerunt rabbini nostri (benedictæ memoriæ). Zari nihil aliud est, nisi succus qui stillat ex arboribus Ketaph, et vulgo balsamum dicitur. » De balsami ortu, irrigationibus, et interitu, si plura desideras, consule Petrum Martyrem, lib. III *De legatione Babylonica* [80].

Et ungula. Rabbi Salomon in cap. XXX Exodi, Paulo Fagio interprete, putat radicem esse candentem, tersam, ac puram, in morem unguis. Rabbi Davidi eodem loco, est aroma quod in Mischnach (sic vocant textum Thalmudicum) Zipporen, id est onyx, sive unguis vocatur, et est leue et lucens, ut unguis. Propertius :

Et cronico nares murrheus ungat onyx.

Mihi verisimilius, et huic loco convenientius id esse videtur, quod de onycha, seu ungula habet Dioscorides lib. II, cap. 10 : Ὄνυξ ἐστὶ, inquit, τῶμα κογχυλίου, ὅμοιον τῷ τῆς πορφύρας, εὑρισκόμενον ἐν τῇ Ἰνδίᾳ ἐν ταῖς ναρδοφόροις λίμναις. Διὸ καὶ ἀρωματίζει, νεμομένων κογχυλίων τὸν νάρδον. Id est : « Unguis conchylii tegmen est, haud ei absimile, quo purpura contegitur, quod in Indiæ nardiferis lacubus reperitur. Proin etiam odorem spirat, quoniam conchylia nardum pascantur. » Vide etiam Plinium lib. XXXII, cap. 10.

Et galbano. Galbanum inter alia, liquor est cujusdam plantæ, similis ferulæ, nascentis in Syria, medicis frequens. Dioscor. lib. I, cap. 7 ; Theophr. lib. IX *De hist plantarum*, cap. 1 et 7 ; Plin. lib. XII, cap. 25 et 48, lib. XXIV, cap 5 et 13. De hoc Virgilius [81] :

Hinc jam galbaneos suadebo incendere odores.

Et Lucanus [82] :

Hic ebulum stridet, peregrinaque galbana sudant.

De illo item rabbi Kimhi in c. XXX Exod. ait : « Galbanum aroma est, cujus odor gravis est, et est succus arboris, quæ invenitur in urbibus Græciæ, estque ut mel nigrum, et lingua Arabica dicitur Miah. »

Et hedyosmo. Ἡδυσμον suavis odor, mentha nominatur ; de qua Luc. XI, ἀποδεκατοῦτε τὸ ἡδύσμον, id est, solvitis et datis decimas ex mentha. Dioscorides vocat ἡδύσμον ἄγριον, menthastrum herbam. Vide Plinii lib. XIX, cap. 8, et alios.

Et thure. Thus, aut tus nomen tritum, sacris suffimentis succensis ignibus maxime conveniens, et jampridem usitatum. Ovidius, XIV *Metam.*, v. 128 :

Templa tibi statuam ; solvam tibi thuris honores.

Et Tibullus lib. I, eleg. 3, v. 34 :

Redderet antiquo menstrua thura Lari.

Porro ut thuris, sive incensi suffumigationes in sacris Hebræorum divina jussione frequentes erant, sic ejusdem benedictio, et usus in sacris Christianorum, ex apostolorum traditione, summaque Græcarum et Latinarum Ecclesiarum consensione, religiose observatur, ut videre est ex Ruperto, lib. I *De divinis offic.*, cap. 29 et 36, et lib. VI, cap. 31 et 32 ; Stephano Eduensi lib. *De sacramento altar.*, cap. 12, Germano Constantinop. in *Rerum ecclesiast. cons.* ; Augustino serm. 98 de tempore ; Tertulliano lib. *De coron. mil.* ; Dionysio Areop. lib. *Eccl. hier.*, cap. 3 ; Jacobo fratre Domini in Liturgia ; canone 3 seu 4 apostolorum. Si præter hos auctores, alios adhuc desideras, ritumque hunc accurate et diligenter comprobatum, consule librumquem **101** adversus anatomen missæ edidit, vir in evolvendis sacris auctoribus paucis comparandus D. Jacobus Faber, doctor theologus, præceptor mihi perpetuo observandus, hinc tibi abunde satisfactum iri puto. Cæterum, cum Gnostici horum omnium suffimentorum species, quantitates, commistionesque ad confirmationem suorum placitorum detorquere non possent, quod vel maxime necessum fuisset ; argute concludit Irenæus illos, quosdam alios legis veteris ritus insulse et stolide adduxisse, ut his ina deliria asseverarent.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 41.

Pag. 149. *Jesus... litterarum est duarum et dimidiæ.* Sciendum, veteres dixisse « Jesu, » et Hebraice יש pro « Jesua : » inde manasse puto scripturam Græcam Ἰησοῦς. Nam a « Jesua » diceremus « Jesuas. » Hoc posito, cum dicat hoc nomen litterarum esse duarum et dimidiæ, quid aliud arbitremur, quam per « dimidiam » ipsum litterarum ioth intellexisse? Quippe is ejus litteræ character est, ut vix ad medium aliarum litterarum attingat ; et quidem si cum illis conferatur, pro dimidia littera jure haberi possit. Hæc Drusius centuria I *Miscellaneorum*, cap. 44, ubi et de interpretatione nominis Jesu, qua « Dominum eum, qui continet cœlum et terram, » significare traditur, eadem dixit, quæ Feuardentius.

Pag. 150. *Et sacerdotales nuncupatæ.* In Græco forte ἱερουργικαὶ, vel similis exstitit vox, qua usus Hebraicarum litterarum in sacro Bibliorum codice est, quam interpres perperam vertit « sacerdotales. »

Decem quidem sunt numero. Legendum conjicio, « XXduæ quidem, » etc., quot litteras apud Hebræos esse notum est.

Scribuntur autem quæque per quindecim, novissima littera copulata primæ. Hæc quid sibi velint,

[80] Lib. III, eleg. 8, v. 22. [81] Georg IV, 284. [82] Phars. IX, 916.

Digitized by Google

diu multumque cogitavi, sed excogitare haud potui. Textum sane corruptum esse cod. Voss. indicat, cujus diversam lectionem notavi.

Duas et dimidiam habet litteras. ך finale pro dimidia littera ך accipitur.

Pag. 151. *Et Hedyosmo.* Nota Irenæum Exod. xxx, 34, non legisse χαλβάνην ἡδυόσμου, uti nunc in LXX versione exstat, sed χαλβάνην, ἡδύοσμον; adeo ut juxta hanc lectionem sacrum thymiama, perinde ut sacrum unguentum, « ex quinque commistionibus subsistat. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 42.

Pag. 151. *Quia autem.* Caput 40 hic signat vet. cod. Contendit Gnosticos nihil somniorum suorum asserere posse ex numero quinario, quantumvis frequenter in sacris occurrat.

Ipse habitus crucis. Piam admodum habes figuræ crucis, adeoque imaginis eidem affixæ speculationem, quam et sæpe, et libenter imitatur Augustinus, verba ista Apostoli [61] : « Ut possitis comprehendere quæ sit longitudo, et latitudo, et sublimitas, et profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi ; » ad sacramentum crucis referens, « ut in latitudine accipiatur transversum lignum, quo extenduntur manus, propter operum significationem ; in longitudine ab ipso usque in terram, ubi totum corpus crucifixum stare videtur, quod significat persistere; in altitudine ab ipso transverso ligno sursum, versus quod ad caput eminet, propter exspectationem supernorum ; in profundo autem, pars illa ligni, quæ in terræ abdito defixa latet. » Hæc Augustinus epistolæ 112 cap. 12, epistol. 119 cap. 41, et epist. 120 cap. 26, quibus imaginis Crucifixi considerationem sanctissimis Patribus longe gratiorem fuisse perspicimus, quam neotericis Gnosticis.

Observandum porro quinque extremitates, seu fines Dominicæ cruci hic aperte tribui : ac de quatuor, omnibus constat; de quinta, ubi requiescere dicitur affixi corpus, non ita. Non enim clare dicitur, an pedibus tanquam subjecto scabelluto, quiesceret, an vero media corporis parte quodammodo sederet. Verum, Gregorius Turonensis disertis verbis de tabella (alii suppedaneum vocant) in qua et pedes innixi et fixi fuerint, hoc intelligendum tradit [62] : « In stipite erecto, inquiens, foramen manifestum est : super hanc vero tabulam, tanquam stantis hominis sacræ affixæ sunt plantæ. » Iis fere similia sensisse videtur Justinus martyr in *Dialogo* ; Tertullianus libro tertio *Advers. Marc.*, capit. decimo octavo, et decimo nono; et Venerabilis Beda in *Collectaneis*, affirmans eamdem crucem ex quatuor diversorum lignorum generibus compactam fuisse : quarto haud dubie suppedaneum illud intelligens [63]. Istud denique plurimum confirmant vetustissimæ crucifixi Domini nostri in templis servatæ imagines, quas etiam eodem anno quo hoc scribimus 1595, multis in locis conspeximus, cum dicto scabelluto, in quo pedes etiamnum distincti secretique duobus clavis affiguntur; nimirum, Virduni, in majori eademque vetustissima æde, unam; et monasterio, quod a divo Paulo nomen habet, alteram. Treveri ejusdem formæ vidimus in majori templo, duas; in æde B. Virginis, tres; Sancti Simeonis, duas; Sancti Paulini, unam; et S. Mariæ alteram. Confluentiæ, in templis diversis, tres. Coloniæ Agrippinæ, etiam ejusdem formæ imagines, id est pedibus disjunctis, atque duobus clavis in subjecta tabella confixis, plurimas conspeximus. In summo templo, tres; ad S. Severinum, tres; ad S. Cunibertum, tres; ad S. Gereonem, unam; ad XII Apostolos, duas; ad S. Pantaleonem, unam; ad S. Ursulam, unam; ad S. Mariam de Capitolio, unam; in cœmeterio S. Georgii, unam; ad Indulgentias, unam; ad S. Mauritium, unam; ad Clarissas, unam; in quodam xenodochio, unam; audivimusque in aliis sacris locis multas tales servari : quibus superior nostra conjectura non mediocriter roboratur.

Quatuor certe clavis confixum cruci Christum fuisse, non tantum ex historica inventionis sanctæ crucis narratione, satis aperte mihi colligi posse videtur : sed etiam ex certissimis Patrum testimoniis. Cyprianus namque serm. de Passione, plurali numero dicit : « Clavis sacros pedes terebrantibus. » Et supra laudatus antistes Turonensis apertius scribit : « Clavorum Dominicorum quod quatuor fuerint, hæc est ratio : duo sunt affixi in palmis, et duo in plantis. » Eadem quoque est sententia lib. I, cap. 10 S. Brigidæ Revelationum, quas etiam summi pontifices probaverunt.

Pag. 152. *Unaquæque tabula.* Diversæ fuerunt sententiæ Hebræorum, Græcorum, et Latinorum, quot præcepta in quaque tabella reponantur. Josephus [64] et Philo [65], quos hic imitatur Irenæus, quinque in qualibet collocant. Ex Græcis Origenes [66], Procopius [67], et Hesychius [68] cap. xx Exodi narrantes, et Clemens Alex. VI *Strom.*, quatuor in priore, sex in posteriore annumerant, quibus ex Latinis astipulatur Ambrosius [69]. Latinis fere omnibus valde probatur Augustini partitio, qua tria tantum in prima constituit, quibus Dei cultus explicatur ; septem in alia, quibus proximi dilectio jubetur.

Quis enim concedat. Contendit nec dies, nec menses, nec annos præterlabentes conflictos a se Pleromatis Æones significare : ac idcirco desumpta ab his argumenta nihil omnino concludere.

Præfinitive. Ita vet. cod.; delevimus « præfinitione »

Adhuc autem. Caput 41 signatur in vet. cod. cum hac epigraphe : « De Amen et nonaginta novem ovibus, ex quibus una periit et inventa est. » Cæterum, « sinistra, » pro « sinistram » substituimus ex superioribus, quibus quædam dextra, alia vero sinistra, ex Achamoth Matre producta garriunt.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 42.

Pag. 151. *Ipse habitus crucis*, etc. A Justino martyre hæc sane accepisse videtur Irenæus, utpote qui in *Dial. cum Tryphone*, pag. 318, crucem his descripsit verbis : Ὀρθιον γάρ ἐστι τὸ ἐν ξύλον (arrectarius stipes) ἀφ' οὗ ἐστι τὸ ἀνώτατον μέρος εἰς κέρας ὑπηρμένον (vertex cui impingitur titulus aut causa mortis), ὅταν τὸ ἄλλο ξύλον προσαρμοσθῇ, καὶ ἑκατέρωθεν ὡς κέρατα τῷ ἑνὶ κέρατι παρεζευγμένα τὰ ἄκρα φαίνηται (transversum lignum, quod quasi brachia crucis facit), καὶ τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον, ὡς κέρας καὶ αὐτὸ ἔχον ἐστιν, ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι. Quæ ultima verba Scaliger in *Animadversionibus* ad Euseb., p. 118, ita Latine transtulit : « et quod in medio stipite impactum est, ipsum quoque instar cornu eminet, cui insidunt et vectantur ii qui cruci affiguntur. » Unde plura de crucis structura et partibus commentatur : contra quæ tamen disputat Fullerus lib. IV *Miscellaneorum sacrorum*, cap. 12, prolixe ex ipsa Justini martyris et Irenæi collatione probans, istud, in quo insidere dicuntur, qui supplicium dant, non esse distinctum a scabello, cui pedes inniti et infigi solebant.

Pag. 152. *Columnas habebat quinque.* « Quatuor » solum Exod. xxvi, 32, memorantur columnæ velaminis, quibus sanctum sanctorum a sancto distinguebatur; sed ibid., vers. 37, « quinque » dicuntur columnæ ante quas ducebatur velum, quod in introitu

[61] Ephes. III, 18, 19. [62] Lib. de Glor. martyrum, cap. 6. [63] Molan., libr. de sacr. pict.; Lipsius lib. de Cruce. I. [64] III Antiq., c. 6 et 8. [65] I. de Decalogo. [66] In cap. VI Ephes. [67] Lib. de decem chordis. [68] Conc. 1 in psal. XXXII. [69] Quæst. 71 in Exod.

Digitized by Google

tabernaculi erat. Illud igitur, pro hoc, accepit Irenæus memoria lapsus.

Altitudo. « Longitudinem » vel « latitudinem » ponere debuisset Irenæus, quæ utraque « erat quinque cubitorum, per quadrum, » uti locis supra citatis describitur; altitudo autem « trium » erat cubitorum.

102 *Sinistræ manus levamen.* Molestum mihi fuit hoc « sinistræ manus levamen, » nec facile est istud dextre interpretari. Nisi me conjectura fallit, « levamen » hic dicitur a « levare, » id est furari, furto abducere : in qua significatione hoc verbum usurpatum legitur a Gallicis præcipue scriptoribus, qualem Irenæi interpretem quoque fuisse vero est similliimum. Sic Sidonius Apollinaris lib. VII, epist. 2, scribit : « Levat divitem conjugem pauper adamatus, » id est furto abducit. In quem locum commentans doctissimus Savaro, plura ex Gregorio Turonensi aliisque attulit. Quid si itaque « sinistræ manus levamen » interpretemur, id quod a dextra ad sinistram manum subductum est, indeque perditum? Integer sane contextus hanc expositionem bene admittere videtur, eamque haud parum confirmat, quod in « dextra » oppouantur « oves, quæ non perierunt, sed in ovili permanserunt, » non furtiva manu raptæ, vel perditæ.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 43.

Pag. 153. *Si quis autem.* Præoccupatione mus dissolvit argumenta, quæ poterant ab his objici : docetque ex solis numeris, litteris et syllabis, non esse temere de rebus divinis pronuntiandum; quandoquidem incertum et superstitiosum sit.

Et apostolorum. Cod. excusi, « nec apostolorum. »

Qui autem varia. Initium est cap. 42, in vet. cod.

Non enim infectus. Gravis sententia, qua hominem cum Filio Dei comparat, quod ille factus sit, id est ex nihilo, cum prius non fuisset, productus : hic autem non factus, cum sit homoousios et coæternus Patri. Isthæc postmodum sancti alii Patres apertius concluserunt in Nicæna synodo adversus Arii blasphemias, ut ex Symbolo liquet. Athanasius quoque dicit : « Filius a Patre solo est, οὐ ποιητὸς, οὐ κτιστὸς, non factus, non creatus. » Fusius et accuratius oratione 2 et 3 contra Arianos, negotium persequitur; ut et Basilius lib. II *Contra Eunomium.* Augustinus ser. 183 : « Factum vel creatum Dei Verbum dici omnino non potest, per quod facta sunt omnia, » etc.

Proprium. Expunximus, « proximunt; » et ultima lin. « ignarus, » pro « ignarum, » reposuimus auct. vet. cod.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 43.

Pag. 153. *Numero* XX. Quid numerus XX sibi velit, dicere nequeo, indeque suspicor, vel XXX, vel nullum numerum legendum esse. Sed mss. codices hic nos destituunt.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 44.

Pag. 158. *Non enim transibilis est.* Sic lego, pro, « transibilis es, » tum quia finis præcedentis capituli, tum inscriptio istius id aperte docet : et mox scribitur, « indeterminabilis est, » etc. Tradit porro manifestam insaniam esse, supra Deum conditorem hujus mundi, mentem extollere, ut quid eo majus et superius exquiratur : cum adeo immensus ac natura infinitus sit, ut nullo intellectu pro dignitate capi possit. Etenim « habitat lucem inaccessibilem, » I Tim. VI, 16.

Ejusdem adnotationes in cap. 45.

Pag. 154. *Melius ergo.* Non ignaviæ imperitorum patrocinatur, sed jactantiæ et supercilio Gnosticorum occurrit, qui vana persuasione encyclopædiæ omnium disciplinarum inflati, simplicibus petulanter insultabant. Non dissimilia scribit Augustinus serm. 20, de verbis Apostol. : « Melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia. » Et Hieron.[80] : « Melius est aliquid nescire, quam cum periculo discere. » Ignavus esse mavult Nazianzenus, quam plus æquo curiosus; ac nimis timidus, quam nimis audax [81]. Corruptos quorumdam mores, qui se humanarum disciplinarum apices conscendisse putabant, post Tullium et Senecam graviter persequitur Lactantius, lib. III, capite 15.

Melius itaque est. Memorabiles istiusmodi sunt apud Augustinum et plures sententiæ, ut libr. V *Confess.*, cap. 4 : « Infelix homo qui scit omnia, te autem nescit. Beatus autem qui te scit, etiamsi illa nescit. » Et lib. *Medit.*, cap. 5 : « Abs te sapere, est desipere; te vero nosse, est perfecte scire. » Ad finem porro præcedentis sententiæ legimus, « præstiterit » ex vet. cod., sublato « præceperit. »

Quæ hominem vivificat. Recte vitam spiritalem, id est hominis justificationem, tribuit charitati; non soli fidei, quemadmodum imponunt ei Centuriatores.

Quid enim. Cap. 43 signat vet. cod. cum epigraphe, quæ huic cap. 45 ascripta est. Legendum autem proponimus ex vet. cod. : « Quid enim si super hos, » expuncto *s* per; » et paulo post, « Aut iterum si quis » pro « cur. »

Quia nihil omnino horum. Docte ac pie cuncta Dei providentia et consilio gubernari, adversus Gnosticam ac Epicuream perfluiam, defendit; nihilque, aut ejus scientiam fugere, aut præter ejus voluntatem in orbe fieri : « quandoquidem attingat a fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter [82]. » Hoc et Justinus martyr ex eo confirmat [83], quod non frustra, pro rebus humanis, diu noctuque Deum precamur. Et beatus Areopagita scribit : « Deitas prospicit cuncta providentia, bonitateque mirabili, » lib. *De divinis nom.*, cap. 12. Cætera videre licet apud Theophilum Ant., Lactantium, Augustinum, etc.

Ut arenam enumeret. Quatuor his parœmiis eleganter ostendit, inanes non minus et ridiculos esse horum conatus, quam si scyatho mare exhaurire, pondus montium scrutari, flatum venti mensurare, ignem ponderare, et diem, quæ præterierit, revocare molirentur. Similes eulm superioribus sunt hæ, a quibus sacræ Litteræ non abhorrent.

Pag. 155. *Fulmine percussus.* Videtur exprimere Græcum verbum ἐμβρόντητος. Simili quoque proverbiali voce postea utitur cap. 53.

Ejusdem adnotationes in cap. 46.

Pag. 155. *Sensus autem.* Commodius præcedenti capiti hæc prima sententia jungeretur, ut cum argumento indicat vetus cod.

Sunt autem. Caput 44 in vet. cod. cum epigraphe ea, quæ capiti 45 supra affixa est. Observandum quam honorifice de sacris Litteris sentiat. quas attente legit, ad eas alios allegat, ut fontem, quo pietatem hauriant universam. Harum studio et energia Justinus martyr et Tatianus permoti, sectis omnibus philosophorum eodem sæculo valedixerunt, ut Christi placitis sese consecrarent. Earumdem oracula consulere Autolycum hortatur Theophilus, si pœnas evadere et bona perpetua consequi voluerit. Ea denique omnium scriptorum antiquissima et verissima esse non semel postea confirmat lib. II et III *Ad* eumdem *Autolycum.*

Posita sunt. Ita vet. cod.; delevimus « positæ, » et mox negationem « non » præposuimus « ambiguis. »

Sine periculo absolvit. Absolvere parabolas, Græce ὑπολύειν, dissolvere, explicare.

Oppugnantes se. Vet. cod. : « Tantæ videbuntur veritates pugnantes semet invicem. »

[80] In regula monac. [81] De moder. in disput. servanda. [82] Sap. VIII. [83] Dialog.

Digitized by Google

Itaque, secundum hanc rationem. Iterum docet non esse petendam a parabolis certam constantemque regulam fidei nostræ, sed in apertis Scripturis, quæ nonnisi repugnanter possunt in varios diversosque sensus torqueri.

Nulla. Expunximus « nulli; » postea « ad eum, » pro « ab eo, » vet. cod. auct. reposuimus.

Cum itaque. Non vult omnes Scripturas adeo apertas, et cuivis obvias esse, ut nulla sit in eis obscuritas, cum hoc alibi frequenter affirmet; sed eas adeo perspicue et constanter, unum et solum Deum mundi creatorem, et rectorem prædicare, ut nemo qui his attenderit, ignorare possit [54]. Quid enim apertius, quam istud : Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est [55]? » et : « Non habebis deos alienos coram me [56]? » Et sexcenta talia.

Quia enim. Cap. 45 signat vet. cod. cum summa quæ supra tribuitur capiti 44.

Ipsa dictione, neque. Tres has voculas desiderat veter. cod.; quæ vero hic refellit, partim cap. 1 lib. I, partim cap. 16, 17 et 23 recensuit.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 47.

Pag. 156. *Habentes itaque regulam.* Docet quæstionibus vanis et curiosis de Bytho, Propatore, ac Æonibus non esse incumbendum, cum Scriptura perfecte constanterque affirmet unum esse verum Deum, qui omnia fecit et administrat. Porro « exerceri, » pro « exercere, » ex veter. cod. legimus.

Qua manifestissime. Ita vet. cod.; excusi, « quæ manifestissime. »

Si autem omnium. Sacra scripta, ut a Verbo Dei, et Spiritu ejus profecta, omnibus numeris perfecta esse, ideoque magna religione ipsis adhærendum rectissime asserit : sed nec minus pie evincit, ea tantis mysteriis abundare, ut ad eorum intelligentiam revelatione opus sit, cum tanta sit animi nostri caligo, ut ad ea, quæ ante pedes sunt, crebro cæcutiamus, sicut exemplis propositis confirmat. Errant igitur toto cœlo, qui sacras Litteras adeo claras, apertas, et omnibus pervias clamitant, ut quibusvis liceat illotis 103 pedibus et manibus, ad eas tractandas accedere. « Ratio divina, » ait Tertullianus [57], « in medulla est, non in superficie, et plerumque æmula manifestis : nec hæreses esse possent si non et perperam Scripturæ intelligi possent. » Multis etiam in locis per obscuras Scripturas « provisum esse non dubitat » Augustin. « ad edomandam labore superbiam, et intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata, plerumque vilescunt; » lib. II *De doct. Chr.*, cap. 6. Et lib. *Contra Adimantum* : « Aliquando aperte ponitur in Scripturis ipsa divina auctoritas, aliquando autem occultatur, ut et manifestis lector instruatur, et exerceatur obscuris, » cap. 17. Non possum hoc loco non monere, rem istam fusius a Procopio, Gazæo, Præfat. in Isa., elegantissime et gravissime tractari, quam Latinam factam percurrendam mihi aliquando dedit Joannes Curterius, cujus anima pace fruatur, qui totum Commentarium jam edidit in Ecclesiæ utilitatem.

Quippe a Verbo Dei et Spiritu. Quando Spiritum sanctum, simul cum Filio Dei, sacrarum Scripturarum auctorem asserit, plane eum esse natura Deum, omniscium, et omnipotentem agnoscit. Quod paulo post sequitur : « Non est mirum si in spiritalibus et cœlestibus, et his quæ habent revelari, hoc patimur nos, » etc., duplicem continet Hellenismum. Priorem, « habent revelari, » pro, « revelatione opus habent; » vel, « suo tempore revelabuntur; » posteriorem, « hoc patimur nos, » pro, « hoc nobis usu venit. »

Quid enim. De Nili incrementis et eluvionibus A septem diversas philosophorum opiniones recitat Plutarchus lib. IV *De plac. philosoph.* Easdem examinat Plin. lib. V, cap. 9. Diodorus octo etiamnum refert, quarum postremam solummodo probat, lib. I, cap. 4. Suas conjecturas proponit Herodotus in *Euterpe*, quem in his garrire putat Strabo in XVII. Nec unde crescere incipiat Nilus, nec incrementi ejus causas inveniri, omnium, meo judicio, rectissime scripsit Senec. lib. IV *Natur. quæst.*

Sed et volantium. De hirundinum recessu intelligit, quas viciniora loca petere, et apricos montium sequi recessus putat Plin., ubi nudas et deplumes frequenter inventas fuisse asserit, lib. X, cap. 24. Exprobrat Dominus Hebræis stupiditatem, qua judicia sua non advertebant, propositis ciconiis, turturibus, gruibus et hirundinibus, quæ stata tempora recessus sui sagaciter nota nec antevertunt, nec prætereunt, Jerem. VIII, 7.

Quid autem possumus. Plutarchus [58] quinque diB versas sententias de Oceani fluxu et refluxu referens, satis innuit, quam frigide rei nodum solverint philosophi. Illos soli et lunæ tribuit Plin. lib. II, cap. 97, quod et Aristoteli placuerat lib. II *Meteor.* Sacræ Litteræ isthæc omnia divinæ providentiæ ascribunt : quæ mirabiles elationes maris excitat, turbatque profundum, et sonum fluctuum ejus [59]. Reliqua, quæ subjiciuntur, exempla, ex Jobi cap. XXXVIII desumpta videntur.

Si ergo et in rebus. Cap. 46 signat vet. cod. Colligit autem non solum sacrarum Scripturarum verba, dialectos, phrases, et dicendi varias figuras obscuras esse, verum etiam res quæ in his continentur et significantur : quod et post Irenæum etiam approbant Origen. lib. VII *Contra Celsum*; Ambrosius epistola 44; Hieronymus epistola ad Paulinum; Augustinus lib. III *Confessionum*, cap. 5, lib. XI, cap. 2, ac epist. 3 et 119. Hoc ipsum quoque hæresiarcharum ministris tot commentaC riis secum dissidentibus, adversus propriam de perspicuitate utriusque Testamenti jactantiam, contestantibus.

Pag. 157. *Semper enim fides.* Fidem etiam in futuro sæculo permanere, non solus hic Irenæus affirmat, sed et Tertull. his verbis [60] : « Exhauriuntur linguæ, scientiæ, prophetiæ, permanent fides, spes, dilectio, » etc. Memineris fidem duo involvere : primo eam obscuritatem, quam Patres scholastici vocarunt « latentiam objecti; » secundo inconcussam eam certitudinem, quæ omnem dubitationem procul repellit : hanc conditionem posteriorem in beatis spiritibus permanere, recte volunt hi auctores; priorem vero minime. Vel remanet quoad habitum et ornatum; non quoad actus et exercitium.

Si ergo secundum. Cap. 47 signat. vet. cod.

Et sine periculo. Quatuor has voces habebat vet. cod., excusi omnes desiderabant.

D *Antequam.* Origenes lib. III *De principiis*, testatur ethnicos hac quæstione Christianos exercuisse : Si cœpit mundus ex tempore, quid faciebat Deus antequam mundus fieret? Otiosam enim dicere naturam Dei, otiosum simul est et absurdum, vel putare quod bonitas aliquando nihil fecerit, et omnipotentia aliquando non egerit potentatum, etc. Postea vero concludit, eum alios fecisse invisibiles mundos antequam hunc visibilem conderet : quod Judæorum fabulas Talmudicas omnino resipit. Scribunt enim illic, Deum exercuisse se in exstruendis variis mundis; quos ubi condiderat, illico destruebat, atque iterum instaurabat, quoad hunc, quem nunc habemus, mundum facere didicisset [61]. Augustinus [62] rectius censet, quæstionem velut re-

[54] Lib. II, c. 47, et lib IV, cap. 45. [55] Deut. VI, 4. [56] Exod. XX, 3; Deut. V, 7. [57] lib. de resurrect. carn. [58] Lib. III De plac. phil. [59] Psal. XCII, 4; CXIV. 8. [60] Lib. de Pat. [61] Talmud, trac. 4, distinct. 5. [62] Lib. XI Confess., cap. 12.

Digitized by Google

sponsione insignam, potius eludendam, ut cuidam illam proponenti respondit : « Alta scrutantibus gehennam parabat. » Serio tamen dici potest : Dei summam bonitatem et potestatem nunquam obtorpuisse cessando. Semper enim Divinitas extra omnem locum, in seipsa manens, sui contemplatione perpetuo beata, æterna, immutabilique intellectus ac voluntatis actione operabatur; et mundum, quem mente concipiebat, conspiciens, intelligentia pertractans, et voluntate deliberans, eum ipsum in tempore opportuno condere decernebat, atque condidit cum voluit, etc.

Apotelestos. Id est, omnibus numeris absolutus atque perfectus, quantum videlicet ad species (quæ duntaxat de essentia ejus sunt) attinet. Inde autem voluerunt Aristot. et Plin. κόσμον a Græcis appellari, id est ornatum.

Cogitare. Cap. 48 habet vet. cod. « Hæc autem; » cap. 49 vet. cod. : « Deus autem, » caput est 50 in vet. cod.

Labis fructum. Billius Græce : ὑστερήματος καρπὸν καὶ ἀγνοίας προβολὴν ἀποφαίνεσθαι, id est, ignorantiæ fetum, vel, ab ignorantia productum. Id enim eos opinatos esse recensuit libro primo, capite primo. Paulo post, « capit dicere, » vere dici possunt.

Aliud enim est. Existimo eum velle, quoddam esse verbum internum, quod solo animo concipitur et retinetur : aliud externum, quod ore profertur ac emittitur. Hinc enim Lactantius scribit lib. IV, c. 9 : « Melius Græci Λόγον dicunt, quam nos Verbum. Λόγος enim et sermonem significat, et rationem. » Et Hieronymus ait, λόγον Græcis significare verbum, orationem, sermonem, rationem, modum, supputationem : nonnunquam et pro libro usurpari, a verbo λέγω, quod est, dico, sive colligo. Paulo post « quod excogitat, » pro « eo excogitat; » denique « propter spiritale, » loco « per spiritale, » ex vet. cod. substituimus.

Non de semel, sed per partes. Græce, οὐκ εἰς ἅπαξ, καθάπαξ, vel ἀφ' ἅπαξ, videtur legisse, id est non una vice, non cuncta simul. Gallice, *tout en un coup.*

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 47.

Pag. 158. *Quidve de his, quæ ultra eum sunt, enuntiare?* Sic Hilarius in finem psalm. LXVIII ait, quod « mare profunda, infinitaque sui obice mentem humanæ opinionis excedat, ut neque quid extra se, neque quid intra sit, sensu persequente capiamus. » Intellexit vero Irenæus per ea, quæ ultra Oceanum sunt, « eos, qui post ipsum sunt, mundos, » quos memorat Clemens Romanus in *Epist. ad Corinth.*, § 20. In quem locum plura notavit Cotelerius, inter alios Irenæum nostrum allegans.

Pag. 157. *Velocituti enim sensus hominum*, etc. His gemma iterum habet Cyrillus catech. 6, pag. 46 : Ἡ μὲν διάνοια ὀξύτατα νοεῖ· ἡ δὲ γλῶσσα ῥημάτων δεῖται καὶ διηγήσεως πολλῆς τῶν μεταξὺ λόγων· ἅμα μὲν γὰρ ὀφθαλμὸς χορὸν ἄστρων παραλαμβάνει πολύν· ἀλλ' ὅταν τὸ καθ' ἕκαστον διηγήσασθαι βουληθῇ τις, τί μέν ἐστι φωσφόρος, τί δὲ τὸ ἕσπερος, τί δὲ τὸ καθ' ἕν, πολλῶν ἐπιδεῖται τῶν ῥημάτων, etc. « Mens quidem velocissime cogitat; lingua vero multis verbis opus habet, et multa intermediorum sermonum enumeratione. Simul enim numerosum siderum chorum oculus comprehendit; verum si quis singula narrare velit, quid lucifer, quid hesperus, quid unumquodque, longa opus est ratione. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 48.

Pag. 157. *Deus autem.* Hanc sententiam non semel repetit. Vult autem hoc capite, Deum, cum sit spiritalis, infinita et supercœlestis substantia, omnino simplicem, nullaque ratione compositum esse, quod et supra notatum est. Eos vero, qui Ennœam, Nun, et Logon, id est mentem, cogitationem et Verbum ejus nunc secernebant ab eo, mox conjungebant, hisque diversas emissiones ascribebant, compositioni illum subjicere, quod impium et insanum est.

Qui ergo dicit. Caput 51 signat vetus codex cum hoc argumento : « Ostensio quoniam Nus Logos, et Logos Nus; et Nus ipse est pater omnium. »

Generationem ejus. Ex vetere codice, « enarrabit, » pro « enarravit; — « hominum, » pro « hominis; » et « nobis ipsis, » pro « vobis ipsis, » restituimus. Hoc porro Isaiæ testimonium Athanasius ad Epictetum, Alexander ad Alexandrum Constantinop., et alii multo plures ad æternam ineffabilemque Christi generationem **104** referunt : alii ad temporalem, qua, sine viro, ex sanctiss. Virgine natus est. Hieronymus sapientissime ad utramque his verbis : « Aut enim de Divinitate intelligendum est, quod impossibile sit divinæ nativitatis nosse mysteria : aut de partu Virginis, quod difficulter possit exponi. » Plurima in hanc rem tradunt Eusebius libro quinto *Demonstrationis*, cap. 1; Ephrem lib. advers. eos qui naturam Filii Dei scrutari volunt; Nazianzenus orat. 3 de theologia; Basilius orat. de martyre Mamante; Hilarius libro II *De Trinitate*. Ambrosius denique libro *De fide* ad Gratianum ait : « Mihi impossibile est hujus generationis scire secretum. Mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed et angelorum. Licet scire quod Filius natus sit; non licet discutere quomodo natus sit. Illud negare mihi non licet, hoc quærere metus est. »

Pag. 158. *Irrationabiliter.* Caput 52 signat codex vetus, cum hac epigraphe : « Quomodo Dominus quædam concedit Patri, et quæ causa est, propter quam dicit horam a nemine altero cognosci, nisi a solo Patre. »

De die autem illa. De hoc dicemus proximo capite.

Si quis itaque. Gnosticorum impudentem temeritatem in scrutanda Verbi æterna generatione, quanto potest rationum et sententiarum pondere, reprimit, quibus et ii absterreri deberent, qui de eadem, non Scripturis, sed Aristotelicis ratiocinationibus nixi audacter disserunt, colligunt, definiunt, quæ Christiano silentio adorare præstaret. Longe majore religione sacrum hunc montem attigerunt antiquioris et sincerioris theol. antistites. « De supersubstantiali secretissimaque deitate, » ait Dionys. Areopag. [63], « neque dicere quidquam, neque cogitare præsumendum est aliter, quam sacra eloquia pie, admodumque caste nobis tradiderunt. » Et expositor Symboli apud Cyprianum : « Quomodo Pater genuerit Filium, nolo discutias, nec te curiosius inseras in profundi hujus arcanum; ne forte dum inaccessæ lucis fulgorem pertinacius perscrutaris, exiguumque ipsum, qui mortalibus divino munere concessus est, perdas aspectum. » Ac, ut paucis multa contraham, Clemens epist. 1 ad Jacobum; Justinus in *Dial.*; Chrysostom. hom. 4 in Matthæum; Cyrillus libr. 1 *Thesauri*, cap. 5; Venantius in Symbolum, post hunc nostrum Irenæum, angelicis etiam mentibus inaspectabile et incomprehensibile mysterium istud omnes constanter affirmant : quod plumbei, et vere σκοτεινοί homunciones quidam explorasse se et explicasse sibi videntur.

Ejusdem adnotationes in cap. 49.

Pag. 158. *Non ergo magnum.* Colligit nec ingenii, nec reconditi mysterii esse humanas emissiones Deo tribuere; materiam omnium a Deo conditam; multaque divinæ sapientiæ commendanda esse. Multa porro ex vet. cod. restituimus, quæ (ut alibi fere semper) virgulis inclusimus. Cæterum hoc loco præterire nec potui, nec debui, Philippum Melanchthonem a Schlusselburgio [64], aliisque Luthe-

[63] Lib. de divin. Nom., cap. 1. [64] Lib. II Theol. Calv., art. 6.

Digitized by Google

ranis symmistis traduci, quod Basilidis, Marcionis, et reliquorum veterum hæreticorum, quos Irenæus superioribus duobus cap. atque præsenti coarguit, stultissima adversus æternam Filii Dei generationem somnia reparare nisus fuerit, scribens in Misnica corpore doctrinæ, pag. 310 « illum esse natum cogitatione Patris. » Non potest Ecclesia, inquiunt, hanc opinionem pro articulo fidei tolerare : 1° Quia nullum manifestum Scripturæ testimonium pro ea re habetur. 2° Quia est somnium non tantum stultæ rationis ac philosophiæ, sed etiam veterum hæreticorum. 3° Quia in primitiva Ecclesia hic error est gravissime damnatus, ut ex Irenæo apparet. 4° Quia non procul discedit a Samosateni et Serveti impia speculatione, qui dixerunt, Verbum Patris esse cogitationem evanescentem. 5° Ex hoc sequuntur multa impia. Nam si cogitatio Patris est ὑπόστασις separata, cur non et Filii et Spiritus sancti. 6° Si separes a Patris persona ejus substantiales cogitationes, quid in persona remanebit, nisi inane nomen? 7° Humana ratio non potest certo statuere, quomodo culex aut pulex generetur : quæ est ergo temeritas de æterno Dei Filio sic statuere? Hactenus illi, nec admodum male. Atque utinam sic tam Lutheri sui, quam ejusdem Philippi reliquos omnes errores ad sanctissimæ antiquitatis regulam et primitivæ Ecclesiæ trutinam diligenter et fideliter examinarent : ita enim et seipsos et innumeros alios a fœdissimis hæresibus eluerent, et ab æternis suppliciis, iquæ pro certo cunctis hæreticis et schismaticis parata sunt, liberarent.

Hunc quasi ipsi. Ita vetus cod.; excusi habebant, « hunc quasi ipsum obstetricaverint primi, et generationis ejus, » etc.

Fantasmari. Locus iste hactenus plurimos torsit, aliis « fastos mori, » aliis « factos morti, » legendum suspicantibus : restitutam nunc puto ex vet. cod. germanam lectionem : « Neque nos fantasmari oportet ex opinionibus propriis : » sic enim vetus interpres Græcum φαντάζεσθαι reddere studuit. Expunximus «fastos mori, exponi omnibus.»

Suppedaneum. Sic legit etiam Cyprianus lib. II *Adversus Judæos*, capite vigesimo sexto, Gr. ὑποπόδιον.

Et divisiones. Expunximus « divisio nos. »

Post deinde. Quæ hic refellit de numeris, litteris et syllabis, recitavit libro primo, capite decimo et undecimo. Docet autem nullum exstare in Scripturis testimonium, quo possint affirmare figmenta sua per litteras, syllabas, vel numeros ex his deductos. Paulo post, « est autem quando, » etc., dicitur Græca phrasi, pro «interdum autem.»

Etenim si quis exquirat. Existimarunt nonnulli, his verbis, beatum Irenæum Christo Domino ignorantiam simpliciter tribuere, qui certe lapsus esset, magis condonandus ei, qui ardore retundendæ impietatis Gnosticorum, qua supra Patres, apostolos, prophetas, imo et Christum ipsum sapere sese jactabant, hoc minus caute dixisset, quam procaciter et odiose exagitandus. At mihi longe aliud videtur. Qui enim fieret, ut Christo nunc ignorantiam affingeret, qui toties in superioribus Gnosticos impietatis reos egit, quod Sophiam et Monogenem Patris ignorantiæ passionibus subjicerent? Aut quomodo hic ignorationis tenebris involveret eum, quem tanto fervore Deum deorum, et Dominum omnium, Patri omnino æqualem et coæternum, plusquam Salomonem et Jonam, vivorum et mortuorum judicem passim inculcat?

Ergo tantum vult Christum diei postremi notitiam, de qua agitur, ad Patrem referre : sicut opera, vitam, imo et deitatem ipsam ab eodem æterna generatione accepisse palam profitetur; ut sapere nos doceat ad sobrietatem, neque erubescamus difficilium quæstionum labyrinthos Deo reservare. Hanc Irenæi mentem esse, mecum, arbitror, judicabit, quisquis pie, accurate, et nullis errorum passionibus in transversum acto animo superiora ejus scripta cum præsentibus expenderit.

Cæterum, sententiam eam, qua videtur Marcus horam et diem judicii Christum æque ac angelos latere voluisse, Ariani olim torquebant, ut ipsam creaturam esse, et neutiquam Patri homoousion assererent, quemadmodum Athanasius [65] et Hilarius [66] referunt. Photinus quoque apud Vigilium martyrem, Christum pernegat Deum esse, quod diem judicii se ignorare fateretur. Agnoitas quosdam hæreticos inde nominatos tradit Isidorus, quod Christo diei judicii ignorantiam impingerent. Ne vero a superioribus Gnosticis latum unguem discederent posteriores, Calvinianos eo impietatis progressos legit ætas nostra, ut Christo Jesu, Deo et homini, Salvatori nostro, ignorantiam rerum multarum tribuant. « Ipsum enim ut corpore, sic et animo adolevisse » vult Brentius [67]. « Fabrum idiotam » Osiander vocat [68]. « Communi hominum ignorantiæ » subjicit Rodolphus Gualtherus [69]. « Non habuisse omnem scientiam ab initio (ut somniant papistæ) sed per gradus, » blatterat Molinæus [70]. « Ita ignorasse, ut disceret ipse, atque erudiretur more hominum, » non erubuit scribere Gallasius, Adnotationibus in hunc Irenæi locum.

Annon hoc est ῥᾳδιούργημα illud, id est fallax et suppositum commentum Gnosticorum, quo somniabant Christum sub ferula præceptoris alphabetum didicisse, ut lib. I, cap. 17, Irenæus retulit? Sed præstat hæc viperarum genimina telis iis conficere, quibus olim Arianos Hilarius [71] : « An credibile, ait, ut aliquid ex omnibus nesciat, qui omnibus ad id quod sunt, atque erunt, auctor est? Si omnia per Christum, et in Christo, et ita per ipsum, ut omnia in ipso sint, id quod neque extra eum, neque non per eum est, quomodo non etiam in scientia ejus sit? Cogitationes humanas, non tantum præsenti motu incitatas, sed etiam instinctu futuræ voluntatis agitandas, Christus non ignorat, Evangelio testante : « Sciebat Jesus ab initio qui essent non credentes, et qui esset traditurus eum [72]. » De eo scriptum meminerimus : « Omnia per ipsum, « et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes [73]. » Et illud : « Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et omnia in ipso « reconciliari [74]. » Christus aderit, et adventus sui diem ignorat? Dies suus est, secundum Apostolum [75], et ignoratione ejus detineri intelligendus est? Humanæ naturæ, quod agere definiunt, præsciunt, et sequitur gerendorum conditio voluntatem agendi : Deus vero natus, quod in se, et per se est, nescit? Non patitur in nobis doctor gentium Paulus hanc impii erroris professionem, ut ignorasse **105** aliquid unigenitus Deus existimetur; ait enim : « In eo sunt omnes thesauri sapientiæ et « scientiæ absconditi [76]. »

His Hilarii verbis addo gravissimum Augustini judicium [77] : « Ignorantiam, » inquit, « nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut inhabitaret in nobis : nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis. »

Latinis duobus totidem Græci ætate superiores, nec pietate aut doctrina inferiores, accedant. Justinus martyr aperte scribit [78] : Προσάπτειν τῷ Χριστῷ ἄγνοιαν, ἐστὶν ἀσεβές, « Christo ignorantiam tribuere, impium est. » Et Clemens Alexand. : « Christus hodie regeneratus, jamne est perfectus,

[65] Ser. 4 contra Arian. [66] Lib. IX de Trin. [67] Hom. 19 in Luc. [68] Conjectura 4 de fine mundi. [69] Hom. 112 in Marc. [70] In Harmon. [71] Lib. IX de Trin. [72] Joan. VI, 65. [73] Joan. I, 3. [74] Coloss. I, 16. [75] I Thess. V, 2. [76] Coloss. II, 3. [77] Lib. II de pec. merit. et remiss., cap. 29. [78] Quæst. 58 ad orthod.

Digitized by Google

an, quod est absurdissimum, ei aliquid deest? Sed si ita est, ut aliquid disceret opus fuit. Sed cum Deus esset, nihil didicisse fuit consentaneum.» Lib. I *Pædag.*, cap. 6 et 11.

Superest igitur ut cum beato Petro, apud Clementis *Recogn.* [79] credamus, Christum ideo se diem et horam nescire professum, ut totum revocaret ad Patrem. Aut cum Hilario, eo sensu quo, ut clamorem Sodomæ et Gomorrhæ resciret, descendisse dudum dixerat. Aut cum Augustino [80] et Basilio [81] intelligamus, quia hoc utiliter occultabat discipulis, nescientem se dixit, quia non conferret hominibus tunc judicii tempus audire, quos nescientes occultando faciebat. Hieronymus particulam, « neque Filius, » in quibusdam exemplaribus Latinis additam fuisse, eamque Græca, maxime Pierii et Adamantii ascriptam non habere testatur, *Commentar.* in XXIV Matth., quæ ne ab Arianis adjecta fuerit, multis non levem suspicionem forte injiciat. Lutheranis porro hunc errorem propugnantibus ipsum Lutherum opponO, M. Stifel de hoc percunctanti respondentem : « Christum etiam secundum humanitatem bene novisse tempus judicii. Nescire autem debere ad aperiendum hominibus, quoniam non ideo missus erat. » Hæc refert Rebenstock tom. I *Colloquiorum*, pagina 50. Calvinianis secum repugnantem objeci Calvinum, dialogo 4.

Ejusdem adnotationes in cap. 50.

Pag. 159. *Revertamur.* Vetus codex hic signat caput 53, cum hoc argumento : «De natura animæ.» Quæ vero refellit, recensuit libro primo, non longe a medio capitis primi. Tradit autem mera figmenta esse, quæ de Matre in Pleroma redeunte, et animali Demiurgo nugahantur.

Justorum autem animas. Docet animas justorum non salvari, propterea quod sunt spirituales substantiæ, pari etenim jure omnes servarentur, nullæque æternis ignibus adjudicarentur. Salvabuntur autem propter fidem, justitiam et operas justas : quæ quoniam cum corporibus et per corpora sua iis incubuerunt, et ipsa quoque servari necesse est, dicente Filio Dei : « Qui bona fecerunt, procedent in resurrectionem vitæ [82]. » Errat itaque, ut pie docet Augustinus [83], qui putat, quando ad judicium Dominus venerit, non judicari hominem secundum opera sua, qui jam per ætatem uti potuit libero voluntatis arbitrio. Ait enim Scriptura : « Ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum : gloria autem et honor, et pax omni operanti bonum [84]. Referet unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum, sive malum [85], » etc. Hæc, rogo, diligenter observent solius fidei assertores.

Superflua autem et discessio. Billius : « Hoc loco excuti mihi non potest, quin pro, « discessio, » reponendum sit, « descensio, κάθοδος. » Hoc enim vult Irenæus : Si non ob virtutem, sed ob substantiam salus animis humanis comparetur, nihil esse necesse, quamobrem quispiam fidem suscipiat : imo etiam nullam causam fuisse, cur Christus in terram descenderet : cum et citra fidem, et citra Christi descensum, salutem omnes animæ consecuturæ sint, cum sint unius ejusdemque substantiæ omnes, etc. Infra multa sunt ita ægra, ut nisi melioris exemplaris adjumento sanari vix possint.

Ejusdem adnotationes in cap. 51.

Pag. 160. *Quia enim.* Corpora sanctorum eumdem cum animis locum refrigerii participatura ostendit, eo quod justitiæ operibus et ipsa participarint. Idem argumentum sequitur Tertullianus, ut fusiore, sic vehementiore stylo : « Dum caro nostra, inquit [86], ministra et famula animæ deputatur, consors et cohæres invenitur; si temporalium, cur non et æternorum? » etc. Usum porro hujus loci aperit his verbis Cyrillus Jeros. catech. 4 : « Modeste ut tractes corpus hoc te moneo : et cognosce quod cum corpore resurges ad judicium. »

Emerget. Ita vetus cod.; excusi, « et integer, » quod expunximus.

Ejusdem adnotationes in cap. 52.

Pag. 160. *Hi autem.* Caput 54 habet vet. cod. cum hac epigraphe : «Quoniam secundum illorum sermonem, cum animæ serventur, necesse est corpora participare salutem.» Quæ vero hoc capite arguit, habentur lib. I, cap. 1.

Quid autem est. Caput est 55 in vet. cod. cum argumento cap. 51.

Quid ergo adhuc. Capitis 56 initium est in vet. cod. cum argumento cap. 52.

Ad quem. Delevimus, « atque, » auct. vet. cod. consentiente Bibliorum contextu : ut circa initium capitis pro « quando » reposuimus « primum quod. »

Ejusdem adnotationes in cap. 53.

Pag. 160. *Et universæ.* Colo tantum dirimenda a calce superioris capitis mihi videtur prior hæc sententia.

Super eos qui fabulis referuntur gigantes. Gigantes quidem fuisse convenit inter sacros et profanos universos auctores : sed quia de illorum ortu et proceritate magna est dissensio, paulo altius repetita hæc adnotare libuit. Fabulatur Hesiodi *Theogonia*, illos e terra Urani sanguine respersa natos, cum ei Saturnus filius verenda abscidisset; cui assentit Diodor. libro quarto. Homines patres eosdem non habuisse, tradere librum nomine Enoch evulgatum, ob idque suppositilium recte a prudentibus judicatum fuisse, XV *De civit. Dei*, cap. 23, docet Augustin. « Igitur secundum Scripturas canonicas, » subjicit idem, « Hebræas atque Christianas, multos gigantes ante diluvium fuisse, terrigenæ societatis hominum cives, dubium non est. Nec mirandum quod de filiis Seth nasci potuerint, cum hinc ostendere vellet Creator, non solum pulchritudines, sed et magnitudines corporum, non magni pendendas esse sapienti. » Et quæst. 4 in Genes. facile creditu scribit, grandes et fortes ex mulieribus nasci potuisse, « quia et post diluvium quidem tales reperti fuerint, et quod quædam corpora virorum et feminarum ad incredibilem modum ingentia sæculo suo exstiterint. » His adjicit Cyrillus [87], deformitate illa vultus et vastitate monstrosa corporis, iram divinam scelera hominum vindicasse. Theodoretus [88] audiens Scripturam divinam dicentem de Enoch, quod a gigantibus oriundus erat; et Og ferreum cubile novem cubitorum longitudinem, et latitudinem quatuor habere; exploratores item narrantes instar locustarum se fuisse in conspectu illorum, et dicentem Dominum : « Tradiderunt Amorrhæum, cujus altitudo erat tanquam cedri, et robustus ut quercus [89] : » optimo jure opinatur fuisse quosdam pergrandes homines. Nec puto aberrare Josephum, cum propter corporum magnitudines atque formas, in nullo aliis hominibus proximas, cæteris ultra modum admirabiles illos exstitisse scribit, libro quinto *Antiq.* Hebræi alii eos « Nephilim, » id est cadentes, dictos putant, quod homines illorum conspectu timore oppressi caderent : vel quia in diluvio (quod propter eorum exsecrabiles et nefarias libidines immissum recte asserit Berosus) ceciderunt, ut de illis dicat Job cap. XXVI : «Gigantes gemunt sub aquis;» vel quod ruina magna caderent ob staturæ proceritatem. Atque hæc de ortu et proceritate eorum.

Cæterum, conatus illorum narrant profani scriptores fuisse, ut tres maximos montes Olympum, Ossam, Pelion aggererent, sperantes se hoc modo

[79] Lib. X. [80] Lib. I de Gen. cont. Manic., cap. 22. [81] Lib. IV contr. Eunom. [82] Joan. V, 29. [83] Epist. 47. [84] Rom. II, 9, 10. [85] II Cor. V, 10. [86] Lib. de resurr. carn. [87] Lib. III in Genes. et IX contra Jul. [88] Quæst. 48 in Genes. [89] Amos II, 9.

Digitized by Google

facile sibi viam munituros, qua ad ætheream sublimitatem evaderent, superis bellum inferrent, Jovemque cœlo deturbarent : sed misso fulmine ipsos periisse. Inde natum proverbium : Γιγάντων ἀπόνοια, Gigantum arrogantia, in eos qui temere res non tentandas, ut adversus Deum pietatem, jus et æquum, moliuntur, quod inauspicato semper illis recidit. His igitur admodum apposite Gnosticos similes dicit Iren. ac deinceps hæreticos omnes, qui Deo rebelles gaudent errore suo, et tunc gloriantur, quando Ecclesiæ contumeliam fecerint, Origen. homil. 7 in Num., et Hieronym. in XXIV Isaiæ.

Vana. Ita pro « vani » supposuimus auctor. veter. codic.

Elleborum. Ellebori duo genera faciunt Plin. [90] et Dioscor. : candidum, quo vomitiones cientur, stomachus et superior venter purgantur; et nigrum quo alvus inferior diluitur. Utrumque autem adversus melancholiam remedium efficax habere, capitis mentisque levare vitia, antiquis persuasum fuit, indeque insanientes menteque parum constantes, ἑλλεβόρου δεῖσθαι, id est elleboro opus habere, dicti sunt.

106 *Meliorem enim.* Cap. 57 signat cod. vetus, cujus auctoritate « melior » delevimus.

Pag. 161. *Ab operibus itaque.* Jure optimo non tantum Demiurgo inferiores, sed ne digni quidem, qui apostolicorum calceorum corrigiam solverent, eos esse coarguit, cum nec vitæ puritate, nec operatione miraculorum ullo modo eorum dogma fulciretur. Eodem pacto conficit illos postea Tertullian. : « Probent se, ait [91], novos apostolos, eadem signa edant. Volo igitur et virtutes eorum proferre, nisi quod agnoscam et maximam virtutem illorum, qua in perversum apostolos æmulantur. Illi enim de mortuis vivos faciebant; isti de vivis mortuos faciunt. » Hoc pacto et Augustin. Manichæos alloquitur [92] : « Sic nec Scripturarum auctoritatis antiquitas, nec miraculorum potestas, nec morum sanitas, nec rationis veritas vos asserit : abite confusi, et redite confessi, » etc. De miraculis posteriorum Gnosticorum id tantum adjicere visum est, quod anno Domini 1526 scripsit Erasm. Roter. in diatriba *De lib. arb.* : « Apostoli, ait, quoniam excutiebant viperas, sanabant ægrotos, excitabant mortuos, imposita manu dabant dona linguarum : ita demum creditum est, et vix creditum est illis paradoxa docentibus. Nunc cum juxta communem opinionem afferant pene paradoxotera, nullus illorum adhuc exstitit, qui vel equum claudum sanare potuerit. » De his rursus cap. 56.

Eduxerunt. Expunximus « adduxerunt, » auct. vet. cod.

Ejusdem adnotationes in cap. 54.

Pag. 161. *Erant enim.* Caput 58 habet cod. vetus; quæ vero hic refellit, recensuerat lib. I, cap. 1. Salse autem eos ridet, quod jactarent se conceptionem spiritalem esse illorum Æonum, qui ad Pandoræ formationem sua contulerant, supra cap. 57, cum potius essent abortivi projecti, ad nihil prorsus utiles aut commodi.

Matri. Delevimus « matris, » et infra pro « si, » reposuimus « sic, » auct. vet. cod.

Sic autem et hi. Subsannat eos, eo quod dicerent se feminas esse, quæ supra Demiurgum, id est hujus mundi creatorem Deum, ascendere possent ad angelos viros suos.

Si autem contenderint. Dilemmate probat Bythum nihil prorsus terrenorum aut cœlestium condidisse; sed solum Deum omnipotentem. Interim, tam hic quam paulo superius enumerantur septem ordines angelorum : quibus si addas cherubim et seraphim, novem comperies.

Ejusdem adnotationes in cap. 55.

Pag. 162. *Quoniam autem.* Caput 59 signat vetus cod. cum epigraphe hic affixa. Expunximus autem tres dictiones, « quoniam » pro « qui, » — « spiritales conditiones, » pro « spiritalis conditionis, » reponentes auctor. vet. cod., et significat « quoniam, » idem quod ὅτι apud Græcos.

Tradit autem spiritales creaturas, ut puta novem angelorum ordines, innumerosque alios beatos spiritus (*Apoc.* VII) in cœlis esse, Paulumque in raptu audivisse arcana cœlestia; universa porro illa subesse Creatori, seu Demiurgo. Itaque non esse super eum quæremdam aliam rerum spiritalium dispositionem vel plenitudinem. Aut si esset aliqua, Paulus procul dubio ad ejus contemplationem raptus et admissus fuisset.

Jam et ipse subjectus Salvatori, ut dicunt. Sic legimus cum veteri codice. Expunximus vero, « subjectis salvationi dicunt. »

Et hæc cum interior homo. Græco ritu dicitur, « et hæc, » pro « idque. »

Pag. 163. *Et vere est.* Confirmat nec Demiurgum esse animalem, qui cœlestes spiritus cœlestiaque corpora perfecerit : nec Gnosticos esse spiritales, aliis vi majore præditos, quippe qui nec quidem muscam aut culicem possent efformare.

Si autem animalis. Caput 60 habet cod. vet.

Qui nullius operationis. Id est « in eorum potestate non est quidquam operari. » Græce, οὐδενὸς ἔργου κύριοί εἰσι. Sic etiam infra : « Et est substantia hominum voluntas ejus : » pro, « Sola ipsius voluntate homines in ortum producti sunt. » BILLIUS.

Hic est qui. Vetus cod. : « Hic qui est. »

Quem prophetæ præconiant. Κηρύττουσιν, « prædicant. » Sic enim κῆρυξ, id est « præco, » deducitur a verbo κηρύττω, « prædico, præcono. » Cæterum, veteribus Gnosticis longe se deteriorem et nequiorem præbuit Valentinus gentilis, quando ex hoc Irenæi loco nisus est Filio Dei coæternam unicamque cum Patre divinitatem suffurari. Hic enim tantum asseritur, unicum esse Deum creatorem omnium, utriusque Testamenti auctorem, qui per Christum cunctis innotuit. Tantum abest vero ut Filii divinitas infirmetur; ut e contrario evidenter et constanter confirmetur, quando omnia per ipsum facta et aptata esse, ut per virtutem et sapientiam Patris, ex Paulo probatur; et semper coexstitisse eidem Patri, verbis clarissimis prædicatur : quibus efficitur Filium esse eumdem natura cum Patre Deum æternum et consubstantialem. Virtus namque et sapientia Patris non est ei accidens, quod cum tempore contigerit; sed Deus ipse, cui juxta August. non est aliud sapere, posse et intelligere, quam esse. Vox autem « solus, » aliquoties repetita, excludit fictitios Æones, Bythos, Achamothas, etc., non Filium aut Spiritum sanctum, ut cuivis legenti pervium est.

Ejusdem adnotationes in cap. 56.

Pag. 163. *Destructis itaque.* Cap. 61 signat vetus cod. Porro elegantissima ἀναχεφαλαιώσει ea fere omnia perstringit, quæ hactenus toto hoc secundo libro effuse disseruit, nominatim contra Valentinianos; eadem in reliquos etiam hæreticos dici posse confirmans.

Pag. 164. *Avertes et confundes.* Expunximus « avertens et confundens, » auct. vet. cod.

Nec enim cæcis. Non levis est disputatio inter theologos, an hæretici aliquando vera miracula edere possint, quod hic diserte negat Irenæus. Auctor *Quæstionum* apud Justinum, quæstione 100, aperte negat, per hæreticos vivos aut mortuos gratiam divinam donis illis fungi. Simoni Mago præstigias ostentanti sic respondentem Petrum apost. facit Clemens Rom. lib. III *Recogn.* : « Ut magi Pharaonem dementabant, arte dæmonum Moysi re-

[90] Lib. XXV, c. 5. [91] Lib. Præscript. [92] Lib. XIII contra Faust., cap. 6.

Digitized by Google

stentes [93] : ita et tu mihi. Sed vera miracula semper hominibus prosunt, ut dum curantur infirmi : falsa vero tantum ostentui sunt, ut canes cæcos latratus edere. Malignus autem miracula, quæ hominibus prosunt, facere non potest, nisi in fine mundi tantum. » Manichæis exprobrat Augustinus [94] : « Miracula non facitis, quæ si faceretis, etiam ipsa in vobis caveremus, per instruentem nos Dominum et dicentem : « Exsurgent multi pseudo-Christi, et « facient signa et prodigia [95]. »

Ferunt quosdam conatos esse miracula edere, ut his errores suos comprobarent : sed Deo impietatem eorum reprobante et patefaciente illorum consilia, in confusionem et perniciem auctorum conversa sunt ; sicuti ministrorum Baalis, et magorum Pharaonis, et filiis Scevæ, ut in sacris refertur [96]. Simon Magus enitens in cœlos volando conscendere, sic in terram allisus est, ut fractis cruribus jam ambulare non posset [97]. Polychronius coram Constantinop. synodo in Trullo coacta, recipiens se mortuum suscitaturum, cum multis horis id frustra tentasset, a cunctis explosus est [98]. Manes pollicitus se regis Persarum filium lethali morbo correptum sanitati restituere posse, eodem exstincto, graves, dignas tamen pœnas exsolvit [99]. Ariani filium imperatoris Valentis infirmitate gravi decumbentem relevare non potuerunt [1]. Cirola pseudoepiscopus eorumdem Arianorum, hominem 50 aureis inescatum, ut cæcum simularet, et publice ab eo sanari postularet, cum id facere tentavit, magno sui et aliorum Arianorum dedecore, penitus excæcavit. Simile facinus, parique fraude tentavit et alius Arianus episcopus, regis Lewildi inductus imperio, sed eodem prorsus eventu, hæreticis ignominioso, piis vero ridiculo [2].

Veteribus exemplis hæc nova jungamus, ut idem divinum judicium adversus easdem fraudes diaboli atque ministrorum ejus observemus. Scribunt Lindanus et Surius, Lutherum in Albi flumine submersum quemdam Wilhelmum Nesenum ad vitam revocare voluisse : sed omnino frustra. Refert Fredericus Staphylus, se eidem Luthero tum adfuisse, 1545, cum dæmoniacam puellam e Misnia Wittembergam sibi ad curandum perductam, exorcismis a se conflictis sanare tentavit. Dæmon autem cedere nolens, Lutherum in eas redegit angustias, ut via vi eidem patefacienda fuerit, ut e sacrario seipsum cum asseclis fugiendo servaret. Testatur etiam Biedembachius [3] cum Surio [4], Lutheranæ doctrinæ ministros Augustæ Vindelicorum, anno 1563, tentasse dæmonium e corpore cujusdam puellæ, Michaelis Rossimanni civis Augustani filiæ, in confirmationem verbi sui expellere ; sed pari cum præceptore suo dedecore ac infelicitate. Et ut Lutheranis Calvinianos subjiciamus, Hieronymus Bolsecus in *Vita Calvini* scribit, eumdem Calvinum non aspernata pecuniæ summa Burlæo cuidam Ostunensi persuasisse, ut mortuum se simularet, ut ex composito per Calvinum suscitaretur : sed divina ultione, cum id tentaretur, exstinctus est, et hæresiarcha spe sua delusus. Turrianus perdoctus sane et gravis auctor est [5], quid simile accidisse **107** in Polonia cuidam Matthæo egenti, qui spe lucri a ministro inductus in eamdem simulationem, in ipso conatu infelicem exhalavit animam. Genebrardus denique refert [6], alium ministrum in oppido Picardiæ Chalnico (Gallice, *Chaugny*) hominem a dæmone possessum, sacco inclusum, in Isaræ fluvium abjecisse ac demersisse, cum malignum spiritum ab eodem abigere nequivisset : quod in perpetuam Calvinianorum ignominiam cessit. Patet igitur hæreticos, nec cæcos illuminare, nec dæmones e corporibus obsessorum, præter eos forsan, qui, ut ait Irenæus, ab ipsis immitterentur, expellere, nec alia vera miracula perficere posse. Et de hac parte negante, quæ mihi certe magis probatur, hactenus.

Qui partem oppositam defendunt, secum sentire Tertullianum lib. III *Contra Marcionem*, volunt : ubi solam speciem per documenta virtutum Christo ad testimonium competisse negat, quam et ipse postmodum exauctorarit : « Siquidem, ait ille, edicens multos venturos et signa facturos, et virtutes magnas edituros, temerariam signorum et virtutum fidem ostendit, ut etiam apud pseudochristos facillimarum. » Nec parum causæ suæ patrocinari putant, quæ historiis suis prodiderunt Sozomenus lib. I, cap. 14, et Socrates lib. VII, cap. 17 et 18, de miraculis quorumdam Novatianorum. Neque absurdius arbitrantur hæreticos, qui tantum aliquot articulis a nobis dissident, vera miracula edere posse, quam Judæos, quos ex Josephi libr. VIII *Antiq.*, cap. 2, et Irenæi lib. II, cap. 5, constat, vexatos a dæmonibus curasse. A se quoque stare Augustinum, libr. II *De serm. Domini in monte*, cap. 40, et fusissime omnium libro LXXXIII *Quæst.*, q. 79, non leviter contendunt. Quibus vero magis adhærendum sit, pronuntiet Ecclesia. Vide annot. in cap. 8 libri primi.

Esse autem resurrectionem. Explicatius Tertullianus [7] : « Resurrectionem mortuorum manifeste annuntiatam, in imaginariam significationem distorquent, asseverantes mortem etiam ipsam spiritaliter intelligendam. Non enim hanc esse dissidium corporis et animi, sed ignorantiam Dei, per quam homo mortuus Deo non minus in errore jacuerit, quam in sepulcro. Itaque et resurrectionem eam vindicandam, qua quis adita veritate redanimatus et revivificatus Deo, ignorantiæ morte discussa, velut de sepulcro veteris hominis eruperit. Hoc denique ingenio, etiam in colloquiis sæpe nostros decipere consueverunt, quasi et ipsi resurrectionem admittant. Væ, inquiunt, qui in hac carne non resurrexerit. Tacite autem sentiunt : Væ qui non, dum in hac carne est, cognoverit arcana hæretica ; hoc est enim apud illos resurrectio. »

Quapropter etiamsi observaverit quis. Magnam esse κοινωνίαν inter hæreticos et cacodæmonas, annotavimus in caput primum libri primi : hic tantum addere libet quæ Tertullianus habet [8] : « Notata sunt etiam commercia hæreticorum cum magis quampluribus, cum circulatoribus, cum astrologis, cum philosophis curiositati deditis. Adeo et de genere conversationis qualitas fidei æstimari potest : doctrina index disciplinæ est, etc.

Pag. 165. *Nihil esset.* Expunximus « esse ; » et mox « opinione, » pro « opinioni » restituimus, auct. vet. cod.

Ex Jo. Er. Grabii adnotationibus in cap. 56.

Pag. 164. *Ea quæ sunt extra veritatem transferentes ad charactерem suæ doctrinæ.* Græce, τὰ ἔξω τῆς ἀληθείας μετενέγκαντες εἰς χαρακτῆρα ἰδιοσκαλίας ἑαυτῶν. Intelligit vero per « ea quæ sunt extra veritatem, » mathematicas, vel alias philosophicas a doctrina Christiana alienas hypotheses, uti patet de Basilidianis ex superiori pag. 99, col. 2, lin. 7 (pag. 102, col. 2, l. 18), seqq. Ita etiam mox pag. seq. ait : « quæ sunt veritatis, » id est quæ ad sacram doctrinam pertinent, vel ex S. Scripturis sunt petita.

Draconis. Antichristum venturum in dicto Apocalypseos loco intellexit Irenæus, quem et alii postea Patres sunt secuti.

Pag. 165. *Non solum qui mœchatur*, etc. Gemina

[93] Exod. VII, 11 ; II Tim. III, 8. [94] Lib. XIII cont. Faust. cap. 5. [95] Matth. XXIV, 24. [96] Actor. XIX, Exod. VII, III Reg. XVIII. [97] Epiph. contr. hæres. 21. [98] Con. Act. 15. [99] Cyril. Jeros., catech. 6. [1] Sozom., lib. VI, cap. 16. [2] Gregor. Tur., lib. II Histor. Franc., cap. 3, et lib. II De gloria sanct., cap. 12 et 15. [3] Lib. VII Collat. [4] Lib. de reb. per orbem gestis. [5] Lib. I de dog. charact. [6] Lib. IV Chron. vol. anno 1560. [7] Lib. de resurrect. [8] L. Præscript.

Digitized by Google

prorsus docuit non modo Justinus martyr *Apolog.* 2 (1), *pro Christianis*, pag. 62 seq., sed et Basilides hæresiarcha lib. XXIII *Commentariorum in Evangelium*, cujus verba vide tom. I *Spicilegii hæreticorum* sæculi II, p. 40.

Sine causa. Ex hoc loco et lib. IV, cap. 31, forte an colligeret quispiam, Irenæum Matth. V, 21 legisse εἰκῇ, quod aliqui ex Latina versione, in qua jam Cypriani ævo lectum fuisse ex scriptis ejus colligitur, in sacrum N. T. codicem irrepsisse putant. Obstat tamen huic argumento, quod auctor noster lib. IV, cap. 27, scribat : « Dominus præcepit pro eo quod est : Non occides, neque irasci quidem. » Unde et aliis in locis Latino Irenæo ab interprete vel scriba quodam istud, « sine causa, » insertum videri posset. Sed vix quidpiam certi citra temeritatis notam affirmari potest, neque plura hac de re dicere est hujus loci.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 57.

Pag. 165. *Eversio.* (Prima argumenti vox.) Expunximus, « Conversio » vet. cod. auctoritate. Quæ vero hoc capite refelluntur, recitaverat lib. I, cap. 24, de Carpocratis sectatoribus loquens : simul et cap. 35 de Ophitis, et Cainæis. Ostendit autem, veteres Gnosticos enixissime laborasse, ut omni specie libidinis se commaculārent; at bonis artibus, seu liberalibus, seu mechanicis, aut etiam virtutibus nullam operam collocasse.

Vocant. Delevimus « vocant » auctor vet. codicis.

Non Jesum. Vetus codex caret negatione, sed affirmative legit : « Jesum magistrum gloriantur; » dolet enim B. martyr, sub nomine beato tam infelicis monstra latere.

Dicentes autem se. Collatione operum illorum cum operibus D. N. Jesu Christi retundit perversam eorum jactantiam, evincitque illos magis similes esse Simoni Mago, nebuloni perditissimo, quam Domino, cui tamen se præferebant.

Pag. 166. *Sed Simoni Mago.* Hujus præstigias attigit lib. I, cap. 20, sed eas fusius antea descripserunt Abdias lib. I *Histor. apost.*, et Clemens Rom. lib. III *Recog.*, ut isthæc ex illis videatur Irenæus desumpsisse.

Si autem et Dominum. Etiam locum hunc transcripsit Eusebius[9], usque ad illud infra : « Nec invocationibus angelicis, » etc. Porro quatuor Spiritus sancti charismata enumerat, quibus tum temporis floruit Ecclesia; de his quoque multa, et ea præclara, leguntur in illius sæculi et sequentis scriptoribus, quæ paucis perstringere non erit inutile. De dæmonum ejectione Justinus scribit[10] : « Vim Christi nominis timent dæmonia trementia; et hodie adjurata per nomen crucifixi Jesu Christi sub Pontio Pilato Judææ præside, imperata faciunt. » Idem rursus priore *Apolog.* : « Multos arreptitios per totum orbem, et in hac ipsa civitate (Romana), multi ex nostris Christianis, adjuratos per nomen Jesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi, sanarunt : quos nec adjuratores alii, nec incantatores, expiatoresve sanare potuerant. » Pulchra hac de re habet et Tertullianus cap. 23 *Apol.*, quæ consulto omittimus.

Donum autem prophetiæ maximum illum Quadratum Athen. habuisse, testis est Eusebius lib. IV *Histor.* Revelationes et visiones de futuris rebus frequenter factas Polycarpo et Cypriano[11], ipsi sibi idonei testes sunt. Sed et B. Carpo visionem plane mirabilem contigisse scribit Dionysius Areop. epistol. 8. Mortuum eo sæculo suscitatum fuisse, Papiæ testimonio confirmat Eusebius lib. III *Histor.*, cap. 39.

Perficiunt. Virtutes videlicet curationum, de quibus scribit Apostolus I Cor. XII, 10.

Non est numerum dicere. Hellenismus, pro « gratiarum numerus iniri nequit. »

Nec invocationibus angelicis. Malignorum videlicet spirituum, quos Simoniani, Marcitæ, Carpocratiani aliique malefici ad suas præstigias exercendas in opem evocabant. Bonos porro angelos, ut coram Deo patronos, pie invocandos esse pluribus ostendimus, Appendice contra hæreses, titulo *Angelus*; et Com. in libr. Esther, digress. de oratione, art. 6.

Ejusdem adnotationes in cap. 58.

Pag. 167. *De corpore.* Caput 62 signat vet. cod. Cæterum, quam hic refellit metempsychosin, asseruerunt Simon Magus, Carpocrates, horumque sectatores, ut scripsit libro primo, capite vigesimo et vigesimo quarto.

Hanc porro animarum transmigrationem Lactantius[12] acceptam fert Pythagoricis et Stoicis. Qui cum timerent argumentum illud Epicureorum, quo concludebant, necesse esse ut occiderent animæ cum corporibus, quia cum corporibus nascuntur : dixerunt, non nasci animas, sed insinuari potius in corpora, et de his in alia et alia migrare. Lactantio subscribit Nicetas libro primo *Thesauri orthodoxiæ*, capite quarto. Est quoque in *Phædone* Platonis manifesta hujus assertio. Justinus martyr in *Dialogo*, tradit Judæos in hunc tandem errorem incidisse. Nec injuria sane; nam in Talmud, ordine quarto, tractatu secundo, affirmant animam Abelis migrasse in Seth, et hanc postea in Moysem. Hieronymus quoque sentit[13], Judæos illos qui opinabantur 108 Christum esse aut Jeremiam, aut Eliam, etc., eodem fuisse errore detentos : adeoque ipsum Herodem existimantem, illum esse Joannem, quem decollaverat, etc. Illa vero multis explodituri etiam a Luciano, aliquot in locis, præsertim in *Gallo*. Ab ecclesiasticis vero scriptoribus post Irenæum, coarguitur a Tertulliano in *Apolog.* et libro *De anima*; Tatiano *Orat. advers. gentes*; Clemente Alexandrino libro quarto *Strom*; Origene libro primo *Contra Celsum*; Lactantio libro III, capite 18, et libro VII, capite 23; Hieronymo *Adversus Ruffinum*; Augustino libro X *De civitate*, capite 30; Cyrillo Alexandrino libro VII *Contra Julianum*, etc.

Fierent. Expunximus « erunt; » et statim « uti, » pro « ut in » reposuimus auct. vet. cod.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 58.

Pag. 167. *Subvertamus ex eo*, etc. Eodem argumento metempsychosin subvertit Clemens Alex. in *Eclogis propheticis*, § 17, scribens : Ἐχρῆν γὰρ καὶ εἰδέναι ἡμᾶς ὅπου ἦμεν, εἰ προῆμεν. « Nam scire quoque oportebat ubi eramus, si ante fuissemus. »

Et maxime ad hoc venientes. Hoc comma ad proxime præcedentia non quadrat, ideoque referendum videtur ad illa : « uti ea, quæ deerant, implerent, et non circa eadem semper volutantes continuatim, miserabiliter laborarent; » ita ut intermedia, quasi in parenthesi posita, sint accipienda. Eo enim fine animas ad alia corpora venire docebant Carpocratiani, ut quod deest flagitii, ab ipsis ante non perpetratum, dehinc operarentur, sicque pensum suum plene absolverent.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 59.

Pag. 167. *Ad hæc.* Caput 63 notat vet. cod. Quod vero asserit, Platonem primum induxisse μετεμψύχωσιν, parum convenit cum Epiphanio[14] et Lactantio, qui Pythagoram, ante Platonem, eandem asseruisse scribunt. Plutarchus hanc etiam Empedocli tribuit, tractat. secundo *De esu carnium*. Mercurium Trismegistum emigrationes hujusmodi poetico ritu descripsisse; quin et Zoroastrum omnibus his antiquiorem, in libro cui titulus est, *Μαγικὰ λόγια τῶν ἀπὸ Ζωροάστρου μάγων*, illam ipsam docuisse, testis est Rhodiginus libro IX,

[9] Lib. V Histor., cap. 7. [10] In Dialog. [11] Ser. de mort. [12] Lib. III, cap. 18. [13] Com. in Matth. [14] Contra hæres. 7.

Digitized by Google

cap. 21. Ergo vel apud Athenienses, vel receus excogitatis rationibus, Platonem primum eamdem invexisse, intellige. « Atheniensis » pro « adveniens » restituimus auctor. vet. cod.

Potantur oblivione. Platonicum hoc somnium acerrime post Irenæum impugnant Tertullian. libro *De anima*, capit. adversus Platonis μαθήσεις καὶ ἀναμνήσεις; Augustinus libro XII *De Trinitate*, cap. 15, et lib. I *Retractation.*, capite 4, et libro VII *De Genesi ad litt.*, cap. 9, 10, 11, et lib. X, cap. 4. Denique et Lactantius libro VII, cap. 22. Letheum porro fluvium vocant, quod ἡ λήθη oblivionem significet. Est enim, ut idem Plato censuit, τῆς μνήμης ἔξοδος. De eodem flumine canit Virgilius in VI *Æneidos*: explicat vero ejusdem mythologiam Macrobius lib. I *De somnio Scipionis.*

Et latuit semetipsum. Græcismus, pro, « imprudens in alteram majorem difficultatem incidit. »

Si enim oblivionis poculum potata est. Alius rursum Græcismus, pro, «oblivionis poculo potata est.»

Ejusdem adnotationes in cap. 60.

Pag. 167. *Adversus autem eos.* Refellit eorum sententiam, qui volebant ipsum corpus humanum causam oblivionis esse: cum e contrario ejusdem organis ac ministeriis memoria sensilis potius nascatur et foveatur, prout etiam somnia rerum præteritarum, quas oculorum, vel aurium beneficiis novimus, recordatio satis arguit. Denique, prophetæ cum vere in corpore versarentur, cœlestium visionum memores, aliis quoque patefecerunt. Non est ergo corpus nostrum præcisa rerum oblivio. Qui prolixam de memoria humana disputationem requirit, consulat August. libr. X *Confess.*, a capite octavo usque ad vigesimum.

Sed simul. Duas has voces, « oculis auferretur, » quæ nihil ad rem faciebant, veteris cod. auctoritate delevimus, ut sit apertior et planior lectio.

Ejusdem adnotationes in cap. 61.

Pag. 168. *Non enim est fortius.* Probat ab effectis animæ, ipsam corpori dominari, habereque rationem artificis: ipsum autem organi. Hinc vero Cyrillus Jerosolymitanus animam sic describit[15]: « cognosce animam esse sui juris, seu voluntatis liberæ, opus Dei pulcherrimum, secundum factoris imaginem immortale. » Et facta corporis altera descriptione subjicit: « Cum ergo non peccat per se corpus, sed per illud anima peccat; instrumentum quoddam est animæ corpus, et tanquam vestis et stola animæ, » etc. Catech. 4.

Corpus enim. Initium est cap. 65 in vet. cod. Locum vero hunc illustrat similis Cypriani: « Corpore sic utitur anima, sicut faber malleo, vel incude, in qua format omnium turpitudinum idola, et fabricantur quælibet quarumcunque voluptatum simulacra. » De hoc abundantius habes apud Augustinum XXIV *De civit.*, cap. 3.

Ejusdem adnotationes in cap. 62.

Pag. 168. *Si itaque.* Cap. 66 notat vet. cod. Transmigrationes porro animarum sensus evertit ex eo quod, quemadmodum unusquisque proprio corpore donatus est, sic et propria anima: ac in utroque resurgent omnes, ut recipiant, prout gesserunt, sive bonum, sive malum.

Plenissime autem. Caput 67 habet vet. cod. Quæ vero hic, et proxime sequenti cap. tradit, de charactere et figura animarum, quæ jam corpora posuerunt, referenda sunt ad inclinationem eam, qua pronæ sunt ad ea olim resumenda: nisi id sensisse quis voluerit, quod postea Tertullianus apertius dixit: Animam scilicet non omnino materiæ et corporeæ compositionis expertem esse, ideoque effigiem humanam ejus corporis, quod unaquæque circumtulit, servare lineas corporales, coloremque aerium et lucidum; libro *De anima*, capite de effigie animæ. Quod autem, ex narratione de Lazaro et divite, asserit spiritus hinc discedentes eorum meminisse, quæ hic egerunt, et a quibus recesserunt, constans est Patrum sententia. Cyprianus tradit[16], magnum nos charorum numerum in cœlis expectare, parentum, fratrum, filiorum, copiosam turbam nos desiderare, de sua incolumitate securam, de nostra adhuc sollicitam. Augustinus[17] viduam Italicam consolaturus, in cœlo conjugem suum notissimum ei fore audet polliceri. Hieronymus hoc solatio adversus mortis duritiem et crudelissimam necessitatem nos erigi pie existimat, quod brevi visuri sumus eos, quos dolemus absentes; epist. ad Theodoram.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 62.

Pag. 168. Ἴδιας ἔχοντες ψυχάς. Nota, Irenæum reprobis hominibus solam cum corpore animam tribuere, non spiritum. Qua de re lege lib. V, cap. 8.

In ea enarratione, quæ scribitur de divite et Lazaro. Similiter Clemens Alexandrinus in *Excerptis ex Theodoto et Orientali Valentinianorum Didascalia*, pag. 792. col. 1, A: Ἀντικρὺς δὲ ἀπὸ τοῦ Λαζάρου καὶ τοῦ πλουσίου διὰ τῶν σωματικῶν μελῶν σῶμα εἶναι δείκνυται ἡ ψυχή. Eodem argumento utitur quoque Tertullianus lib. *De anima*, cap. 7.

Ex adnotationibus Nicolai Gallasii in cap. 63.

Pag. 168. *Animas habere hominis figuram, ut etiam cognoscantur.* Cum figuram tribuit animæ Irenæus, videtur etiam iis aliquid corporeum affingere. Nec enim figuram aut formam concipere possumus, nisi in iis quæ sub aspectum cadunt. At spirituales creaturæ a nobis non cernuntur, nec qualis sit earum figura, a nobis dici, aut cogitari potest. Habent quidem suam ut hypostasim atque essentiam, ita qualitates et accidentia. Sed de iis, ut de corporibus imaginari, aut eadem illis, quæ corporibus tribuere, a ratione alienum et absurdum est. Expendamus ergo quid sibi velit Irenæus. Propositum illi est ostendere unicuique homini propriam a Deo animam datam esse, ita ut etiam post mortem non minus distingui animæ possint aliæ ab aliis, propriisque et peculiaribus notis secerni solutæ a corporibus, quam cum iis induta erant. Quod certe verum est. Nisi enim anima Judæ discerneretur ab anima Petri, anima Lazari ab anima divitis epulonis, non dignosceretur diversa utriusque conditio. Si vero ex aliquo corpore decedens in aliud corpus migraret, ut fanatici illi asserebant, nihilo magis hujus, quam illius anima dici posset. Ergo decedens ex hac vita habebit proprium characterem, ita ut illius, cujus antea fuit, etiam postea esse sciatur. Quod igitur vocat Irenæus eumdem characterem corporis, ne tamen putemus corporeum, sed ad totum hominem, hoc est, ad individuum ipsum, cujus charactere anima etiam post mortem imaginetur, referamus.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 63.

Pag. 168. *Per hæc enim.* Brevissimum hoc caput plurima observatione dignissima ex superiori Lazari ac epulonis **109** evangelica relatione comprehendit. Primum, animas de corporum humanorum ergastulis emigrantes non evanescere, sed in altero sæculo immortales perseverare, ut Abrahæ, Lazari, ac epulonis, qui jam hic vivere desierant, certissimis exemplis demonstratur. Idem comprobat Justinus martyr in *Dial.* ex anima Samuelis, quæ post suam e corpore migrationem cum Saule rege collocuta est. His addere potuissent Moysis ac Eliæ spiritus in transfiguratione Domini; insuper, Jeremiæ ac Oniæ animas, a Juda summo Judæorum pontifice ac duce conspectas, innumerasque sanctis postea viris factas spirituum, postquam hinc discesserant, apparitiones ab Eusebio, Nysseno, Basilio, Metaphraste, Nicephoro, Theodoreto,

[15] Lib. de card. Christi op. [16] Sermone de mort. [17] Epist. 6.

Digitized by Google

Ambrosio, Orosio, Hieronymo, Gregorio, Augustino, aliisque summis viris relatas : quibus animarum nostrarum immortalitas adversus veteres novosque Sadducæos, Epicureos, et Satanicos animicidas constanter asseritur.

Novos appello Sadducæos plurimos Lutheranos, qui cum in Lutheri commentariis legant [18] : « Mortuos sic dormire, ut nihil prorsus sciant, nihil sentiant ; » vel Brentio illius commilitone teste [19] : « tam inter pocula, quam sobrii in familiaribus colloquiis dicunt : Animam hominis simul cum corpore interire. » Novos appello Epicureos magnam Calvinianorum turbam, quæ a Calvino et novis suis ministris quotidie audiens : « Beatos omnes spiritus esse mortuos, larvas, et umbras, quibuscum nobis nulla est communio [20] ; » palam exclamant, etiam referente Calvino [21] : « Dicamus animam cum corpore exstingui, et statim sublatum erit purgatorium, cum missa et Romano pontifice. » Novos animicidas appello, ex Lutheranis et Calvinianis tandem procreatos, Anabaptistas, qui anno Domini 1586 theses Cracoviæ impressas per Poloniam vulgaverunt, quarum decima est : « Negamus aliquam animam post mortem manere ; sed illud dicimus excogitatum ab Antichristo, ad stabiliendam suam culinam per fictum purgatorium et invocationem sanctorum. » Quorum quoque unus minister Domanowski, publica cum P. societatis Poloniæ habita disputatione 1589, mense Octobri, publice asseruit, « animam cum corpore interire : » alter Budnæus nomine, de hac re interrogatus quid sentiret respondit : « Rem esse dubiam, et sub judice adhuc litem pendere. » Hæc de Polonia sua refert Andreas Jurgiewicius, vir æque diligens ac eruditus, in libello, cui nomen dedit, *Bellum quinti evangelii*, cap. 10. Hic, hic profecto jure omnium optimo exclamaret Polycarpus Irenæi nostri præceptor : « O bone Deus, in quæ me tempora servasti, ut ista patiar? » De his rursum libr. v, cap. 7. Sed ad notas meas redeo.

Secundum, quod notatu dignum existimo, est, animas hinc recedentes, non de corpore in corpus transire, seu hominum, seu brutorum, ut cum Pythagoricis et Platonicis senserunt Simoniani, Carpocratiani, et alii, de quibus hic disseritur, et paulo superius diximus.

Tertium, animas corporibus exutas nominum retinere figuram : hoc est (quantum pie judico) instar hominum aliquando apparuisse ; sicque describi per Scripturas, ut in narratione Lazari ac epulonis, peranthropopathizm cum oculis, lingua et digitis figurantur : quanquam reipsa corporeis organis careant, tantumque spiritalibus facultatibus suis ad videndum et audiendum, id est intelligendum, utantur.

Quartum, hujusmodi animas in alio sæculo se invicem nosse ac discernere, ut epulonis anima eas novit, quæ fuerant Abrahæ et Lazari, et vicissim ab Abrahami spiritu cognita fuit. De hoc diximus ad finem superioris capitis.

Quintum, easdem meminisse, atque sic probe nosse, quæ hic geruntur : atque hoc satis indicasse spiritum Abrahæ, referentem epulonem in superiori vita recepisse bona, Lazarum vero mala, id est adversa : insuper, divitis fratres habere Moysem et prophetas : eumdem præterea epulonem fratrum suorum memorem, et quodam, vel commodi, vel naturæ affectu, pro eis intercedentem, ne secum venirent in locum tormentorum : insuper, propheticum donum inesse Abrahæ, asserenti, nec pios ad damnatorum sortem, nec reprobos in locum consolationis unquam venturos.

Postremum, animas etiam ante postremum diem, diguum operibus suis, aut felicitatis, aut miseriæ sempiternæ habitationem percipere, quando semel hinc discesserint. Quæ omnia certe hominis Christiani, præsertim theologi, consideratione digna esse nemo negabit.

Ejusdem adnotationes in cap. 64.

Pag. 168. *Si qui autem.* Caput 68 notat cod. vet. Nihil vero absurdi habet, quod toto capite contendit animam rationalem beneficio Dei perdurare, vitamque ex sese non habere : quandoquidem ut ejus essentia, sic et jugis immortalitas a divina voluntate perpetuo dependet, quæ ut eam ex nihilo produxit, sic et in nihil redigere valeret, si opportunum videretur : atque hoc sensu interpretandas esse Tatiani [22] et Arnobii toto sexto libro *Adversus gentes*, sparsas ea de re sententias existimo.

Pag. 169. *Solus est Deus.* Ilis primum docet, Deum esse prorsus immutabilem ; deinde, hoc adeo illi proprium esse, ut nulli omnino rei creatæ conveniat : quod et Augustinus comprobat ex eo, quod de Deo scribat Apostolus : « Qui solus habet immortalitatem [23] ; » id est immutabilitatem (Lib. I *De Trinit.*, cap. 1, et lib. III *Contra Maximinum*, cap. 12).

Perseverantiam. Billius notat perseverantiam hic accipi pro permanentia et perennitate : et non ut in illo Evangelii loco : « Qui perseveraverit usque in finem [24], » etc.

Participatur. Expunximus « participavit : » deinde « capiunt animæ, » pro « capit et animas, » reposuimus auct. vet. cod.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 64.

Pag. 169. *Ut sint.* Id est, ut exsistant atque durent per aliquod tempus, sicut ex antecedentibus et consequentibus patet.

Si in modico fideles, etc. Hæc verba tanquam ipsius Servatoris, ab Irenæo prolata, in nostris Evangeliis ita non leguntur ; referuntur tamen eodem fere modo ab auctore epist. 2, S. Clementi Romano vulgo ascriptæ, ubi Græca ita sonant : Λέγει γὰρ Κύριος ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ· Εἰ τὸ μικρὸν οὐκ ἐτηρήσατε, τὸ μέγα τίς ὑμῖν δώσει ; λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι ὁ πιστὸς ἐν ἐλαχίστῳ, καὶ ἐν πολλῷ πιστός ἐστιν. Ex Evangelio autem secundum Ægyptios ea deprompta conjicio, quia alia quoque inde allegavit illius epistolæ, vel homiliæ Clementinæ auctor, de quibus vide *Spicilegium Patrum* sæculi I, pag. 35. Accedit quod istis gemina habeantur in Evangelio S. Lucæ, cap. XVI, 10 seq. Atque hoc illi secundum Ægyptios hinc inde consonare nihil est mirum, si vera sunt quæ in dicto *Spicilegio*, pag. 32 seqq. dixi. Nolui tamen ibidem hæc verba, una cum aliis inter fragmenta Evangelii secundum Ægyptios referre, quod res incerta sit, ac fieri potuerit, ut ex ipsius S. Lucæ codice paulisper mutato pseudo-Clemens pariter ac Irenæus illa citaverit. Unde et Lucæ XVI, 11, supra signare placuit.

Anima ipsa quidem non est vita, etc. Hæc descripsisse videtur e Justini M. *Dial. cum Tryph.*, p. 224, ubi de anima ait : Οὐ ζωὴ οὖσα ζῇ, ἀλλὰ μεταλαμβάνουσα τῆς ζωῆς. Ἕτερον δέ τι τὸ μετέχον τινὸς ἐκείνου οὗ μετέχει, ἐπεὶ ζῇν αὐτὴν ὁ Θεὸς βούλεται. « Anima non quod vita sit, vivit ; sed quod vitæ particeps sit. Aliud vero est, quod participat quidquam, ab eo unde participat. Vitam vero anima participat, quoadusque eam Deus vult vivere. »

Propheticus sermo. Iterum imitatur Justini M. phrasin *Apol.* 2, p. 93 : Διὰ Μωϋσέως προεμήνυσε τὸ προφητικὸν πνεῦμα.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 65.

Pag. 169. *Basilides.* Caput 79 notat vet. cod. Quæ vero hic refelluntur, descripserat lib. I, cap. 23, et lib. II, cap. 21. Nimirum, ex deflexu primi cœli nasci secundum ; et secundi, tertium ; et

[18] In cap. VI Ecclesiastes. [19] In c. XX Luc. [20] Lib. III Instit. [21] Lib. adv. Valent. Gent. [22] Orat. contra gentes. [23] I Tim. VI, 16. [24] Matth. XXIV, 13.

Digitized by Google

tertii, quartum; sicque consequenter. Nam ita pergeretur in infinitum, quod manifeste absurdum et insanum est. Restituimus porro ex vet. cod. « secundi, » pro « secundum : » et « aliud, » pro « illud. » De Basilidis impietatibus lege Eusebium lib. IV *Hist.*, cap. 7; Clementem Alexandr. lib. III et IV *Strom.*; Tertull. lib. *Præs.*; Iren. lib. I, cap. 23; Ignatium, *Epist. ad Trallianos.*

Ex adnotationibus Nic. Gallasii in cap. 66.

Pag. 174. *Eloæ secundum vocem Judaicam.* Aperta est hujus vocis significatio. Sed in aliis divinatione utendum fuit. Qua in re usus sum judicio doctissimi viri, et in his linguis valde exercitati, B. B. Cornelii professoris linguæ Hebraicæ in ista academia Genevensi. Mihi certe videtur Irenæus Judaicam linguam accipere pro genuina illa et incorrupta Hebræa qua Vetus Testamentum scriptum est: nam et ita vocatur ab Ezra, Nehem. XIII, 24, et Isa. XXXVI, 11 et 13. Hebraicam vero, ut passim apud evangelistas, pro vulgari, qua populus utebatur, quæ Chaldaica, seu Syriaca primum fuit, sed postea Jerosolymitana dicta est, cum aliæ linguæ, Syra, Arabica, Persica, Græca et Latina illi permistæ fuerunt. Quod igitur attinet ad alteram expositionem vocis « Eloæ, » quam ille Hebraicam vocat, vix certe adhuc bene constat apud grammaticos Hebræos de **110** etymo nominis אלה. Nec vero procul petitum erit, si illud derivemus ab אלה, quod est « dejeravit, » interposita videlicet imprecatione. Nam antiquitus ita usurpabatur nomen Dei in concipiendo jurejurando, ut etiam illa formula præ aliis fuerit usitata: « Hoc mihi Deus faciat, et addat. » Atque ex hoc usu, qui etiam lege præscriptus erat, hoc nomen ita dictum fuisse videri possit. אולי certe apud Hebræos dictio est consignificativa, quæ affirmanti tribuitur, sed dubitanti, et sonat fortasse, אולם, id est « profecto, omnino : » affirmat. Hinc fieri potuit, ut vel hæretici in nominibus mysteria et res perscrutantes, vel etiam Judæi ipsi sub posteriora tempora, quibus jam vigebat dialectus Jerosolymitana, nomen « Eloæ » pro « vero » sumpserint, quod Deus sit verax, et acerrimus vindex veritatis.

« Elloeuth, » ut habeat significationem, quæ hic designatur, explicandum est ex Arabum idiomate. Nisi quis malit nomen divinum apud illos אללה esse ab Hebræo אלה. Potest autem compositum dici ex articulo Arabico « al, » quod est « ó, » et ex pronomine « lah, » id est « ei; » quasi sit « cujus, » subaudi « sunt omnia, » ut etiam ipsi Septuaginta legentes apud Moysem Gen. XLIX, 10, pro שילה, « fetus ejus, » שלו, « cujus, » idem ferme subaudierunt. Nam habent ᾧ τὰ ἀποκείμενα, « ille cui reposita sunt » (omnia). Nisi malis dicere, eos ita ex vulgari Dei attributo designare voluisse Christum Deum futurum. Huc etiam pertinere videtur quod Deut. XXXIII, 27, Deus vocatur מעונה « Mehonah, » et מעון aliquot locis in Psalmis, id est « habitatio, » et apud rabbinos המקום, id est « locus, » quod, ut interpretantur Hebræi, ipse omnia, ut locus, complectatur, et omnem locum impleat, a nullo vero contineatur.

« Adonæ » vocat « nominabile, » quod substituatur ab Hebræis loco nominis « Jehova, » quod non solent nominare. Quod addit etiam exponi posse « admirabile, » ex eo forsitan ortum est, quod dicitur ab angelo Jud. XIII, 18: « Cur quæris nomen meum, quod est admirabile? »

« Addonei » vero, quo « præfinientem » significari dicit, videri possit deduci a דון « Don, » quod significat « decernere, dirimere litem, » aut « determinare : » et componi cum nomine Dei, qui A omnia statuit, dirimit, separat, et dirigit in ordinem. Sed cum agatur de aqua distinguenda a terris, videri etiam possunt auctores istius interpretationis allusisse ad illud Jobi XXXVIII, 6 : « Super quod » אדניה, id est « bases ejus defixæ sunt : » ita ut Deum auctorem harum basium, distinguentium terram ab aquis, אדני « Adonai, » dictum accipiant ab אדן id est « basis. »

« Sabaoth » per ω. Cum nullum sit ω apud Hebræos, oportet intelligi cholem plenum quod respondet ei pronuntiationi. Ut autem « Sabaoth voluntarium » significet, necesse est deduci non a צבא, sed a צבה, id est « percupivit. » Quæ radix in ipso primitivo Chaldæis usitatissima est in hac significatione; Hebræis autem in ipsis derivatis.

« Sabaoth, primum cœlum. » Certe hoc nomen pro cœlo nusquam reperitur. Sed quia insignis ille et illustris ordo stellarum exercitus vocatur in Scripturis, et militia cœli, ideo cœlum, in quo numerus ille infinitus stellarum, præclaro ordine, ut B in exercitu, locatus est, « Sabaoth, » id est « exercitum » vocatum esse verisimile est. Primum autem cœlum vocat, non nostri respectu, ut astrologi, quoniam alii cœli sunt nobis propinquiores: sed summum, a quo reliqui omnes altitudine et magnitudine superantur.

« Jaoth » primum, simplex dici potest, ita ut sit a Chaldaico יאות, vel יאות, id est « congruentia, decentia, decorum, » seu modus bene observatus, ut fuerat præscriptus: et, ut adverbialiter aliquando sumitur, « optime, et ex modo præscripto. » Compositum etiam dici potest ex יאה, « congruens, » et אות, id est « signum, » quasi sit signum convenienter præscriptum. Ut autem significet « fugam malorum, » oportet deduci a יעה, quod significat « mundare, purgare, quod malum et noxium est tollere. »

Hæc sunt, quæ solertis et periti illius viri perspicacia adjutus, de his nominibus conjicere potui: C quæ nisi pio lectori satisfaciant, solertiam tamen ipsius ad rem indagandam nomihil excitabunt. Quamquam sufficit præcipuum auctoris tenere scopum, qui demonstrat diversis unius Dei nominibus diversos tamen deos non notari.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 66.

Pag. 170. *Et reliqui.* Vet. cod. cap. 70 habet; confutat vero, quæ recensuerat libro primo, capit. 22, 23 et 34. Ostendit autem veteres prophetas ab uno eodemque Deo afflatos et missos fuisse; nec propter varia illius nomina, seu Hebraica, seu Græca sint, plures deos confingendos esse. Cæterum, quia Nicetas Choniates hoc Irenæi caput brevioribus et apertioribus verbis expressit [25], ea subjicio: « Quoniam vecordes illi, nominum divinorum interpretationem ignorantes, Adonai, Eloi et Sabaoth diversos esse deos arbitrati sunt, operæ pretium mihi facturus video, si rudibus et ignaris aperiam, quid hoc nominum unumquodque Græcis et Latinis auribus sonet. Eloth itaque Θεόν, Deum D interpretantur; Eloi autem, ὁ Θεός μου, Deus meus; El quoque si tenui spiritu proferatur, Θεὸν, Deum; si aspero, ἰσχυρὸν, fortem significat; Adonai autem Κύριον, Dominum. Cæterum, Dominum Sabaoth, idem sonat quod Κύριος δυνάμεων, Dominus virtutum; vel Κύριος στρατιῶν, Dominus exercituum; Saddai porro ἱκανὸν καὶ δυνατὸν, idoneum et potentem. Aia vero τὸν ὄντα, eum qui est, significat; quod nomen ineffabile quoque ab Hebræis censebatur. »

Demonstrabimus. Delevimus « demonstravimus » auct. vet. cod.

Si autem quidam. Caput 71 et ultimum signat vet. cod. Vaticanus cod. paulo post legit, « diversæ dictionis positas. »

Quod enim dicitur Eloæ secundum Judaicam vo-

[25] Lib. II Orthodoxiæ, c. 15.

Digitized by Google

cem. Judaicam vocem hic mihi accipere videtur Irenæus pro germana illa et incorrupta lingua, qua Vetus Testamentum scriptum fuit; quandoquidem ita vocatur Isaiæ XXXVI, IV Reg. XVIII, et Nehemiæ paulo supra, et non ita multum post, Hebraicam linguam nominat, quando de « Eloæ, » loquitur. Cæterum אלוה « Eloah, » sive Chaldaice אלהא « Elaha, » inter decem Dei nomina, tertium ordine collocat D. Hieronymus, Deumque significat, et per metathesim litterarum in cabala idem est quod אוהל « Ohel, » id est tabernaculum : dicuntque secretiores, nomen Eloha eodem modo se habere ad nomen tetragrammaton יהוה, quod est nomen essentiæ, sicut se habet luna ad solem.

Et Eloæ Verum. אלוהי « Elohæ » idem quod « Eloha. » Fieri autem potuit, ut nomen « Elohæ, » pro « Vero » sumpserit, quod Deus sit verax et tam severus veritatis vindex, ut Veritas frequenter in sacris nominetur. Aut certe ad vocem affirmantem אולם quæ « profecto, omnino, » significat, alludere voluit.

Et Elloeuth. אלוהות « Elohut, » sive אלהות « Elahut, » rabbinis et Chaldæis commune est, et significat proprie numen seu divinitatem. Ut autem habeat significationem, quæ hic designatur, fortasse desumetur ex Arabico articulo « Al, » id est ὁ, et pronomine « Lah » id est « ei : » quasi sit, « ille cujus, » subaudi, « sunt omnia. »

Quod autem ait Adonai. אדוני « Adonai, » cui septimum locum inter divina nomina tribuit D. Hieronymus, significat « dominus meos : » a singulari אדון « Adon, » id est « dominus, herus. » Asserit autem, illud significare « nominabile, » fortassis quod ab Hebræis substituatur loco nominis « Jehova, » quod non solent nominare : et « mirabile, » quia angelus divinam majestatem referens dixerit, Jud. XIII, 18 : « Cur quæris nomen meum quod est mirabile? »

Aliquando autem duplicata littera delta. « Addonai, » quo « prælinientem » significari dicit, forsan a דון Ddon, quod est judicare, et lites judicio dirimere; et cum nomine Dei componit : quod ipse conctis elementis et speciebus rerum creaturam locum, ordinemque præliuerit, constituerit et decreverit.

Ne possit aqua insurgere in eam. Ita hunc locum emendavimus, id sensu postulante : expunximus autem « nec postea quam, » quod erat in omnibus tam impressis quam manuscriptis, etiam Vaticanis codicibus. Sic et superiori linea pro « perlinientem, prælinientem » reposuimus.

Sabaoth, per ω. Hoc quartum inter nomina Dei Hieronymus enumerat : intelligit autem Irenæus vau cholem, per ω, quod pronuntiatio similis sit utriusque. Notum est vero vel mediocriter in lingua sancta versatis, nomen צבאות « Tsebaoth » plurale esse, a singulari צבא quod « exercitum, virtutem, militiam, cuneum militum » significat. Deduxit autem Irenæus a radice צבה, quæ maxime Syriace, significat « velle, desiderare; » unde verbale Hebraicum צבי « desiderium, voluntas; » quin et lingua Chaldaica, sive Syra « Zeva » et « Zove » significant « bene placere et gratum esse. »

Ut puta. Expunximus « ut a, » auctoritate vet. cod.

Primum cœlum manifestat. Quia insignis ille et concinnus ordo planetarum, stellarum et cœlestium orbium per ordines suos dispositus, solisque, instar regis, splendore illustratus, exercitus et militia dicitur in sacris Litteris, Deut. XVII; IV Reg. XVII; Nehemiæ IX; Isa. XXIV et XXXIV; Jer. XIX; Sophon. I; **111** ideo firmamentum, in quo præclarum illum ordinem maxime conspicimus « Sabaoth, » id est « exercitum, » vocare potuit. Nam Hebræi exercitus appellant stellas fixas; unde Dominum exercituum exponunt uno sensu, Dominum stellarum.

Eodem modo et Jaoth. Vaticanus cod., « Jacob. » Cæterum, « Jaoth » licet habeat terminationem Hebraicam pluralis numeri, venit nihilominus a radice Babylonica יאי « Jae, » quæ « pulchrum, speciosum, » et « elegantem » significat : et impersonaliter יאות « Jeth, convenit, congruit, decet. » יאות « Jauth » autem est « pulchritudo, elegantia, decor; » et aliquando adverbialiter ponitur pro « congrue, decenter, ornate et bene. » Ut autem juxta Irenæum significet « Fugam malorum, » oportet deduci a יעה, id est « mundare et purgare; » a quo יעים quod Hebræi pro scopis exponunt. Hoc autem est mala et noxia tollere, ac sordes procul ablegare. Hæc peritissimis viris communicavi, quibus si meliora afferantur, mihi ac studiosis bene consultum fuerit. Interim satis erit id observare, quod, ut diximus, admodum evincere nititur Irenæus, diversitatem nominum, sive Hebræorum, sive Græcorum, sive Latinorum, quibus Deum nuncupamus, perfectiones, proprietates, et innumera circa nos beneficia, at nunquam plures deos designare. Hieronymus, epist. ad Marcellam, decem nomina divina explicat, sed plures deos pernegat. Dionysius Areopag trigiuta duabus nomenclaturis Deo convenientibus enumeratis, infert et nominis privationem, et omnia subsistentium nomina Deo unico congruere [86]. Augustinus postquam octoginta epithetis Deum interpellavit capit. 29 libr. *Meditationum*, subjicit : « Si totum mundum libri replerent, tua scientia inenarrabilis explicari non potest; quoniam vere indicibilis es, » etc.

VARIORUM NOTÆ

IN LIBRUM TERTIUM SANCTI IRENÆI.

Adnotationes Fr. Feuardentii in præfationem libri tertii.

Pag. 173. *Pro sola vera.* Hæc verba impie torquet quidam Hermannus Hamelmannus lib. quem inscripsit : *De unanimi consensu Patrum de sola fide justificante;* ut et alia verba, quæ habentur infra lib. III, cap. 22, et lib. IV, cap. 13, quibus contendit Irenæum iis suffragari, qui nuda solaque fide, operibus omnibus seclusis, justos coram Deo homines constituunt : non adverteus impostor, quam graviter hoc Simonis Magi commentum beatus hic martyr redarguat lib. I; quamque frequenter doceat piorum operum necessitatem lib. II, cap. 50; lib. IV, cap. 27, 32 et 49, ipsisque ingentem apud Deum mercedem esse repositam lib. II, cap. 56, lib. IV, cap. 28 et 34. Quis namque non videt,

[86] Cap. 2 De divin. nom.

Digitized by Google

Irenæum hoc loco non de justificatione loqui, sed tantum hominem hortari, ne hæreticorum unquam cedat cœnatibus, imo vero constanter eis reluctetur? Hoc adnotandum fuit, ut sanctum martyrem hac injuria liberaremus, et implorum sycophantias pro viribus aperiremus.

Ejusdem adnotationes in cap. 1.

Pag. 173. *Non enim per alios.* Docet, apostolos sanctissimi Evangelii primos buccinatores, non nisi Spiritus sancti virtutibus ac donis instructos, illud constanter prædicasse; deinde ad futuram posterorum memoriam illud ipsum scriptis mandasse : ac proinde nonnisi impie ab hæreticis, illos aut ignorantiæ accusari, aut Scripturas rejici. Præterea, illum Deum unicum cœli ac terræ conditorem ab his toto orbe annuntiatum fuisse, qui a lege et prophetis fuerat prædicatus.

Pag. 174. *Gloriantes emendatores se esse apostolorum.* Marcionem et ejus sectatores perstringit, quos lib. I, cap. 29, recitavit Evangelium secundum Lucam circumcidisse, et omnia quæ de generatione Dominica conscripta fuerant abstulisse, semetipsos veraciores dicentes iis qui Evangelium nobis tradiderant. Eosdem de Evangelii contextu erasisse sententiam, qua Deus dicitur pluere super justos et injustos, auctor est Tertullianus [27], qui et multo plures mutilationes scriptis apostolorum illatas ab eisdem, toto lib. v *Contra Marcionem* describit : sed copiosiore manu Epiphanius contra hæres. 42.

Et induti sunt supervenientis Spiritus sancti. Sic pro « superveniente Spiritu sancto, » cum ex vet. nostro cod. tum maxime ex textu libri Actorum : « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos [28], » legendum proposuimus.

Ita Matthæus. Idipsum ante Irenæum scripserat quoque Papias, apud Eusebium lib. III *Historiæ*, cap. 33, et Pantenum in India illud, litteris Hebraicis scriptum, reperisse, opera Bartholomæi illic relictum, et illud ipsum custoditum constare, idem Eusebius affirmat lib. v, capite 10. Quod et in Cypro, in tumulo Barnabæ, et ipsius manu exaratum postmodum repertum fuisse Theodorus Lector asserit [29]. Idem quoque Hebraicum mansisse suo tempore in bibliotheca Cæsariensi, quam Pamphilus martyr confecerat, auctor est Hieronymus; qui et describendi sibi factam potestatem a Nazaræis Berrhoensibus, qui eo utebantur, litteris tradidit. Prodiit hoc nostro sæculo, opera Sebastiani Munsteri, quoddam Evangelium Hebraicum nomine Matthæi, cui quantum deferendum sit, pronuntiet Ecclesia.

Cæterum, in his videmus hujus antiquissimi martyris, imo totius Ecclesiæ sententiam, quatuor duntaxat Evangelia etiam ab initio probata et recepta fuisse, ut et infra cap. 11 hujus libri copiosius docebit. Igitur reliqua pseudo-Evangelia, veluti Petri, Thomæ, Matthiæ, Bartholomæi, ac duodecim apostolorum nominibus inscripta; deinde Hebræorum, Nazaræorum, Ebionitarum, Encratitarum, Ægyptiorum, et quorumcunque aliorum titulis circumlata et venditata, jure optimo reprobantur. Signat porro Theophylactus [30] tempus, quo quisque quatuor evangelistarum scripserit, nimirum : Matthæum post octo annos assumpti in cœlos Christi; Marcum post decem annos, id est biennio post Matthæum; Lucam post quindecim annos; denique Joannem post triginta duos annos.

Post vero horum excessum. Huic lectioni consentiunt omnes codices. Rufinus quoque sic Latine loquentem Eusebium fecit : « Post quorum exitum, » etc., quibus subindicaret Irenæus, Marcum nonnisi vel martyrio sublatis, vel alio, Evangelii causa, peregrinantibus sanctis apostolis Petro et Paulo, manum calamo admovisse : quod certe aperte pugnat cum iis, quæ ex Papia, et sexto Ὑποτυπώσεων Clementis recitat Eusebius, nempe beatum Petrum, Spiritu sancto revelante, ut intellexit opus editum a Marco, auctoritate sua ratum fecisse, quo in ecclesiis passim prælegeretur; quibus clarum efficitur, Petro adhuc superstite, Marcum Evangelium conscripsisse. Accedit quod hunc Irenæi locum transcribens Eusebius lib. quinto, capite octavo, nihil meminit exitus apostolorum. Hæc potius indicasse, quam quidquam immutare visum est.

Per scripta. Anct. vet. cod., probante id quoque Eusebio, expunximus « præscripta. »

Et Lucas. Sententiam hanc, quæ tredecim dictionibus absolvitur, ex vet. cod. adjecimus; quam etiam agnoscit Eusebius lib. III *Hist.*, cap. 8.

Postea et Joannes. Eusebius lib. v, cap. 8 : « Deinde Joannes discipulus Domini, qui supra pectus ejus recubuerat, dum Ephesi in Asia versabatur, Evangelium in lucem extulit. » Id fecisse rogatum ab episcopis Asiæ tradit Hieronymus, adversus Ebionis, Cerinthi et Gnosticorum exorientes blasphemias; quod et Irenæus indicat cap. 11 hujus libri.

Ex Joan. Ernest. Grabii adnotationibus in cap. 1.

Pag. 174. *Τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου*, etc. Hæc Irenæi de tempore editorum quatuor Evangeliorum traditio, a Papia aliisve senioribus procul dubio accepta, præferenda videtur opinioni nullo recentioris Theophylacti, qui Præfat. *Comment. in Matth.* ait, Matthæum scripsisse post octo annos assumpti in cœlos Christi; Marcum post decem annos, id est biennio post Matthæum; Lucam post quindecim annos; denique Joannem post triginta duos annos. Quæ sera fide mss. quorumdam codicum nititur, sed nimis fluxa. **112** Ut enim de aliis taceam, convenit fere inter omnes, S. Joannem valde senem, circa annum a nativitate Christi 98 Evangelium scripsisse, ac proinde non post 32 ab ascensione ejus annos, sed duplo plures, nempe 64; nisi ex sententia Irenæi Christum 50 propemodum annis in terra moratum esse crediderit. Cæterum traditio Irenæi de scripto S. Matthæi Evangelio isto demum tempore, quo Paulus Romæ fuit, in mentem mihi aliquando veniebat cogitanti, quid causæ subit, ob quam Apostolus Ephes. IV, 11, scripserit : « Ipse dedit quosdam apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores; » ast in loco parallelo I Corinth. XII, 28 : « Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primo apostolos, secundo prophetas, tertio doctores; » omissis plane « evangelistis. » Atqui si per « evangelistas » cum Œcumenio « scriptores S. Evangeliorum » accipias, plana juxta dictam traditionem datur ratio. Scripserat nempe Paulus ad Corinthios, priusquam Romam venisset, nulla adhuc dum a quoquam apostolorum, vel apostolicorum, Evangelii scriptura edita; ast Epistolam ad Ephesios ex carcere dedit, paulo antequam Roma discederet, ubi jam S. Matthæus Evangelium exaraverat; Marcus vero et Lucas in procinctu hujus operis erant. Cui tamen meæ conjecturæ non adeo multum confido, sed doctiorum judicio eam lubens submitto.

Θεμελιούντων τὴν Ἐκκλησίαν. Dices, ante Pauli in Urbem adventum Ecclesiam ibi fuisse, cujus fides per universum orbem innotuerat, teste ipso Apostolo Rom. I, 8. Quomodo ergo hic Irenæus ait, fundatam ab ipso et Petro Romanam Ecclesiam? Ast optimus suorum verborum interpres est ipse Irenæus, istis quæ sequuntur cap. 3 : Θεμελιώσαντες οὖν καὶ οἰκοδομήσαντες οἱ μακάριοι ἀπόστολοι τὴν Ἐκκλησίαν, Λίνῳ τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρισαν. Licet igitur fideles ante hanc

[27] Lib. II contr. Marc. [28] Act. I, 8. [29] Lib. II Collect. [30] Præfat. in Matth.

Digitized by Google

Romæ exstitissent, nondum tamen erat formata Ecclesia, quia nondum episcopus ipsis erat præfectus. Sine episcopo enim et presbyteris atque diaconis Ἐκκλησία οὐ καλεῖται, « Ecclesia non vocatur, » teste S. Ignatio in *Epistola ad Trallianos*, § 3. Et sane observatione haud indignum est, Apostolum I et II ad Corinthios Epistolam inscripsisse : « Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, » etc., nec non « Ecclesiis Galatiæ ; » similiter bis « Ecclesiæ Thessalonicensium ; » ad Philippenses denique : « Omnibus sanctis in Christo Jesu cum episcopis et diaconis ; » ast Epistolam ad Romanos misisse : « Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis, » nulla episcoporum (id est summi sacerdotis ac minorum sacerdotum), atque diaconorum vel Ecclesiæ facta mentione. Unde hæc differentia ? nisi quod prioribus in locis esset hierarchia, episcopo, presbyteris et diaconis constans, ideoque formata Ecclesia ; in Urbe vero hactenus talis haud exstiterit. Sed plura hac de re dicere et objectiones removere nolo, ne adnotationis modum excedam.

Μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον. « Excessum » non e vita, sed urbe Roma hic intelligendum esse patet ex iis, quæ ex Papia et lib. VI *Hypotyposeon* Clementis Alex. affert Eusebius lib. II *Hist. eccles.*, cap. 15, nempe B. Petrum apostolum auctoritate sua S. Marci Evangelium ratum fecisse, quo in Ecclesiis passim prælegeretur. S. Lucas quoque post Pauli exitum ex Urbe, non e mundo, Evangelium litteris consignasse, inde colligitur, quod narrationem Actorum apostolicorum, quam quasi appendicem historiæ de Christo edidit, in biennio, quo Paulus primo Romæ fuit, finiverit, eam procul dubio ulterius continuaturus, si diu post discessum ab Urbe, aut post martyrium B. Apostoli scripsisset. Nam iterum et haud diu post junctum fuisse, eique ad finem usque vitæ adhæsisse, ultima B. Apostoli Epistola, nempe II ad Timotheum, cap. IV, 11, satis testatur, ubi scribit : « Lucas mecum est solus. » Imo vero Apostolus I ad Timoth. V, 18, verba quædam Lucæ ex cap. X Evangelii, v. 8, allegasse videtur. Neque enim alia Scriptura istud habet dictum : « Dignus est operarius mercede sua. » Cæterum quod aliqui vocem ἔξοδος hoc loco, pro « vitæ fine » perperam acceperint, occasio procul dubio fuit mutationis in textu Irenæi, ab auctore *Catenæ Patrum* in Evangelium S. Marci, quam Petrus Possinus evulgavit, vel ab alio ante eum factæ. In illa quippe Irenæi verba ita expressa sunt pag. 5 : Μετὰ τὴν τοῦ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγελίου ἔκδοσιν, Μάρκος ὁ μαθητὴς καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρου, καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυττόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε. « Post editionem Evangelii secundum Matthæum, Marcus discipulus et interpres Petri, quæ a Petro prædicabantur, scripto nobis tradidit. » Eamdem lectionem ex conjectura in Eusebio substituit Christophorsonus, vapulans idcirco Valesio in notis ad Euseb. lib. V, cap. 8, qui tamen et ipse in eo animadversionem meretur, quod ἔξοδον in Irenæo « interitum » interpretatus sit, indeque sanctos Patres commiserit inter se pugnantes.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 2.

Pag. 174. *Cum enim Scripturis arguuntur.* Valentinianorum et consimilium priorum Gnosticorum, quos his libris impugnabat, incredibilem malitiam et pervicaciam exponit. Enimvero apertis certisque tam prophetarum quam apostolorum scriptis convicti, ea velut apocrypha, vel depravata, vel suspeciæ fidei, præfracte rejiciebant, ut superius de Ebionitis, Cerinthianis, Carpocratianis, Marcionitis, aliisque scriptum est. Cum vero traditionibus apostolorum premerentur, incredibili temeritate ac impudentia, cunctis apostolis et Patribus sapientiores se esse autumabant. Ecquis non videt hujus sæculi Gnosticos iisdem cum illis gressibus incedere ? Quanto cum supercilio traditiones apostolicas a sanctis Patribus ad nos usque acceptas et servatas cavillentur et exsibilent, nemo nescit, et de his in cap. tertium dicemus : nunc de sacrilego divinarum Scripturarum contemptu quædam adjiciamus.

Pari omnes impietate Lutherani et Calviniani ex divinorum librorum catalogo, velut apocryphos ac nullius fidei exsibilant libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch, et utrumque Machabæorum. Non exigua fragmenta, nec pauca capita ex libro Esther et Danielis rescissa avulsaque rejiciunt. Quos etiam canonicos sese admittere fingunt, sannis et lœdoriis deformatos sectatoribus suis exsibilandos relinquunt. Lutheri namque judicio, ut de eo refert Joannes Aurifaber commensalis, in *Colloquiis* ejus, « apostoli Abrahami fidem non ita prædicarunt, et suis coloribus depinxerunt, ut merebatur ; et Moyses nimis simpliciter ejus meminit. » En paucis tam Moysis summi prophetarum, quam omnium apostolorum scripta in falsi suspicionem adducta. Scribit de eodem Rebenstock alter ejus conviva, quod aliquoties diceret [31] : « Ecclesiastes liber non est plenus, multa habet abrupta, neque ocreis, neque calcaribus indutus est ; hoc est nullam habet perfectam sententiam. Equitat in arundine longa [32], sicuti et ego dum eram in monasterio. » Et secundum conspiciens Machabæorum librum aiebat : « Ego hunc librum, et librum Esther odio prosequor ; mallem eos non exstare : multum enim imitantur Judæos ac ethnicos. » Et libr. Paralipomenon suspectos ac dubios relinquens dicebat : « Libris Regum plus credendum est, quam Paralipomenon [33]. » Paulinæ quoque fidei detrahens, Justo Jonæ dicenti se non credere his illius verbis, « Reposita est mihi corona justitiæ, » etc., respondebat : « Neque Paulum id firmiter credidisse [34]. » Et suum in illum vetus odium aperiens, inquiebat : « Ego summo odio Paulum prosequebar, cum legebam Rom. I : « Revelatur in Evangelio justitia Dei, » etc. Jobi historiam reputat « Fabulæ argumentum, quo moneamur de patientia. » Nec sacris Evangeliis pepercit, scribens [35] : « Joannis Evangelium esse unicum pulchrum, verum, ac principale Evangelium : » quasi vero reliqua tria nec Evangelia, nec pulchra, nec vera essent. « Epistolam ad Hebræos, neque Pauli esse, nec ullius apostoli, » idem ille contendit. Epistola D. Jacobi eidem est, « plane straminea, et apostolico indigna spiritu. » Epistola Judæ, « non est apostoli, sicque contemnenda. De secunda Petri, et duabus Joannis posterioribus non est anxie curandum. Apocalypsin denique, neque pro prophetico, neque pro apostolico libro admittit [36]. »

Et hactenus de Lutheranicis sacrarum Scripturarum accusationibus et reprehensionibus : quibus manifestum evadit, hos eodem spiritu afflatos esse, quo veteres Gnostici fuerunt, ut testatur hoc loco Irenæus. Quid Calviniani tam adversus evangelistas et apostolos, quam sacra eorum scripta moliantur, diximus ad finem Comm. in Epist. ad Philemonem, et Dialogo septimo.

Non enim per litteras traditam. Quinque has voces desiderat vet. cod. et unico contextu legit : « Ab iis, qui nesciant traditionem illam, sed per vivam vocem, » etc.

Sapientiam autem loquimur. Augustin. scribit etiam Manichæos hoc testimonio fuisse abusos, ut suaderent Apostolum plurima his quibuscum disserebat, verbis aliter tradidisse, quam scriberet in Epistolis : « Sed absit ut tantus Christi apostolus,

[31] Tom. II Colloq. pag. 100, 101, 102. [32] Horat., Sat. lib. II, sat. 3, v. 248. [33] Tom. I Colloq., pag. 34. [34] Tom. II Colloq. pag. 119. [35] Præf. in Novum Testam. [36] Præfat. in illas.

Digitized by Google

vas a Deo electum. Spiritus sancti organum, alius docendo, alius scribendo; alius clam, alius palam fuerit. Factus est quidem omnibus omnia, non fallentis astu, sed compatientis affectu; diversis animarum morbis, diversis misericordiarum affectibus subveniens; dans scilicet **113** parvulis parva, non falsa; perfectis vero grandiora mysteria, cuncta autem vera, consona, et divina. »

Pag. 175. *Fuit autem et in illo.* Marcionem denotat, quem lib. I, cap. 20, nominavit « os diaboli. »

Cum autem ad eam traditionem. Hic primum observa, quid proprie sit et dicatur traditio apostolica, nimirum doctrina seu ad fidem, seu ad ritus sacros, sive ad bonos mores pertinens, quæ non expressis Scripturis Veteris aut Novi Testamenti, sed viva voce, aut exemplo, praxique a primis Ecclesiæ pastoribus, id est apostolis, data, et a posteris ad nos usque in populo Dei servata. De quibusdam istiusmodi disserens Tertullianus, ait[37]: « Si legem postulas Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. » Videatur de iisdem August. epist. 118 et 119, et quod ad initium proximi capitis adnotamus.

Observa deinde, fortissimos et antiquissimos istos religionis Christianæ athletas, ductis a traditionibus apostolorum argumentis, adversus infestissimos illius hostes constanter decertasse: has illis ut firmissimos muros opposuisse, ut omnes illorum impetus non modo retardarent, sed molitiones funditus subverterent. Nec illas tantum, sed et consensum omnium Ecclesiarum, Romanæ præsertim auctoritatem et successionem apostolicam fideliter objecisse: quinetiam veterum testimoniis eorumdem errores solide refutasse: ut hic et in sequentibus Irenæus Clementis *ad Corinthios Epistolam*, Polycarpi martyris scripta et gesta Gnosticis opponit. Ex quibus apertissimum est, Erasmum Roterod. toto cœlo aberrasse, cum in epistola libris istis ad hunc usque diem præfixa, scribit ipsum Irenæum solis Scripturarum præsidiis adversus hæreticorum catervam pugnasse.

Ad hæc, Justini martyris scripta ab eodem Irenæo lib. IV, cap. 14, et lib. V citata, Erasmum falsæ et temeræ assertionis alligant: insuper Hermæ, sive Pastoris testimonium lib. IV, cap. 37, Ignatii etiam martyris lib. V, et cujusdam senioris apostolorum discipuli verba in medium frequenter adducta, Præfatione lib. I, et ejusdem lib. cap. 12; lib. III, cap. 19 et 35; lib. IV, cap. 45, 47, 49, 50, 52; et lib. V; ex quibus omnibus planum et conspicuum est, Irenæum non solis Scripturarum præsidiis, sed et traditionibus, et Patrum sermonibus ac scriptis Gnosticos devicisse.

Adversantur traditioni, dicentes. Ita ex vet. cod. reposuimus: excusi, « qui adversantur traditioni, dicent, » etc.

Sed etiam ipsum Dominum. Gnosticos Dominum nostrum Jesum Christum et ignorantiæ accusasse supra retulit[38]; et ex hoc loco quorumdam etiam errorum insimulasse manifestum est. Hujusmodi vero impietates Calvinianos nunc ab inferis revocare et instaurare quis crederet? Verum, hujus sceleris nos in Dialogo 4 plurimis et apertissimis Calvini testimoniis illos esse reos evicimus.

Effugere. Expunximus « fingere » auctoritate vet. cod.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 3.

Pag. 175. *Traditionem itaque apostolorum.* Insignem locum hunc suis scriptis inserere, et ut ignitum telum in hæreticos contorquere jure optimo dignum duxerunt omnes fere, qui nostro sæculo in eos calamum strinxerunt orthodoxi. Ut sicut B. hic martyr præcipuum fidei nostræ caput, videlicet unum esse Deum cœli et terræ opificem, adversus Gnosticorum impietates, traditionis ejus, quæ continua episcoporum per universas Ecclesias successione, doctrina et voce asservabatur, munimento tutatur: sic de fide, sacramentis, et ritibus variis controversos articulos, longe majore sæculorum, Ecclesiarum et doctorum unanimi consensu, ab apostolis instituta, et a successoribus conservata traditione confirmarent et custodirent. Quin et omnibus retro sæculis quotquot Christiani et catholici unquam habiti sunt, quoties de dogmatibus Ecclesiæ exorta est disputatio, ad Patrum priscorum et apostolicarum Ecclesiarum traditiones, ut ad sacram anchoram confugerunt; ut pro aliis innumeris locis, infra scripta testimonia patefacient.

Doctrinam sacram, quæ *apostolicarum Constitutionum* chartis traditur[39], « gloriosis Salvatoris nostri vocibus æquiparandam, » ideoque ab omnibus amplectendam esse, ejusdem Salvatoris mandato, docet Clemens Rom.

Celebriores totius Asiæ Ecclesias, inter varios hæreseon fluctus trepidantes, traditionum apostolicarum crebra repetitione, ut æneo muro, confirmat Ignatius[40].

Pueros sacræ regenerationi initiandos, divinorum præceptorum suorum, id est apostolorum, sine scriptis traditæ doctrinæ imbuxus censet Dionysius Areopag.[41].

Nutantes et dubios Philippenses, atque Marcionistarum, et Valentinianorum imposturis fascinatos plurimos, Romæ agens tum Polycarpus, a traditionibus apostolorum ducta demonstratione, primæ fidei restituit[42].

Non tam scriptis, quam apostolorum, vel discipulorum sermonibus se fidei sacramenta didicisse narrat Papias, et viva præsentique voce magis quam lectione sese adjutum[43].

Sæculi sui passim ingruentium hæreseon nimbos, traditionum apostolicarum fulgore potenter dissipat Tertull.[44] et baptismi ritus omnes, eucharistiæ pro vita functis oblationes, crucisque ad omnem Christianorum conversationem consignationes, sartas tectasque manere contendit.

Hæreticis, quantumvis Scripturas canonicas proferentibus, nunquam credendum, ut a paterna doctrina, et ecclesiastica traditione exeamus, censet ille post apostolos Ecclesiarum magister Origenes[45].

Duplicem in Ecclesia Dei agriculturam agnoscit Clemens Alex.[46], unam, quæ non scriptis, alteram, quæ scriptis continetur; idemque rerum nullarum cognitionem per successionem ex apostolis absque scriptis ad posteros pervenisse docet.

Dominica traditione, quem offerimus eucharistiæ calicem, aqua temperandum didicit Cyprianus[47]: simulque non minus ratum esse, quod, dictante Spiritu S., apostoli tradiderunt, quam quod ipse Christus, cum utriusque par sit divinitas.

Maxima sacratissimaque confessorum Christi corona, insignis synodus prima Nicæna, Filium Dei ὁμοούσιον, id est consubstantialem esse Patri, etsi nusquam scriptum exstaret, sanctorum Patrum traditionibus inhærens, contra Arianos sanxit[48].

Constantinopolitana Spiritus sancti divinam naturam a Macedonianorum blasphemiis asseruit.

Ephesina, beat. Mariam θεοτόκον, id est Dei matrem, etsi hujus vocis nullam mentionem sacræ Litteræ faciant, quod hanc fidem divini tradide-

[37] Lib. de coron. milit. [38] Lib. I, c. 17. [39] Lib. I Constit., cap. 1. [40] Epist. ad Philadel. et epist. ad Her. [41] Lib. de eccl. Hierar. [42] Iren., lib. III, cap. 3. [43] Euseb., lib. III Hist., cap. 33. [44] Lib. de cor. milit. [45] Homil. 29 in Matth. [46] Lib. I, II, IV, V, VI et VII Strom. [47] Epist. ad Cæcilium, et Serm. de ablut. pedum. [48] Tom. I Concil. Theodor., Socrates, Sozomenus, Evagrius, Nicep., lib. Hist. ecclesiast.

Digitized by Google

rant discipuli, et a Patribus ita sentire edocti essent, summa fide prædicandam definivit.

Chalcedonensis, impermistas Dei et hominis substantias, in unica Christi hypostasi, juxta Patrum placita, Eutychis spretis captionibus, confirmavit.

Adjicere libet, ut in sertis, adeoque summis fidei nostræ capitibus confirmandis, Aurelius Augustinus, quem unice mirari ac suspicere se fingunt hæresiarchæ, ad traditiones ecclesiasticas, tanquam ad asilum, confugerit. Evangelium secundum Matthæum vere ab ipso conscriptum esse, contra Fausti Manich. inficiationem credit, traditione nixus, quæ ab apostolicis sedibus usque ad præsentes episcopos certa successione pervenerat, libro vigesimo octavo *Contra Faustum*, cap. 2. Patrem ingenitum, Filiumque eidem consubstantialem, etsi in sanctis paginis non inveniatur, fidei assertione defendendum dicit, epist. 174. Integra fide credendum, beat. Mariam Dei Christi matrem, et virginem concepisse, et virginem genuisse, et post partum virginem permansisse, lib. *De eccles. dogmat.*, capit. 69. Baptisma ab hæreticis collatum, repetendum non esse, ex apostolorum traditione, etsi in eorum litteris non inveniatur, libro secundo *De bapt.*, cap. 7, et libr. I, cap. 25, et lib. IV, cap. 6. Consuetudinem matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis, ut traditionem apostolicam nequaquam spernendam, libro decimo *De Genesi*, capite vigesimo tertio. Domini passionem, resurrectionem, ascensionem in cœlum, et adventum Spiritus sancti de cœlo anniversaria solemnitate, non scripta, sed tradita observatione celebrandam, epist. 118, cap. 1. Baptizatos esse apostolos, etsi ne verbum quidem de hac Scriptura habeat, non ambigendum, epist. 108. Serie traditionis quædam facta esse, et nunc in baptismi ritibus facienda, quæ in Scripturis gratia brevitatis tacentur, lib. *De fide et operibus*, capite nono. Eucharistiam corporis et sanguinis Domini apostolos non accepisse jejunos; placuisse tamen Spiritui sancto, in honorem tanti sacramenti a jejunis semper accipi; moremque hunc per universum orbem servari, epist. 118, cap. 6. Antiquitus tradito et retento firme Ecclesiæ ritu, in baptismate parvulos exorcizari, exsufflari, et renuntiare Satanæ, ut a potestate tenebrarum, in regnum Christi transferantur, libro I *De nuptiis et concup.*, cap. 20, et lib. VI *Contra Jul.*, cap. 2. Et 114 quamvis denique nusquam in Scripturis veteribus legeretur oblatum pro mortuis sacrificium, non parvam tamen universæ Eccles. quæ in hac consuetudine claret, auctoritatem esse, ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare fundantur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum, lib. *De cura pro mortuis agenda*, cap. 1 et 4, et sermone 34 de verbis Apostoli. Aliis locis innumeris, et auctoribus sacris recensendis consulto supersedeo.

Adest parapicere. Billius, « id est, licet, vel promptum est, » Græcorum more dicitur : παρεστιν enim illis idem sæpe est quod ἐξεστιν.

Quibus emendate agentibus. Idem, Græce, ὧν καθοὐντων, id est, « quibus munere suo probe fungentibus. »

Sed quoniam valde longum est. Multis iisque gravissimis verbis hoc loco, totoque capite, docet beat. martyr Romanam Ecclesiam caput esse et regulam omnium aliarum : proindeque illius dogmata unice suspicere et amplecti, ac successionis seriem omnium hæreseon fluctibus, ut firmam et immobilem petram, nos opponere debere, et ad illius traditiones, decreta, fidemque adversus omnium eorum fraudes, qui in salutis publicæ et pietatis Christianæ perniciem nihil non machinantur, tanquam ad tutissimam arcem, et sacrosanctam aram confugere : quod singillatim explicabimus.

Primo igitur præterimus totius Orientis et Meridiei, imo universi orbis clarissimarum Ecclesiarum, quas alii apostoli, discipulique Domini doctrina plantaverant, sanguine rigaverant, et stupendis miraculis confirmaverant, episcoporum ea talogis; hujus unius, tanquam cæterarum præstantissimæ, ab apostolorum coryphæis ad suam ætatem usque, continentem et nunquam intermissam successionem contexit.

Deinde eam vocat « maximam, » ut quæ omnem sacrorum potestatem jure sibi vindicet, cæterasque omnes sibi inferiores habeat, quas sua auctoritate regat.

Postea « antiquissimam » appellat, non propter tempus, nisi de Latinis et Occidentalibus intelligas, cum Jerosolymitana, Samaritana, Cæsariensis, et Antiochena, prius fidem Christi susceperint; sed propter dignitatem, et quod aliis potior sit, ipsamque omnes ut matrem suspiciant.

Postmodum « omnibus cognitam » esse asserit, sicut ea, quæ inter omnes caput extolleret, et cujus rectores, veluti in altissima pharo et clarissima specula collocati, aliarum navigationes inter tot naufragia dirigerent; observarentque, quemadmodum unaquæque in retinenda religione se gereret : quippe quæ tyrannorum et hæreticorum procellis agitata, et nutantia corda fratrum, confirmandi præceptum simul et potestatem a Domino accepisset.

Subjicit, « a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo, quorum nimirum præ cæteris tam sunt eximia charismata, tam singulares dotes, tam magni in mystica hac navi fabricanda labores : quorum, inquam, conversatione, voce et institutis, velut sacris anchoris, inter tot fluctus et aliarum ruinas, tuta salvaque hactenus permansit : quorum denique miraculis, vinculis, sanguine et martyrio, clarius præ cæteris et dilucidius ipsa Roma fulget, quam sideribus cœlum.

« Romæ » sequitur, quæ ut suis dictatoribus, consulibus, imperatoribus, exercitibus, mortales omnes gravissima servitute olim presserat; contra, apostolicis nunc institutionibus, eosdem in libertatem filiorum Dei asserere debebat.

« Romæ » deinde, ut illic præsidia defensionis Christianæ reipublicæ collocaret, et regni sui metropolim construeret Christus, ubi idolomaniarum receptaculum, officinam turpitudinum, sanctorum carnificinam, ipsissimamque Babylona, Satanas condiderat, « fundatam et constitutam Ecclesiam. »

Hujus igitur, pergit Irenæus, tantæ Ecclesiæ « traditionem, quam, » viva voce « ab apostolis » Petro et Paulo, adhuc clavum ejus regentibus, accepit, acceptam conservat, « et annuntiatam » in universo mundo « hominibus fidem » constanter « indicantes, » et palam prædicantes, « confundimus » et convincimus nefariæ defectionis a Christi communione, et apostolorum doctrina, « eos omnes qui » philautia, gloriolæque inutilis, vel primatus appetentia, aliave cæcitate, vel quacunque alia occasione ducti, contra jus et hierarchicum Ecclesiæ ordinem, cœtus et conventicula « colligunt. »

Hanc esse beatissimi martyris sententiam, quam paraphrasticos explicamus, omni luce clarius indicant quæ sequuntur.

« Ad hanc, » subjungit, « Ecclesiam, » Romanam videlicet, non ad urbis amplitudinem, populorum frequentiam, censorum gravitatem, senatusve statuta; non ad fortissimos ejus exercitus, gloriosos de toto orbe triumphos, imperii culmen; non denique ad Cæsarum majestatem, ut inepta scelerataque impudentia interpretatur Smidelinus : sed « ad hanc Ecclesiam, » in qua sedit vertex apostolorum, cuique successerunt « Linus, Anacletus, Clemens, Evaristus, Alexander, » et alii ordine omnes; « necesse est, » quia a Deo opt. max. constitutum; non tantum Europeam, Africanam, Alexandrinam, Jerosolymitanam, Antiochenam, Con-

Digitized by Google

stantinopolitanam, Asiaticam et Orientalem Ecclesiam; sed « omnem, hoc est eos, qui sunt undique fideles, » ut membra cum capite « convenire, » nec latum unguem ab ejus communione discedere.

Est vero id « necesse, » ait, duplici de causa: altera, « propter potentiorem principalitatem, » seu locum, gradumque principem in jurisdictione et auctoritate, quem præ cæteris omnibus obtinet. Altera, quia, « in ea semper conservata est ea, quæ est ab apostolis « veræ fidei et pietatis sinceræ traditio. »

Superest jam, ut quod tam graviter, sed nimis generaliter scribit, « omnem Ecclesiam, hoc est omnes qui sunt undique fideles, » undequaque sint, ad Romanam, « necesse esse convenire, » id brevissima ex selectioribus, et omni exceptione majoribus scriptoribus Christianis, enumeratione, evidentissimum faciamus. Atque ut a nostris exordiar, Gallicas, Italicas, Hispanicas, Anglicas, Scoticas, Hibernicas, Germanicas, Gotticas, Sarmaticas, et universas Occidentales Ecclesias, Romanæ ut capiti suo, perpetuo adhæsisse; et vicissim Petri successorem, ut pastorem œcumenicum decebat, eis invigilasse, aperte docent in primis beati Bernardi epistol. 123, 126, 130, 131, 136, 137, 138, 183, 190, librique ejusdem II, III, IV, *De consideratione*; Gratiani dist. 19, 20, 21, 22; Anselmi liber I *De incarnatione Verbi*; Ivonis Carnotensis *Decreta*; Lanfranci, Guitmundi, Algeri, Paschasii scripta contra Berengarium; Bedæ lib. II, III, IV, V, *De historia Anglorum*, et *Chronica de sex mundi ætatibus*; Alcuini sive Albini liber *De divinis officiis*; Isidori præfatio in opus *Conciliorum*; Pauli Diaconi *Historiarum* libri; Prosperi *Chronica*, et liber *Contra Collatorem*; Aratoris Diaconi lib. II; Maximi Taurinensis homil. 2 de natali B. Laurentii; Vincentii Lirinensis libellus contra profanas novationes; Ambrosii epistol. ad Syricium papam, epistol. ad Theophilum; Prudentii hymni; et Hosii Cordubensis epist. ad Constantium.

Deinde, id quoque verum et longe evidentissimum efficiunt concilia, sive provincialia, sive generalia, quæ in totius Occidentis partibus coacta fuerunt: quæ omnia episcopo Romano, quasi beati Petri successori, obedire non detrectarunt.

Probat idem et Hieronymi epistola ad Eustochium, qua totius Occidentis Ecclesias, ob quasdam dissensiones Romam contractas et evocatas fuisse scribit.

Confirmat rursus Cypriani epistola 42, qua Stephanum papam monet, ut plenissimis litteris suis faciat ne Galliarum episc. Martianum Arelatensem in Novatiana hæresi pertinacem, ultra ferant; servetque gravitate et auctoritate sua beatorum antecessorum honorem gloriosum; et Martianus ille sententiam accipiat, aliusque in locum ejus substituatur.

Et quia id nobis ultro concedunt, videlicet τὰ πρεσβεῖα τιμῆς, hoc est, « primum honoris ac dignitatis gradum, » verbis eorum utor, « Romanæ Ecclesiæ assignatum fuisse; ipsiusque episcopum, τὸν πρῶτον εἶναι πάντων τῶν ἱερέων, primum omnium sacerdotum esse: atque Romanæ Ecclesiæ magnum honorem ubique veteres detulisse, et reverenter de ea locutos; tum quod invaluerat eam Petri ministerio fundatam et constitutam fuisse, tum quod doctrina, peritia, et multarum rerum usu præstantes viros haberet; simulque omnibus aliis sedatior, et doctrinæ semel traditæ tenacior esset; provideque in Occidente sedes apostolica vocata et habita sit. » Calvinus lib. IV, cap. 6, *Instit.*, sect. 16, et cap. 7, sect. 11, 12, 13, 14, 17, 18, 19; Bucerus in *Præparatoriis ad concilium*; Molinæus, et ejus hyperaspistes Franciscus Vilierius libello *De statu primitivæ Ecclesiæ*, contra Ruffum, apertissimis hac de re decretis concilii Nicæni cap. 6 concilii Chalcedon. et Constantinopol.; Tertulliani *Præscript.* et beat. Irenæi luculentissimis in hoc capite verbis; atque summorum monarcharum obedientia, et legibus, convicti; in his Occiduis et Europeis partibus non immorabimur diutius.

115 Ad Austrum igitur conversis, inter præcipuas universæ Africæ Ecclesias Romanæ principatum agnoscentes, in primis occurrit celebris illa Carthaginensis, quæ Numidicis et Mauritanicis invigilabat; et qui huic tanta cum laude præfuit fortissimus martyr Cyprianus. Hic profitetur [49] cathedram Petri, super quem a Domino ædificata fuit Ecclesia, principalem esse, unde unitas sacerdotalis exorta est; cujus fides, Apostolo prædicante [50], laudata est, et ad quam perfidia non possit habere accessum.

Et alibi: « Deus unus est, inquit [51], et Christus unus, et una Ecclesia, et cathedra una super petram, Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri, præter unum altare et unum sacerdotium, non potest; quisque alibi collegerit, spargit. »

Idem ex concilio plurimorum sacerdotum, Martiano Arelatensi et legatis, quos in Africam usque miserat, optantibus ad communionem ejus admitti, communionis omnis beneficium denegat [52]; eo quod Cornelio papæ, in catholica Ecclesia de Dei judicio, et cleri ac plebis suffragio ordinato, profanum altare erigere, et adulteram cathedram collocare, et contra verum sacerdotem sacrilega sacrificia offerre tentavisset.

Idem rursus singulos ex Africa Romam navigantes, ne cum scandalo ullo navigarent, hortabatur [53], ut « Ecclesiæ catholicæ matricem et radicem agnoscerent et tenerent; » curabatque universos collegas suos, hoc est Numidiæ et utriusque Mauritaniæ episcopos, Cornelii papæ communionem, id est catholicæ Ecclesiæ unitatem pariter et charitatem probarent firmiter ac tenerent.

Ne vero Cyprianum duntaxat nomine privato ita docuisse quisquam putet, ex universa Libya, Numidia et Mauritaniis in synodum Carthaginensem coeuntium episcoporum nomine et sententia, ille ad Stephanum papam maxime scribendum, et cum ejus gravitate ac sapientia conferendum censuit [54]; quod hoc et ad sacerdotalem auctoritatem pertineret, et ad Ecclesiæ catholicæ unitatem.

Cypriano, Tertulliani ejus magistri (sic enim eumdem appellasse, dum ejus exemplaria nocturna versaret manu et diurna, testis est Hieronymus) sententiam adjiciamus [55.56]. « Si Italiæ adjaces, inquit, habes Romanam Ecclesiam, unde nobis auctoritas præsto est statuta. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi apostolus Joannes, postquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. »

Verum omissa Carthagine, nunc Hipponem, ubi episcopum egit Augustinus, proficiscamur, qui maximam suam erga beati Petri sedem, id est Romanam Ecclesiam, reverentiam et obedientiam nos docebit [57]. Libros quatuor, quos contra duas epistolas Pelagianorum ediderat, ad Bonifacii papæ sanctitatem potissimum dirigit examinandos et emendandos: apostolicæ sedis correctioni se suaque committens.

Melchiadem papam Christianæ pacis filium, et patrem Christianæ plebis vocat, epist. 162.

Innocentium obnixe rogat, apostolicæ sedis auctoritatem, concilii Carthaginensis et mediocritatis

[49] Epist. 18, juxta Morelii dispositionem. [50] Rom. I, 8. [51] Epist. 23. [52] Epist. 49. [53] Epist. 65. [54] Epist. 76. [55.56] L. Præscript. [57] Lib. I contra duas epist. Pelag., c. 1.

Digitized by Google

suæ decretis contra Pelagium et Cœlestium adhibere, epistol. 90.

Venerabilis papæ Zozimi jussione coactum, et ecclesiastica necessitate ad Cæsaream in Mauritania se evocatum scribit, epist. 57.

Cæcilianum Carthaginensem contemnere potuisse conspirantem multitudinem inimicorum Donatistarum, « cum se Romanæ Ecclesiæ, in qua semper viguit apostolicæ cathedræ principatus, per communicatorias litteras se videret esse conjunctum, » ait epist. 162.

Stephanum papam contra anabaptismum ætate Cypriani in Africa usurpatum, « scripsisse et præcepisse » confirmat libro v *De baptismo*, capite vicesimo tertio.

Sanctum Innocentium papam de synodi Palæstinæ gestis judicasse, quibus se Pelagius absolutum falso gloriabatur, refert et probat lib. *De peccato originali*, cap. 8.

« Apostolatus Petri principatum, cuilibet episcopatui præferendum » judicat libro secundo *De baptismo*, capite primo.

Solius Ecclesiæ Romanæ successiones a beato Petro ad suam ætatem usque, ut ingentis virtutis molem, schismati Donatistarum opponit, epist. 165.

Totius Numidiæ ad Milevitanum concilium coacti episcopi, Innocentium summum pontificem demisse precantur, ut magnis periculis membrorum Christi pastoralem diligentiam adhibere dignetur, et hæreticos Cœlestium in Asia, Pelagium vero Jerosolymis constitutos, auctoritate sanctitatis suæ, de sanctarum Scripturarum auctoritate deprompta, cohibeat, aliisque instanter et celeriter provideat, auctore cod. Augustin., epist. 92.

Hujus et paulo superius nominati concilii Carthaginensis relationes, ad apostolicæ sedis antistitem missas, simulque ab eodem responsiones ad Afros directas, agnoscit probatque idem Augustinus epist. 106 et lib. I *Contra Julianum Pelag.*, et libro secundo *Contra Pelagium et Cœlestium*, cap. 7.

At, ne in re evidentissima sim effusior, relictis Fulgentii Ruspensis, Eugypii abbatis, Eulalii, et Eugenii Carthag., Primasii, Optati, Lactantii, Arnobii, Africanorum doctorum testimoniis, ad Alexandrinam sedem, quam in Ægyptum, Pentapolim, et Libyam, juxta antiquam consuetudinem, τὴν ἐξουσίαν ἔχειν, id est excellentiam summamque potestatem et dignitatem habere, sancta synodus Nicæna sanxit, oculos convertamus. Hanc gloriari, quod Romanæ Ecclesiæ fidei, ore apostolico laudatæ [58], sit particeps, scribit Hieronymus epist. ad Theophilum.

Xisti Romani episcopi consilium quærit, sententiamque vehementer exposcit in anabaptismi causa antiquiss. et sanctiss. ille Dionysius Alexandrinus, veritus ne per errorem ipse laberetur [59]. Idem, Stephanum Xisti antecessorem eadem de causa, prolixa satis epistola, totius Orientis Ecclesiarum commemorata concordia, consuluerat, ut primum sine dubio pastorem Ecclesiæ, cujus sententiam audire et attendere omnes deberent [60].

Dionysio antiquior Origenes, et ipse Alexandrinus catechistes, Petro summam rerum de pascendis ovibus traditam, et super ipsum velut super terram, fundatam esse Ecclesiam docuerat, ipsumque meruisse Ecclesiæ fieri fundamentum [61]

Et ad Zephirinum Romanum præsulem scribit, ideo se Romam iter suscepisse, quod sibi admodum in optatis esset Ecclesiam Romanam, plane antiquissimam, videre.

Magnus Athanasius, et una cum eo totius Ægypti episcopi, Marcum, « sanctæ Romanæ apostolicæ sedis atque universalis Ecclesiæ papam nominant; sanctamque ejus sedem, matrem et caput omnium Ecclesiarum agnoscunt; cui cum omnibus sibi commissis, perpetuo se futuros obedientes pollicentur [62]. »

Alibi Athanasius idem Ursacii et Valentis Arianorum antistitum sycophantiis graviter succenset, quod ne Liberio quidem Romano episcopo pepercerint, nulla reverentia ducti, cujus sedes apostolica erat, in qua nullius, nisi Dei metus resideret.

Idem rursus Alexandria Romam usque se aliquando navigasse scribit [63], « ut seipsum suaque illi Ecclesiæ commendaret, » quemadmodum sibi ipsi testis est *Apologia* ad Constantium imperatorem : vel, ut etiam Calvino placet, Romanæ sedis auctoritate tum hostium suorum rabiem reprimeret, tum pios laborantes confirmaret [64].

Jam vero Orientem petentibus nobis, Syriæ universæ, Palæstinæ et Arabiæ celebres occurrunt Ecclesiæ, quibus Stephanum papam et martyrem sua doctrina, consilio et epistolis, semper magno adjumento fuisse congratulatur apud Eusebium libr. VII, cap. 4 *Histor.*, Dionysius ille Alexandrinus.

In Jerosolymorum diœcesi degens Hieronymus, epistola ad Damasum papam, hæc præsenti animo vociferatur : « Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego nullum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri communione consocior : super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. Quicunque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. »

Et sequenti ad eumdem epistola : « Si quis cathedræ Petri jungitur, meus est. » Alibi etiam : Si quid parum caute scripsisset, ab eodem Damaso emendari postulat, « ut ab eo qui Petri fidem et sedem teneret. »

Idem rursus, totius Orientis et Occidentis synodicas consultationes ad episcopum Romanum deferri solitas docet, cum ad eas se respondisse scribit, quando in chartis ecclesiasticis Damasum juvabat.

Et epistola ad Principiam, se Romam cum sanctis pontificibus Paulino et Epiphanio, quorum alter Antiochenam Syriæ, alter Salaminiam Cypri rexit Ecclesiam, « necessitate ecclesiastica tractum, » memoriæ mandavit.

Sed audiatur ipse clarissimus Jerosolymorum antistes **116** Cyrillus. Petrum Romanæ Eccles. præsulem, principem apostolorum excellentissimum appellat, catech. 2; clavium regni cœlorum portitorem, catech. 6; supremum Ecclesiæ præconem, catech. 11; principem apostolorum et regni cœlorum clavigerum, catech. 17.

Omitto Sophonium, Pachymerem, et Michaelem Syngelum, qui postea huic Ecclesiæ præfuerunt, ut alias percurram.

In Palæstina Cæsariensi doctissimus ille episcopus Eusebius, Petrum Christianorum primum pontificem vocat in *Chronicis;* additque illum Romæ viginti quinque annis perseverasse; et quoties in historiis præcipuarum Ecclesiarum, episcoporum successiones recenset, toties Romano primum locum tribuit.

Orientis quasdam Ecclesias jam percurramus. Cæsareæ Cappadociæ Ecclesia, Romani præsulis legatos Luciferum et Eusebium, qui ad seditionem, quæ ibi orta fuerat, compescendam venerant, lubentissime accepit et audivit [65].

[58] Rom. I. [59] Euseb., lib. VII Hist., cap. 8. [60] Ibid., cap. 2, 3, 4. [61] L. V in Epist. ad Rom. et in cap. XVI Matth. [62] Epistol. ad Marcum papam. [63] Epist. ad vitam solitariam agentes. [64] Lib. IV Instit., cap. 7, sect. 5. [65] Nazianzen. in mon. B. Basilii.

Digitized by Google

Basilius modis omnibus magnus, optat petitque Romanum episcopum « res Orientis considerare, judicii sui decretum interponere, et sua auctoritate usum, Orientem visitare, » diligenti illius examini semetipsum sistere paratus [66].

In tres diversas sententias de Spiritus sancti divinitate distractæ Ecclesiæ Orientales, acceptis episcopi Romani litteris, quibus ut una cum episcopis Occidentis Trinitatem et consubstantialem esse, et gloria æqualem suadebat, in unitatem redierunt : « singulis rebus ab Ecclesia Romana semel judicatis acquiescentibus ; » auctore Sozomeno libro secundo, capite vicesimo secundo *Histor.*

Paulum Constantinopoleos, Asclepam Gazæ, Lucium Adrianopolis, Marcellum Ancyræ Galatiæ minoris, episcopos, ab improbis et hæreticis sedibus ejectos restituit Julius episcopus Romanus, litteris ad Orientales liberius scriptis, eos a quibus temere abdicati fuerant graviter arguens, « quoniam Ecclesia Romana (ait Socrates [67]) privilegium præter cæteras obtinet : atque (adjicit Sozomenus [68]) propter sedis dignitatem, cura omnium ad ipsum Julium spectabat. »

Illi, licet decreta sua infringi graviter ferrent, litteris tamen suis ad eumdem Julium, Ecclesiam Romanam primas apud omnes ferre, utpote quæ apostolorum schola et pietatis metropolis jam ab initio fuisset, agnoverunt.

Chrysostomus, Theophili, Epiphanii, et multorum Orientis episcoporum factionibus sede pulsus et relegatus, epistola ad Innocentium papam ipsum obsecrat, « ut auctoritate sua acta illorum robur nullum habere decernat ; sed eos qui inique egerunt pœnarum ecclesiasticarum legibus subjiciat. » Innocentius autem Atticum Chrysostomi loco suffectum supersedere jubet ; et Proclum Cyzici episcopum, Constantinopolitanam Ecclesiam tantisper pascere, donec causa perpenderetur. Idemque Arcadium Orientis imperatorem, Eudoxiamque imperatricem, quos relegationis tanti doctoris reos comperit, a communione Ecclesiæ et sacrorum submovit, ac pœnitentes postmodum absolvit [69].

Interea Anysius Thessalonicensis se Romanæ Ecclesiæ judicium sequi fatebatur : Antiochenæ sedis presbyteri ejusdem disciplinam se agnoscere scribebant ; Syriacus Apamæensis Bythiniæ, Palladius Helenopoleos, Demetrius Pisinuntis, totius Cariæ episcopi, et Mesopotamiæ monasteria, nefariam Chrysostomi depositionem et relegationem exsecrantes, Romanæ sedis judicio adhærebant.

Verum his omissis, Antiochenæ Ecclesiæ, quam totius Orientis metropolim fuisse, docent ex Latinis Hieronymus ; ex Græcis Theodoretus libro quinto, capite secundo [70] ; et ex Hebræis Hegesippus libro tertio, capite quinto, reverentiam obedientiamque erga Petri successores consideremus. Socrates, Theodoretus, Sozomenus uno consensu memoriæ prodiderunt Flavianum ejusdem sedis antistitem, per legationem, precibus Chrysostomi et Theophili, Ecclesiæ Romanæ episcopo, a quo ob violatum jusjurandum communione privatus fuerat, reconciliatum fuisse et communioni restitutum [71].

Eadem, Paulinum patriarcham lubens amplexa est, quod per pontificis Romani legatum Luciferum nomine, sibi traditus et ordinatus esset : qui postea et ipse una cum Epiphanio et Hieronymo, de rebus ecclesiasticis consulturus ad Romanum pontificem profectus est [72].

Sed quid in singulis recensendis immoror ? Præstat synodorum, in quibus omnes convenerunt, de Ecclesiæ supremo post Petrum capite sententias colligere. Ex Occidente et toto Oriente episcopi supra sexcentos ad Chalcedonensem, « quæ solius sedis Romanæ, » ait Gelasius, « decreto coacta est, » coierant ; qui omnes, ne uno quidem reclamante, Romanam Ecclesiam caput omnium dictitantem Paschasinum, Leonis papæ legatum audiunt, ejusque mandata capessunt, actione 1.

Deinde Leo, « universalis archiepiscopus, universalis Ecclesiæ papa, universalis Ecclesiæ episcopus, » omnium consensu appellatur, actione 3.

Postea omnem primatum et honorem præcipuum, secundum canones, antiquæ Romæ archiepiscopo conservari voluit, actione 16.

Concilium hoc præcesserat aliud, quod Ephesi contra Nestorium, « jussu et auctoritate, » aiunt Nicephorus, Evagrius, et Justinus imperator, « Cœlestini papæ indictum fuit [73]. » In eo ex toto Oriente adunati ducenti Patres, imposita sibi necessitate a canonibus, et sanctissimi Patris Cœlestini Romanæ Ecclesiæ episcopi epistola, diu multumque lacrymantes se ad tristem anathematis contra Nestorium ferendam sententiam adigi protestantur.

Epistola quoque ad eumdem Cœlestinum, sanctitatis illius pietatem, zelum et curam de recta fide cum omni admiratione suspiciunt : episcopos Romanos in omnibus celebres esse, et eorum studia ecclesiarum fulcra, constituta agnoscunt : et quoniam necessitas postulabat, ut quæ facta fuerant in sancta illa synodo, omnia ad sanctitatis ejus cognitionem referrentur, eidem ipsi, scripto illo necessario, ea universa sese indicare scribunt [74].

Demum, Joannis Antiocheni patriarchæ, qui ut synodum in gratiam Nestorii turbaret, Ephesiorum et Alexandrinorum episcopos deposuerat, temeritatem plectendam differunt pietatis ejusdem Cœlestini judicio [75]. Qui vero multis ante annis, ad secundam universalem synodum, quæ prima Constantinopolitana fuit, juxta litteras Damasi papæ convenerant 150 episcopi, epistola ad eumdem Ecclesiæ Romanæ præsulem, membra ejus propria sese profitentur, simulque ut ordinationibus Nectarii, Flaviani et Cyrilli, quibus Constantinop. Antiochenam, et Jerosolym. Ecclesias commiserant, sua pietate et charitate spiritali acquiesceret, hortanti.

Jam vero tantam confessorum coronam, quæ ex Palæstina, Phœnicia, utraque Syria, Arabia, Mesopotamia, Persidé, Cilicia, Cappadocia, utraque Armenia, et Ponto, Galatia, Asia, Lydia, Phrygia, Pisidia, Pamphilia, Isauria, et aliis Orientis partibus majori ex parte contexta est, celebrem et omnibus observandam Nicænam synodum primam consideremus. Hanc non tantum Sylvestri episcopi Romani consensu coactam apud Damasum legimus, verum et ejusdem vocatione regulariter convocatam fuisse, docet concilium Romanum eadem tempestate celebratum [76] : Vitumque et Vincentium

[66] Epist. 52. [67] Lib. II Hist., cap. 2. [68] Lib. III, cap. 7. [69] Palladius, Sozom., lib. VIII, cap. 26, Theod., lib. V, cap. 33 ; Socrates, l. VI; Georg. Alex. in Vita Chrysostom.; Nicephor., lib. XIII, cap. 15, 16, 18, 31, 32, 33, 34. [70] Advers. Jo. Jerosolym. [71] Socrat. lib. III ; Theod. lib. III ; Sozom. lib. V. [72] Nazianz. in Monodia. Basil., Hieronym. epist. ad Principiam. [73] Niceph., lib. XIV, cap. 34; tomo I Concil., pag. 691; Evagr., lib. I Histor. [74] Tom. I Concil., pag. 694, 695 edit. Col. [75] Tom. I Concil., pag. 485 et 486. [76] Tom. I Concil., pag. 355.

Digitized by Google

Sylvestri episcopi Romani nomine illi præfuisse testantur ex Latinis Marianus, Regino, Platina; et ex Græcis Cedrenus in *Compend. hist.*, et Photius Constantinop. Eadem jussit Asiaticos Paschatis observationem, quam ab apostolicis viris Polycarpo, Polycrate et aliis acceperant, missam facere, et Ecclesiæ Romanæ celebrandi tempus amplecti; quod ut præstarent, cum Constantinus imperator esset adhortatus, facturos se libenter receperunt. Hæc ipsa quoque synodus, communi omnium episcoporum nomine, epistola ad eumdem Sylvestrum, precatur, ut quidquid in tanto cœtu et consensu visum esset, oris illius consortio confirmaretur[77]. Quid ergo evidentius, firmius, aut amplius ad confirmationem summæ in omnes Ecclesias potestatis, in Petri successore haberi potest? En totius Occidentis, Meridiei et Orientis Ecclesiarum pastores, verbis, scriptis, operibus; et singuli, et in maximis synodis congregati, Ecclesiam eam a Petro, cui præ cæteris Dominicas oves pascendi cura commissa est, fundatam esse decent; ipsi obedientiam reverentiamque exhibent; extorres ab ejus communione, profanos, hæreticos et Antichristos censent; in omni controversia judicium ejus exspectant; decreta ejus ut Christi voces audiunt, amplectuntur, exosculantur; præcipui patriarchæ ab illa confirmari expetunt; conciliis suis calculum adjicere rogant; injuria affecti eam appellant; et ad eam sedibus pulsi, ut ad tutissimum asylum confugiunt; quos in communionem receperit, catholici; quos non admiserit, schismatici ab omnibus existimantur: et, ut hic Irenæi clausula finiam, « quotquot sunt, » undequaque sint, « in toto orbe fideles, ob potentiorem principalitatem, et conservatas traditiones apostolicas, ad eam conveniunt. » Atque de his satis.

117 *Petro et Paulo.* Hujus libri cap. 1 disertis verbis testatur Petrum et Paulum Romæ evangelizasse, et fundasse Ecclesiam: quod cum et ipso superiores Hegesippus, Caius, Linus, Clemens, Anacletus, Papias; et quotquot postea sive in Oriente, sive in Occidente, sive in Meridie, sive in Septentrione secuti sunt orthodoxi et clari scriptores, miro consensu confirment: non possum non mirari Veleni, Illyrici, Funecii, Molinæi, Gallasii, et quorumdam aliorum Hugnosticorum profligatam impudentiam, qua Petrum nunquam Romæ fuisse audeant blatterare. Præsertim cum etiam Lutherus, quemadmodum ex colloquiis ejus scribit Rebenstock, sponte fassus sit[78]: « Omnes historias affirmare Petrum fuisse primum papam Romæ; » et Calvinus profiteatur[79], « Propter scriptorum consensum se nolle pugnare, quin illic mortuus fuerit. »

Observandum quoque hoc loco, Petrum Paulo præmitti, quod ille Romanis longe prius annuntiasset, quam iste ad eos vel scriberet, vel accederet. Etenim ipsemet Paulus ad Romanos, quos nondum viderat, aut docuerat, scribens, testatur fidem illorum annuntiari in universo mundo, seque ingenti desiderio eos visendi, et in eadem fide confirmandi teneri. Ergo jam illic, Petri laboribus, coaluerat amplissima et florentissima Ecclesiæ Christianæ atque catholicæ facies: quod etiam alii ab Irenæo primæ notæ scriptores testificantur. Eusebius namque ait[80]: « Salutaris prædicationis verbo Petrus primus in urbe Roma Evangelii sui clavibus januam regni cœlestis aperuit. » Consentiunt Epiphanius cont. hæres. 27; Chrysostomus in ps. XLVIII; Nicephorus lib. II; et ut Græcis Latinos jungamus, Leo Magnus serm. 1 de natali apostolorum, Orosius lib. I, cap. 6; Arnobius lib. II *Contra gentes*, aliique plurimi.

Per successiones episcoporum. Continuam episcoporum successionem, præsertim Romanorum, quas postea ad ætatem suam usque numerat, per cunctas Ecclesias esse veram manifestamque sponsæ Christi notam, ex qua Scripturarum interpretatio, legitima sacramenta, veritasque fidei petenda sit, cum Irenæo senserunt, ac hæreticis ut firmissimum murum objecerunt Tertull. lib. *Præscr.*; Cyprianus lib. I, epist. 6; Optatus lib. II *Contra Parmen.*; Epiph. contra hæres. 27; August. tom. VII, *Ps. contra partem Donati*, et alii deinceps omnes orthodoxi.

At vero, istiusmodi perpetua successio in Romana sede tam certa et perspicua est, ut nulli Lutherani, nulli Calviniani, nulli Anabaptistæ, nulli Ariani, Samosateniani, Trideitæ, aut Trinitarii possint negare: contra vero, hi omni successione episcoperum carent; nunc que majori ex parte ministri eorum sunt laici, ex profanis turbis et negotiis, sine ulla sacra initiatione, in Ecclesias irrumpentes, et aut veteres hæreses Simonis, Marcionis, Donati, Vigilantii, Berengarii, etc., instaurantes, aut a novis hæresiarchis inventas seminantes, in totius orbis Christiani extremam perniciem. Sunt ergo, ut loquuntur orthodoxi, a seipsis ordinati, sine magistro discipuli, filii sine patre, sine capite membra, et prodigiose natæ creaturæ[81].

Præterquam oportet colligunt. Billius non dubitat quin interpres Græcam vocem παρασυνάγειν reddere studuerit: quam tamen dilucidius vertisset, « præter jus fasque conventus agere. » Unde Socrates in *Hist. eccl.*, lib. V, c. 21 (in Latina vers. 20), Sabbatium Novatianum, quando cum relictis suis, privatos conventus agere cœpisset, παρασυνάξαι eum dicit. Quid autem inter hæresim, schisma, et παρασυναγωγήν, vel παρασύναξιν intersit, vide Basilium in *Canon. ad Amphilochium*, can. 1.

Pag. 176. *Linc episcopatum.* Quod non conveniant omnes, quis primus beato Petro successerit in sede Romana, parum refert, cum constet eam Ecclesiam nunquam pastore caruisse: sed a principe apostolorum successionem suam manifestam jugemque retinere. Irenæus primum a Petro enumerat Linum, quod Hieronymo, Epiphanio, Chrysostomo, Dorotheo, Optato et Augustino probatur. Astipulatur Eusebius libro tertio *Hist.*, cap. 2 et 4, lib. V, cap. 6; in *Chronico* quoque sub anno Domini 70, Neronis 14, post Petrum Romanam Ecclesiam rexisse Linum 12 annis asserit. Contra, Clemens se a beato Petro successorem constitutum scribit libro septimo *Constit. apost.*, cap. 45, et epist. 1 ad Jacobum, quam ante mille et ducentos fere annos Latinam fecit Ruffinus; ei subscribunt Epiphanius, Damasus, Marianus, Sabellicus. Mihi perplacet Sanderi doctissimi theologi conciliatio, Petrum quidem Clementem ordinasse, sed huic Linum et Cletum in catalogo episcoporum Romanorum præponi quod eos Petrus sibi coadjutores adscivisset.

Ergo, ut Epiphanius ex priscis etiam recte colligit, primus a morte S. Petri Romanæ Ecclesiæ præfuit Linus, secundus Cletus, tertius Clemens; qui Christiana raraque moderatione sedem Petri capere recusavit, dum viverent Linus et Cletus summi apostolorum Petri Romæ cooperatores, cum hic urgente proximorum salute in alias provincias excurreret, tametsi fuisset ab eodem Petro designatus.

Cæterum, ex hac etiam Irenæi sententia notandum apostolorum et successorum eorum esse episcopos legitimos Ecclesiis præficere; non regum, magistratuum civilium, minus autem popularium. Quam ergo monstrosum ac propudiosum, mulierem, cui nec in Ecclesia quidem loqui divina jura permittunt, verbi Calviniani ministros, decanos,

[77] Tom. I Concil., pag. 354. [78] Tom. II, pag. 63. [79] Lib. IV Instit., c. 6, sect. 15. [80] Lib. II Histor., cap. 14 [81] Cyprian., Optat.

Digitized by Google

episcopos, archiepiscopos in Ecclesiis alicubi constituere! « Purpura certe facit imperatores, non sacerdotes, » inquit Ambrosius [82]. Idemque ad Valentinianum [83] : « Noli te gravare, imperator, ut potes te in ea quæ divina sunt aliquod imperiale jus habere. Publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum. »

Succedit autem ei Anacletus. Hunc plerique post Clementem constituunt, et in epistola eidem inscripta, Clementem suum prædecessorem vocat; sed et Epiphanius, Ruffinus, Damasus, Sabellicus Cletum, non Anacletum, Lino subjungunt : at huic Irenæi enumerationi, quæ Cletum nescit, nisi cum Anacleto eumdem faciat, subscribit Eusebius lib. III, cap. 13 *Histor.*, « Titi, inquiens, altero imperii anno, Linus Romanæ Ecclesiæ ministerium, cum in eo duodecim annis præfuisset, Anacleto tradidit. » Similia habet lib. v, cap. 6, ac demum in *Chronico;* Ignatius quoque epistola prima, Clementem scribit Anacleto successisse.

Clemens, qui et vidit apostolos. Barnabæ concione primum fidei elementa didicisse, et ejus ministerio se ad Petrum apostolum adductum fuisse; ac deinceps variarum peregrinationum et certaminum comitem se adjunxisse, locupletissimus sibi ipse testis est, in libris *Recognitionum.* Hunc esse, cujus Paulus in quadam epistola meminit, putant Clemens Alex., Eusebius, Epiphanius.

Sub hoc igitur Clemente, dissensione non modica. Si exstaret Clementis epistola qua schisma hoc compescuit, et Corinthiorum nutantem fidem confirmavit, tantæ divisionis occasiones facile explicarentur : sed nec Eusebius, nec Nicephorus plura quam hic Irenæus tradiderunt.

Potentissimas litteras. Hinc observa Romanam Ecclesiam, etiam ab initio, auctoritatem suam interposuisse in moderandis quoque Græcorum Ecclesiis, quod adeo gratum fuit illarum episcopis, ut hic commemoratam epistolam, non tam Clementis quam Romanæ Ecclesiæ nomine, sua ipsius memoria, plurimis in Ecclesiis publice lectam scribat Eusebius lib. II, cap. 12 *Hist.* Porro fragmenta non contemnenda hujus epistolæ reperias apud Justinum martyrem, quæst. 47 ad orth.; Clementem Alex., lib. I *Strom.*, et lib. IV, et lib. VI; Basilium Magn., lib. *De Spiritu sancto*, capite 29; Athanasium in disput. contra Arium in synodo Nicæna; Epiphanium contra hær. 27; Eusebium, lib. III *Hist.*, cap. 16 et 37; Hieronymum, lib. I *Cont. Jovin.* et Commentariis in I et IV cap. ad Ephes. quorum lectorem tantum admonere visum est.

Huic autem Clementi succedit Evaristus. Augustinus epist. 165, Optatus Milevitanus lib. II, Evaristum Anacleto successisse scribunt, quos secuti sunt Damasus et Platina; sed cum hic reclamet Irenæus, eique subscribat Eusebius plurimis in locis, illi potius credendum. Totum hunc locum transcripsit Eusebius lib. V *Hist.*, cap. 6.

Qui etiam gloriosissime. Eusebius, Damasus, Metaphrastes, Nicephorus, Platina, aliique rerum ecclesiasticarum scriptores, huic consentiunt : adeoque antiquissimus scriptor Tertullianus his versibus [84] :

Post expleta sui qui lustri tempora tradit
Telesphoro ; excellens hic erat, martyrque fidelis.

Et Polycarpus. Etiam locum istum reperias apud Eusebium, lib. IV *Histor.*, cap. 13. Deinde constantissimum ejusdem Polycarpi martyrium graphice depingit cap. 15. Meminit et Polycarpi frequenter in epistolis Ignatius, ad eumque nominatim unam dirigit. Idem rursus ad Antiochenses suos, ex Philippis scribens, salutat eos Polycarpi nomine, cui tanquam fidissimo tutori, Ecclesiam Antiochenam, ad martyrium proficiscens, impensius commendat. Irenæus quoque in *Epistola ad Florinum*, pietatem, doctrinam, formam Polycarpi, et cæteras animi et corporis dotes, apprime commendat. Fragmentum habet Eusebius lib. V, cap. 19 *Hist.*

Multum enim perseveravit. Eusebius in *Chronico* tradit Polycarpum coronam martyrii suscepisse circa annum 118 Christi 169, imperii autem Antonini Veri septimo; insuper, illum instante morte dixisse proconsuli, se jam octoginta sex annos Christo inservivisse : quibus eum revera grandævum fuisse, ac Ecclesiæ Smyrnensi multis annis præfuisse constat.

Pag. 177. *Et fidelior veritatis est testis.* Eusebii auctoritate, et Billii commonitione sic ocum restituimus, expuncto « fidelioris, » quod habebant omnes codices.

Is enim est qui sub Aniceto. Peregrinationis hujus rationes, ex Irenæi epistola ad Victorem papam abundantius refert Eusebius lib. V *Hist.*, cap. 24. Hinc vero observandum quanti Romani pontificis auctoritatem fecerint totius Orientis Ecclesiæ, quarum primas, apostolorum auditor, ab ipso Joanne evangelista Smyrnæ pastor constitutus Polycarpus, confecta jam ætate, Romam pergit, successorem Petri variis de rebus consulit; pacis communionem postulat et assequitur.

Et sunt qui audierunt eum. Isthæc transcripserunt ex Irenæo Eusebius lib. IV *Histor.*, cap. 13; Epiphanius contra hæresim 30; Theodoret. libr. *Hæretic. fab.*; Nicephorus lib. II. Plurimos autem et sanctissimos, præter Irenæum, discipulos et auditores Polycarpum habuisse in ecclesiasticis libris refertur, qui tum adhuc et in Asia et in Gallia supererant : inter quos numerant Andochium, Tyrsum, Felicem et Benignum, qui in Galliis martyrio consummati sunt.

Cerinthum. Epiphanius contra hæresim 30 semel et iterum istud de Ebione, non de Cerintho, refert. Quid si uterque, id est Cerinthus ac Ebion, ut ejusdem fermè impietatis professores, tum in balneum aut ex condicto, aut præter spem, simul convenissent? Hieronymus *Advers. Luciferianos* asserit, post Joannis recessum, balnei ruina Cerinthum cum asseclis oppressum fuisse. Ac Eusebius quidem lib. IV *Hist.*, cap. 22; Nicephorus lib. IV, cap. 22, et Theodoretus lib. II *Hæreticarum fabularum*, Joannis accessum et recessum cum Irenæo referunt, sed balnei ruinæ ac hæretici oppressionis non meminerunt.

Post unam correptionem. Tertullian. lib. *De præscript.*; Cyprianus libr. III *Ad Quirinum*, cap. 78, item epist. 55; Lucifer Calar. et Ambrosius Com. in hunc Pauli locum, hanc Irenæi vet. cod. lectionem sequentes, non habent : « et alteram; » habent vero Athanas. orat. 5 contra Arian., orat. ad Max., epist. ad Serapionem; Leo Magnus serm. contra hæresim Eutychetis; Hieronym., Theodoretus, Primasius.

Est autem et epistola Polycarpi. Hanc agnoscunt Eusebius lib. V *Histor.*, capite vicesimo; Hieronymus in *Catalogo*, Nicephorus lib. II, cap. 39. Prodiit autem nostra ætate in lucem, ut multorum aliorum priscorum monumenta, quæ temporum injuria diu latuerant. Quinetiam testis est Irenæus, *Epistola ad Florinum*, cujus egregium fragmentum exstat apud Eusebium lib. V *Histor.*, cap. 18, et Nicephorum lib. IV, cap. 30, eumdem beatissimum et apostolicum virum, alias quoque epistolas, vel vicinis Ecclesiis confirmationis gratia, vel fratribus quibusdam, ut eos admoneret et hortaretur, scripsisse, ex quibus puritas doctrinæ ejus colligi potest. Harum perro quinque non aspernanda fragmenta, a me superioris Quadragesimæ tempore Virduni, in quadam vetustissimis characteribus

[82] Ambr., epist. 33. [83] Theodoret., lib. V Histor., cap. 17. [84] Lib. III Carm. advers. Marcion.

Digitized by Google

manu descripta super quatuor evangelistas Catena, inventa, ut a Victore episcopo Capuano, ante mille et centum annos ibidem laudantur, hoc loco inserere operæ pretium visum fuit. (*Hæc fragmenta jam edidimus hujusce Patrologiæ tom. V, in Polycarpo.* EDIT.)

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 4.

Pag. 178. *Tantæ igitur ostensionis cum sint hæc.* Auctoritate vet. cod. expunximus, « ostensiones ; » atque ita colligit Irenæus, quæ supra dixit, de Scripturis, successionibus episcoporum, maxime in Ecclesia Romana, et traditionibus apostolorum, vim habere manifestissimæ ac firmissimæ demonstrationis adversus omnes hæreses. Infert autem non esse veritatem fidei quærendam a tam impuris et dissectis Gnosticorum sectis : sed a sola Ecclesia catholica, cui ut sacrum ac cœleste pignus, servanda ab apostolis commissa est. Confirmatio prima est, ex eo quod obortis novis disceptationibus semper ad antiquiores Ecclesias, velut ad puriores fontes recurritur. Secunda, quod si nullæ essent Scripturæ nobis relictæ, ad earum Ecclesiarum traditiones omnino confugiendum esset. Tertia, multas per orbem gentes, viva solum voce traditam sibi veram fidem Christianam constanter **119** tenere et servare. Quarta, Spiritum sanctum, ut a prophetis prænuntiatum fuit, in cordibus fidelium, potius quam in chartis, veram et salutarem pietatem inserere ac infigere. Paulo post, « in eam, » pro, « in ea, » deinde, « cum summa diligentia, » pro, « cum magna, » docente vetere codice, substituimus.

Diligere. Billius « deligere » mallet quam « diligere, » ob verbum « devitare, » quod antecedit.

Quid autem si neque. Vehemens certe telum in eos qui nihil credendum clamitant quod non dilucide et aperte Scriptura dicat. Num ergo Deum unum esse, universaque suo Verbo condidisse credidissent, si Moysis ætatem præcessissent? Atheismumve professi fuissent, si universa Biblia sacra Babylonicis flammis exuri vidissent? Neque igitur Domini nostri incarnationem, mortem, resurrectionem, et universam œconomiam peractam ab eo vere existimassent, antequam Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, hæc scriptis mandassent? Et quid ad hanc rationem Irenæi respondebunt, si tantum et solum apertis scriptis credunt, traditione omni abnegata?

Multæ gentes barbarorum. Divinis jussionibus, quibus Christus apostolos et discipulos delegavit, ut euntes in universum mundum, felix faustumque Evangelii verbum profiterentur omni creaturæ, incipientes a Judæa usque ad ultimum terræ, tanto fervore paruerunt, ut omnem terrarum orbem intra 40 aut 50 annos peragrarint. Hoc plane Paulus indicat, Romanorum fidem dicens annuntiari in universo mundo; et Apocalypsis, inter eucharistias beatorum referens eos dicere : « Redemisti nos ex omni tribu, lingua, populo et natione. » Non fuerunt autem scripta apostolorum evulgata statim per tot linguas et provincias; quæ tamen recta in Deum fide, solo verbo Dei tradito, non autem scripto innixæ credebant, uti docet Irenæus.

Quorum qui in Christum credunt, sine charta et atramento. Ita ex veteri codice restituimus : codices excusi, « eorum qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento. »

Ante Valentinum enim. Eisdem argumentis, ab origine scilicet recentiori tum hæresiarcharum, tum hæreseos, validissime pugnat Tertullianus adversus hosce Gnosticos lib. *Præscript.* et lib. I *Contra Marcionem.* Valet quoque plurimum hujusmodi argumentum adversus hujus ævi Hugnosticos : quandoquidem constet Lutheranismum anno Domini 1517 ab excucullato apostata Luthero initium habuisse; sacramentariam factionem circa annum 1524; Carolstadii et Zuinglii opera pullulasse; Anabaptistarum vero colluviem 1522, per Nicolaum Storck, deinde Thomam Muntzerum prima furorum suorum fundamenta jecisse. Nam si omnes ecclesiasticas historias percurramus, nullam provinciam, nullamque gentem comperiemus, quæ confessionem fidei Augustanæ, Witembergicæ, Mansfeldicæ, Saxonicæ, Bohemicæ, Wandalicæ, Sucdicæ, Anglicæ, Belgicæ, Francicæ, Helveticæ, aut Bezanicæ similem unquam ediderit. Hoc in primis satis fatetur Beza, quando in libro *Imaginum* scribit Cnoxum, Bucerum, Farellum, Calvinum, Zuinglium, ac Œcolampadium primos fuisse in Scotia, Anglia, Francia, Sabaudia Helvetiaque apostolos ac evangelistas; item, Calvini in sacras Litteras monimentis « nihil judiciosius, nihil enucleatius, nihil magnificentius a quoquam verbi divini interprete adhuc scriptum fuisse; » et in hujus Vita, universos verecundiæ fines transiliens, tam impudenter quam nequiter scribit : « Doctrinam de cœna Dominica, a nullo post apostolos recte intellectam et traditam hactenus fuisse, quam a Calvino. » Constat ergo etiam propriis illorum testimoniis, Calvinismum et Zuinglianismum recentissimum esse : nosque illis optimo jure objicere posse, quod nuper in colloquio Frankentalensi Anabaptistis nepotibus suis objecerunt : « Si vos Ecclesia Dei estis, sequitur Deum sine populo et Ecclesia fuisse usque ad annum 1524, in quo Carolstadius doctrinæ vestræ fundamenta posuit. Nam si vel omnes historias perlegatis, nullum ab exordio mundi populum invenietis, qui confessionem fidei vestræ similem habuerit, » etc.

Lutheranismum quoque recentissimum esse, et ipse Lutherus palam significat et contestatur his verbis[85] : « Audemus gloriari Christum esse primo a nobis vulgatum. » Et in *Colloquiis* ejus per Rebenstock collectis refertur, quod frequenter labores suos apostolorum etiam laboribus præferens, diceret[86] : « Tempore Pauli, Evangelium non publice, sed privatim propositum est. » Et Joannes Aurifaber in aliis ejusdem Lutheri præceptoris sui *Colloquiis*, eo usque effert illum super omnes Patres, doctores, martyres, discipulos, ac evangelistas, et apostolos Christi, ut vix divinissimum Paulum ei præferendum judicet, ac secundum ab eodem Christo locum omnino tribuat, ut superius ex versibus ejus notavimus. Wigandus denique libro *De bonis et malis Germaniæ*, ascribit eidem Luthero « articulorum fidei illustrationem, qualis ab apostolorum temporibus hucusque in mundo non fuit cognita. » Et reipsa, ne unum, ne unum quidem ab apostolorum temporibus ad hanc usque ætatem nostram, doctorem ac episcopum nominare possunt, aut poterunt unquam, qui Lutheranam vel Melanchthonianam doctrinam professus, aut confessionem fidei Augustanæ similem amplexus fuerit. Sed neque ullam provinciam, ullam civitatem, ullum oppidum, ullum totius orbis angulum designare possunt, in quo vel baptizatum vel cœnatum, vel prædicatum sit recentium Hugnosticorum more. Est igitur horum doctrina plane nova, et hactenus inter Christianos nec audita nec recepta.

Valentinus enim venit Romam. Hæc, usque ad illud : « Marcion autem illi succedens, » transcripsit Eusebius lib. IV *Hist.*, cap. 10. Sectam quoque Valentinianorum ortam sub tempore Antonini Pii, et Telesphori papæ, qui Hyginum præcesserat, memoriæ tradiderunt Theodoretus et Sabellicus.

Pag. 179. *Modo quidem latenter docens.* Observandum quam incerta, vacillante, et ad omnem flatum fluctuante, imo et repugnante, et perpetuo verbere flagellante eos misera conscientia, errores

[85] Præfat. in corpus doctrinæ, editum Lipsiæ, 1561. [86] Tom. II, pag. 145.

Digitized by Google

suos adinveniant, retineant, et spargant tam veteres quam novi hæresiarchæ. Ac de veteribus sufficiat præsens Irenæi testimonium : de novis juvat quidpiam adjicere. Lutherus de seipso certissimus testis, scribit[87] « se initio per ignorantiam et imprudentiam, imo repugnante animo, in hanc causam detrusum esse. » Unde et discipuli ejus referunt enm in colloquiis sæpe dixisse[88] : « Ego ita credere non possum, sicut doceo : attamen homines alii fidem me habere firmissimam judicant. » Item : « Si junior essem, nollem prædicare : aliud negotium inciperem. Ego si vidissem meum incœptum in tantum dilatari, os meum certe obturassem. » Et in aliis colloquiis ab Aurifabro commensali collectis recitatur, eumdem de seipso cum suspiriis aliquoties exclamasse[89] : « O quam magnam hominum multitudinem per doctrinam tuam seduxisti! Omnem hunc tumultum concitasti! » Et postea : « Nunquam eas cogitationes ex animo dimitto, nimirum quod optarem negotium hoc a me incœptum non esse. In hac tentatione sæpenumero ad ipsum infernum demersus sum. Quia tamen causam hanc ingressus sum, videndum mihi nunc est, et dicendum, eam justam esse. » Quin etiam remordentis, dies noctesque flagellantis, tumultuantis, et reclamantis miserabilis animæ suæ stimulos et cruciatus cunctis manifestans scribit[90] : « Quoties cor meum palpitavit, meque reprehendit et objecit : Nunquid tu solus sapis? An vero credibile est reliquos omnes errare, et tanto tempore errasse? Quid, si tu erres, et tot homines in errorem inducas, qui omnes in perpetuum damnentur? » Luthero tot procellis agitato, fluctuanti, et de doctrinæ suæ veritate penitus incerto, commilitonem et Achatem ejus jungamus Melanchthonem, confessionis Augustanæ, omniumque Lutheranorum, et nunc quoque Calvinianorum symboli et acropolcos conditorem.

Is animi sui fluctus et consternationes satis in comitiis Augustanis patefecit, quando « episcopis catholicis jurisdictionem, auctoritatem atque obedientiam, etiam inter Lutheranos restituendam esse concedebat[91]. » Et in subsignandis articulis Smalcaldicis addendum volebat, « ut Romano pontifici jurisdictio in episcopos catholicos, et concionatores Lutheranos sarta tectaque relinqueretur. » Verum Lutheri furoribus cedere coactus est. Virum tamen adeo semper torsit et arsit tot errorum conscia mens, ut Joanni Bartholomæo a Velberg, eum de religione mutanda consulenti, responderit, ut « catholicum communicandi et orandi ritum constanter retineret[92]. » Additditque : « Nullum habeo digitum in manu, cujus jactura non optarim me nunquam ad scribendum de rebus theologicis accessisse; sed vacasse philosophiæ ut feci a principio. » Præterea, propriæ matri in extremis agenti, et eum per sacra omnia adjuranti, ut ei diceret, « quænam magis salutaris esset religio? » coram multis respondisse fertur, « Romanam catholicam securiorem esse, Lutheranam carni faciliorem. » Ex quibus satis est manifestum, quam semper lubricus et inconstans fuerit : denique, etiam reclamante intus conscientia, illum nunc partes Lutheranorum, nunc catholicorum, postremo et Sacramentariorum propugnasse. De Pomerano, Ambsdorfio, et aliis Lutheranæ factionis ducibus etiam dicerem, nisi me novi **120** Sacramentarii, ut et suis anxietatibus et trepidationibus locum hic designem, vehementer incitarent.

Andreas Carolstadius eorum antesignanus anno 1525 scripsit ad Lutherum, « se tantum exercitii gratia, de eucharistia contra eum disputasse : et non velle in ea sententia, quæ realem corporis Christi præsentiam non agnoscit, pertinaciter persistere[93]. » Idem ad Tigurinos pergens dixit Cyringio : « Ab istis Helveticis theologis mea fides et sententia de cœna Domini stabit et cadet. » Eadem inconstantia et trepidatione Calvinus paratus sententiam suam sacramentariam mutare atque deserere, scripsit : « Si Philippus Melanchthon verbulo declaret me a sua mente deflectere, protinus desistam[94]. » Annon levissimi prophetæ et inconstantissimi apostoli, qui a nutu mendacium et mortalium hominum, in præcipuis fidei Christianæ capitibus, stant et cadunt? Suorum dogmatum tabulas figere ac refigere sunt parati. OEcolampadius, alter hujus sectæ parens, per Ficinum cancellarium admonitus a landgravio Hassiæ 1529, ne verbis Christi neglectis, commentis hominum peregrinis et incertis fideret, his verbis respondit : « Utinam, princeps illustriss., abscissa mihi fuisset hæc dextera, cum primum inciperem de negotio cœnæ Dominicæ scribere[95]! » Annon apertum et certum oppressæ, reprobatæ damnatæque conscientiæ testimonium? Zuinglius et ipse de suo dogmate anceps et dubius scripsit : « Confiteor ingenue, quod ad hunc sensum verborum Christi, quem proferemus : « Hoc « significat corpus meum, » propensior sim quam ad alium quem hactenus tenuimus, quamvis nihil temere affirmem. Sed si quis clariora protulerit, cum gratiarum actione amplexurum polliceor[96]. » Rursumque incertitudinem doctrinæ sacramentariæ, et inconstantiam suam declarans ait : « Vereor multos errare in certamine περὶ τῆς εὐχαριστίας, nisi ego magis quam omnes errem[97], » etc. Nec mirum profecto si trepident, tremant, totique tam impiam causam agentes perhorrescant; quando relictis aut depravatis clarissimis Christi verbis, vel Satanica somnia, vel glossemata ab impuris hominibus conficta et invecta consectentur; quæ imbecilles atque timidas hominum mentes nunquam possunt tranquillare. Ecquis hujusmodi Proteis ac Vertumnis salutem suam tuto committere posset? Sed de his pro occasione jam satis.

Ejusdem adnotationes in cap. 5.

Pag. 179. *Traditione igitur.* Expleto argumento a traditionibus, nunc ex apertis Scripturis adversus Gnosticos disputationem instituit : hisque unicum Deum universorum Creatorem, eumdemque Patrem Domini nostri Jesu Christi esse demonstrat.

Veritas de terra. Locum hunc post Irenæum, Arnobius sic interpretatur : « Veritas qui est Christus, de terra, id est de Maria orta est. » Lactantius autem libro quarto, capite duodecimo : « Veritas, inquit, de terra orta est, quia Deus in quo veritas est, terrenum corpus accepit, ut terrenis viam salutis aperiret. » Et Augustinus : « Veritas de terra orta est, Christus de femina natus, Filius Dei de carne Christi processit. » Nec ab hac interpretatione dissentiunt Hieronymus *Comment. in Psal.*, Fulgentius lib. III *Ad Trasimundum;* et lib. *De incarnatione et gratia Domini nostri Jesu Christi*, cap. 6.

Pag. 180. *Et sine personæ acceptione.* Vocem « personæ » addidimus, expunximusque « acceptatione; » deinde « constabiliret, et, » pro « constabiliter; » et non ita post, pro « descensurus, descensurum, » substituimus auctor. vet. cod.

Dilatans Japhet. Alludit ad benedictionem eam qua Noe Japhet filium primogenitum honestavit ac decoravit. Locum hunc illustrabit amplior hæc Justini interpretatio[98] : « Prædixit Noe, posteros Semi occupaturos agros Chananæorum et habitacula, ejiciendos mox a Japheti progenie, quod ita

[87] Tomo I Op., sparsim. [88] Tomo I Colloq., pag. 34 et 95, et tom. II, p. 15. [89] Fol. 158, 241 et 271. [90] Præfat. libr. de missæ abol. [91] Vlembergius, causa 15. [92] Wolfangus Agricola, conc. de matrim. [93] Schlusselburgius, l. II, art. 9. [94] Secunda defens. contr. Westphal., pag. 54. [95] Schutz, causa 15. Schlusselburgius lib. II, art. 9. [96] Lib. de vera et fals. relig., fol. 249 et 257. [97] Epist. de cœn. Domin. ad Matth. Alberum, 1525. [98] In Dialog.

Digitized by Google

factum docebo. Vos enim (Judæos alloquitur) qui a Semo ducitis originem, occupastis Dei jussu terram filiorum Chanaam, deinde filii Japhet, æque justo Dei judicio tenuerunt eam, et vos illinc profligaverunt, » Romanos intelligens.

Ejusdem adnotationes in cap. 6.

Pag. 180. *Neque igitur Dominus.* Ex multis clarisque Scripturarum locis demonstrat unicum et solum esse Deum et Dominum hujus mundi creatorem et rectorem; et hoc nomine non solum Patrem (ut veteres et novi Ariani impie contendunt), sed et Filium, et Spiritum sanctum, id est tres simul divinas hypostases comprehendi. Hinc emanavit ista non modo Augustini, sed et omnium veterum theologorum regula : « Quoties in Scripturis Deus absolute ac indefinite nominatur, tres simul divinas personas toties significari[72]. »

Patrem enim Filio collocutum. Hunc locum de Patre, ac de seipso interpretatur Christus, Matth. xxii, 44, quod et Paulus constanter prædicat, I Cor. xv, 25, et Hebr. i, 13, hincque probant Patrem et Filium duas esse distinctas inter se personas, sed in una prorsusque eadem divinitate et cœterna majestate venerandas. Ac idcirco Justinus martyr in *Dialogo*, Tryphonem et similes Judæos jure optimo reprehendit, quod hunc psalmum non de Patre et Filio, sed de Ezechia rege intelligendum contenderent : quandoquidem nec iste ad dexteram Dei Patris sedet, nec est, aut fuit unquam sacerdos secundum ordinem Melchisedech, nec denique ante luciferum a Patre genitus. Subscribunt Justino ac Irenæo Tertull. lib. *Adver. Praxean;* lib. iv et v *Adv. Marcionem;* Cyprianus lib. ii *Adv. Judæos*, cap. 26; Athanasius *Orat. contra Arianos*, etc.

Et pluit Dominus super Sodomam. Ex hoc loco, cum Irenæo gravissimi et antiquissimi auctores, Justinus in *Dialog.*, Tertullianus *Contra Prax.*, Cyprianus libro tertio *Ad Quirinum*, Cyrillus libro primo in Joannem, Hieronymus in quadragesimum quintum Isaiæ, Hilarius libro *De synodis*, Athanasius *Contra gregales Sabellii*, et epistol. de synodis, Ambrosius libro primo *De fide*, capite 2; Chrysostomus homil. de sancta et consub. Trinitate, probant plures esse hypostases divinas, adversus pervicaciam Judæorum : quos potius imitari, quam suggillare deberent Calvinus et Gallasius, quasi Jehovæ repetitio mysterio vacaret, aut sine Filio Pater quidquam operaretur.

Et de his qui adoptionem perceperunt. Tertull. lib. *Adv. Praxean*, cap. 13, hinc post Irenæum ostendit, et Christum vere naturaque Deum esse; simulque pios omnes per ipsum effectos adoptione filios Dei. « Recordare, inquit, scriptum esse : « Ego dixi : Dii estis, et filii Altissimi. » Et : « Stetit Deus in ecclesia deorum; » ut si homines per fidem filios Dei factos, deos Scriptura pronuntiare non timuit, scias illam multo magis vero et unico Dei Filio Dei nomen jure contulisse.

Et iterum. Sex hasce voculas ex veteri codice adjecimus, verbum « descendit, » in « descendi » mutantes; ut Filius ipse sit qui loquatur ad Moysen, sicut legendum indicant textus Bibliorum, Exod. iii, consentiente vet. nostro cod.

Pag. 181. *Gentes autem verum Deum nesciunt.* Ita vet. cod. Excusi, « verbum Domini. » Et mox, « abstulit qui non sunt dii, » ex eodem vet. codic. legimus, pro eo quod excusi, « quod sint dii. »

In ambabus suffraginibus. Locus est III Regum xviii, ubi vet. translatio : « Usquequo claudicatis in duas partes? » Sanctes ex Hebræo : « Usquequo claudicatis in duas cogitationes? » Græci, ἐπ' ἀμφοτέραις ἰγνύαις, « in duobus poplitibus : » atque « poplites » vertit interpr. Theod. q. 55 in lib. Reg. Suffragines, sinus curvaturarum dicuntur Rhodigino lib. iv, c. 11. Plin. lib. viii, c. 45 : « Aves et quadrupedes alas in priora curvant, suffragines in posteriora. » Idem lib. xxx, cap. 6 : « Aquilæ pedes evellunt in adversum a suffragine. »

Et ego igitur invoco te. Ut certe fervens ac memorabilis est hæc beatissimi martyris oratio, qua lectoribus horum librorum in vera fide constantiam perpetuam bene precatur : sic impia simulque exsecranda Valentini gentilis sententia, qua ex hoc loco constituere voluit, solum Deum Patrem esse Deum Israelis, non autem simul Filium ac Spiritum sanctum. At, non videt homo nequam, sic se tres deos ethnico plane more confingere. Nec attendit Irenæum initio hujus capitis asserentem unum tantum esse definite et absolute Deum ac Dominum omnium, nimirum Patrem et Filium ejus. Deinde paulo post inferentem, Patrem et Filium vere esse illum unum Dominum; Filium Abrahæ collocutum; a Davide quoque appellatum Deum, et Deum deorum; Filium esse Deum, qui Ecclesiam per semetipsum collegit; Filium Deum venturum ad judicium : Filium locutum esse ad Moysen; ex quibus manifestissimum et clarissimum evadit, hunc una cum Patre vere esse atque vocari Deum Israelis, Deumque Abrahæ, Isaac et Jacob. De Spiritu sancti eadem et consubstantiali divinitate et superius diximus, et infra quoque opportunis locis dicetur.

Bene sensisti in nobis. Τὸ εὐδοκεῖν vertit interpres, « bene sentire, » quod alibi redditur, « sibi complacere; » quasi dicat : « Nos gratos et acceptos habuisti. »

Qui dominaris omnium. Addidimus, « qui, » ex vet. cod. expuncta conjunctione « et; » et proxima linea, « per Dominum, » ubi codices habebant, « præter Dominum. »

Dominationes. Vetus codex, « dominationem quoque donas 121 Spiritus sancti. » Fortasse, dicendum esset « donationem. » Cæterum, sive hoc, sive illud legas, confirmatam semper habes Spiritus sancti æternam ac consubstantialem Patri ac Filio divinitatem, majestatem et dominationem, contra veteres ac novos Arianos.

Super omne. Theophylactus hanc Irenæi sequitur interpretationem, illud ἐπὶ πάντα (sic enim habent codices Græci), referens ad dæmones, et omnes homines, qui pro diis habiti sunt; σέβασμα vero ad simulacra, lucos, aut fana idolorum.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 6.

Pag. 180. *Neque igitur Dominus.* Iisdem Scripturæ dictis ad propositum suum utitur, quibus Justinus in *Dialogo cum Tryphone*, pag. 277 edit. Paris., adeo ut hunc locum Irenæo præ oculis fuisse, cum hæc scriberet, mihi nullum sit dubium.

Utrosque enim Dei appellatione significavit spiritus, etc. Ita et Justinus M. in *Dial. cum Tryph.*, p. 277, citatis iisdem Davidis verbis subdit : Εἰ οὖν καὶ ἄλλον τινὰ θεολογεῖν καὶ κυριολογεῖν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον φατὲ ὑμεῖς, παρὰ τὸν Πατέρα τὸν (leg. τῶν) ὅλων καὶ τὸν Χριστὸν αὐτοῦ; « Utrum ergo aliquem alium vos asseritis a Spiritu S. Deum et Dominum dictum, præter Patrem universorum et Christum ejus? »

Omnium Deus et Dominus. Mirari subit Irenæum versum 14 capitis iii Exodi Deo Patri tribuere, sed versum 8 Deo Filio; cum tamen integer contextus planissime ostendat, eamdem esse personam, quæ ubique loquitur.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 7.

Pag. 183. *Quod autem dicunt.* Vel ex unico Pauli loco demonstrat hæreticos nec Paulum recte legere, nec intelligere : quandoquidem propter impetum Spiritus S. in se loquentis, aliquando hyperbatis utatur, et obscurus sit. Cæterum, ex citata ejusdem Pauli sententia plurimum negotii exhibuerunt Patribus hæretici, ut post Irenæum indi-

[72] Lib. vi de Trin., cap. 9.

cat Tertullianus lib. v *Contra Marcion.* « Distinguebat Marcion, inquit ille, *Deus hujus ævi*, ut suggereret Deum alterius ævi ; nos contra sic distinguendum dicimus : *in quibus Deus* ; dehinc, *ævi hujus excæcavit mentes infidelium.* » Subinde admittit etiam alteram lectionem, ut dicere possimus hujus ævi Deum, id est diabolum. Priorem lectionem testatur August. multis placuisse [1], et iis præcipue, qui contra Manichæos, vel Marcionitas rem habuerunt : at idem aliquando post, negat absurdum videri debere, si diabolus dicatur deus hujus sæculi, id est hominum impiorum ; ut Paulo illud dictum est : « Quorum Deus venter est [2]. » Placet et ea prior lectio per hyperbaton Chrysostomo, Theophylacto, et scholiis Græcis ; posteriorem amplectuntur Cyrillus et Ambrosius.

Incorruptelæ. Ita vet. cod. Excusi habebant « incorruptibile. »

Ostendemus. Expunxi «ostendimus,» auct. vet. cod.

Ut non nunc in multum avocemus mentem. Sic vetus codex legendum docuit : excusi legebant, « et non nunc in multum mutemus, » etc. Et nos obiter dicimus, ex multis beati Augustini locis, Deum improbos excæcare, non immittendo cæcam malitiam : sed non impertiendo gratiam, cujus seipsos reddunt indignos. August. epist. 105, *Comment. in psalm.* LXXI, lib. *De prædest. et gratia*, cap. 4.

Quoniam autem hyperbatis. Hyperbaton describit Quintilianus [3], verbi transgressionem, quam frequenter ratio comparationis et decor poscit. Origenes explicans Epist. ad Rom. non semel conqueritur, Græcam Pauli dictionem esse perplexam, hyperbatis obscuratam, et e Cilicum idiomate quædam parum Græca peregrinitatem resentire.

Disposita. Delevimus «dispositum,» auct. vet. cod.

Ex Joan. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 7.

Pag. 128. *Lex factorum posita est usquequo.* Interpres videtur Italicam versionem potius quam Græcum Irenæi textum hoc loco, ut et infra lib. v, cap. 21 secutus esse. Irenæum enim Galat. III, 19, non πράξεων, sed παραβάσεων χάριν, perinde ut nos, legisse puto, quia nullus datur Græcus codex, qui priorem lectionem habeat ; posteriorem autem confirmat Irenæi coævus Clemens Alexandr. lib. I *Strom.*, pag. 350; Origenes *Comment. in Joan.*, pag. 427, alios ut taceam. De diversa quoque hujus textus distinctione, qua alii interrogationem post « ergo » claudunt, alii alterius differunt, vide doctissimi D. Millii notas ad hunc locum.

Ex adnotationibus Nic. Gallasii in cap. 8.

Pag. 183. *Mammonas autem secundum Judaicam loquelam, qua et Samaritæ utuntur, cupidus, et plusquam oportet habere volens. Secundum autem Hebraicam adjunctive dicitur mam, vel significat gulosum, id est qui non possit a gula se continere.* Hanc dictionem *Mammona* Syriacam esse, variis locis testatur Hieronymus. Primum in Matthæum, cap. VI, deinde ad Algasiam, quæstione sexta. « Mammona, inquit, non Hebræorum, sed Syrorum lingua, divitiæ nuncupantur, quod de iniquitate collectæ sint. » Item ad Eustochium : « Nam gentili Syrorum lingua, mammona divitiæ nuncupantur. » Huic interpretationi cum docti omnes Hebræi consentiant, miratus sum hic ab Irenæo pro cupido et avaro, item pro guloso capi, atque existimavi μετωνυμίαν fieri oportere. Dubitabam etiam quid illud sibi vellet, « secundum Hebraicam adjunctive dicitur mam. » Tali enim voce Hebræi in hac significatione non utuntur. Samaritana porro lingua haud dubie intelligit Syriacam et Chaldaicam, qualis tunc vulgo usitata fuit ; Hebraica vero, puram illam et genuinam, qua sacræ Litteræ scriptæ sunt, ut jam antea in cap. 67 lib. II observavimus. Minime ergo dubium est initium hujus dictionis *mammon*, nempe *mam*, adjunctum esse, ideoque dici ab Irenæo adjunctive, hoc est μετὰ προσθέσεως, vel προσθετικῶς. Vocant enim Græci πρόσθεσιν, qua additur aliquid initio syllabæ aut dictionis. Hæc vero cum me torquerent, nec mihi satisfacerem, Cornelium nostrum (de quo antea mentionem fecimus) non vulgariter in his linguis versatum, rogavi ut locum istum expenderet. Quem cum attente diligenterque examinasset, hanc sententiam protulit, quam doctis omnibus spero probatum iri : Quod dicit Irenæus *mammonam* significare *cupidum*, id longius petitum esse. Proprie enim apud Chaldæos idem denotare, quod apud Latinos « pecunia. » Sed quoniam paraphrastæ Chaldæi interdum Hebraicam vocem בצע per ממון reddunt, בצע vero proprie *quæstum*, item πλεονεξίαν, seu φιλοχρηματίαν, atque etiam αἰσχροκερδίαν significat, inde factum esse, ut ממון seu ממונה non solum acceptum sit pro quæstu, sed etiam pro lucri, atque adeo pro turpis lucri cupiditate, neque in abstracto solum extensam esse illius nominis significationem, sed etiam in concreto pro cupido et avido acceptum esse. Quod autem ait secundum Hebræos adjunctive dici mam, hoc quidem obscurum esse, vixque aliter intelligi posse, quam dictioni מן, vel etiam אן, quæ Hebræa est, adjici מם, atque ita vocem effici Chaldaicam ממן. Adjectione ergo syllabæ מם, atque una junctæ cum Hebræa voce אן, composita fuit hæc dictio. מן vero et אן idem significare apud Hebræos, quod Chaldæis ממן, satis notum est, præsertim ex XII cap. Os., 8, ac proprie אן divitias illas denotat, quæ partæ sunt iniquis artibus : de quibus Christus Matth. VI, et Luc. XVI, quas exprimit hac voce *mammonæ*. Nec certe desunt etiamnum, qui dictionem אן deducunt a verbo אוה, id est *concupivit*. Idque spectasse videri possit Irenæus, cum dixit ממון significare cupidum et gulosum, sive avidum et voracem. Nam et grammatici Hebræi aliquot locis hanc vocem אן nomen *tear*, id est, adjectivum, esse volunt.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 8.

Pag. 182. *Soluta igitur.* Pergit porro tam ex ipsius Christi, quam prophetarum et apostolorum verbis comprobare, Deum verum solum absolute et simpliciter Deum et appellari ac revera esse. Cæterum, negantem conjunctionem adjecimus ex veteri codice, etsi superflua videatur, quoniam prisci auctores etsi Latine scribunt, Græcorum tamen more duplicem negationem connectunt, quo magis pernegent.

Pag. 183. *Non Deum.* Ita vet. cod. Excusi habebant «Dominum,» quod fortasse etiam retinendum esset.

Mammonas autem. Mammona vocem Hebraicam proprie non esse, sed Syriacam, in cap. VI Matth. et quæst. 6 ad Algasiam, affirmat Hieronymus, idemque significare, quod Græcis πλοῦτος, quem poetæ deum finxerunt. Consentit Tertull. lib. IV *Contra Marcion.*, cui subscribit Origenes in calce dialog. I contra Marcion. Cæterum, quod D. Irenæus dicit, in hac dictione mere Syriaca, *mam* esse adjectitium, illud vix linguæ utriusque, Hebraicæ nempe et Syriacæ perito persuaderi potest. Notum est enim vel mediocriter in Chaldæis versatis, ממונה *mammona*, vocabulum esse primigenium, non deductum ab ullo themate Hebræo. Quod si quis hoc in loco liberius vellet ludere, **122** et vocabulum Syrum ex duobus integris Hebraïs conflare, forsan non longius aberraret a scopo, deducendo, ממונה *mammona*, a מם *mam*, vel *mum*, quod maculam sonat, et הון *hon*, potentiam, sive divitias ; ita ut per syncopen pro ממהון *mamhon*, dicatur *mamon* resecta littera ה

[1] Lib. XXII contra Faust., cap. 2 et 9. [2] Phil. III, 19. [3] Lib. VIII, cap. 6.

Digitized by Google

Fortassis Irenæus metonymicῶς accepit *mammonam*, videlicet causam pro effectu, id est, pecunias et opes, pro earum desiderio.

De manu fortioris. Ita veter. cod. Excusi, « de manu Pharaonis. »

Sed et adjecit. Expunximus « objecit, » auct. vet. cod.

Sed nec quidquam. Delevimus « quidem, » auctor. vet. cod. Probat autem, tam ex Evangelio, quam ex Psalmis, omnia per Verbum condita esse, adeoque cunctos ordines angelorum : solum autem non factum, et sine ullo aut fine, aut principio creante : quibus satis docet Patri coæternum et consubstantiale omnino credendum et confitendum esse.

Et dissolutionem possunt. Tres has dictiones desiderabant excusi codices.

Ex Jo. Er. Grabii adnotationibus in cap. 8.

Pag. 183. *Secundum autem Hebraicam.* Per « Hebraicam » linguam intelligere videtur non puram illam et genuinam, qua S. Litteræ scriptæ sunt, uti quidem hoc loco notat Gallasius; sed Syriacam, qualis tunc vulgo usitata fuit, quæ et a sacris N. Test. scriptoribus Hebraica dicta est.

Adjunctive dicitur mamuel, et significat gulosum. Irenæo Hebrææ linguæ ignaro certe quidam imposuit : neque enim dicta significatio ad vocem « mamuel » ullo modo quadrat. Quando vero Irenæus ait adjunctive dici « mamuel, » id ita accipio, quasi *mamon* cum προσθέσει *el* dictum velit.

Vasa autem ejus et domus nos eramus, etc. Ita et S. Barnabas in Epistola cathol., § 16, cujus verba ex antiqua solum Latina versione apponam : « Antequam crederemus Deo, erat habitatio nostra corrupta et infirma, sicut templum quod per manus ædificatur, quia pleni eramus adorationibus idolorum; et erat domus dæmoniorum. » Quæ Barnabæ citans Clemens Alexandr. lib. II *Strom.*, plura ad eorum explicationem addit. Valentino quoque hæretico cor eorum, qui negligenter vivunt, dicitur, πολλῶν δαιμόνων οἰκητήριον. Verba ejus ex dicto Clemente citata et emendata vide tom. I Spicilegii Patrum et hæreticorum sæculi II, pag. 59, seqq.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 9.

Pag. 183. *Ostenso hoc igitur.* Auctoritate vet. cod. expunximus, « ostensio. » Et mox « ostendetur, » pro « ostendatur » substituimus. Docet autem apostolos, unum eumdemque Deum atque Dominum universorum per orbem prædicasse; et eum ipsum, quem veteres prophetæ quondam celebraverant; quos et nos imitari oporteat.

Hic autem pios lectores celare nolo, cum hunc librum et locum secundo recognoscerem, incidisse in manus meas libellum Genevæ excusum, in officina Francisci Perrini, 1567, inscriptum, « Valentini Gentilis, » etc., in cujus paginis 9, 10, 11, 12 et 13, ex scriptis ejusdem Valentini, referuntur decem Irenæi testimonia, quibus nequam ille conatur efficere solum Patrem esse verum ac unicum Deum ac Dominum Israelis; non autem una cum eo Filium, atque Spiritum sanctum. Illico certe exhorrui tantam hominis blasphemiam ac impudentiam, simulque accuratius cœpi Irenæi scripta, quæ habebam in manibus, excutere, et in his perquirere quid de re proposita sentiret.

Comperi autem locos a Gentili pro sua impietate citatos, qualis est iste, in quem hæc adnotamus, nihil minus quam tam impia et blasphema resipere. Urget enim Irenæus et frequenter inculcat unicum esse Deum verum, hujus mundi conditorem, in Israele prædicatum a prophetis, cognitum et invocatum a patriarchis, legis veteris auctorem, et eumdem esse Patrem Domini nostri Jesu Christi. Sed non negat, imo constanter asseverat eumdem Christum, quatenus est Verbum, id est Filius Dei, eidem Patri suo coæternum, coæqualem, consubstantialem, denique et cum illo cum unicum verum Deum esse, qui et hunc mundum, et angelos, et cuncta creaverit, et Israeli notus fuerit : tantumdem et de Spiritu sancto ex ipsius effectis ac operibus recte pieque colligens, ut nunc patefaciemus.

Exclusivæ itaque particulæ « solum, tantum, præterquam, nullus, alius, unicus, solus, solummodo, » etc., quæ in scriptis Irenæi occurrunt, et a Gentilianis et Servetianis in perversum sensum torquentur, illos tantummodo a divinitate secludunt Æones Pleromatis, Bythos, Propatoras, Prosarchontas, Aoratos, Anonomastos, Ageratos, Autophyes, Choicos, Carpistes, Ennœas, Enthymeses, Achamothas, et cætera id genus monstra et portenta, quæ per octonarios, decades, duodecades, et triacontades distributa, unius in deitate, et trini in personis veri ac omnipotentis Dei loco substituere Gnostici conabantur. Nunquam vero a veri Dei Israelis nomine et ratione eximuntur Filius ac Spiritus sanctus, imo comprehenduntur et signantur : ut ex subjectis quinquaginta integris et apertis locis, quos ex singulis libris ejus colligimus, et decem a Gentili depravatis et mutilatis constanter opponimus, cunctis facile innotescet.

Primo itaque Irenæus lib. I cap. 1, Valentinianos coarguit, quod « Christum nollent Dominum (quo titulo passim in sacris verus Deus Israelis, et mundi creator ac rector designatur) appellare. » 2. Ejusdem libri I cap. 2, eumdem Christum vocat, « Dominum, Deum, Salvatorem, et regem nostrum, cui flectitur omne genu cœlestium, terrestrium, et infernorum. » Insuper, eamdem esse totius Ecclesiæ catholicæ « fidem in unum Deum Patrem, Filium, et Spiritum sanctum; » ut etiam ibidem observamus. 3. Capite 4, carpit Gnosticos, quod « alium Deum, alium Christum, et alium unigenitum esse fingerent, » non unum crederent. 4. Capite 19, profitetur « eumdem esse creatorem cœli, terræ, rerumque omnium visibilium et invisibilium; » quod vere pertinet ad Deum verum et sempiternum. 5. Capitibus 24, 25 et 26, damnat Carpocratianos, Cerinthianos ac Ebionitas, « quod eumdem Christum filium Joseph esse censerent; et a Maria ortum habuisse » docerent; Patri vero coæternum confiteri nollent. 6. Capitibus 28 et 29, Cerdonem et Marcionem persequitur et confodit, propterea quod negarent eumdem Filium esse Dei, qui a lege et prophetis prædicabatur.

7. Libri secundi capitibus 1, 2 et 3, reprobans duos Marcionis deos, unicum autem asserens, « qui cum Verbo suo, » id est, Christo filio « cuncta condiderit; » hunc et natura consubstantialem, et potentia coæqualem et coæternum agnoscit. 8. Capite 41, affirmat « nomen Jesu eum significare Dominum, qui continet cœlum et terram. » 9. Capite 47, Verbum, id est, Filium Dei, sacras prophetis et apostolis dictasse Scripturas affirmans, unum esse cum Patre Deum comprobat. 10. Capitibus 48 et 49, scribit « Λόγον esse Deum simplicem, nulla ex parte compositum, » a Patre ineffabili modo genitum, nulla ex parte ab eo diversum. 11. Capit. 56 et 57, ex miraculis per invocationem nominis Christi per apostolos et alios servos ejus factis confirmat eum esse unum cum Patre Deum omnipotentem, qui facit quæcunque vult in cœlo, et in terra, et in omnibus abyssis.

12. Præfatione in lib. III affirmans eum esse Dominum omnium ac Filium Dei, quem qui spernit, ipsum quoque Patrem aspernari : satis indicat unam utriusque esse majestatem et deitatem. 13. Ejusdem libri cap. 1, referens omnes prophetas et apostolos « annuntiasse unum Deum, et unum Christum Filium Dei; » Patri æqualem eum agnoscit. 14. Capitibus 4 et 5, eamdem in Christum orbis Salvatorem fidem habendam, quæ est in unum et verum Deum suadens; et in ipsum ut verum Deum credit. 15. Capite 6, « Patrem et Filium ejus in sacris Litteris definite et absolute Deum nominari » probat. 16. Capite 8, cum, qui omnia fecit, « cum

Digitized by Google

Verbo suo justo Deum et Dominum vocari ; » Verbum a principio, et in Patre, et sine initio, et sine fine exstitisse, et angelos omnes condidisse affirmat. 17. Capite 9, prophetas et apostolos « Patrem et Filium confiteri, alterum autem neminem neque Deum nominare, neque Dominum profiteri » docens, unum cum Patre esse probat. 18. Capite 10, Dominum Jesum « secundum quod Deus est, remissam peccatorum dedisse, peccatoresque a vinculis solvisse, » quod plane divinum opus est, scribit. 19. Capite undecimo, Jesum Filium Altissimi, Salvatorem, « Dominum Deum Israelis, Deum Salvatorem, æternumque Regem » agnoscit. 20. Capite duodecimo, apostolos « unum Deum Patrem et Christum Jesum æternum Dei Filium ac regem, » et eam, quæ est in eum, fidem annuntiasse. 21. Capite tertiodecimo, Petrum in circumcisione, et Paulum in gentibus, « unum Patrem, et Dei Filium, qui est in Patre, ut et Pater in ipso. » 22. Capite 16, apostolos aliosque veritatis præcones neminem alium Deum vocasse, « nisi solum verum Deum Patrem et Verbum ejus. » 23. Capite 18, Paulum ubique docere Jesum pro salute nostra incarnatum, « esse unigenitum Filium **123** Dei, et Deum super omnia benedictum in sæcula. » 24. Capite vigesimo, Joanne scribente quod in principio Verbum exsisit apud Deum, excluditur omnis contradictio dicentium : Non erat ante Christus, quam ex Virgine natus sit. 25. Capite vigesimo primo, « est Filius Dei vivi, Deus et Dominus, rex æternus, Dominus sanctus, Deus fortis, » super nubes venturus universorum judex. 26. Capite 22, « potentissimus omnium Deus, » qui omnibus ut sint præstitit, in similitudine peccati factus est, ut assuesceret homo portare Deum. 27. Capite 23, Christus non tantum homo, sed juxta Isaiam, « Dominus salvans nos, Dominus sanctus Israelis, Filius Dei qui Deus est, » in Bethlehem natus, Deus homo factus. 28. Capite 26 : De Christo dictum est : Non consentiet nequitiæ ut eligat bonum, « quod est proprium Dei. » 29. Capite 29, « Digitus Dei, id est Filius Dei vivi » salutem operatus est populo suo, et non Josephi filius. 30. Capitibus 30 et 31, Christus est rex æternus, per quem Adam formatus est, et idem cum Patre Deus ac Dominus.

Libri quarti Præfatione, arguuntur qui alium Deum esse putant, « præter Patrem omnium, et Filium ejus. » Filius ergo unus et idem numero Deus cum Patre. Firmum item et constans est, neminem alterum Deum et Dominum a Spiritu prædicatum, « nisi eum qui dominatur omnium Deus, cum Verbo suo. » 33. Capitibus 2, 3 et 4, Filius ejus, qui fecit cœlum et terram Christus, dedit verba sua λόγοι, « et in eum Abraham et prophetæ crediderunt. » 34. Capite 5, expurgans templum « ut domum suam et Patris, » se unum cum eo Deum Israelis manifestavit. 35. Capite 10, Isaias ejus Dei, qui est super omnia, verba refert : « Ego testis, dicit Dominus Deus, et puer quem elegi [4]. » 36. Capite 11 : Qui locutus est Moysi in rubo et a prophetis adorabatur Deus vivus, « hic est vivorum Deus, et Verbum ejus. » Ipse igitur Christus cum Patre vivorum est Deus, qui et Patribus manifestatus est. 37. Capite 14 : Christus non tunc incœpit esse, quando secundum carnem ad nos venit ; ideo fidem nostram in eum dirigimus, sicut dilectionem in Patrem ejus : et ille per legem et prophetas semetipsum et Patrem prædicabat, et propter hoc omnes Christum Deum nominabant : « quoniam vere Deus » a Patre, a Spiritu, ab angelis, ab ipsa conditione, ab hominibus, et ab apostaticis spiritibus, et ab ipsa morte agnoscebatur. Et ideo in omnibus et per omnia « unus Deus Pater, et unum Verbum, et unus Filius, et unus Spiritus, » et una fides, et salus omnibus credentibus in eum. 38. Capite 17 : Qui locutus est ad Moysen, « Videns vidi vexationem populi mei in Ægypto [5], » etc., hic est Filius, qui est Verbum Dei. Christus ergo verus et unus cum Patre Deus et Dominus Israelis. 39. Capite vigesimo primo, utrumque testamentum unus et idem paterfamilias produxit, Verbum Dei, Dominus noster Jesus Christus. 40. Capite 22, Christum Dei Filium exspectamus, in quem credimus, de quo Isaias ait : « Ecce Dominus Deus noster, in quem speravimus, » etc. Reliquis hujus libri testimoniis supersedeo, ut aliqua ex libro quinto subjiciam.

41. Ejus enim mox primo et secundo capite, non solum Verbum Dei, « sed et Deum in carne manifestatum » Christum appellat, damnatque aliter sentientes Valentinianos ac Ebionitas. 42. Capite 5, Christum agnoscit Filium Dei, omnipotentem, et Patris manum (id est, consubstantialem et coæternum illi). 43. Capite 6, Christus et Spiritus sanctus ut manus Patris (id est ei consubstantiales), « creant et sanctificant hominem ; qui et dicitur templum Dei, id est, Filii et Spiritus sancti. » 44. Capite 8, æque in Patrem et Filium fidem et salutis nostræ anchoram jaciendam esse docet. 45. Eodem capite et proximo sequente tanta perspicuitate Spiritus sancti divinitatem ex operibus ac effectis ejus comprobat, ut in eumdem finem Basilius magnus, ante 1000 et 200 annos, sententias ejus semel et iterum laudaverit. 46. Capite 11, « justitiæ atque salutis humanæ auctorem docet esse Christum, ac Spiritum sanctum : » ergo unus Deus sunt cum Patre. 47. Capite 12, Spiritum sanctum esse proprie in Deo, et sempiternum ; » Verbum quoque Dei cuncta fabricasse docens, utrumque verum ac æternum Deum prædicat. 48. Capite 13, Christum affirmans datorem incorruptelæ, « et Spiritum S. vitæ æternæ largitorem, » utrumque ex effectis unum Deum confitetur. 49. Capite 14, Christum Deum et hominem agnoscendum esse docet. 50. Capite 15, Dominus ostendit se, et Patrem discipulis, « ne scilicet quærerent alterum Deum. » Et qui plasmavit hominem ab initio, in novissimis temporibus oculos nati cæci formavit, et perditos exquisivit nos. Capite 17, Dominus remittens hominibus peccata, manifeste ostendit, quod sit idem cum Patre Deus, Dei Patris Filius, et filius hominis factus. Capite 18, unus ostenditur Deus Pater, qui est super omnia : Verbum per omnia : et in omnibus Spiritus, qui est aqua viva. Illis testimonium perhibet Joannes dicens : « In principio erat Verbum, » etc. Capite 20. Omnium qui sunt ab Ecclesia, una et eadem est fides, omnibus unum et eumdem Deum Patrem recipientibus ; et eamdem dispositionem incarnationis Filii Dei credentibus ; et eamdem donationem Spiritus scientibus, etc.

Quid his, quæso, apertius, firmius, densius, pro confessione sanctiss. Trinitatis, id est, tribus distinctis in una deitate personis ; adeoque Christi atque Spiritus sancti, qua cum Patre coæterna sempiternaque divinitate posset vel dici vel cogitari ? Fuit igitur hic antiquissimus Pater, sanctissimus antistes, doctissimus scriptor et fortissimus martyr beatissimæ Trinitatis, ac unitatis Dei religiosissimus cultor, prædicator et assertor : Gentilis autem, Servetus, ac ejusdem furfuris nebulones, sceleratissimi sycophantæ, et levissimorum hominum suis blasphemiis ac hæresibus profligatissimi proditores atque perditores.

Pag. 184. *Fructum dignum pœnitentiæ.* Vetus codex, « fructum dignæ pœnitentiæ. » Græci codic. καρπὸν ἄξιον τῆς μετανοίας, id est, « fructus dignos pœnitentiæ. »

Et vocabunt. Καλέσουσιν, id est, « vocabunt, » habet Græcus Matthæi contextus, ut hic legit Irenæus ; quem imitantur Origenes, Chrysostomus,

[4] Isa. XLIII, 10. [5] Exod. III, 7.

Digitized by Google

Theophylactus. Vetus editio, « vocabitur. » Deinde ex vet. cod. « Emmanuel » pro « Emanuel » restituimus : quod rectius esse, ipsa vox Hebræa, habens mem daghes affectam, aperte docet.

Non dispernet. Septuaginta, καὶ οὐ μὴ ἀθετήσει, id est, « non reprobabit, spernet, rejiciet. » Sancres ex Hebræo, « non avertetur ab ea. » Vetus noster cod. Vulgatam editionem secutus, « frustrabitur » habebat.

Cujus et stellam. Hoc vaticinium de Christo editum fuisse, cum Irenæo interpretantur Basilius homil. de humana Christi generatione; auctor serm. de stella et magis, apud Cyprianum; Hieronymus Comment. in II cap. Matth.

Tertullianus porro lib. IV, *advers. Marc.* nihil cunctatur Balaam semel et iterum prophetam appellare, inquiens : « Balaam prophetes in Arithmis, accersitus a Balac, Spiritu implebatur, nón ad quam venerat maledictionem; sed quam illi ipsa hora Spiritus suggerebat, benedictionem pronuntiabat. » Et longe postea, de Spiritu sancto disputans, subdit : « Qui et Balæ quod non cognoverat, suggessit; imo contra quam cogitaverat, suggessit, » etc. De eodem quoque ait Origenes homil. 13 in Num. : « Si a Moyse prophetiæ Balaam sacris insertæ sunt voluminibus, quanto magis descriptæ sunt ab his qui habitabant Mesopotamiam, apud quos magnificus habebatur, quosque artis ejus constat fuisse discipulos? Ex illo denique fertur magorum genus et institutio in partibus Orientis vigere. Qui descripta apud se habentes omnia quæ prophetaverat Balaam, etiam hoc habuerunt scriptum, quod « orietur stella ex Jacob, et exsurget homo ex Israel[6], » etc. Hæc et ampliora ex Origene accepta, etiam videre licet apud auctorem *Operis imperfecti*, in Operibus Chrysostomi ad cap. II Matthæi.

Ex Joan. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 9.

Pag. 184. *Fructum dignum pœnitentiæ.* In vulgati quidem S. Matthæi codd. Græcis nunc legimus καρποὺς ἄξιους. Olim autem in singulari numero scriptum fuisse καρπὸν ἄξιον, præter hunc Irenæi locum, et varias versiones, aperte docet Origenes tom. VII *Commentar. in Joannem*, pag. 119, ubi postquam dixerat a S. Matthæo Joannem Baptistam introduci loquentem ad Pharisæos et Sadducæos; a Luca vero narrari, quod turbis ad baptismum confluentibus pœnitentiam prædicaverit, porro id quoque observat : Πρὸς μὲν τοὺς Φαρισαίους καὶ Σαδδουκαίους, « Ποιήσατε, εἴρηται ἐνικῶς, *κάρπον ἄξιον* τῆς μετανοίας· » πρὸς δὲ τοὺς ὄχλους πληθυντικῶς, « *ἀξίους καρπούς* τῆς μετανοίας. » Ad Pharisæos quidem et Sadducæos (apud Matthæum) numero singulari dictum est : « Facite *fructum dignum* pœnitentiæ; » turbis vero (apud Lucam) numero plurium : « *fructus dignos* pœnitentiæ. » Vide Heeii adnotationem ad hunc locum.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 10.

Pag. 184. *Myrrha quidem.* Mirum in modum hæc mystica donorum intelligentia Patribus universis placuit, Justino, Tertulliano, Cypriano, Origeni. Celebrat Hieronymus pulcherrimum Juvenci presbyteri versiculum, quo 124 munerum istorum sacramenta comprehendit his verbis :

Thus, aurum, myrrham, regique, hominique, Deoque[6*].

Huic unico, duos alios ex Sedulio adjungere non erit injucundum ;

Aurea nascenti fuderunt munera regi,
Thura dedere Deo, myrrham tribuere sepulcro[7].

Illos autem omnes solita impudentia audet ridere impius Ecclesiæ desertor Calvinus, *Com. in Matth.*

Non enim Christus. Probat adversus fabulas Gnosticorum, quas recensuit lib. I, non esse alium Jesum, et alium Christum ; nec Christum descendisse in Jesum dum baptizaretur. Quod et Cyrillus Hierosolym. his verbis attingit[7*] : « Multæ sunt Salvatoris appellationes : et ne propterea multos putemus esse filios, et propter errores hæreticorum dicentium alium esse Christum, alium Jesum, profitere bene : Credo in unum Dominum Jesum Christum. Quamvis enim multæ sint appellationes, sed unum tamen subjectum, » etc. Paulo post, ex veteri codice restituimus, « qui est Salvator omnium, et dominator, » etc. Item : « Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus timoris Domini : » quæ aliter et corrupte in excusis habebantur.

Non secundum gloriam. Vulgata editio, « non secundum visionem oculorum, » quæ conformis est veritati Hebraicæ. Septuaginta, quos sequitur ut plurimum Irenæus : « Non secundum gloriam judicabit, neque juxta sermonem arguet. »

Pag. 185. *Nam secundum id.* Docet Christum non secundum id quod Deus est, unctum esse in tempore oleo spiritali, id est omnis scientiæ et gratiæ plenitudine; verum, secundum id quod homo est. Unde et Tertull. lib. *De baptismo* : « Christus dicitur a chrismate, quod est *unctio*, quæ Domino nomen accommodavit, facta spiritalis, quia Spiritu unctus est a Deo Patre, » etc. De hoc rursus infra, capite 20.

Ejusdem adnotationes in cap. 11.

Pag. 185. *Ante Deum.* Ita vetus codex. Et Græca Luc., ἐναντι τοῦ θεοῦ : itaque expunximus « Dominum. » Scopus porro totius hujus loci est, B. Lucam affirmare unicum et solum esse utriusque Testamenti Deum ac Dominum, qui sit Pater Domini nostri Jesu Christi : sicut idem supra probatum est ex B. Matthæo.

Sed et de Joanne Novem hæ voces, quæ apertissime desiderabantur, ex vet. cod. restitutæ, mire quadrant.

Et in cujus. Ita vetus codex : excusi habebant, « et cujus in conspectu Domini. »

Pro Ecclesia prophetans. Nihil insolens est, quod donum simul ac exercitium prophetandi B. Deiparæ hoc loco tribuat Irenæus; cum omnibus modis sanctitate et donorum Dei copia superaverit Moysis sororem, Deboram, Judith, Elisabetham, Annam, et Philippi quatuor filias, quibus in populo Dei prophetare datum fuit. Deinde, angelus affirmans eam « gratia plenam, et inter omnes mulieres benedictam, » hoc quoque donum Dei haudquaquam ei defuisse satis indicat. Adde quod in sancta Pentecoste sacro cœtui intererat, in quem Spiritu sancto abunde effuso repleti sunt omnes divinis illius charismatibus, utpote donis linguarum, interpretationis sermonum, sanitatum, prophetiæ, sapientiæ, fortitudinis, ac cæteris, quæ per Apostolum enumerantur[8]. Postremo, idipsum quoque tam ex hoc Isaiæ loco, « accessi ad mulierem prophetissam; » quam ex verbis illius cantici solide comprobat Basilius magnus[8*] : « Si animum accommodaveris universis verbis ejus, inquit, non contentiose negaveris, eam fuisse prophetissam. » Cui subscribens Ambrosius, ait : « Quo major persona, eo plenior prophetia. » Nec dubitant Hildephonsus et Rupertus illam, sancto Luca exscribente, dictasse canticum *Magnificat* : eumque iisdem apicibus ac verbis, quo ipsam proprio ore loquentem audivit, collegisse, ac Evangelio suo illud inseruisse. In hoc autem et difficillima et plurima veterum prophetarum loca clarius explicari; et hoc saltem versu, « Beatam me dicent omnes generationes, » illustrissimam prophetiam contineri, etiam pugnacissimi quique fateri compelluntur.

Nove benedicebat. Delevimus « novum dicebat : » et paulo post « abierat, » pro « ubi erat » reposuimus auct. vet. cod.

[6] Num. XXIV, 17. [6*] Evang. histor., lib. I, v. 285. [7] Carm. pasch. lib. II, v. 95, 96. [7*] Catech. 10. [8] I Cor. XII, 28. [8*] In cap. VIII Isaiæ.

Digitized by Google

Pag. 186. *Populo suo.* Græca Lucæ τῷ λαῷ αὐτοῦ, in dandi casu, id est populo suo. Valla sic maluit, quod populus universos civitatis ordines complectatur; plebs autem infima pars sit.

Uti det nobis. Græcam lectionem imitatur, τοῦ δοῦναι ἡμῖν, ἀφόβως ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας λατρεύειν αὐτῷ.

Aufert. Adnotat Chrysostomus dictum esse, « Tollit, » verbo præsentis temporis, non « tulit, » aut « tollet, » quod ab eo semper proficiscatur omnis ablutio criminum. Itaque « aufert » reposuimus, pro « auferet. »

Peccatum. Τὴν ἁμαρτίαν κόσμου, id est, peccatum mundi, placet singulariter legendum esse, post Irenæum, Orig. hom. 10 in Numeros; Theoph., Augustino lib. x *Contra Faustum*, capit. 30; Cyprian. lib. *De dup. martyrio.*

Est enim. Codices excusi, « et enim. »

Bonæ voluntatis. Ut Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, genitivo casu post Irenæum constantissime legunt: sic Epiphanius, Chrysostomus, Andreas Jerosolymitanus, Eusebius lib. IV *Demonstr. evang.*, cap. 10, et Theophylactus, Græci auctores, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, « in hominibus bona voluntas, » recte. Erasmus residuum cantici hujus a Telesphoro adjectum putat, et plus habere verborum, quam sententiæ: sed eum ab omni veritate deflexisse et prorsus aberrasse constat, cum ad verbum illud complectatur B. Jacobi apostoli liturgia, et Clemens Pauli collega, Petrique successor *Constitut. apost.* lib. VII, cap. 47, et lib. VIII, cap. 20. Auctores igitur apostolos habuit, ex quorum officina nihil nisi pietatem et virtutem Spiritus sancti spirans prodire potuit.

Quid autem in civitate David. Theodoretus dialog. 1 locum hunc nominatim ex Irenæo exprimit, ut suo loco posuimus.

Adimpletam. Expunximus « quod adimpleatur, » auctor. vet. cod.

Pag. 187. *Ne erraveritis.* Delevimus « enarravetitis, » auctor. vet. cod.

Hoc idem. Quod hactenus ex verbis Zachariæ, Deiparæ et Joannis ostendit unicum esse Legis ac Evangelii auctorem et Deum; hoc idem nunc verbis angelorum, pastorum, Simeonis et Annæ prophetissæ confirmat. Quod autem superius scripsit, « Gloria in excelsis Deo, » nunc vero ex vet. cod., « Gloria in altissimis; » utramque lectionem probat. Paulo post, « factor et conditor, » reposuimus ex vet. cod. pro, « factorem et conditorem, » tametsi hæc loquendi forma frequens sit huic auctori.

Et hi iniqui. Vetus cod. sine inciso legit, « Hi qui erant ab ogdoade angeli; » priorem lectionem sequuntur omnes editiones.

Astare. Παραστῆσαι, ad verbum reddidit; quod alii, « ut exhiberent, » sive « sisterent » dicunt.

Nunc dimittis. Ἀπολύεις, in præsenti, non ἀπολύσεις, in futuro, habet Evangelium: Vetus cod., « dimittit, » inde suspicor « dimittis » Irenæi litteram olim habuisse, cum infra cap. 18 ita scribit; atque nunc sic constituimus.

Jerusalem. Latini codices habent « Israel: » sed Græci omnes cum Irenæo « Jerusalem » legunt, quod in adnotationibus suis signavit Erasmus, hunc Irenæi locum adducens.

Unus Deus. Codices excusi, « visus Deus. »

Quapropter et Marcus. Aliquot ex Marci Evangelio sumptis testimoniis unum Deum utriusque Testamenti comprobat, eumque Patrem Domini nostri Jesu Christi, et a prophetis, nominibus ac titulis multis prædicatum. Vocat autem Marcum, comitem ac interpretem Petri, secutus Papiam, cujus verba recitantur ab Eusebio, lib. III *Histor.*, cap. ultimo. Attingit et Hieronymus in *Catalogo.*

In prophetis. Sic Græci, ἐν προφήταις. Vulgata lectio « Isaia propheta, » quam et in fine hujus capitis agnoscit quoque Irenæus, ut videatur gratam habuisse utramque lectionem.

Pag. 188. *Hanc fidem.* Jam per quartum evangelistam, id est divum Joannem, idem asserit, quod ex aliis tribus paulo ante præstitit: nimirum, unicum verumque Deum annuntiari a prophetis et apostolis.

Qui a Cerintho. Nicolaum, Ebionem et Cerinthum, vivis ipsis apostolis ab Ecclesia defecisse, eamque nefandis erroribus perturbasse certum est. Ac de Nicolao referunt Acta et Apocalypsis; de Ebione supra lib. I, cap. 26, et lib. III, cap. 3, dictum est. Cerinthum autem ex iis fuisse æstimat Epiphanius, qui coram apostolis turbationem operati sunt, quando Jacobus scripsit ad Antiochenam Ecclesiam: « Novimus quosdam ex nobis ad vos venisse, et turbasse sermonibus, quos non narravimus. » Ex eorum etiam numero eum facit, qui B. Petro restiterunt, quando rediit e domo Cornelii, Actor. XII et XV. Hos Joannes etiam in epistolis atro carbone notare certum est, sicut prius Evangelio suo in eosdem dimicarat. Porro eorum falsas opiniones habes supra lib. I, c. 23, 26, 27.

125 *Sine ipso factum est nihil quod factum est.* Puncto istiusmodi sententiam hanc terminare, post Irenæum perplacet Chrysostomo et Theophylacto, ut sensus sit: Nihil omnino creatum, quod non sit creatum a Patre per Filium. Consuetam vero distinctionem sequuntur ex Latinis Tertullianus *Adversus Praxean*, Hilarius, Augustinus, Hieronymus, quam Irenæus quoque paulo post conservat. Ex Græcis Origenes, Cyrillus, et Nazianzenus Latinorum lectionem probant.

In sua propria venit. Pronomen « sua » habent post Irenæum Cyprianus lib. I *Adversus Jud.*, cap. 3, et *De orat. Domin.* Græc., εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, quod etiam Augustinus tractatu 2 in Joan. reddit: « In sua propria venit. »

Pag. 189. *Cognovit Israelites.* Quatuor has dictiones desiderabant omnes excusi codices.

Pag. 190. *Quoniam enim quatuor.* Pia admodum et erudita est hæc speculatio, qua Evangelia quatuor adumbrari philosophatur per quatuor mundi plagas, quatuor principes spiritus, cherubin quadriformia, quatuorque testamenta; idque adversus Marcionitas, qui unicum duntaxat evangelistam volebant esse, ut indicat Origenis primus contra eosdem dialogus. Irenæo astipulatur Hieronymus epist. ad Paulinum; Matthæum, Marcum, Luc. et Joan. vocans « quadrigam Domini, et verum cherubim. Rursus, per illos quatuor, Ecclesiam instar paradisi quatuor flumina eructare; quatuorque angulos et annulos habere, per quos, quasi arca testamenti et custos legis Domini, liquis immobilibus vehitur; insuper quatuor hæc Evangelia Ezechielis volumen, in quatuor animantibus, Apocalysimque probare[9]. » Hæc autem addenda censui, ut Gallasii maledicendi libidinem notarem, qui, ut Marcionitis et Manichæis avis suis obsequatur, hanc Irenæi theoriam vituperat. Sed quid mirum si martyribus insultet, cum etiam probationes et refutationes, quibus Dominus et magister noster Jesus Christus in Judæos utitur, Calvinus, Gallasii antistes et præceptor, imbecillas et parum solidas judicet, eumdemque impropric sæpe locutum clamitet? In VI et XII cap. Matth.

Imagines sunt. Christi Domini mysteriis has quoque animalium formas eleganter accommodat Hieronymus, Comment. in I cap. Ezechielis. De eisdem copiose disserit et Dionysius Areopagita lib. *De cœlesti hierarch.*, cap. 1, 2, 13, 15, et lib. *De eccles. hierarch.*, cap. 4, itemque Andreas Cappadox in Apocal. Ad idem pertinent ii non inelegantes Se-

[9] Procem. in Matth.

Digitized by Google

dulii presbyteri versus, quibus Christum ita alloquitur :

Hoc Matthæus agens, hominem generaliter im-
[plet,
Marcus ut alta fremit vox per deserta leonis,
Jura sacerdotii Lucas tenet ore juvenci,
More volans aquilæ verbo petit astra Joannes.
Quattuor hi proceres una te voce canentes,
Tempora cen totidem latum sparguntur in or-
[bem [10].

Inciperet mactari. Billius : « inciperet mactari, » pro, « mactandus erat, » dictum est ; quemadmodum cap. 17, « inciperent dicere, » pro, « dicturi erant, » et cap. 20, « qui inciperet occidere peccatum, » pro, « qui peccatum occisurus erat ; » et plerisque aliis locis.

Pag. 191. *Et pennatam.* Expunximus « pennatum. »

Colloquebatur. Ita pro « colloquebantur; » ut mox loco « præbebant, » substituimus « præbebat, » auct. vet. cod.

Pag. 192. *Et indocti.* Indoctos recte hic et alibi sæpe censet omnes hæreticos : quantumlibet enim veræ theologiæ, aut etiam philosophiæ laudem venentur, reipsa tamen indocti manent, et cortici litteræ, aucupioque verborum tantum insistentes, ad veræ sapientiæ fundum nequaquam perveniunt. Hinc Apostolus hæreticum describens, ait : « Superbus est nihil sciens ; sed languens circa quæstiones et pugnas verborum [11]. » Et ne de uno tantum, vel altero id eum asseruisse putaremus, de omnibus ait : « Semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Sed ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit in omnibus [12]. » Nam ut mali angeli cum bonis, et pseudoprophetæ ac seductores cum divinis prophetis et apostolis collati, plane rudes sunt ac cæci : ita etiam si omnium sæculorum hæresiarchas cum sanctis Ecclesiæ Patribus et doctoribus comparaveris, illos non injuria inertes, ignavos, et ventosos, impudentes tamen et audaces homines censebis. Quid enim Valentinus, Cerinthus, Basilides, Marcion, aut alius ex hoc furfure, præ Dionysio, Clemente, Ignatio, Polycarpo, Justino, Irenæo, Tertulliano, Cypriano, aut hujusmodi Ecclesiæ cathol. proceribus?

Ac prætermissa de cunctis hæresiarchis prolixiore disquisitione, unius tantum et alterius hujus sæculi propudiosam, et plurimis, scio, incredibilem inscitiam patefacianus. Scribit Petrus Rebenstock commensalis Lutheri, hunc aliquando ad se redeuntem, ac proprio seipsum metientem pedè, sæpe dixisse : « Ego neque Hebraice, neque Græce calleo; attamen Hebræo ac Græco mediocriter respondebo [13]. » Quo etiam pacto plurima calluisset, qui rursus de se aiebat : « Ego non audeo integra latera folii sine intermissione legere, neque duas aut tres lineas in Psalmo, aut aliam rem diu intueri. Mox enim venit mihi tinnitus aurium, ut sæpius ad scamnum me demittere cogar. » Fontem vero hujus mali sui aperiens, scribit ad electorem Saxoniæ : « Diabolus interdum per cerebrum meum ita permeat, ut nec scribere possim, nec legere [14]. »

Et ne catholici soli odio incitati videamur, sic de illo, ex propriis ejus testimoniis, decernere; accedat Tigurinorum apostolus, et Sacramentariorum dux Zuinglius, hæc ad eumdem Lutherum scribens : « Facile videmus, te vel imperitum, vel nimis rudem esse theologum, cum de utraque in Christo natura disputans, inter has distinguere nondum novisti. Vel si illud non ignoras, interim vero hac confusa utriusque permistione, simplices fallis et decipis; te seductorem, impostorem et Christi negatorem, ipso Marcione deteriorem esse judicamus. Sed ignorantiam tuam in te potius agnosco, quam ut nequitiam et impietatem hoc esse existimem [15]. » Atque hoc Helveticorum ministrorum de Lutheri ignorantia judicium. Qui fit ergo, ut tanta scripserit et vulgaverit? Respondeo, quidquid in buccam occurreret, mox chartis mandabatur : atque hoc ab hominibus rerum novarum cupidis avide rapiebatur, ac Evangelii splendido titulo venditabatur. Cæterum, libri ejus sacci sunt verborum : ex quibus si scommata, calumnias, obscena verba, inanes jactantias et gloriationes, denique Satanas, diabolos, quos passim efflat, detraxeris ; longe pauciora quam fortasse crederes, sunt in his remansura. Eant ergo nunc Germani, et cum suo Taburno, Lutherum clamitent « virum mirabilem, divinum, angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum, summum postremi sæculi doctorem ; » ac etiamnum, quod illis objicit Sturmius, « crepidas Lutheri adorandas putent. » Aut, quod etiam longe turpissimum ac fœdissimum solo relatu, ut illos sibi aliquando Smalcaldiæ decumbenti fecisse gloriatur, « pudenda propriis labiis exsugant; aut certe stercora venerentur [16], » tam fœdi ac reprobi catholicæ fidei professionisque desertoris.

Luthero succedat Calvinus, Beza judicio, « summus ille maximusque theologus, quo nemo docuit doctius, nemo judiciosius, nemo enucleatius, nemo magnificentius hactenus scripsit [17]. » Is quoque certe totius antiquitatis rudissimum, ac historiæ ecclesiasticæ ignorantissimum se cunctis prodidit, quando scripsit, « beatum Athanasium magno illi concilio Nicæno primo præfuisse [18] ; » quandoquidem tum solummodo diaconus erat, episcopum suum ad id concilium proficiscentem consecutus. Ad eamdem quoque inscitiam pertinet, « quod judicavit Arianos aliquanto tempore præcessisse Manichæorum hæresim [19] ; » cum hi sub Aureliano imperatore, ad annum Christi 277 furere incœperint, illi vero tantum sub Constantino, circa annum Christi 322, habuerint initium. Præterea, innumeræ contradictiones, quibus seipsum implicat; sexcenta sacrorum Bibliorum loca ab eodem male reddita et intellecta ; frequentissimæ veterum Patrum nunc mutilatæ, mox perperam tortæ, et falso denique eis impositæ sententiæ omnibus manifestant eum isthæc, nec satis diligenter legisse, nec bene intellexisse. Ad hæc successor ejusdem Beza et versiones, et interpretationes, et plerasque illius sententias erroneas scriptis publicis corrigens, eisdemque contradicens, aut profecto illius ignorantiam coram toto mundo coarguit, aut suam propriam manifeste prodit. Quando insuper, in gravissimis disputationibus statum controversæ quæstionis aut mutare, aut fugere tam sæpe conatur, falsis principiis innititur, stupide argutatur, cavillatur, extra chorum saltitat, probationum loco bacchatur et conviciatur, similibus utitur ineptissimis, metonymias confingit absurdissimas, ambiguis verbis ludit, principium petit, paralogismis rem suam conficit, etc.; verioris dialecticæ, philosophiæ atque theologiæ fundum se nunquam attigisse ac penetrasse demonstrat. Quicunque enim ad rectam in modo et forma disserendi rationem omnia illius argumenta reduxerit ac expenderit, comperiet tandem inanissima esse, quæ prima specie magnificentissima et valentissima videntur imperitis. Quoniam vero hujus hominis technas, fraudes, versutias, ac ineptissimas disputationes in suis perdoctis *Promptuariis catholicis*, 126 et *Antidotis* vir eruditissimus et clarissimus docto Stapletonus planissime detexit :

[10] Carm. pasch. lib. I, v. 355 seqq. [11] I Tim. VI, 4. [12] II Tim. III, 7, 9. [13] Tom. I Colloq., pag. 187, et tomo II, pag. 22. [14] Tomo V Jenens. Germ., fol. 485. [15] Epist. ad Lutherum, anno 1526. [16] Tom. I Colloq., fol. 51 et 149. [17] In Vita Calv., et Iconibus. [18] Lib. contr. Valent. Gentil. [19] Institut.

Digitized by Google

hoc æquissimo sane Stancari de his hæresiarchis judicio, huic observationi finem imponam : « Plus valet unus Augustinus, quam centum Lutheri, ducenti Melanchthones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri martyres, et quingenti Calvini : qui si omnes in mortario contunderentur, non exprimeretur una uncia veræ theologiæ [20]. »

Ut plus. Codices excusi, « ut plures. »

Partem gloriatur se habere Evangelii. Ita vetus codex, cui consentit Erasmi conjectura : excusi cod. habebant « pariter gloriatur se habere Evangelium. »

Joannis. Codices excusi « Joannem. »

Veritatis Evangelium titulent. Vides perpetuum hæreticorum morem, ut hæreseon suarum fœditatem et turpitudinem specioso Evangelii titulo adornent. Ut ergo veteres Gnostici suas deliriationes Evangelium vocabant, Manichæi suos furores, Ariani suas blasphemias eodem fuco venditabant : ita et nunc Hugnostici quidquid Lutherus edidit, etiamsi : « Non esse bellandum contra Turcas ; ancillam, pro uxore concubitum differente, a viro sumendam ; omnino servum esse hominis arbitrium; solam fidem justificare et salvare; magistratum non debere impedire quominus quilibet doceat et credat quidquid lubet, sive Evangelium, sive mendacium[21], » et quævis similia, quantumvis absurda, inflatis buccis Evangelium concrepant. Calviniani impiissimas Calvini et Bezæ hypotheses, « quod Deus sit auctor omnium peccatorum, potiorem hominum partem destinato creaverit ut damnet, prædestinet ad peccandum : quod etiam Christus ignorans fuerit, quod in cruce desperaverit, quod omnia damnatorum supplicia senserit, et sanguis ejus pro nobis effusus, jamdudum in terra computruerit, » aliaque plane horrenda et blasphema proposita, Evangelium esse dictitant et prædicant. Anabaptistæ docentes promiscuos concubitus, Christum filium Joseph non fuisse, antequam ex Maria gigneretur, publicam verbi Dei prædicationem omnino tollendam, magistratum politicum nullum esse ferendum, etc., omnium evangelicorum evangelicissimos se esse vociferantur. Annon eadem impudentia Trinitarii, novi Ariani, Ebionitæ, et Samosateniani instructi et muniti nunc quoque prodeunt? Sic itaque teterrimus Satanas hoc omnium maxime sæculo transformat se in angelum lucis, ut minus cautis imponat.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 11.

Pag. 186. *Omnes dies nostros.* Ex hoc loco, ut et lib. IV, cap. 37, ante medium, colligere fere licet, Irenæum Luc. I, 75, simpliciter legisse πάσας τὰς ἡμέρας ἡμῶν, uti codex Alexandrinus et versio Vulgata Latina, nec non Syr., Copt., Persic., Æthiop. habent, cum excusa Græca sonent πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν. Non tamen dissimulo priorem lectionem genuinam esse : quin potius per scribarum incuriam, ob recurrentem in hoc commate articulum, duas voces τῆς ζωῆς, omissas puto.

Bonæ voluntatis. Fenardentius in h. l. notat, Græcos quidem Patres Epiphanium, Chrysostomum, Andream Jerosolymitanum, quique primo loco nominari debebat, Eusebium, una cum aliis Luc. II, 14, citare : ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία ; contra vero « Hieronymus, inquit, Ambrosius, Augustinus genitivo casu post Irenæum constantissime. » Sed multum vereor, ne Græcus Irenæi textus habuerit εὐδοκία in nominativo, perinde ut omnibus antedictis Græcis antiquior Origenes tom. I *Comment. in Joannem*, pag. 14, neve Latinus interpres, vel potius scriba quispiam, Latinæ Vulgatæ auctoritate ductus, posuerit in genitivo « bonæ voluntatis. »

Pag. 187. *Marcus interpres et sectator Petri.* Similiter Papias ex ratione presbyteri, sive Aristionis, sive Joannis, scripsit apud Euseb., lib. III *Hist. eccl.*, cap. 39 : Μάρκος μὲν ἑρμηνευτὴς Πέτρου γενόμενος, ὅσα ἐμνημόνευσεν, ἀκριβῶς ἔγραψεν.... Οὔτε γὰρ ἤκουσε τοῦ Κυρίου, οὔτε παρηκολούθηκεν αὐτῷ, ὕστερον δὲ, ὡς ἔφην, Πέτρῳ. « Marcus, utpote Petri interpres, quæcunque memoriæ mandaverat, accurate perscripsit.... Neque enim ipse Dominum audierat, vel sectatus fuerat, sed postea, uti dixi, Petrum. » Lege, si placet, de *interpretis* hoc in loco notione, Nourrii *Apparatum ad Bibliothecam Patrum*, tom. II, pag. 641.

In prophetis. Facile quispiam suspicaretur, duas has voces, non ab Irenæi, vel interpretis ejus, manu profluxisse, sed scribam quempiam, quod in quibusdam Marci exemplaribus, uti nunc in Vulgatis Græcis, legisset, ἐν τοῖς προφήταις, emendandi licentia abusum esse. Nam hoc ipso capite infra, ubi eadem S. Marci verba recitantur, in Græco pariter ac Latino Irenæi textu exstat : ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ, « in Isaia propheta, » Origenes quoque ita legit tom. I *Comment. in Joan.*, pag. 14, et tom. VII, pag. 117, nec non lib. II *Contra Celsum*, pag. 60, recentiores Patres ut taceam. Omnes insuper versiones, Vulgata Latin., Syr., Copt., Persic., Arab., lectionem istam confirmant. Unde ex hoc loco jam olim ansam cepit Porphyrius lib. XIV contra Christianam fidem objectandi, quod evangelistæ adeo rudes fuerint, ut nequidem prophetarum scripta recte citare noverint ; siquidem prima, quæ Marcus hic allegat, verba, non in Isaiæ, sed Malachiæ prophetia reperiuntur, prout testatum reliquit auctor homiliæ I in Marcum, inter Latina Chrysostomi opera : et ad hanc objectionem respondit, sicut et Hieronymus in cap. III Matthæi ac recentiores commentatores in Marc. I fecere. Verum quo minus dictam suspicionem admittam, facit iterata citatio eodem modo sonans cap. 18 hujus libri, et ea quæ utroque loco subjungit verba. Hic enim ex citato Marci loco immediate infert : « Manifeste initium Evangelii dicens S. prophetarum voces. » Et post multa inferius : « Qui (Deus) et per prophetas promisit angelum suum missurum, » etc. Similiter cap. 18 continuo post allegata Marci verba addidit : Unum et eumdem sciens Filium Dei Jesum Christum, qui a prophetis annuntiatus est. » Ἐν τοῖς προφήταις itaque Irenæus omnino legit, prout et codex Alexandrinus habet ; sed et alteram lectionem in quibusdam exemplaribus invenisse, eamque in progressu capitis ideo expressisse videtur, ut lectori pateret, et ipsam ei cognitam fuisse.

Viam tuam. Nota Irenæum non legisse ἔμπροσθέν σου, « ante te, » quod additum exstat in modernis Vulgatis Græcis, nec non Latinis Bibliorum codicibus, cum contra duæ hæ voces desint in Syr., Copt., Persic., Æthiop. versionibus. Neque Origenis codicem eas habuisse, ex ante dictis tomis in Joannem patet, præsertim ex posteriori, ubi non solum pag. 117 verba Marci sine istis allegat, sed et sequenti pag. 118 de evangelista addit : Ἐπιτομὴν πεποίηται καὶ ἐπὶ τοῦ· « Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου. » Παρέθετο γὰρ τὸ προκείμενον τὸ, *ἔμπροσθέν σου*. « Compendium fecit illorum quoque verborum : « Ecce, ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te ; » additum quippe erat (a propheta scilicet) quod positum est : Ante te. » Unde, ut id obiter moneam, corrigenda omnino est, quandoquidem a clariss. Huetio non fuit correcta versio Ambrosii Ferrariensis, ita sonans : « Addens » (nempe evangelista, «ante te»), quod positum non fuerat a propheta. » Res contra se habet : addidit quippe propheta, juxta

[20] Libro de Trinitate et Mediatore. [21] Tom. III Germaniæ, Jenæ, fol. 319.

Digitized by Google

LXX Interpretum versionem; omisit evangelista, ex sententia scilicet Origenis, et fide codicum, quos vidit. Nescio autem utrum revera omissæ fuerint ab evangelista voces ἔμπροσθέν σου, an potius a scribis, ob recurrens pronomen σου. Quare absit ut e codice S. Marci eas delendas censeam. Auferendas tamen puto ex textu Origenis lib. II *Contra Celsum*, pag. 60, utpote quem eas non agnovisse, ex citatis ipsius verbis sole clarius elucet.

Semitas ante Deum nostrum. Τὰς τρίβους αὐτοῦ vulgati codices Græci et Latini habent, ac olim quoque habuerunt, uti patet ex Origene, qui loco supra citato pag. 177 seq. scribit : Ὅπερ δὲ ἐποίησεν ὁ Ἰωάννης ἐπιτεμνόμενος ὃ παρέθετο ῥητὸν, τοῦτο ἐπ' ἄλλης λέξεως ὁ Μάρκος καὶ αὐτὸς ἐνέφηνεν. Ὁ μὲν γὰρ προφήτης φησὶν· « Ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. » Ὁ δὲ Μάρκος· « Ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ. » Hoc est : « Quod autem fecit Joannes abbrevians textum a se citatum, id Marcus etiam ipse in alio dicto repræsentavit; quandoquidem dicente propheta : *Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri*, scripserit ipse : « *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus* [21]. » Irenæus autem, vel saltem ejus interpres, in suo Evangeliorum codice ita fere legit, prout nunc in ms. Cantabrigiensi exstat : τὰς τρίβους τοῦ Θεοῦ ὑμῶν, loco ἡμῶν, quod errori scribæ imputandum.

Pag. 188. *Ejus quæ falso cognominatur scientiæ.* Ex hoc textu Pearsonius loco citato recte probat, jam apostolica tempora peste Gnosticorum infecta fuisse. Si enim S. Joannes ad retundendum Cerinthi errorem promulgavit Evangelium, et si eumdem multo prius tenuerunt Nicolaitæ, horumque parentes fuere Gnostici; certe apostolis coævi fuerint, necesse est.

Quod factum est, in ipso vita erat. Ita S. Joannis textum juxta Codd. Arundel. ac Voss. distinguere placuit, ex mente 127 non solum Tertulliani, Origenis, Hilarii, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli, Augustini, Hieronymi, sed et ipsius Irenæi : quam satis expressam vides supra lib. I, cap. 19, et lib. II, cap. 2, prope finem, nec non infra in hoc ipso capite. Unde non recte in editt. periodus istis clauditur verbis, « quod factum est; » ac frustra est Feuard. qui utramque distinctionem Irenæo ascribit in Notis ad hunc locum.

Non enim concedetur eis, omnia dici ea, quæ sunt infra Pleroma ipsorum. » Sic Heracleon, γνώριμος Valentini, in suo ad hæc Joannis verba *Commentario*, voce « omnia » exclusit, τὰ τοῦ κόσμου καὶ τῶν ἐν αὐτῷ διαφέροντα, « ista, quæ mundo, inque eo exsistentibus sunt præstantiora, » teste Origene in *Comment. ad Joannem*; vel, ut ipsius Heracleonis verba sonant, τὸν αἰῶνα ἢ τὰ ἐν αἰῶνι, « sæculum et quæ in sæculo sunt; » id est, Bythum cum Sige, et Nun cum Alethia. Plura tam Heracleonis, quam Origenis eum perstringentis verba habes in nostro *Spicilegio Patrum et hæreticorum* sæc. II, tom. I, pag. 86.

Hic enim operabatur similitudines tales fieri, etc... *Demiurgus autem perficiebat*, etc. Videtur Irenæus respexisse Heracleonis, in citatum S. Joannis locum commentantis, verba in dicto *Spicilegio*, pag. 87 recitata : Οὐχ ὡς ὑπ' ἄλλου ἐνεργοῦντος αὐτὸς ἐποίει ὁ Λόγος..... ἀλλ' αὐτοῦ ἐνεργοῦντος ἕτερος ἐποίει. « Non faciebat ipsum Verbum tanquam alio operante... sed ipso operante, alius faciebat; » nempe Demiurgus. Ibidem enim affirmabat Heracleon, τὸν τὴν αἰτίαν παραστήσοντα τῆς γενέσεως τοῦ κόσμου τῷ δημιουργῷ, τὸν Λόγον ὄντα; « Verbum illud esse, quod causam generationis mundi præbuerit opifici. » Confer notas *Spicilegio* subnexas pag. 234, et ipsum Irenæum lib. I, § 8 et 9 (cap. 4 et 5).

Pag. 189. *Joannes quemadmodum poterat testificari*, etc. Similem in modum argumentatur Origenes in *Comment. ad Joannem*, pag. 14, cujus verba Latine solum ascribere placet : « Subit mihi admirari, inquit, quomodo qui ab Ecclesiæ decretis dissentiunt, duorum Testamentorum duos asserant deos... Qui enim fieri potest, ut Joannes Evangelii sit initium, ad alterum, ut ipsi putant, pertinens Deum, opificis mundi homo, et ignorans, ut asserunt, novam Deitatem? »

A quo et Nathanael discens cognovit... A quo et Petrus edoctus cognovit, etc. Nathanaelis et Petri cognitionem, atque confessionem Christi Filii Dei inter se comparavunt post Irenæum Tertullianus et Augustinus; ille lib. *Contra Praxean*, cap. 21; hic tract. 7 in Joannem. Verba hujus sunt : « Talem vocem protulit : Tu es Filius Dei; qualem tanto post Petrus, quando ei Dominus ait : Beatus es, Simon Bar-Jona. » Quæ observanda sunt contra eos qui cognitionem Christi, tanquam Filii Dei, S. Petro propriam faciunt ac peculiarem.

Ecce Filius meus dilectissimus, etc. Irenæus hanc Isaiæ prophetiam eodem tenore allegat quo S. Matthæus cap. XII, 18 seqq. Sed hodie aliter in LXX interpretum versione legitur; imo jam Irenæi ævo, ea isto loco corrupta fuisse videtur.

Ebionei etenim eo Evangelio, quod est secundum Matthæum solo utentes. Cum Eusebius lib. III *Hist. eccles.*, cap. 27, de Ebionitis testetur, eos « solo Evangelio secundum Hebræos dicto uti; » cumque Hieronymus itidem in cap. XII Matthæi scribat : « In Evangelio (secundum Hebræos) quo utuntur Nazaræi et Ebionitæ, quod nuper in Græcum de Hebræo sermone transtulimus; » hinc in *Spicilegio Petrum* sæc. I, pag. 21, conjeci, Irenæum fraude hæreticorum deceptum, istud apocryphum pro canonico S. Matthæi Evangelio accepisse, quod hoc eadem lingua scriptum esset, prout ipsemet cap. 1 hujus libri memoriæ prodidit, et quod plerique istud pro S. Matthæi authentico jactarent, teste Hieronymo, loco ante dicto, et lib. III *Contra Pelagianos*, cap. 1. Verum sicut conjecturæ mortalium incertæ, et quandoque falsæ esse solent; ita et hanc meam, aliorumque de Irenæo suspicionem talem esse, jam deprehendo. Re quippe iterum iterumque considerata, non tam Irenæum, quam Eusebium, saltem Hieronymum, omnesque modernos scriptores in errore versatos deprehendo, dum Evangelium secundum Hebræos, quod Nazarenos habuisse Hieronymus sæpius perhibet, et istud quo Ebionæi abusi sunt, pro uno eodemque habuerunt : ac miror, me non olim hunc errorem animadvertisse, dum fragmenta apocrypha colligerem; quorum uno alteroque inter se comparato, diversitas utriusque sole clarius elucet. Nam in historia baptismi Servatoris, Evangelium Nazaræorum ita sonabat : « Factum est autem, cum ascendisset Dominus de aqua, descendit fons omnis Spiritus sancti, et requievit super eum, et dixit illi : Fili mi, in omnibus prophetis exspectabam te, ut venires, et requiescerem in te. Tu es enim requies mea, tu es Filius meus primogenitus, qui regnas in sempiternum; » prout hæc verbatim descripsit Hieronymus lib. IV *Comment. super Isaiæ* cap. XI, 2. Sed nihil fere horum profert Evangelium Ebionitarum apud Epiphanium hæres. 30, § 13. Ibi enim vox de cœlo bis sonuisse dicitur : « Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacui; » additis priore vice ex psal. II, 7, his : « Ego hodie genui te. » Quæ propius ad S. Matthæi verba accedunt. Hujus itaque Evangelio Ebionitas usos esse, jam cum Irenæo censeo; non tamen incorrupto atque integro, sed variis interpolationibus factis, et resecta in primis genealogia ac historia nativitatis Christi, ut ex Epiphanii loco citato apparet. Atque id ipsum Irenæus forte subin-

[21] Isa. XL, 3; Marc. I, 3 Matth. III, 3; Luc. III, 4.

Digitized by Google

dicavit, dum simpliciter eo, « quod est secundum Matthæum, Evangelio utentes » illos dicit, non addens « plenissime, » uti mox de Valentinianis. Nazaræi vero Evangelium secundum Hebræos legerunt : quos ipsos forte indigitavit, loco ante dicto, Eusebius, siquidem Ebionitas duorum generum memorat, ac posteriores Christum ex Spiritu S. et Virgine natum credidisse ait, quod et de Nazaræis Epiphanius hæres. 29 haud abnuit. Plura hac de re, Deo volente, dicam in addendis ad *Spicilegium Patrum*.

Pag. 190. *Qui autem Jesum separant a Christo*, etc. Cerinthum, ejusque sequaces indicat ; adeo ut hos Marci Evangelium recepisse constet.

Neque autem plura numero quam hæc sunt, etc. Ut hæc Irenæi argumentatio de quaternario S. Evangeliorum numero haud in sinistram accipiatur partem, observandum, priscos tam ethnicorum, quam Judæorum et Christianorum philosophos, nixos isto Sapientiæ XI, 21 effato, quod Deus « omnia in mensura et numero disposuerit, » rationes numerorum, quibus quæcunque res determinarentur, inivisse : adeo ut integri de mysteriis numerorum libri ab antiquis et recentioribus viris doctis exarati sint, superstites partim, partim deperditi ; atque inter hos Philonis Judæi *Tractatus de numeris*, qui loco mox citando et alibi passim ab eo allegatur, sed injuria temporum periit. Præsertim vero Judæi in ista fuere opinione, structuram sancti tabernaculi, instinctu Dei, ita comparatam fuisse, ut integram totius mundi, et præsertim hominis fabricam repræsentaret, quemadmodum partim ex Josepho, lib. III *Antiquit.*, cap. 5, 7, 9, magis autem ex Philonis lib. III *De vita Mosis* patet, ubi generatim pag. 667 hanc in rem ait : Ἦν γὰρ ἀναγκαῖον, ἱερὸν κατασκευάζοντας (sive ut in ms. Lincolniensis collegii legitur κατασκευάζοντα, ita ut ad Moysem, velut architectum referatur) χειροποίητον τῷ Πατρὶ (Lincoln. addit τῶν ὅλων) καὶ ἡγεμόνι τοῦ παντὸς, τὰς ὁμοίας λαβεῖν οὐσίας, αἷς τὸ ὅλον ἐδημιούργει. « Nam necesse erat, ut qui sanctum manufactum, Parenti rerum omnium et principi hujus universi pararent, materias iis, ex quibus mundus conditus est, similes ad id opus sumerent. » Unde in sequentibus hoc argumentum per singulas partes prolixe prosequitur, ac inter alia, pag. 670, de nomine Dei, laminæ aureæ pontificis quatuor litteris insculpto, disserens, quaternarii, quem Irenæus hic tractat, numeri dignitatem extollit, deque eo ἐν τῇ *Περὶ ἀριθμῶν πραγματείᾳ* in tractatu *De numeris* se accurate egisse ait. Sed et ulterius processere, ac tabernaculum istud manufactum res cœlestes adumbrasse persuasi fuere. Cui rei fidem facit ipse Apostolus in Epist. ad Hebræos, cap. VIII, ubi vers. 5 sacerdotes in templo Jerosolymitano ministrantes « deservire » scribit ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ τῶν ἐπουρανίων, « exemplari et umbræ cœlestium ; » et vers. 2, mentionem facit « tabernaculi veri, quod Deus fixit et non homo. » Quod sequenti cap. IX, vers. 11, vocat « amplius et perfectius tabernaculum, non manufactum, id est non hujus structuræ. » Et vers. 24, χειροποίητα ἅγια, « manufacta sancta, » appellat ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, « exemplaria verorum, » id est ἐπουρανίων, uti præcedenti vers. 23 loquitur. Neque solum tabernaculum supernum, sed et « Jerusalem cœlestem » memorat cap. XII hujus Epistolæ, vers. 22, illam scilicet, « quæ sursum est Jerusalem, quæ est mater omnium nostrum, » prout scribit Galat. IV, 26, quam S. Joannes in spiritu vidit « descendentem de cœlo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. » Apocal. XXI, 2. Nihil itaque mirum, si prisci quoque Christiani suam Ecclesiam, quæque ad eam pertinerent, ex una parte cum cœlesti Jerusalem, rebusque supernis, ex altera parte cum mundo, ejusque conditione compararint ; rati tam inter opera, quam operationes Dei in regno potentiæ, gratiæ, et gloriæ, uti theologi nunc loqui amant, mutuam intercedere similitudinem, et altera alteris apte repræsentari. Hac itaque hypothesi nixus Irenæus, congruum esse statuit, ut quatuor numero essent Evangelia. Quippe Evangelium pro « columna et firmamento Ecclesiæ » **128** atque fidei habebatur, sicuti non modo hic, sed et cap. 1 hujus libri testatur ; dicebatur quoque « Spiritus vitæ, » quod scilicet verba Christi recenseret, de quibus ipse Joannis VI, 63, ait, quod « Spiritus et vita sint. » Quemadmodum igitur ædificia quatuor habent columnas, et mundi machina quatuor cardines, ac quatuor etiam principales spiritus, sive ventos ; quibus perflatur ; ita Ecclesiam quoque, tanquam amplam Dei domum, per totum orbem diffusam, quatuor Evangeliis, tanquam quatuor sacris columnis innixi, ac quadripartito hoc divinitus inspirato codice, veluti quadruplici spiritu recrearî decebat. Neque catholici solum, sed et hæretici hac similitudine delectabantur, ipsique horum antesignani, Simonis Magi sectatores ; de quibus auctor præfationis Arabicæ ad concilium Nicænum, quam ex Arabicis Orientalium codicibus descriptam Latine vertit Abrahamus Ecchellensis, tom. II *Concil.* Labbei, col. 386, hæc habet verba : « Sibi autem perfidi isti Evangelium effinxerunt, quod in quatuor tomos secantes, librum quatuor angulorum et cardinum mundi appellarunt. » Neque tamen Irenæus hæc instar demonstrationum proposuit, sed εἰκότως, id est *merito*, *convenienter*, Evangelia quaternario numero contineri dixit : item, « non capit, » id est « non congruum erat, » plura aut pauciora esse Evangelia. Si vero et plus justo ejusmodi speculationibus indulsissent atque tribuissent S. Patres, absit tamen, ut instar Chami propterea eos rideamus, sed tempori quo illi vixere, ac consuetudini tunc receptæ talia demus. Sæpe una ætas postulat quæ altera repudiat : unde vel intra unius sæculi spatium, in uno eodemque loco, scribendorum librorum, perorandarum homiliarum, et aliorum hujusmodi ratio adeo diversa injit, ut quæ prius admirationi erant, postea contemptui habeantur. Atque Christiana inuper modestia requirit, ut haud nimium nostro tribuamus judicio ; sed cogitemus, aliquando accidere, ut sapientia Dei stultitia videatur mundo ac mundanis, cum tamen « quod stultum est Dei, sapientius sit hominibus. » I Cor. I, 25. Cui vero hæc non sufficiunt, sed nihilominus Ireuæus, aliique Patres, velut simplicissimi idiotæ spernuntur, is illud Irenæi lib. V, c. 20, dictum sibi putet, quod « pluris sit idiota religiosus, blasphemo et impudente sophista. »

Pag. 192. *Alii vero*, etc. Cataphryges sive Montanistas procul dubio perstringit, qui docuerunt, « in apostolis quidem Spiritum S. fuisse, Paracletum non fuisse, et Paracletum plura in Montano dixisse, quam Christum in Evangelio protulisse ; nec tantum plura, sed etiam meliora atque majora, » prout auctor Appendicis ad Tertullianî lib. *De Præscript. adversus hæreticos*, cap. 52, scribit. Isti itaque Paracletum, ejusque præcipuam virtutem, quæ erat, « futura annuntiare » Joan. XVI, 13, in apostolis atque Ecclesia fuisse negabant, sed Montano demum, ac Priscillæ atque Maximillæ datum falso jactabant, adeo ut in pseudoprophetarum numerum merito referantur, tam hic, quam infra lib. IV, cap. 61, ubi aliqua de his addam. Hoc vero loco notandum, istos Evangelium S. Joannis, in quo Servator aliquoties se Paracletum apostolis missurum pollicitus est, repudiasse ; siquidem vix a quoquam alio id memoriæ proditum reperias.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 12.

Pag. 193. *Petrus igitur apostolus*. Decenti librorum Novi Testamenti servato ordine, nunc ex Actu

Digitized by Google

rum apostol. libro persequitur institutam contra Gnosticos, de Deo uno et vero mundi creatore, ac Patre Domini nostri Jesu Christi disputationem.

Eligere. Vet. cod. « allegere, » vocabulum jurisconsultis usitatum, quo *in cœtum adjungere, ascribere et quasi cooptare* significant. Nam et *legi* dicebantur, qui in senatorum numerum ascribebantur. Suetonius : « Instanti sæpius ut civitate donatum in decurias allegeretur, Tiberius negavit se allecturum. » Ulpianus de decur. lege : « Generaliter Allegi, est per electionem in ordinem assumi. » Utitur eodem Lucifer Calaritanus, libro primo pro S. Athanasio.

Oportebat. Cum Græce sit ἔδει, melius redditur ab Irenæo, « oportebat, » vel « oportuit, » ut est in nostro vet. cod. quam « oportet, » cum vulgari. Nam de re jam peracta loquitur Petrus.

In cœlos. Hanc vet. cod. emendationem lubentius secuti sumus, quod Græcus Lucæ contextus εἰς τοὺς οὐρανούς habeat.

Suppedaneum. Sic etiam libro II, cap. 49, reddidit ὑποπόδιον ; et Tertullianus, Cyprianus, Augustinus Latini Patres non raro loquuntur.

Pag. 194. *Saliens.* Cum sanus factus fuit, semel exsiliit, postea vero identidem saliit. Illud Græce dictum est ἐξαλλόμενος, hoc autem ἀλλόμενος, quod recte animadvertit Irenæus, ut etiam observat illic Erasmus.

Aggravastis. Græce ἠρνήσασθε, quod cum veteri interprete passim omnes convertunt, « negastis, repudiastis. »

Et veniant vobis. Paulo aliter hunc locum exprimunt et littera Græca et editio Vulgata. Tertullian. lib. *De resurr. carn.* : « Ut tempora vobis superveniant refrigerii ex persona Dei ; » quæ non multum recedunt ab Irenæi lectione.

Deus vester de fratribus vestris. Expunximus « noster » et « nostris, » docente Latina Græcaque Actorum lectione, cum vet. cod. Cæterum, hoc Moysis testimonio Christum promissum fuisse, cum apostolis et Irenæo docent Justinus *Resp. ad quæst.* 101 *orth.* ; Tertull. lib. IV *Advers. Marc.*, cap. 22 ; Cyprianus lib. I *Advers. Judæos*, cap. 18 ; Clemens Alex. lib. I *Pædagogi*, cap. 7, paulo diversis licet tralationibus : ex quibus refellitur Calvinianorum Judaica plane impietas, illud alibi detorquentium.

Pag. 195. *Quoniam autem.* Refutat Gnosticorum sycophantiam et cavillationem, quam recensuit supra cap. 5.

Quem hominem. Delevimus, « quemadmodum ; » infra quoque pro « ipsis, ipsi ; » pro, « putabant, putabat ; » et pro, vobis, nobis, » reposuimus auct. vet. cod.

Pag. 196. *Prædestinatis a Deo.* Sustulimus, « ab eo, » docente vet. cod. et Græca lectione, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ.

Imperfectus igitur secundum hos Petrus. Expende quo pacto paulo superius asseruit, apostolos post ascensionem Domini, per adventum Spiritus sancti perfectos factos fuisse : hic quoque tanquam absurdum et impium Gnosticis objiciat, quod Petrum imperfectum, et cæteros apostolos censerent imperfectos. Quanto magis hujus ævi Hugnosticos damnasset, et verbis et scriptis eosdem incessentes et traducentes, velut « schismaticos, apostatas et idololatras ? » Paulum accusantes « temeritatis, contemptus Dei, ac Epicureismi ? » Petrum denique dicentes, « gratiam Christi abolevisse, Evangelium deformasse, et libertatem Christianam sepelivisse [23]. »

Philippus autem. Hunc volunt diaconum fuisse, non apostolum. Reginam vero Æthiopum, quæ nomine publico regni eunuchum Jerosolymam miserat, proprio nomine (nam Candaces Æthiopibus, ut Cæsares Romanis commune nomen fuit), Lacasan appellatam, Baazenæ regis filiam, quæ quatuor annis Christo supervixerit, et Christianam religionem istius eunuchi opera publice receperit : quæ ad hoc usque tempus illic utcunque perseveret, ut ex legationibus regum Æthiopiæ ad summos pontifices Clementem, Leonem, et reges Portugalliæ, librisque Damiani a Goes, Osorii, Alvari, Jovii et Maffæi certissimum est.

Missus est in regiones Æthiopiæ. Ut hunc locum ex Irenæo mutuati sunt postea Eusebius lib. II *Hist.*, cap. 1, et Hieronymus *Com. in* LIII *Isa.*, sic videtur Irenæus eumdem decerpsisse ex lib. VII *Const. apost.* Clementis, cap. 47. Omnes siquidem uno ore, iisdemque ferme verbis, hunc indigenis suis Christi Evangelium et baptisma annuntiasse, ut ei a Philippo traditum fuerat, affirmant. Additque Abdias, Matthæum apostolum in Æthiopiam profectum, ibidem illum invenisse ; Sophronius autem tanto eum studio promulgandæ religionis Christianæ exarsisse testatur, ut in Arabia felici et Taprobana insula evangelizaverit, ac glorioso certamine pro Christi nomine obierit.

Pag. 197. *Quidam secundum vos.* Ut hic omittit mentionem poetarum, quæ tamen in codice Græco Lucæ habetur, sic fecit postea et Augustinus, explicans aliquot quæstiones in Epistolam ad Romanos.

Pœniteri in ipsum. Pro « pœnitere, » dixit. Communis editio : « Ut omnes ubique pœnitentiam agant, » πανταχοῦ μετανοεῖν. Pœniteri forte dixit, ut Græce μεταμελεῖσθαι, forma passivi vel deponentis. Est enim locus Act. XVII, 31, et Apocalypsis XI, 18, et ad utrumque auctor respexit.

Angelorum Dei. Versionem LXX sequitur, ut Basilius l. III *Contra Eunom.*, Chrysostomus hom. 60 in Matth., Cyrillus in LIII Isa., Rufinus in Symbol. et plerique Græcorum et Latinorum. Hebraica sic ad verbum reddit Sanctes : « Statuit terminos populorum, juxta numerum filiorum Israel. »

Uti ab eis vanis. Septem has voces ex veteri cod. adjecimus, quas etiam agnoscit Lucæ contextus Act. XIV, et linea superiore « nos, » pro « nomine » reposuimus.

Utraque apta temporibus. Augustinus lib. XXXII *Contra Faustum*, cap. 14, et epist. 5, quæ est ad Marcell., idem explicat venusta similitudine sumpta a medico, qui aliud cras, aliud hodie ægrotis observandum præcipit, quandoque etiam prohibens quod ante præceperat. Origenes idem antea præstiterat, ducta similitudine a matre, quæ nunc mammis suaviter, postea solidiore cibo liberos pascit, dialogo 1 contra Marcion.

Pag. 198. *Quasdam quidem.* Utramque Epistolam ad Timotheum, et eam quæ est ad Titum, Marcionem penitus rejecisse scribit lib. V in eumdem Tertull. Cæteras ejus corruptiones uberrime suppeditabit Epiphanius contra hæresim 42.

In altera conscriptione. Librum specialem adversus Marcionem promittit : quem si ediderit, nunc tamen haudquaquam exstare certum est.

Blasphemant fabricatorem. Blasphemiam adeo horrendam esse in verum Deum, existimaverunt Patres universi, eum cujusquam mali auctorem censere ; ut liquet ex hoc loco, et libro altero adversus Florinum, cui titulum fecit : *Quod Deus non sit auctor malorum ;* ut nullum nisi sacrilegum hæc dicere pronuntiarint. Prophetarum autem verba ista : « Non est malum in civitate, quod non fecerit Dominus [24]. » Et : « Ego Deus creans

[23] Vide septimum Dialogum nostrum. [24] Amos III, 6.

Digitized by Google

mala[25] ; » Augustinus interpretatur non de peccato, sed de pœna, Tertullianum secutus, qui de malo supplicii, non autem delicti intellexit[26].

Quoniam autem. Redit ad institutas ex Actis apostol. probationes, quod unus sit Deus creator omnium et Pater Domini nostri Jesu Christi.

Discentes. Hanc vocem pro discipulis et auditoribus, non raro usurpat, ut infra cap. 16 et 20, quod et Tertull. frequenter fecit lib. *De patientia*, lib. *De carne Christi*, lib. *Præscript.* et lib. *De pœnitentia.*

A dextris. Vulgata editio addit, « virtutis : » sed Græci codices, quos sequitur Irenæus, hanc vocem ignorant.

Implevi. Vulgata editio, « multiplicavi ; » cui et consentit Hebraica littera.

Pag. 199. *A fornicatione.* Nec hic, nec infra meminit « suffocatorum, » quod tamen exstat apud Græcos ; sed et paulo ante addidit : « super eos, » et « secundum me, » quibus penitus carent Græc. cod. et editio Vulgata. Quæ sequuntur : « Et quæcunque nolunt, » etc., verbis apostolorum adjicit Irenæus, quoniam a Græcis et Latinis nunc editis absunt : tametsi non desint, qui testentur in quodam codice Græco vetustissimo, et duobus manuscriptis addi, καὶ ὅσα μὴ θέλωσιν αὐτοῖς γενέσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν. Ut et apud Cyprianum lib. III *Testimoniorum*, cap. 119 : « Et quæcunque vobis fieri non vultis, aliis ne feceritis ; » quæ etiam postea repetit Irenæus.

Cum ipsis. Vetus cod., « Ethnicis ; » utrumque legendum proposuimus.

Cum allophylo. Sic quoque Græcos et alienigenas omnes appellat Tertull. lib. *Adv. Judæos*, c. 6, et lib. IV *Adv. Marc.*, cap. 37, ex LXX versione.

Pag. 200. *Hi autem qui circa Jacobum.* Billius judicat hic merum Græcanismum esse, pro, « Jacobus apostolus. » Græci enim οἱ περὶ τὸν Ἰάκωβον dicunt, pro ὁ Ἰάκωβος. Intelligit autem hoc loco Irenæus concionem eam, quam Act. XV, post Petrum Jacobus habuit, in qua quibusdam exceptis, ἀδιαφορεῖν, quod hic vertitur, « libere agere, » gentibus permisit.

Non fecissent. Cod. ex., « non fecisset, » habebant.

Ex Jo. Ernesti Grabii adnotationibus in cap. 12.

Pag. 191. *Meos.* Mou in nostris N. Test. exemplaribus non legimus ; legit autem Chrysostomus homil. 6 in Acta.

Traditum. Λαβόντες non agnoscit Irenæus, uti nec cod. Alexandr. neque Latina et Arab. versiones.

Inferorum. Vocem ᾅδου loco θανάτου ante Irenæum habet Polycarpus ad Philipp. ; Epiphan. in *Ancorato*, § 34, Vulgat. et Syr. interpretes.

De fructu ventris ejus sedere. Nota Irenæum verba ista, τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν Χριστόν, quæ in modernis exemplaribus vers. 30 exstant, non agnovisse : uti nec in cod. Alexandrino, neque in Latina Vulgata, Syriaca, atque Æthiopica versionibus reperiuntur.

Neque derelictus est apud inferos. Nostra Græca exemplaria habent : οὐ κατελείφθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ᾅδου. Verum ἡ ψυχή omittitur non solum ab Irenæo, sed et Didymo lib. III *De Spiritu S.*, inque cod. Alex. nec non Latina Vulgata et Syriaca versionibus.

Donationem hanc. Irenæi codex non solum τοῦτο, uti nos legimus, sed τοῦτο δῶρον, sive δώρημα habuisse videtur, quomodo et Didymus Alexandrinus loco citato ; Rufinus in expositione articuli, « Ascendit in cœlos ; » atque ex recentioribus Rupertus lib. VI *De operibus Spiritus S.* allegarunt. Beda insuper in *Comment.* ad hunc Actorum apostolicorum locum expresse testatur, in Græco textu nunc fuisse : « Effudit hoc donum, quod vos nunc videtis et auditis. »

Et Dominum. Καὶ Κύριον legit Irenæus aut ejus interpres, perinde ut Amphilochius in oratione περὶ Υἱοῦ λόγου, apud Theodoretum dialogo 3, pag 160, ac Epiphanius hæres. 69, Arian., § 42, pag. 764.

Pag. 196. *Credo Filium Dei esse*, etc. Ex hoc, et parallelo loco lib. IV, cap. 40, patet, Irenæum versum 37 cap. VIII Act. apostol. in Alexandrino aliisque mss. codd. ipsiusque Chrysostomi *Commentario* omissum, in suo codice legisse.

Pag. 197. *Genus.* Non ἔθνος, sed γένος legisse videtur Irenæus ; perinde ut Vulgatus interpres et Clemens Alexand. lib. I *Stromat.*, pag. 315.

Præfiniens tempora secundum determinationem inhabitationis eorum. Fallor, an Irenæus legerit, κατὰ ὁροθεσίαν τῆς κατοικίας αὐτῶν, prout et in ms. Cantabrigiensi codice Actorum exstat. Miror autem προτεταγμένους vel προστεταγμένους hoc loco excidisse.

Illud quod est divinum, si quo modo tractare possint... non longe sit. Τὸ θεῖον quoque habet Clemens Alex. loco citato, et cod. Cantabrig. in quo etiam legitur, ψηλαφήσειαν αὐτοῦ pro αὐτόν, et ὑπάρχοντος, non ὑπάρχοντα.

Quidam secundum vos. Omissa quoque « poetarum » mentio in ms. Cantabrig. et Æthiopica versione.

Diem judicari. Ex his videri posset, Irenæi codicem Actorum apost. non habuisse, ἐν ᾗ μέλλει, quæ etiam in Cantabrig. ms. desiderantur.

In viro Jesu, in quo statuit fidem, excitans. Ἀνδρὸς Ἰησοῦ quoque scriptum in cod. Cantabrig. Sed in solo Irenæo desunt duo verba παρέχων πᾶσιν, quæ exciderunt forte occasione præcedentis vocis πίστιν, quæ iisdem litteris terminatur ac πᾶσιν.

Stephanus autem. Idem ex hoc Stephani sermone argumentum contra hæreticos nectit Origenes tom. XIX *Comment. in Joannem*, pag. 263, cujus verba Latine solum dare placet : « Quod ipse (Pater Christi) quidem sit Deus prophetarum, mundique creator, multis ex locis videre possumus ; sed in præsentia sufficiat concionem Stephani ex Actis ad populum hunc in modum dicentis videre : Viri fratres, etc., et quæ sequuntur ; per totam enim orationem citra contradictionem cernere licet, prophetarum Deum Patrem esse Christi Jesu. »

Pag. 198. *Quasdam quidem in totum non cognoscentes.* Utramque Epistolam ad Timotheum, et eam quæ est ad Titum, Marcionem penitus rejecisse scribit lib. V in eumdem Tertullianus. Feuard. Sed et S. Lucæ Acta apostolica, atque Apocalypsin S. Joannis « quasi falsa rejecisse » scribit, non modo auctor Appendicis ad lib. Tertulliani *De præscript. adversus hæreticos*, cap. 51, sed ipse quoque Tertullianus idem testatur ; de Apocalypsi quidem lib. IV *Adversus Marcionem*, cap. 5, de Actis apostolorum vero lib. V contra ipsum, cap. 2, ex quo loco illustrandus alter lib. *De præscript. adversus hæreticos*, cap. 22 et 23. Imo de Actis res clara est, ex ipsius Irenæi mox sequenti cap. 14.

Secundum Lucam autem Evangelium et Epistolas Pauli decurtantes. Qui decurtationes hasce atque corruptiones Evangelii Lucæ ac Epistolarum Pauli omnes et singulas cognoscere cupit, legat Epiphanii hæresin 42, Marcionitarum, atque Tertulliani lib. IV et V *Contra Marcionem*, in quorum priori ex eis Evangelii S. Lucæ partibus, quas Marcion agnoverat, eumdem refellit ; posteriori autem ex reliquiis Epistolarum Pauli adversus eum disputat. Præsertim ex lib. IV, cap. 7, patet, hunc hæreticum tribus prioribus Lucæ capitibus integris, et maxima quarti parte resectis, ita Evangelium suum incœ-

[25] Isa. XLV, 7. [26] Lib. de duabus animab. cap. 6, et lib. contra Adimantum c. 26 et 27.

Digitized by Google

pisse : « Anno quinto decimo principatus Tiberiani Deus descendit in civitatem Galilææ Capharnaum. » Unde Irenæo lib. I, cap. 29, dicitur, « id quod est secundum Lucam Evangelium circumcidens, et omnia quæ sunt de generatione (nativitate) Domini conscripta, auferens. » Dum vero mox addidit : « Et de doctrina sermonum Domini multa auferens, in quibus manifestissime conditorem hujus universitatis suum Patrem confitens Dominus conscriptus est; » respexit præcipue ad versum 21 capitis X Lucæ : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, » etc., ubi vocem « Patris » expunxit Marcion, ut ex Tertulliani lib. IV, cap. 25, liquet; cum quo conf. Epiphan. in dicta hæresi 42, confutat. 22.

In altera conscriptione. Respexit hunc locum Eusebius lib. V *Hist.*, cap. 8, ita de Irenæo scribens : Ἐπήγγελται δὲ ὁ αὐτὸς, ἐκ τῶν Μαρκίωνος συγγραμμάτων ἀντιλέξειν αὐτῷ ἐν ἰδίῳ **130** σπουδάσματι. « Idem vero pollicitus est, se ex propriis Marcionis libris eum peculiari opere refutaturum esse. »

Pag. 199. *In vobis.* Edita Actorum apost. exemplaria habent ἡμῖν. Sed ms. Alex. ὑμῖν, quomodo et lib. VI *Constit. apost.*, cap. 12, atque apud Chrysostomum legitur.

Domini nostri... nos posse. Ὑμῶν in nostris Bibliis Græcis non legimus; legit autem post Irenæum interpres Syrus et Æthiops. Reliquæ duæ voces « nos posse » explicationis ergo additæ sunt.

Deus excogitavit accipere ex gentibus populum nomini suo. Omissæ sunt duæ, quæ in edit. Act. apost. exstant, voces πρῶτον ἐπί, quarum posteriorem nec collector *Constit. apostol.* loco citato, nec Chrysostomus et Theophylactus in *Comment.* agnoscunt, neque manuscript. Alex. habet.

Et sic. Pro τούτῳ Irenæus vel interpres ejus legit οὗτος, quomodo etiam primitus in cod. Cantabrig. scriptum fuit, sed recentiori manu correctum.

Faciens hæc. Ταῦτα πάντα sonant nostra Actorum apost. exemplaria. Sed τὰ πάντα non legerunt Vulgatus et Æthiops interpretes, nec auctor *Constit. apost.*, neque exstat in cod. Alexandr.

Cognitum a sæculo est Deo opus ejus. Similiter ms. Cantabrig., γνῶστον ἀπ' αἰῶνός ἐστι τῷ Κυρίῳ τὸ ἔργον αὐτοῦ.

A sanguine ; et quæcunque nolunt, etc. Quemadmodum Irenæus, vel ejus interpres, hic et paulo post; ita et cod. Cantabrig. utroque in loco omittit, καὶ πνικτοῦ, atque addit : καὶ ὅσα μὴ θέλωσιν ἑαυτοῖς γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖτε, posteriori loco, ποιεῖν. Agnoscit quoque hanc appendicem Cyprianus lib. III *Ad Quirinum*, cap. 119, non autem Clemens Alex. lib. II *Pædagogi*, cap. 7, pag. 172, neque pseudo-Clemens Romanus loco ante citato.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 13.

Pag. 200. *Eos autem qui dicunt.* Ostendit non solum Paulum veritatem agnovisse, sed hujus cognitionem ac professionem cunctis apostolis fuisse communem : alias frustra in universum mundum ad eam propagandam missi fuissent.

Falsa testantium. Ita vetus codex, cujus auctoritate loco movimus « falsum testimonium. »

Ad horam cessimus. Ita legunt omnes codices; nunc Pauli littera Græca, et editio Vulg. cum negatione : « Neque ad horam cessimus; » sicque interpretantur Augustinus, Chrysostomus, Theod. et Hieronym. in posterioribus *Comment. ad Galatas.* At idem ipse in prioribus *Commentariis*, et postmodum Primasius, indicant quædam exemplaria non habere οὐδέ; quod et omittit Ambrosius. Tertullianus libro quinto *Advers. Marc.*, cap. 4, velut nodum dissolvens, et utramque probans lectionem, fatetur Paulum ad aliquod tempus cessisse, Timotheum circumcidendo [27], et rasos introducendo in templum [28], faciendo se Judæis Judæum, ut Judæos lucrifaceret [29]; non autem in perpetuum.

Ejusdem adnotationes in cap. 14.

Quoniam autem. Docet beatum Lucam Pauli comitem individuum, et sedulum cooperatorem. Gnosticorum Æonum, aut Pleromatis nunquam meminisse, quandoquidem nec a Paulo de his quidquam audivisset vel didicisset.

Festinaret. Sic habebat vet. cod.; ideo ejus auctoritate delevimus « festinavit. »

Pag. 202. *Post discessum meum.* Ita vetus codex, et lectio Græca, μετὰ τὴν ἄφιξίν μου. Itaque delevimus « nostrum. » Et continuo, λύκοι βαρεῖς, recte Irenæus reddit « lupi graves; » Vulg. edit. « rapaces. »

Sic apostoli. In eos hæc dicuntur, qui apostolos diversa et pugnantia pro variis auditoribus annuntiasse, aut minus instructos a Spiritu sancto præcones missos fuisse volebant : quos acerrime refellit etiam Tertullianus libro *De præscriptionibus*, cap. 6 et 7.

Contemplatores. Græce, αὐτόπται τοῦ Λογοῦ, a pronomine αὐτός, *ipse*, et ὄπτω, *video*, qui ipsi viderant et contemplati fuerant.

Si quis autem refutet. Præoccupatione usus, docet Lucam non ignorasse altissima divinaque mysteria; quippe qui præcipua tam Evangelio, quam Actorum libro memoriæ mandaverit, ut ex subjectis manifestum quoque facit.

Et pseudoprophetis. Nam Græce legitur ψευδοπροφήταις : Vulgata editio, « prophetis. »

Expostulabunt animam. Cyprianus in orationem Dominic. : « Stulte, hac nocte expostulatur anima tua. » Tertullianus libro quarto *Adversus Marcion.*, « reposcent. » Græce est ἀπαιτοῦσι.

Ejusdem adnotationes in cap. 15.

Pag. 203. *His qui Paulum.* Ebionæos intelligit, quos Paulum, ut legis apostatam, recusasse recensuit, lib. I, cap. 26. Persequitur autem alteram partem superioris dilemmatis. Si Gnostici universum ac integrum B. Lucæ scriptum admiserint, jam ex eo discent Deum unum et verum cum B. Paulo locutum, et hunc ab eodem electum et missum ad erudiendas gentes de Christo vero Dei Filio. Prupterea etenim multa ab aliis evangelistis prætermissa nuntiavit, ut et ipsi de Pauli vocatione et laboribus testificanti, fides haberetur.

Hoc enim fictorum. Quam vere isthæc cunctis hæreticis conveniant, cum historiis ecclesiasticis testantur Patrum omnium monumenta. Marcionitas carnis resurrectionem imaginaria significatione distorquentes, hacque specie catholicos in colloquiis decipere solitos scripsit Tertull., quasi et ipsi resurrectionem admitterent [30]. Nota est Arii scelerata vafricies, qui imperatori Constantino fidei confessionem, verbis quidem catholicorum consarcinatam, at sensu longe a mente eorum abhorrentem, exhibuit [31]. Sed de his jam quædam in lib. I observavimus.

Et illiciunt eos, simulantes nostrum tractatum. Delevimus « in deliciis. » Cæterum, notanda est ista omnium quidem hæreticorum in perversis et blasphemis erroribus suis fucandis, palliandis et incrustandis calliditas et malitia; Sacramentariorum autem omnium maxime. Nam Lutherani et Anabaptistæ magis ingenue et aperte quod sentiunt, proferunt; illi vero in tam varias figuras instar Protei sese vertunt, ut multis etiam magnis et sapientibus hominibus imponant, idque mira et inenarrabilia vafritie. « Quemadmodum hyena, » ut ante me etiam observat ex Plinio Schlusselburgius, « volens suam in aliquem exercere feritatem, solet sermonem humanum inter pastorum stabula assimulare, nomenque alicujus addiscere; quod

[27] Act. XVI, 3. [28] Act. XXI, 24. [29] I Cor. IX, 20. [30] Lib. de resurr. carn. [31] Ruffinus, lib. X Hist., cap. 11.

Digitized by Google

cum assecuta est, illum foras evocatum protinus lacerat, discerpit, devorat; » ita Calviniani volentes suos promovere errores, sermonem addiscunt divinum, nomen veteris tam Græcæ quam Latinæ sumunt Ecclesiæ, confessionem fidei suæ, quantum possunt, catholicæ attemperant, in eos invehuntur et scribunt qui vacua panis et vini signa esse dicunt, Christi carnem et sanguinem vere, realiter, et substantialiter per eucharistiæ sacramentum, nobis offerri ac exhiberi ampullosis verbis profitentur. Sed reapse meræ sunt præstigiæ, illusiones et aucupia, quibus incautos capiant; imo et voragines horrendæ, verborum pergulis et cespitibus opertæ, quibus in simplicitate sua incedentes secum in æternam perditionis foveam abripiant: quandoquidem vera Christi hominis substantia ab illis tantum absit, ut et ipsi tandem affirmant, quantum distat cœlum a terra.

Se putant posse discernere. Linea superiore « et non, » pro « necnon, » vet. cod. auctoritate legimus: hoc autem loco « discernere, » pro, « discere, » Billii secuti judicium. Vult enim Irenæus, ait ille, proclive non esse τὸν ἐν λόγοις πιθανὸν ἀπὸ τῆς ἀληθείας διαχρίνειν. Id est, « hoc quod verborum tanquam lenociniis quibusdam fucatum est, a vero internoscere. »

Sine fuco autem. Proverbium simile ex Euripide citatur a Seneca epist. 49. « Veritatis simplex est oratio. Impostorum est enim verborum lenociniis mendacia fucare; simplex autem veritas ficus, ficus; ligonem, ligonem appellat. » Basilius hom. de Mamante martyre: « Nuda est veritas, absque patrocinio ipsa seipsam declarans. » De his plura in præfationem lib. I.

Quasi parvum ovum. Per « parvum ovum, » ὀρτυγον ὠόν, quod « urinum ovum » aptius transferretur, interpretem reddidisse Billius existimat. Qui enim se hæreticorum commentis totos tradunt, hi subventaneiset inutilibus ovis comparari non immerito queant. « Deditum autem seipsum præbere, » pro, sese totum tradere ac mancipare, ad Græcorum morem accedit, qui ἔκδοτον ποιεῖσθαι dicere consueverunt.

Neque in cœlo. Proverbium est, cujus ferme simile legitur apud Lucianum in *Pseudomante*: Ὀκτώ μοι χρησμοὺς ἔπεμψεν, οὔτε γῆς, φασιν, οὔτε οὐρανοῦ ἁπτομένους. Id est: « Octo ad me misit oracula, sed quæ neque cœlum, ut aiunt, neque terram attingerent, » metaphora assumpta ab his qui in aere pendent.

Gallinacei elationem habens. Proverbium hoc ex alio natum est: « Gallus in suo sterquilinio plurimum potest; » sic enim et isti, ob fæces suarum quisquiliarum, spiritus atque animos tollebant.

Pag. 204. **131** *Sunt autem apud eos.* Hos nunc referunt illi Anabaptistæ, qui apostolici et separati vocantur. Jactant enim se pressis vestigiis apostolorum vestigia sequi, ac se more ipsorum omnino vivere. Austerum vultum præ se ferunt, crebros ducunt gemitus, gaudia aversantur, neque conviviis lætioribus interesse volunt. Vestiuntur ad simplicitatem, nullum armorum genus portant, ad præscriptum tantum edunt, dormiunt, incedunt, laborant, atque severam vitam cunctis ducendam prædicant, qui salvi esse cupiunt.

Plurimi autem. Et hi parentes sunt horum Anabaptistarum, quos novos Catharos appellant. Negant quoddam esse peccatum originale, quo parvuli fidelium maculentur; ideoque illos sine baptismo salvari; quod a Calvinianis didicerunt. Quin seipsos quoque a cunctis peccatis immunes et puros esse prædicant: particulam istam orationis Dominicæ, « Dimitte nobis debita nostra, » penitus intermittunt; Christianam libertatem in omnem carnis lasciviam convertunt, mulieribus communiter utuntur; nec ullis delictis Spiritum sanctum (quem semel se accepisse jactitant) a se recedere gloriantur; quod etiam Beza in colloquio Mompelgartensi palam de se suisque asserere non erubuit.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 15.

Pag. 203. *In gentibus.* Videtur interpres in Irenæo, vel Irenæus in S. Luca, male legisse ἐν pro ἐνώπιον.

Ex ipso. Hæ duæ voces, aut ab Irenæo ex memoria hunc librum allegante, aut in ejus codice a scholiaste quodam additæ fuerunt, quibus significaretur, ἐκ τούτου, scilicet χρόνου, « ex illo ipso tempore, » passiones Pauli initium sumpsisse. Quippe mox post conversionem, persecutionibus huc illuc jactatus fuit.

Simulantes nostrum tractatum. « Tractatum » intellige « sermonem, » et hæc explica per ista in procœmio lib. I, pag. 3, lin. 2: Ὅμοια μὲν λαλοῦντας, ἀνόμοια δὲ φρονοῦντας: necnon illa cap. 17 hujus libri: « Lingua quidem unum Christum Jesum confitentes, divisi vero sententia. »

Institorio. Id est superbia et elatione animi. Nam « institorium » dicitur omne quod ad « institores, » id est præfectos, pertinet. Atqui hi cum sublati plerumque animi esse soleant, hinc inter alios Quintilianus lib. XI, cap. 1, « tumidum, ac sui jactantem, et ambitiosum institorem eloquentiæ » dixit.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 16.

Pag. 204. *Nos autem revertamur.* Absoluta de Paulo ac cooperatore ejus Luca disputatione, quæ velut obiter instituenda fuerat, redit ad præcipuum caput, nimirum, apostolos unicum Deum mundi creatorem toto orbe prædicasse, qui Moysi legem dederat, et populum Hebraicum in peculium sibi assumpserat: qua doctrina universi Gnosticorum Æones, cunctæque fabulæ evanescebant.

Nisi solum verum Deum Patrem et Verbum ejus. Primum ex hoc et sexcentis similibus locis observa Irenæum nunquam a divinitate secludere Filium, aut Spiritum sanctum, quando de uno et solo vero Deo loquitur, cum Pater, Filius, ac Spiritus sanctus sint ille unus et solus verus Deus. Frustra ergo novi Ebionitæ, Samosateniani, et Ariani ab hoc auctore impietatum suarum patrocinium petunt. Deinde, omnium rerum principatum et dominationem, utpote Creatori, Verbo, id est eidem Filio Dei tribui, quemadmodum etiam Scripturæ testificantur: « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo [32]. Pater dedit ei omnia in manus [33]. Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra [34]. Est caput omnis principatus et dominationis [35], » etc.; quibus sempiterna et una cum Patre ejus potestas eademque majestas significatur et asseritur.

Et discentium. Id est discipulorum et auditorum, cujusmodi fuerunt Timotheus, Titus, Clemens, Polycarpus, Ignatius, Dionysius, etc. Sic enim discipulos appellat etiam Tertullianus libro *De patientia*, capite tertio, et libro *Præscript.*, capite tertio, vigesimo, et vigesimo secundo.

Ejusdem adnotationes in cap. 17.

Pag. 204. *Quoniam.* Cerinthum et asseclas ejus intelligit, quorum deliria lib. I, cap. 25 et 34, tradidit. Affirmat autem Christum a Gnosticis velut in quatuor partes impie distrahi; cum vere unicus sit Dei et hominis Filius, natus ex Maria Virgine, passusque pro nobis; et qui aliter sentiunt, excæcatos et summissos esse a Satana omnium mendaciorum parente.

Alii vero. Basilidis sectatores, de quibus lib. I, cap 23. Hos acerrime impugnaverat ante Irenæum

[32] Matth. XI, 27. [33] Joan. XIII, 3. [34] Matth. XXVIII, 18. [35] Coloss. I, 10.

Digitized by Google

Ignatius et ipse martyr, *Epist. ad Trallian., Tarsen., Philip., Philadelp., Polycarp.*

Lingua quidem. Et hic rursus observanda, imo detestanda Gnosticorum fraus, qua verbis quidem aliquantisper recte discere videbantur, interpretatione vero impure blasphemabant. Eamdem impietatem Sacramentarii, illorum progenies, pleno ore spirant, sive de Dei omnipotentia, sive de descensu Christi ad inferos, de multisque aliis fidei capitibus, adversus eos disputatio instituatur.

Adhibere. Expunximus « habere, » auct. vet. cod.

Ejusdem adnotationes in cap. 18.

Pag. 204. *Et quoniam Joannes.* Toto præsertim hujus libri cap. 11 ex Joannis Evangelio asseruit Christum esse æternum Dei Filium, eumdemque mere hominem factum : et non alium esse Jesum, alium Christum ; nec alium Filium Altissimi, alium vero Filium Virginis.

Sed prævidens. Expunximus « providens. » Item tam in hoc capite, quam omnibus aliis locis « Emmanuel » reposuimus, pro « Emanuel : » quod semel dixisse sufficit.

Pag. 205. *Voluntates.* Vet. cod. « voluptate ; » sed quia infra cap. 21 rursus habet « voluntate, » nihil mutare libuit.

Alterum autem. Quatuor has voces ex vet. cod. adjecimus, et illius auct. delevimus « suspicemur. »

Prædestinatus. Vulgata editio, « segregatus, » et ita legunt Hieronymus, Ambrosius, Theodoretus, August., Primasius ; Græce est ἀφωρισμένος.

Qui est Deus super omnes. Vulgata editio Latina, « super omnia ; » Græci ἐπὶ πάντων, communiter ad uteramque lectionem. Cæterum, Erasmus non sine manifesta malitia et impietate in Christum, conatus est hujus apostolici loci, « quo Christi æterna deitas et majestas adversus Arianam impietatem (inquit Theophylactus) aperte refellitur, » auctoritatem elevare. Primo scribens Cyprianum lib. II *Adv. Judæos*, cap. 6, Dei mentionem omittere ; quod tamen codices a Morelio et Pamelio ex vet. manuscriptis emendati et vulgati, insuper et Tertullianus lib. *Advers. Praxean*, cap. 13 et 15, et Novatianus lib. *De Trinit.* cap. 13 et 30, et hic Irenæi locus manifestæ imposturæ coarguunt. Deinde, conjectatur particulam illam, « Deus, » additam fuisse ab Origenis interprete, aut aliis quibusdam ; quod falsissimum esse convincunt superiora Patrum testimonia, cunctorumque Latinorum et Græcorum vetustissima monumenta. Stat igitur, stabitque firmissimum et apertissimum pro Christi vera sempiternaque divinitate, adversus Arianos, horumque fautores, hoc beati Apostoli testimonium.

Natum ex muliere. Græce est γεννώμενον. August. lib. *De trinitate et unitate Dei*, cap. 3 ; Cyprianus lib. II *Adversus Judæos*, cap. 8, constanter cum Irenæo « natum » interpretantur ; « factum » legunt Tertull. lib. *De velandis virg.* et Ambrosius lib. I *De fide*, cap. 6, et epist. 32, serm. 5, in psalm. CXVIII.

Portanti. His agnoscit ineffabilem eam unitionem, qua duplex natura, omni confusione semota, constat Domini nostri Jesu Christi unica hypostasis ; ut unus sit Filius Dei, et hominis filius.

Velociter. Vulgata editio, quæ et litteræ Hebraicæ conformis est : « Accelera spolia detrahere, festina prædari. » Non possum hoc loco silentio prætermittere Calvini impietatem, qua cæco furore in Patres sanctos debacchatur, dum Christianos omnes scriptores nimis crasse hallucinatos esse scribit, qui vaticinium hoc ad Christum traxerunt. Siccine Judaicæ cæcitati faves ? hæccine omnium Scripturarum ad fidei analogiam accommodatio ?

[36] Tract. 8 in Joan.

A Sed velint nolint spurii Synagogæ filii, hanc interpretationem Patrum, Justini, Tertulliani, Hieronymi, Basilii, huic Irenæi omnino conformem, ambabus ulnis excipiemus.

Propter hoc et pueros. Parvulos innocentes intelligit, quorum quatuordecim millia, ut in liturgia sibi a R. Matthæo relicta notant Æthiopes, et Græci observant in Calendario suo, nefanda Heredis immanitate, Christus et ipse puer martyres consecravit. Hos namque Cyprianus et Augustinus appellant « Martyrum flores ; » nec diffitentur tyrannum plus eis profuisse odio, quam profuisset obsequio. Et Tertullianus ait : « Eos testimonium Christo sanguine suo litasse. »

Et omnia in semetipso recapitulans. Alludit ad hunc Pauli locum Ephes. I, 10 : « Instaurare omnia in Christo ; » ubi Græcum verbum ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est universam hominum et angelorum salutem, adeoque cunctam omnium rerum B cœlestium et terrestrium summam, ad unum Christum **132** revocare, ac in eo unico comprehendere. Hieronymus *Comm.* in illum locum, verbum « recapitulare » post Irenæum usurpans, miratur quamobrem in Latinis codicibus habeatur, « instaurare. »

Intempestivam festinationem. Non est, quod ex hoc loco putent Gnostici posteriores, Irenæum B. Virginem Mariam alicujus vitii arguere ; cujus integritatis, pietatis, et fidei tantus assertor et vindex esse apparet infra lib. III, cap. 24, 25, 26, 27, 32, 33, et lib. IV, cap. 40, et lib. V. Nec enim culpat illius humanitatem, qua egentibus subventum cupiebat ; nec matrem esse abnegat Filius, cui subjici et parere non detrectavit : « Sed ille singulariter natus de patre sine matre, de matre sine patre, miraculum quod facturus erat, secundum divinitatem, quam non genuerat mater, facturus erat, non secundum infirmitatem ; ideo operaturus facta divina, » ait Augustinus, « non agnoscit viscera humana [36]. » Et Justinus martyr responsione ad 136 quæst. orth. ait : « Illud : « Quid tibi et « mihi est, mulier ? » non ad objurgationem dictum est matri a Servatore, sed quasi hoc demonstrare vellet. Non nos ii sumus, qui curam suscepimus vini quod in nuptiis consumitur ; tamen præ amore si vis ne deficiat eos vinum, dic ministris ut faciant quæ ego eis dixero, et videbis eis non deesse vinum ; id quod etiam accidit. Non ergo verbis matrem objurgavit, cum eam factis honorarit. » Sunt itaque Chrysostomi, Theophylacti ac Euthymii in hunc locum commentaria, quibus intempestivos affectus B. Mariæ tribuere videntur, prudenter legenda ; cum præsertim sancta synodus Tridentina eos anathemate percusserit, qui eamdem in tota vita sua, omnia peccata, etiam venialia, ex speciali Dei privilegio vitasse, non asseruerint.

Deminoratione. Auctor. vet. cod. delevimus « Demiurgi ratione. »

Deos quidem plures. Irenæum imitatus Cyrillus Jeros. Valentinum triginta « Deorum prædicatorem » vocat, catech. 6.

Propter quod rursus. Locum hunc e Theodoreto Græce et Latine suo loco inseruimus.

Habitat in nobis. Græca Pauli lectio, ἐν ὑμῖν : et Vulgata Latina, « in vobis. » Et postea, « corpora vestra. » Sed Irenæus seipsum aliis connumerans, personam ad institutum suum inflectit.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 18.

Pag. 204. *Christi autem.* Ex hac citatione, indeque deducto argumento patet, Irenæum nomen Ἰησοῦ, quod in nostris N. Test. exemplaribus Græcis expressum exstat, haud legisse, uti nec Vulgata Latina, neque Persica versio illud habet.

Pag. 205. *Non enim ex voluntate.... Verbum caro*

Digitized by Google

factum est. Ex hoc loco et cap. 21 hujus libri liquet, Irenæum Joan. I, 13 legisse, ἐγεννήθη pro οἳ ἐγεννήθησαν : quomodo et Tertullianus lib. *De carne Christi*, cap. 19 et 24, allegavit.

Pag. 206. *Æternam.* Vocem αἰώνιον, quæ in nostris evangelicis codd. non exstat, Irenæus in suo additam habuisse videtur, ut et Syrus, Arabs, aliique Orientales interpretes.

Non sunt ex nobis. Cognoscite ergo, etc. Hæc Irenæus ex memoria allegasse videtur.

Derident. Id est ridendos propinant. Conjicio autem Irenæum hic in Græco lusisse paronomasia, in verbis καταγελῶσι, « derident, » et καταγγέλλουσι, « annuntiant, » quod mox sequitur.

Conspersus. Græce πεφυρμένος, uti conjicio, « commistus, » id est « intime unitus, » quomodo Plutarcho in Romulo dicitur πεφυρμένη σώματι ψυχή.

Invisibilis visibilis factus, etc. Ita plane et S. Ignatius in *Epist. ad Polycarpum*, pag. 12, scribit, τὸν ἀόρατον, τὸν δι' ἡμᾶς ὁρατόν· τὸν ἀψηλάφητον (supple ex interpolato exemplari, δι' ἡμᾶς δὲ ψηλαφητόν)· τὸν ἀπάθητον, τὸν δι' ἡμᾶς παθητόν.

Pag. 207. *Extra dispositionem sunt.* Id est alieni sunt a gratiosa Dei erga homines œconomia, nec mysterium incarnationis Dei intelligentes, nec fructum ejus percipientes.

Exierunt. Ἐσῆλθον habent nostra Novi Testam. exemplaria. Sed ἐξῆλθον cum Vulgato interprete legit Irenæus; aut hujus interpres illius auctoritatem secutus est.

Videte eos. Irenæus βλέπετε αὐτούς, non ἑαυτούς, legisse videtur, ita ut hæreticos respicere, eosque vitare præceperit S. Joannes, quomodo Paulus Phil. III, 2 : βλέπετε τοὺς κύνας, βλέπετε τοὺς κακοὺς ἐργάτας.

Ne perdatis quod operati estis. Hinc colligas, Irenæum iterum contra quam in nostris exemplaribus, in suo habuisse : ἵνα μὴ ἀπολέσητε, ἃ vel ὃ ἠργάσασθε, quomodo et Vulgatus, Syrus, Æthiops interpretes, atque Œcumenius in *Comment.* ad hunc locum expresserunt, et quomodo in codice Alex. scriptum est, alios ut taceam.

De sæculo. Ex memoria Irenæum ita allegasse puto, siquidem omnia exemplaria habent, εἰς τὸν κόσμον.

Qui solvit Jesum Christum. Dubium est, utrum interpres ex Vulgata Latina ita reposuerit, an ipse Irenæus jam in suo exemplari legerit, ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν, quod sane in vetustissimis codd. locum habuisse fidem facit Socrates lib. VII *Hist. eccles.*, cap. 32, nec dubitare nos sinit post Vulgatum interpretem Tertullianus lib. V *Contra Marcionem*, cap. 16, ubi memorat « Antichristi spiritus, negantes Christum in carne venisse, et solventes Jesum. » Ubi utramque lectionem jungere videtur, tam modo dictam, quam alteram in nostris exempl., ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, quæ maxime confirmatur per *Epist.* Polycarpi *ad Philippenses*, § 8.

Gratiæ et justitiæ. Χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης, habent nostra Græca. Irenæus autem, perinde ut Origenes *Comment. in Joan.*, pag. 334, τῆς δωρεᾶς haud agnoscunt, quod hæ duæ voces forte ob recurrentem articulum τῆς in illorum codd. per negligentiam scribæ essent omissæ. Nisi potius dicendum, quod interpres Irenæi, aut scriba eas omiserit, utpote desideratas in antiqua Latina Bibliorum versione, sicut ex Augustini lib. I *De baptismo*, cap. 13, colligitur.

In vitam. Haud puto Irenæum legisse εἰς ζωὴν, sed scribam ita exarasse, quod suum Latinorum Bibliorum exemplar ita haberet, prout hodienum in ms. Claromontano legi, ex doctissimi D. Millii N. T. didici.

A mortuis. Haud additur, « per gloriam Patris; » sicut et in Tertull. lib. *De resurrectione carnis*, cap. 47, desideratur : unde ab Italica versione ita posuit interpres, vel potius scriba. Neque enim dubito, Irenæum ἔτι scripsisse, ut nostri Novi Test. codd. habent, non εἴς τι, prouti Latinus interpres vitiose legisse videtur.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 19.

Pag. 208. *Etenim potuerunt.* Apostoli nihil unquam de duplici, aut etiam quadruplici Christo Salvatore tradiderunt, quale Gnostici comminiscebantur : sed disertis verbis referunt Spiritum sanctum in specie columbæ super eum descendisse et permansisse, velut a prophetis prædictum fuerat [37]. Eumdem quoque et apostolis, et Ecclesiæ, et sacramento baptismi efficaciter adfuisse, quemadmodum iidem prophetæ, et postea Christus ipse promiserat [38]. Paulo post, « requiescet super eum, » pro « requiescet super me, » restituimus ex vet. cod. et Isaiæ contextu.

Et sicut arida. Aptissima similitudine necessarium esse gratiæ divinæ auxilium libero hominum arbitrio ostendit, quam secutus est alicubi Chrysostomus.

Corpora enim nostra. Caput hoc diligenter excutienti et perpendenti, inter cætera multa occurrunt tria, quæ de baptismi sacramento Irenæus affirmat. Primum, formam ejus omnino per Christum demandatam esse discipulis, dicentem eis : « Baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti [39]. » Ergo in Christum plane blasphemi sunt Hugnostici affirmantes magicum esse sacramentorum administrationem certis verbis alligare; verbumque sacramentorum non esse aliud a verbo prædicationis ministri ex suggestu.

Secundum, hoc sacramentum tantæ necessitatis esse, ut sine eo, nec Christo adhærescere, nec in vitam æternam pervenire valeamus : quod hic aliquot similibus exemplis, ac figuris comprobat Irenæus. Cui subscribens Tertullianus ait : « Lex tinguendi proposita est, et forma præscripta : Ite, docete nationes, tinguentes eas [40], » etc. D. Augustinus vero scribit [41] : « Dominus Christus apertissime dixit : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et « Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlo« rum [42]. » Exempla Cornelii, discipulorum Joannis Baptistæ, et aliorum ante susceptum hoc lavacrum sanctificatorum, necessitatem ejus comprobant. Hinc rursum Augustinus : « Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus [43]. » Turpissime rursum ergo fallunt et falluntur Hugnostici, sectatorum suorum parvulis sine baptismo decedentibus pro certo salutem re promittentes.

Tertium, quod constanter asserit Irenæus, est hujus sacramenti multiplex virtus ac efficientia. Est enim in eo potestas regenerationis et renovationis humanæ, unum efficit cum Christo, eo ut cœlesti pluvia rigamur et fecundamur, facitque salire in vitam æternam, etc. Itaque **133** etiam atque etiam fœde hallucinantur iidem Hugnostici, omnem ab eo efficaciam subtrahentes, ac ita suffurantes, ut evanidum tantum symbolum prius acceptæ gratiæ remaneat.

Sed fornicata est. Non secundas, vel tertias damnat nuptias; sed multorum adulteriorum ream Samaritidem intelligit, licet Athanasius quæst. 59 ad Antioch. quinque priores maritos legitimos putet.

Hanc muneris. Concinna est hæc allusio rotis

[37] Joan. I. [38] Luc. III; Matth. III. [39] Matth. XXVIII, 19. [40] Lib. De bapt. [41] Epist. 10. [42] Joan. III. [43] Lib. III De origine animæ, cap. 9.

Digitized by Google

illius, ad gratiam cœlestem et charitatem, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in corda credentium, alias plus satis arida et sterilia. Id autem prævisum et præsignatum olim a Patribus, nullus inficiabitur, qui Paulo crediderit, affirmanti omnia in figuram antiquis contigisse, legemque umbram fuisse futurorum bonorum. Quod vero ad hanc Gedeonis velleris piam accommodationem attinet, Irenæum imitatur Augustinus quæst. 49 in lib. Judicum; lib. XII *Contra Faustum*, cap. 32; lib. *De unitate Eccles.*, cap. 5; *Comment. in psal.* XLV et LXXI; serm. 2, de verbis Apostoli; et serm. 108, de tempore; Ambros. prologo in librum I *De Spiritu sancto;* Hieronymus epist. ad Paulinum, de instit. monachi; et ex Græcis Theodoretus quæst. 14 in Judic. Origenes hom. 1 in Judic. Hæc adnotare visum est in Gallasii malevolentiam, qui, ut perpetuo Patrum auctoritati detrahat, hic levitatis accusare non veretur beatum hunc martyrem.

Et super vellus lanæ. Ita vet. cod., excusi habebant, « e superiori vellus lanam. » B

Ut per Spiritum imaginem et inscriptionem, etc. Quid si nomine imaginis et inscriptionis in baptismo susceptæ, hoc loco signum illud spirituale ac perpetuum animis Christianis impressum Irenæus intelligat, quod alii « characterem » appellant? Libenter enim ad illum etiam refero, quod ejusdem sæculi scriptor Tertullianus dicit [46]: « Caro (in baptismo sacro chrismatis et crucis signo) signatur, ut anima muniatur. » Sed nullam mihi cavillationem admittere posse videntur hæc Cyrilli Jerosolym. de eodem charactere verba [47]: « Accede ad baptismum, non tantum vultum istum visibilem baptizantium respiciens, sed memineris Spiritus sancti. Hic enim paratus adest obsignare animam tuam, et dare tibi signaculum, quod dæmones tremunt, cœleste quoddam et divinum, sicut scriptum est: « In quo etiam credentes signati estis « Spiritu sancto promissionis [48], » etc.

Spiritu itaque descendente. Isthæc, usque ad illud, « et subdivisiones excogitaverunt, » transcripsit Theodoretus dial. 1, quæ et nos apponi curavimus.

Pag. 209. *Et oportebit.* Expunximus « oportebat; » et aliquanto post « assectionis » delevimus, et « affectionis » reposuimus auct. vet. cod.

Lacte gypsum miscetur. Proverbium est, non hinc dissimile: « Lethale mulsum; » id omne significans, quod boni specie, perniciem affert. Gypsum enim præsens venenum habere docet Plinius libro XXXVI, cap. 24, quod cum lacte mistum fuerit, fallit.

Ejusdem adnotationes in cap. 20.

Pag. 209. *Ostenso.* Sic ex veteri cod. restituimus, ut sit anacephaleosis eorum, quæ superioribus dixerat. Expunximus itaque « ostensio. » Scribit autem Filium Dei nequaquam tunc incœpisse esse, cum carnem nostram assumpsit; sed Patri semper coexstitisse; hominem vero factum esse, ut id repararetur, quod in Adam amissum erat. Item, unum ac eumdem esse Filium Dei et hominis, salutis nostræ auctorem, vere passum pro nobis, ut et apostoli vere passi sunt pro nomine ipsius.

Ut quod perdideramus in Adam. Videtur asserere, peccato Adæ perditam esse in eo ac posteris ejus imaginem Dei, quod et Origenes dicitur postea sensisse, scribens tomo III *in Genes.*: « Homo imaginem Dei, ad quam conditus fuerat, peccando amisit. » Augustinus quoque, lib. VI *De Genesi ad litteram*, cap. 27 et 28, scribit: « Adam per peccatum perdidit imaginem Dei in spiritu mentis impressam, secundum quam creatus est. » Hoc ipsum ante illos tradere videtur Philo Judæus, *De opificio sex dierum.*

Sed bene habet, quod Epiphanius ante mille et trecentos annos istam Origenis opinionem inter errores ejus recensuit, et Augustinus libro secundo *Retractation.*, cap. 24, priorem sententiam illam emolliens et mitigans scribat, eam non sic accipiendam esse, tanquam nulla remaneat imago: sed quod tam deformis et obscura facta sit, ut reformatione opus habeat. Perditam ergo illam scribit Irenæus, quantum ad gratiæ, justitiæ et pietatis infusa initio clarissima ornamenta, quibus Deum referre debuit; non quantum ad substantiam, ipsumque fundamentum imaginis, ut ex libri quinti capite sexto promptum est colligere. Hoc velut explicans et comprobans ait Augustinus: « Recipimus justitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo. » Et rursum: « Hanc imaginem in spiritu mentis impressam, amisit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam justitiæ [49]. »

Quia enim non erat possibile. Duas voces « impossibile » et « obedientiam, » auctoritate veteris codicis removere non dubitavimus, oppositasque « possibile » et « inobedientiam » substituere, ut sensus sit: necessarium fuisse hominibus Christum redemptorem, cum tanto muneri facere satis nequivisset ullus alius ab eo. Atque hanc esse Irenæi mentem manifestissime indicant ea, quæ in calce hujus capitis habentur. Irenæo subscribit Athanasius orat. 3 contra Arianos, et initio libri *De incarnatione Verbi;* sed accurate disputationem hanc pertractat Anselmus duobus libris, quibus nomen dedit: *Cur Deus homo.* D. Petrus apud Clementem lib. I *Recogn.* asserit, « impossibile fuisse mortalium mala purgari per alium. » Consentit his verbis Augustinus: « Necesse erat illum hominem esse, qui occidi posset; et Deum, qui mori nequiret [50]. »

Et incarnatus. Octo has voces ex vet. cod. restituimus.

Affingitur. Expunximus « affigitur; » et mox « Horo, id est filii » reposuimus pro « loro, id est funi, » auct. vet. cod. C

Manifestum est igitur. Hæc Theodoretus in dialogo 3 ex Irenæo nominatim transcribit, usque ad illud: « et iterum, et periet infirmus, » etc., ut suo loco posuimus.

Pag. 210. *Et periet.* Veter. cod. auctoritate sic pro « pereat » non dubitavimus reponere, cum et Græce sit καὶ ἀπολεῖται, et hujusmodi verborum formas prisci scriptores ecclesiastici frequenter usurparint. Arnobius *Comment. in psal.* XX: « Fructus eorum qui increduli perseverant, a terra perient. » Et in psal. LXXI., in tribus lineis, quater « floriet » usurpat. Lucifer Calarit. lib. I, pro Athanasio: « Memoria impiorum periet. » Conqueritur Augustinus, quod de ore cantantium suæ diœceseos populorum auferre non potuerit; « Super ipsum autem floriet sanctificatio mea; » adeo huic voci assueverant. Paulo post etiam « decubuit, » loco D « discubuit » substituimus, ex vet. cod.

In Christi nomine. Eadem fere ad verbum docet Ambrosius lib. I *De Spiritu sancto*, cap. 3.

Salvaverit. Delevimus « salvabit; » et infra « timete, » pro « timentes » vet. cod. auct. substituimus.

Qui flagellari et occidi haberent. Id est flagellandi et occidendi erant. Sic et infra, « et nos cum incipiemus vere pati, » incipere pati, est passurum esse, ut Joan. IV, 47: ἤμελλε γὰρ ἀποθνήσκειν, « incipiebat enim mori; » et Lucæ VII, 2, δοῦλος ἤμελλε τελευτᾶν, « servus erat moriturus. »

Qui confunderentur. Vetus cod. simpliciter habet, « confunderent confessionem ejus. » Atque ita fere legit Tertullianus: « Salvus sum, ait, si non con-

[46] Lib. de resur. carn., cap. 8. [47] Catech. 17. [48] Ephes. I, 13. [49] L. VI de Gen., c. 24 et 27. [50] Lib. XIII de Trinit., cap. 14.

Digitized by Google

fundar de Domino meo. Qui me (inquit) confusus fuerit, et ego ejus [49], » etc.

Ut etiam martyres spernant. Observa quam graviter priorum Gnosticorum temeritatem damnet, qui præ se nihilo faciebant beatissimos martyres, qui Christianæ pietatis ergo tot labores subierant. Quid ergo dixisset, si posteriorum Gnosticorum censuras, cachinnos, sacrilegia et sævitias vidisset; quibus illorum scripta damnant, pietatem exsibilant, memorias diruunt, et venerandas reliquias, effossis sepulcris, ignibus, cloacis, vel feris tradunt; pientissima scripta, aut damnant, aut lacerant, aut corrumpunt; miracula dæmonum præstigiis tribuunt; studiosa exercitia, periculosas superstitiones vocant; exempla, disciplinam, et doctrinam, idololatriæ seminaria, et Antichristi notas appellant; necnon damnatos esse omnes, si ab istis ante supremam horam non resipuerint, non verentur vociferari et scribere?

Et ne videar hæc illis gratis affingere, ecce ab aliquot discipulis Lutheri, novissimorum Gnosticorum parentis, collecta et publicata tam diversa, quam adversa et perversa illius de cunctis fere Patribus, martyribus et antiquis Ecclesiæ catholicæ doctoribus judicia : « Dionysius multa garrit de nominibus divinis, de cœlesti et Eccles. hierarchia. Ita eum appellaverunt Diviniloquum : sed sunt mera somnia, nec fuit Pauli discipulus, nec martyr. Tertullianus horridus, ferus, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi. Cyprianus est infirmus theologus. Cypriani et Tertulliani ætate cœpit degenerare Ecclesia. Origenem jampridem excommunicavi. In toto Origene non est unum verbum de **134** Christo. In Athanasio nihil singulare fuit. Basilius nihil plane valet. Totus est monachus. Illum ne pili quidem facio. Nazianzenus in sua poesi versatus, nihil sincere de Deo scripsit. Hieronymus inter Ecclesiæ doctores censeri non debet : fuit enim hæreticus. Homo fuit nullius judicii aut diligentiæ. Multa impie scribit. Ea fuit oscitantia et hebetudo ejus in Scripturis intelligendis, more suo Judaicas cæcitates pro historico sensu, deinde suas ineptias pro allegoria obtrudit. De fide, veraque religione et doctrina, ne verbum quidem in ipsius scriptis exstat. Nullum inter Patres scio, cui ita sim inimicus, atque Hieronymo. Nihil enim scribit nisi de jejunio, de delectu ciborum, et de virginitate. Multi libri Augustini nihil sunt. Chrysostomum nullo loco habeo, nihil est nisi loquaculus. Nihil prope scribit, quod purum sit. Libri ejus nihil aliud sunt, quam chaos, et saccus plenus verborum, ubi nihil est in recessu. Gregorii conciones ne teruncium quidem valent. Diabolus eum in dialogo suo crasse decepit [50], » etc. Obsecro, quis tam patiens ac mitis, cui tam diabolica maledicta et infernalia probra in sanctos Dei servos jacta, stomachum non moverent? Quis tantas calumnias, tetrasque injurias in sanctissima sanctissimi Spiritus Dei organa, vivaque instrumenta, æquo animo ferret? Quis non ab ipsomet Satana, quem sibi frequenter locutum esse Lutherus gloriatur et scribit, in pectore oreque Lutheri immissas pro certo sibi persuadebit? O si adhuc hic nobiscum versaretur B. martyr Irenæus, quam jure, quam merito Lutherum cum Marcione, appellaret os diaboli! Quoties, si hæc nobiscum sanctissimus Polycarpus audiret, cum gemitibus suum illud ingeminaret : « O Deus bone, in quænam servasti me tempora, ut isthæc blasphema sustineam? » Sed aderit procul dubio, aderit brevi tempore Christus judex vivorum et mortuorum, qui et sanctorum servorum suorum gloriam vindicabit, et hæresiarcharum ora blasphema sempiternis ignibus obturabit.

Et substent omnia. Billius legendum putat, « substant; » quod verbum quidem barbarum est, sed de Græco ὑφίστανται, id est *sustinent*, expressum. Quæ autem sequuntur, « quos et concedimus ipsis martyribus, » mendum plane olere : sed quod citra melioris exemplaris opem deleri nequeat.

Pag. 211. *Si enim non vere passus.* Hunc errorem ante Irenæum refellit passim in epistolis Ignatius : postea omnium acerrime Tertullianus tote libro *De carne Christi* ; et in calce libri IV *Contra Marcionem.*

Hærere itaque fecit. Adorandum mysterium de duabus in Christo conjunctis naturis, illiusque causas, hoc loco erudite describit ; quod et Justinus martyr non minus eleganter quam acute præstiterat lib. *De confessione fidei et Trinit.* Isthæc nominatim ex Irenæo desumit Theodoretus dialogo 2, usque ad illud : « qua enim ratione filiorum adoptionis, » etc.

Esset. Delevimus « esse. »

In carne natum. Expunximus « incarnatum. »

Non enim Spiritu. Tres has voces adjecimus.

Qui inciperet occidere. Id est qui peccatum occisurus et omnino deleturus erat.

Sic igitur. Excusi codices, « si igitur. »

Antiquam. Ita pro « antequam, » veteris cod. auct. restituimus.

Ex Joan. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 20.

Pag. 209. *Christum Jesum crucifixum.* Ἰησοῦν in nostris N. Testam. codd. non legimus ; unde et hæc verba Irenæum memoriter citasse dicerem, nisi Clemens Alex. quoque lib. I *Strom.* pag. 313, cum hac additione illa allegasset.

Propheta. Nec nomen, neque locum prophetæ indicarunt Irenæi editores. Est autem Jeremiæ cap. XVII, vers. 9, ubi LXX habent : καὶ ἄνθρωπός ἐστι καὶ τίς γνώσεται αὐτόν; legentes nempe אנוש non אנש, uti modo Masoreticus codex habet. Ad Christum autem hæc verba applicarunt prisci Patres, inde probantes, « quod homo sit Dominus atque Salvator, secundum dispensationem carnis assumptæ, » teste Hieronymo in *Comment.* ad hunc locum, et animadvertente, « id bono voto eos, sed non secundum scientiam fecisse. » Atqui post Irenæum nostrum ita fecerunt Tertullianus lib. *Contra Judæos*, cap. 14, lib. *De carne Christi*, cap. 15, lib. III *Contra Marcionem*, cap. 7, et Cyprianus lib. II *Testim. contra Judæos*, cap. 10.

Pag. 110. *Servare eas, quæ ad eum essent, confessiones.* Id est « observare, » ne eum coram hominibus negent.

Concedimus. Id est « committimus, » uti lib. II, cap. 49, et alibi. Explicat autem Irenæus semetipsum, dum addit, Christum hanc S. martyribus illatam injuriam vindicaturum, quando una cum illis secundo venerit ad gloriam ; ubi non solum ipse, sed et hi sedebunt judicaturi mundum, juxta Apocal. XX, 4. Quem sensum, cum non assequeretur Billius, textum corruptum esse frustra suspicatus est, lib. II *Observat. sacr.*, cap. 5.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 21.

Pag. 212. *Rursus autem.* Carpocratem et asseclas oppugnat hoc loco ; uberius autem infra cap. 27, 28, 29, 30, 31, quorum hæreses descripserat lib. I, cap. 24. Adversus hanc hæresim nominatim confligit Justinus martyr in *Dialogo*, et postea Tertull., Epiph., Theodoretus.

Contendit autem hoc capite Irenæus, illos nec peccatorum remissionem, nec adoptionem filiorum Dei, imo nec jus beatæ resurrectionis assequi, qui Christum filium Joseph constituunt. Duplex igitur in eo agnoscenda et profitenda est nativitas, duplex natura, et substantia in unitate personæ.

Observandum quoque non modo Irenæi, sed et omnium theologorum sententiam esse, purum nudumque hominem non potuisse redemptionis humanæ officium adimplere ; sed necesse fuisse, ut id

[49] Lib. de carne Christi. [50] Pet. Rebenstock lib. Colloq.; Aurifaber I. Colloq. mensalium Lutheri.

Digitized by Google

Deus simul et homo perficeret. » Nullatenus, » inquit Fulgentius [81], « humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi unione Verbi Dei. » Et August. cap. 108 *Enchir.*: « Neque per ipsum liberaremur mediatorem hominum Christum, nisi esset Deus. » Ambrosius quoque in caput IX ad Hæbreos ait: « Tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non possemus aliquando, nisi unigenitus Filius Dei moreretur pro nobis. » Et Basilius in psal. XLVIII: « Non homo nudus, sed homo Deus Jesus Christus nos redemit: quia nullus alius poterat condignum afferre pretium. » Plura istiusmodi testimonia comperiet studiosus lector apud Chrysostomum hom. 10 in Joan.; Cyrillum Alexand. lib. V *Thesauri*, cap. 7. et lib. I *De fide ad reginas;* Cyrillum Jerosolym. catechesi 13; Damascenum lib. III *De fide*, c. 15 et 19; Leonem papam epist. 13, 81 et 95; serm. 1, 4, et 10 de Nativitate, serm. 7 et 8, de Epiphania; et serm. 1 et 12 de Passione Domini; Anselmum denique duobus libris *Cur Deus homo.*

Commistum Verbum. Id est ex Virgine reipsa incarnatum: aut « commisti Verbo, » si vet. cod. lectio placet, id est fide, spe et charitate, necdum Christo adhærentes. Mox « percipientes, » pro « perficientes » restituimus, auct. vet. cod.

Manumiserit. Ἐλευθερώσῃ, id est soluto miserrimæ omnium captivitatis jugo, in libertatem filiorum Dei asseruerit. Ut enim mancipium dicitur Augustino [82], qui manu captus, belli jure occidi poterat; sic manumissus, cui libertatis copia fiebat, certis ritibus et verbis istis: « Hunc hominem liberum esse volo. »

Ego dixi: Dii estis. Hæc Theodoretus dialogo 1, ex Irenæo citat usque ad illud: « Non enim poteramus, » etc. Ejus porro auctoritate, et veteris cod. consensu mox pro « Verbum Dei, Verbi Dei » reposuimus.

Commistus Verbo Dei. Tres has voces Theodoretus desiderat, indeque forsan alicui viderentur aliunde invectæ, nisi codices omnes constanter illas servarent, et non raro infra iisdem verbis uteretur lib. IV, cap. 37. Iis autem perfectam illam unitionem divinæ et humanæ naturæ in Christo, tanto studio docere et explicare studet, ut verbis aduniendi, adhærendi, conjungendi, couniendi, assumendi, et communicandi, quibus superiori capite usus est, non contentus: nunc et commistionis vocem usurpet, sed ad superiorum significationem. Ne quis vero hac phrasi offendatur, quasi confusionem quamdam naturarum in Domino nostro Irenæus induceret, animadvertat et bene sentientes alios Patres ab ea non abhorruisse. Dionysius Areopag.: « Jesus simplex ex carne humilitatis nostræ ineffabiliter compositus est. » Tertullianus lib. II *Contra Marcionem:* « Miscentem in seipso hominem et Deum; » et cap. 12 *Apologet.*: « Nascitur homo, Deo mistus. » Cyprianus, tractatu *De vanitate idolorum:* « Deus cum homine miscetur. » Vigilius martyr lib. I *Contra Eutychen:* « Filius Dei ostendere voluit nostri generis naturam per commistionis individuam unitatem. » Augustinus IV *De Trinit.*, cap. 20: « Verbo Dei, ad unitatem personæ quodammodo commistus est homo. » Alios multo plures prætereo, quos legendo notes licet.

Ut adoptionem percipiens. Erasmus præfatione in hos libros, existimavit hunc locum prudenter legendum, propterea quod Christum juxta conditionem humanam adoptivum esse Filium Dei videatur asserere Ireu. Et certe hanc **135** sententiam in Elipando Toletanæ sedis episcopo, aliquot postea sæculis damnaverunt Paulus Aquilegiensis, Adrianus papa, et synodus Francofordiensis, ad quam, imperante Carolo Magno, ex Gallia, Germania, Italia episcopi circiter trecenti convenerant. Elipandus A cum asseclis, libello edito volebat Hilarium, Hieronymum, Augustinum, deinde Eugenium, Hildefonsum, et Julianum Toletanos olim antistites, a suis partibus stetisse: verum, Patrum illorum sententias partim depravasse, partim fictitias supposuisse convictus fuit; et ejus error, sanctarum Scripturarum, et gravissimorum theologorum Athanasii, Nazianzeni, Cyrilli, Hilarii, Hieronymi, Augustini, Ambrosii, Isidori, Paschasii, ibidem adductis sententiis, quibus pernegant Christum ullo pacto adoptatum Filium dicendum esse, penitus oppressus.

Superest ergo ut hic aut voce adoptionis, quam usurpat Irenæus, eam gratiam, donum, beneficiumve intelligamus, quibus in unitatem personæ, sine ullis suis præcedentibus meritis, humanam nostram naturam ex Virgine Filius Dei assumpsit. Hoc fusius tibi explicabunt post Augustinum lib. *Contra Secundinum*, cap. 5, Petrus Lombardus lib. III *Sent.*, dist. 10, et quotquot quæstionibus suis eum locum illustrarunt patres scholastici. Aut, quod acutis et doctis viris B longe rectius videtur, illa Irenæi verba non ad ipsum Christum, sed ad cœtum piorum hominum referenda sunt, quos passionis, sanguinis et mortis suæ beneficio atque efficacitate in adoptionem filiorum Dei misericorditer assumpserit. Istud enim confirmant hæc Irenæi verba: « Filius Dei factus est homo, ut homo, percipiens adoptionem, fiat filius Dei. » Et paulo superius: « Ad eos dicit, qui non recipiunt munus adoptionis. » Spectans igitur B. martyr hæc apostolorum verba: « Dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus [83]; Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei [84]; » de nostra in Christo et per Christum adoptione loquitur.

Possemus. Sex voces has inseruimus, erasimus vero « possimus, nisi » veteris cod. auct.

Propter hoc. Expunximus « quod per hoc: » et non ita multum post, « aut » pro « ut » reposuimus auct. vet. cod.

Sicut enim homo erat. Theodoretus in dialogo 3 C hæc ex Irenæo transcribit usque ad illud: « Hic igitur Filius Dei, » etc., quæ supra Græce et Latine adjecimus.

Requiescente quidem Verbo. Apertissime docet divinæ naturæ nihil doloris in illa Dominica perpessione illatum, quippe quæ mutationum universarum expers, his subjici non potest. Hoc idem multis scripturis confirmat concilium Hispalense, actione 13, et clarissimis exemplis illustrat Euseb. lib. IV *Demonstr. evang.*, cap. 13.

Ejusdem adnotationes in cap. 23.

Pag. 213. *Magnanimus.* Vet. cod. « magnanimis. » Sic vocem Græcam μακρόθυμος, puto reddidisse interpretem, quam alii « patientem et longanimem » redderent. Irenæum porro imitantur Tertullianus lib. *De patientia*, Cypr. *De oratione Dominica*, eadem voce utentes.

Ostendit autem hoc capite Irenæus, Deum ex D lapsu hominis huic mundo patefecisse, quam sit patiens, benignus, misericors, et potens ad salvandum. Hoc ipsum etiam Jonæ exemplo comprobat: atque idcirco gravissimam esse hominum ingratitudinem, si tantum beneficium pro dignitate non agnoverint et suspexerint, etc. « Verbum » autem fere semper masculino genere effert, attendens Græcam vocem λόγος, quæ masculina est.

Ninivitis. Ita vet. cod., excusi « inimicis. »

Conterritos ab eo signo. Indicat Jonam prædicasse Ninivitis mira, quæ sibi in mari, in ceto, et in terra contigerant; quod etiam quibusdam Hebræorum interpretibus placet, uti nostris in eam prophetiam *Commentariis* signavimus.

Ut insperabilem. Ita et capitis initio, « glorificaret Deum, qui insperabilem salutem ei donasset. » Expunximus ergo « inseparabilem. »

[81] L. de incarn. et grat., c. 4. [82] Lib. XIX de civit. Dei, cap. 15. [83] Joan. I, 12. [84] Rom. VIII, 23.

Digitized by Google

Ingratus enim. Vet. cod. : «Ingratum enim magis eum hoc, etc., et dilectionem, quam habebat Deus in hominem, offuscabat sensum suum, » etc.

Cognoscat autem. Delevimus «cognoscant,» auct. vet. cod.

Pag. 214. *Factus est.* Vertendum erat, « factum est, » propter antecedens « Verbum, » nisi λόγος masculinam vocem respexisset interpres: quod et alibi frequenter facit. Paulo post, « assueaceret, » ponitur pro, « assuefaceret. »

Non habebant salvari. Græce οὐκ εἶχον σωθῆναι, non poterant salvari; ut ἔχω λέγειν, possum dicere.

Ejusdem adnotationes in cap. 23.

Pag. 214. *Rursus, quoniam neque homo.* Oportuit Salvatorem mundi esse verum hominem, qui pro nobis pateretur et moreretur; item et Deum, qui peccata remitteret atque salvaret a morte.

Sine carne. Angelis corpora propria tribuunt multi ant quorum, ut ex Justino, Tatiano, Tertulliano, Cypriano, Origene, et plerisque aliis apertum est. Alii vero ut Dionysius, Cyrillus, Theodoretus, Damascenus, volunt illos omnino incorporeos, et non materiatos esse; quibus accedere videtur hoc loco Irenæus, licet cap. 70 lib. IV aliud indicare videatur. Ignatius item, *Epist. ad Trallianos*, vocat angelos « incorporeas creaturas. » Basil. hom. *Quod Deus non est auctor malorum*, cacodæmonis naturam ait esse incorpoream. Nazianzen. orat. 2 de theologia, de angelorum natura scribit: « Ne hanc quidem, tametsi corporis expertem, incorporeo modo cernere possumus. » Greg. Nyssenus lib. *De vita Moysis*, censet angelos natura incorporeos. Epiphanius contra hæres. 26, appellat dæmonem spiritum incorporeum. Chrysostomus homil. 22, in Genes. affirmat impossibile esse incorpoream angelorum naturam concupiscentia carnis teneri. Hieronymus denique, epist. ad Avitum, in erroribus ponit Origenis, quod dixerit dæmones ob delicta sua aeriis corporibus vestiri.

Neque senior. Sententia est Isa. LXIII juxta tralationem LXX; quæ iisdem fere verbis citatur quoque a Cypriano lib. II *Adversus Judæos*, cap. 7.

Isaias ait: Et commemoratus est. Non dubito nomen Isaiæ pro nomine Jeremiæ in hunc locum irrepsisse, quoniam dixisset ut paulo antea: « Et Isaias rursus; » insuper, lib. VI, cap. 39, hunc eumdem locum ascribit Jeremiæ; lib. item V, cap. 31, eumdem locum, paulo licet aliter citans, Isaiæ non meminit. Sed et Justinus martyr in *Dialogo*, velut ex Jeremia locum allegat. Scribit porro, Judæos odio Christianorum sententiam istam, plutesque alias e sacris Bibliis sustulisse. Et revera hic locus nec apud LXX, nec apud Vulgatam lectionem Latinam nunc occurrit.

Deus ab Africo veniet. Sic cum Irenæo legit Novatianus lib. *De Trin.* cap. 12, apud Tertull., idque ex editione Theodotionis, quem testatur Hieronymus vertisse: « Deus ab Austro veniet, et Sanctus de monte Pharan [88], » ut nunc legit editio Latina Vulgata. Docet idem Hieronymus Pharan locum esse vicinum monti Sina, et Bethlehem sitam esse ad Austrum, in qua natus est Salvator. Montes autem Ephraim sive Effrem, urbi Jerusalem non sunt ad austrum, sed ad septentrionem. Ideo hic melius legi videretur, « de monte Pharan, » quam, « Effrem. » Novatianus habet, « de monte umbroso. »

Cooperuit cælum. Hæc nova est lectio ex variis translationibus concinnata, et ferme ei similis, quam in iisdem sententiis usurpat Cyprian. lib. III *Adv. Judæos*, cap. 21, quod prudenter animadvertit diligentissimus et doctissimus ejus scholiastes Pamelius.

Pag. 215. *Deus igitur homo factus est.* Euseb. lib. V *Hist.*, cap. 8, hæc nominatim ex Irenæo transcribit, quæ Græce et Latine insequenti capite adjicientur.

Ejusdem adnotationes in cap. 24.

Pag. 215. *Non ergo vera est quorumdam interpretatio.* Judæos hujus pravæ interpretationis auctores una cum Ebionitis, Theodotione et Aquila intelligit: quibus Tryphonem et Carpocratem Justinus adjungit; Symmachum ex Samaritano proselytum et circumcisum, Eusebius et Epiphanius. Et de illis quidem nihil mirum, cum vel Christum nunquam susceperint, vel susceptum semel penitus postea abnegarint. At, nostra tempestate, in ipso Christianarum regionum meditullio, quosdam, qui se gloriæ Christi omnium maximos et sincerissimos assertores venditarunt, exstitisse qui Judaicam et Gnosticam hanc impietatem, tanto martyrum sanguine exstinctam, ab Orco revocarent, apud posteros fidem vix inveniet. Calvinum intelligo, qui Judæis de nomine עַלְמָה *Haalmah*, concedit, quod postulant, videlicet de adolescentula viro cognita intelligendum: Œcolampadium Judaice et Gnostice transferentem: « Ecce, adolescentula illa prægnans, et pariens filium; » atque impurum Castalionem communi voce ad corruptam et incorruptam interpretantem: « Ecce, puella prægnans filium pariet; » quos omnes sequentibus rationibus coarguemus.

1. Tribus diversis vocabulis Hebræi eamdem fere rem **136** significant, נַעֲרָה, *naarah* adolescentulam, sed tam virginem, quam corruptam: בְּתוּלָה *bethulah*, virginem duntaxat designant, sive anus decrepita, sive adolescentula fuerit; עַלְמָה, *haalmah*, quo matrem Messiæ hoc loco vocat propheta, solummodo adolescentulam virginem, eamque cum ἐπιτάσει intactam, hominibus absconditam et occultam, ut ipsum etymon indicat.

2. Deinde tribus tantum locis in sacris Hebræorum litteris, הָעַלְמָה, *haalmah*, cum littera seu articulo ה, *he*, invenitur: Genes. XXIV, 13, cum de Rebecca dicitur: « Ecce, sto juxta fontem aquæ, et erit haalmah, » id est virgo « egrediens ad hauriendum, » etc.; secundo, Exod. II, 8, cum de Maria sorore Moysis scribitur: « Et perrexit haalmah, » id est virgo, « et vocavit matrem infantis; » tertio demum apud Isaiam hoc in loco: « Ecce haalmah. » Si igitur duæ priores hoc nomine vocantur, quod intactæ, absconditæ, et viris non cognitæ essent, procul dubio et tertia hæc, de qua agitur.

3. Accedit, quod Septuaginta seniores illi, genere et conversatione Hebræi, Hebraicæ et Græcæ linguæ peritia clari in primis, pro *haalmah* (ut cum Irenæo Justinus martyr, Hieronymusque prudenter observant), hoc loco transtulerunt ἡ παρθένος, quod omnibus, circa controversiam, virginem significat: et non ἡ νεᾶνις, quod adolescentulam, nec παιδίσκη, quod puellam simpliciter denotat.

4. Nec parum partes nostras confirmat Jonathan Usielis filius, paraphrastes Chaldæus, vir inter Hebræos summi nominis et auctoritatis, qui locum hunc reddidit, « Ecce virgo. » Consentit etiam Evangelium Matthæi Syriaca lingua, id est Hebraica, dialecto vulgari primo scriptum, Isaiæ locum ita reddens: « Ecce enim virgo. » Lingua quoque Punica, quæ profecto Arabica est, *haalmah* proprie virgo appellatur: ut non sine mysterio, totius mundi Redemptoris genitricis integritas omnium linguis celebretur.

5. Demum, ut quod tanquam inexpugnabile munimentum ja hac re æstimarunt cum Irenæo, Justinus, Tertullianus, Basilius, Cyrillus, Chrysostomus, Hieronymus, non omittam; insigne prodigium, miraculum retro actis sæculis inauditum, signumque non vulgare, sed Deo dignum, ac, ut Tertulliani verbis utar, « monstruosam aliquam novitatem, divinus vates Judæis pollicebatur; cujus nullam prorsus rationem habet juvenculæ desponsatæ quotidia-

[88] Habac. III, 3.

Digitized by Google

nus prægnatus et partus. » Cæterum partem hujus capitis in suam *Historiam* transtulit Euseb., lib. v cap. 8, ut supra adjecimus.

Theodotion. Hunc circa secundi Commodi imperium agnitum Epiphanius scribit; Nauclerus, Bergomas, Sabellicus et Platina sectatorem Tatiani, antequam in hæresim incideret, initio constituunt. Marcionis furores deinde insecutum tradit Epiphanius, sed postremo infensum et ipsum illius hæresi, ad Judæos declinasse; detractoque præputio, eorum linguæ, deinde et privatæ Bibliorum interpretationi dedisse operam. Ebionæum appellat eumdem Eusebius lib. III *Hist.*, cap. 8. Quem secutus Hieronymus[56] inter hæreticos judaizantes annumerat, illumque multa mysteria Salvatoris, subdola interpretatione celasse prodit. Refert in catalogum hæreticorum Aug., quod Christum solummodo hominem dixerit.

Aquila. Hic duodecimo Adriani anno ab Ecclesia proscriptus fuit; quod, auctore Epiphanio[57], astrologicis impensius quam Christianum decebat addictus esset. Ignominiam hanc impotenti animo ferens, abnegato Christo, factusque proselytus, circumcidi se passus est, atque inde contentioso studio, linguam Hebræam didicit, et primus post Septuaginta, qui ante eum quadringentis et triginta annis apud Ptolemæum regem sacra Biblia traduxerant, interpretari et ipse tentavit, et in Christianorum odium ex recepta lectione multa pervertit et corrupit; quale est hoc, quod adducit Irenæus. Idem exemplum ex Irenæo nominatim recitat Euseb. lib. v *Hist.*, cap. 8, additque hanc interpretationem ansam sui erroris præbuisse Ebionitis. Hunc Aquilam diligentem et curiosum interpretem alicubi vocat Hieronymus, alibi vero contentiosum appellat, nec verba solum, sed etymologias quoque verborum transferre conatum, atque ita jure rejiciendum[58].

Suas ipsi comburere Scripturas. Tanto odio Christiani nominis Judæos flagrasse scribit Justinus martyr[59], ut ex sacris Bibliis plurima deleverint, quibus Christum crucifixum, Deum verum et hominem esse, unicumque orbis redemptorem, et Messiam promissum, adeo diserte docebatur, ut ea nullis glossematibus possent alio detorquere, qualia sunt quæ ibidem subnectit de Esdra, Jeremia, et psalm. xcv, e cujus versu decimo deleverunt « a ligno, » cum prius esset: « Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit a ligno. »

Reliquas omnes gentes. Tres has voces ex vet. cod. adjecimus, expungendo « reliquos omnes. »

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 24.

Pag. 215. *Τολμώντων μεθερμηνεύειν.* Eamdem audaciam notat Justinus M. in *Dial. cum Tryphone* p. 262, his verbis: Ὑμεῖς καὶ οἱ διδάσκαλοι ὑμῶν τολμᾶτε λέγειν, μηδὲ εἰρῆσθαι ἐν τῇ προφητείᾳ τοῦ Ἡσαΐου, *Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει, ἀλλ' Ἰδοὺ ἡ νεᾶνις ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ τέξεται υἱόν.* Confer ibid. pag. 310.

Θεοδοτίων. Crassus est error Feuardentii, Theodotionem, cujus hoc Irenæi loco mentio fit, confundentis cum Theodotione Augustini, qui idem est cum Theodoto hæretico, de quo Epiphan. hæres. 54, et Euseb. lib. v *Hist.*, cap. 28.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 25.

Pag. 215. *Prius enim quam Romani.* Ab hoc Ptolemæo, usque ad obsidionem primam Jerosolymorum ab exercitu Romano, duce Pompeio, olympiadas 54, quæ annos 156 efficiunt, numerat Euseb. in *Chron.*

Regnum suum. Vet. cod., « regnum Dei, » id est terram toties beatorum patriarcharum posteritati promissam. Eusebius habet[60]: « Antequam Romani summum totius orbis obtinerent imperium, » etc., usque ad illud: « Cum tanta igitur veritate, » etc. Ejus porro auctoritate, et consensu vet. cod., « ornare, » pro « compleri; » — « Jerosolymitis, » pro « Jerosolymis; » — « obediebant enim, » pro « qui obaudiebant, » restituimus et immutavimus.

Ptolemæus Lagi filius. Tertull.[61] hunc Philadelphum cognominat, simulque appellat Ptolemæorum eruditissimum. Epiphanius notat hoc factum fuisse anno regni ejus decimo septimo: etenim Nicephorus Constantinop. eum 38 annis imperasse scribit in *Chronologia.*

Omnium hominum. Josephus 50,000 voluminum eam bibliothecam habuisse scribit, l. XII *Antiq.*, c. 2, ubi et totam historiam accurate persequitur. Aristæas apud Eusebium lib. VIII *De præparatione evangelica*, cap 1, refert Demetrium Phalereum bibliothecæ præfectum regium interrogatum a rege, quot jam libri in bibliothecis essent, respondisse: « Plures quam ducenta millia, sed brevi tempore non fore pauciores quingentis millibus. »

Septuaginta seniores. Non defuerunt qui litem moverint de horum numero, dicentes tantum septuaginta fuisse, non septuaginta duo, propterea quod ita recenseantur, tum ab Irenæo, tum a plurimis aliis auctoribus. Verum, attendant velim illud brevitatis causa fieri, quemadmodum septuaginta duo discipuli, præter apostolos, a Christo missi, communius septuaginta dicuntur: cum tamen ex Evangelio, Augustini et Bedæ interpretatione, ac Epiphanio hos nominatim recensente, Clementis denique, qui horum partem vidit, *Constitutionum apost.* lib. II, cap. 59, vere septuaginta et duo fuisse extra omnem dubitationem sit. Ad hæc, cum Eleazarus tum summus Jerosolymorum pontifex, ex qualibet gentis suæ tribu, sex viros ad hoc elegerit ac miserit, senarius autem numerus duodecies multiplicatus, septuaginta duo conficiat, certus est septuaginta et duorum interpretum numerus. Aristæas denique ejusdem Ptolemæi a secretis, tot se vidisse, admisisse, fovisse scriptis testatur: quinetiam singulorum nomina per tribus suas ita perscribit. « Ex tribu Juda, inquit, Joseph, Ezechias, Zacharias, Joannes, Ezechias, Eliseus. Ex tribu Ruben, Judas, Simon, Samuel, Adeus, Mathias, Eschemias. Ex tribu Gad, Nehemias, Joseph, Theodosius, Baseas, Ornias, Datis. Ex tribu Aser, Jonathas, Auxeas, Eliseus, Ananias, Chabrias, Sachus. Ex tribu Nephtalim, Isaac, Jacob, Jesus, Gabareus, Simon, Levi. Ex tribu Manasse, Judas, Joseph, Simon, Zacharias, Joannes, Jonathas. Ex tribu Simeon, Sabatheus, Jason, Jesus, Theodorus, Jonas, Jonathan. Ex tribu Levi, Theodosius, Jason, Jesus, Theodorus, Jonas, Jonathas. Ex tribu Issachar, Theophilus, Abraham, Arsamis, Endemias, Daniel, Some. Ex tribu Zabulon, Jeremias, Eleazar, Zacharias, Baneas, Eliseus, Datheus. Ex tribu Ephraim, Samuel, Josephus, Judas, Joathes, Chabel, Dositheus. Ex tribu Benjamin, Israel, Joannes, Theodosius, Arsamenes, Abietas, Ezecel. » Et de his hactenus.

Sunt quoque etiam hoc sæculo, qui contendunt eos tantummodo legem, id est quinque libros Moysis, ex Hebræis Græcos fecisse; istudque sensisse putant Aristæam, Josephum, et quosdam Talmudicos. Falluntur porro quoniam **137** hi nomine legis universam Veteris Testamenti Scripturam intelligunt, sicut et Christus Dominus noster de ea loquitur, Joannis x, 34, et xv, 25. Præterea Philo ac Epiphanius, hujus rei diligentissimi indagatores, diserte testantur universum Vetus Testamentum, quod apud Judæos 22 sacris libris servabatur, ab his in linguam Græcam translatum esse. Neque est verisimile regem omnium librorum tam avidum et curiosum, tot reliquorum clarissimorum prophetarum libros neglexisse, solis quinque unius Moysis contentum. Postremo, cum nulli ab his LXXII

[56] Præf. in Job. [57] Lib. de Pond. [58] Comm. in c. II Ose. et epist. ad Pammachium. [59] In Dialog. [60] Lib. v Hist. [61] Apol. c. 18.

Digitized by Google

reperiantur Veteris Testamenti interpretes, usque ad Aquilam, qui sub Adriano imperatore vixit : et ante hunc apostoli, aliique apostolici viri, alios a Moyse prophetas, tanquam ex Græca tralatione citent frequentissime; non est profecto dubitandum, universum Vetus Testamentum ab illis LXXII Græco sermone donatum esse.

Neque prætermittendum, tantam olim fuisse hujus translationis LXXII, etiam inter Judæos auctoritatem, ut, Philone teste, plurimi eorum singulis annis in insulam Pharum trajicerent, et celebri solemnitate locum honorarent, in quo primum edita esset tam mirabilis legis divinæ interpretatio. Ideo et in horum calendario, die octava mensis Tebet, id est Decembris, signatur jejunium : quod illo die lex in Græcum versa sit tempore Ptolemæi regis, et tenebræ, ut aiunt, triduo totum mundum occupaverint.

Denique prisci Ecclesiæ doctores, Justinus, Tertull., Epiphanius, Augustinus, una cum Irenæo, nihil dubitarunt affirmare hos LXXII seniores Spiritu prophetico hac in re instructos atque munitos fuisse, quando tam stupendo miraculo omnes in easdem dictiones, periodos, et sententias convenerint, oracula obscuriora de Christo tam apte expresserint, et ab apostolis, tota demum prisca Ecclesia Christiana admissi probatique fuerint. Tametsi non diffiteamur, tam vetustate, quam exscribentium plurimorum oscitantia vel ignorantia, multis in locis illorum interpretationem postea vitiatam esse, adeo ut a Luciano, Hesychio, Origene, dein beato Hieronymo exinde emendanda fuerit. Divina tandem Providentia, et doctissimorum virorum nunquam satis laudandis laboribus, novissime correctam, auctoritateque Ecclesiæ Romanæ probatam, et excusam, in lucem gratulantur pii omnes hoc tempore exivisse. Atque hæc pro loco sufficiant.

Separans eos ab invicem. Justinus martyr scribit[62], septuaginta cellularum vestigia, in quibus separatim transtulerunt, Alexandriæ sese conspexisse, a quo non dissentiunt Cyrillus Jeros. catechesi 4, Tertullianus cap. 19 *Apolog.*; Eusebius lib. VIII *De præparat. evangel.*, cap. 1; Hilarius, Chrysostomus, Theodoretus, Augustinus II *De doctrina Christ.*, cap. 15, et lib. XVIII *De civitate*, cap. 42. Quin et prophetico, id est divino Spiritu præditos fuisse hos interpretes, non dubitat idem Augustinus XV *De civitate*, capite 14, et lib. XVIII, capite 43 : licet interdum, Hebraicæ veritatis amore, sit illis infestior Hieronymus.

Pag. 216. *Restituere populo eum legem.* Magno consensu antiquissimi scriptores hanc sententiam suis calculis probant, velut Basilius epist. ad Chilonem, Clemens lib. I *Strom.*, Hieronymus lib. *Adv. Helvidium*, Isidorus lib. VI *Etymol.* Sed unius Tertulliani verba hic adnotasse sufficiet : « Jerosolymis, ait, Babylonica expugnatione deletis, omne instrumentum Judaicæ litteraturæ per Esdram constat restauratum, » lib. *De habitu muliebri*, cap. 3.

Circa primum. Subscribit Tertull. lib. *Contra Judæos*; Euseb. in *Histor.* et *Chronico*, anno 42, quem sequitur Epiph. contra hæres. 78. Ptolemæus ergo trecentis plus minus annis hoc tempus præcesserat.

Et Matthæus. Hieronymus veritati Hebraicæ impense devotus, subinonet, Matthæum aliquando non sequi LXX translatorum auctoritatem, sed Hebraicam, ut illa duo : « Ex Ægypto vocavi filium meum[63]; » et « Nazaræus vocabitur[64], » indicant; libro *De viris illustr.*, et *Comment.* in II cap. Matth.

Ex Jo. Er. Grabii adnotationibus in cap. 25.

Pag. 215. *Πτολεμαῖος ὁ Λάγου.* Clemens Alex., lib. I *Strom.*, pag. 341 seq., hanc Irenæi de LXX interpretibus historiam recitaturus, istud sententiarum divortium prius memorat : Ἑρμηνευθῆναι τὰς Γραφὰς, φάς τε τοῦ νόμου, καὶ τὰς προφητικὰς, ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων διαλέκτου εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶτταν φασὶν ἐπὶ βασιλέως Πτολεμαίου τοῦ Λάγου· ἢ, ὥς τινες, ἐπὶ τοῦ Φιλαδέλφου ἐπικληθέντος, τὴν μεγίστην φιλοτιμίαν εἰς τοῦτο προσενεγκαμένου Δημητρίου τοῦ Φαληρέως, καὶ τὰ περὶ τὴν ἑρμηνείαν ἀκριβῶς πραγματευσαμένου. « Versas autem esse Scripturas, et legis, et prophetarum, ex Hebræo sermone in linguam Græcam aiunt tempore Ptolemæi Lagi filii; aut, ut dicunt nonnulli, tempore ejus qui fuit cognominatus Philadelphus, cum maximam ad eam rem contulisset diligentiam Demetrius Phalereus, et, ut verterentur, vehementer procurasset. » Posterioris sententiæ auctor fuisse videtur sive genuinus, sive spurius, uti videtur, Aristæas; sectatores Philo Judæus lib. II *De vita Moysis*, pag. 658; Josephus l. XII *Antiq. Jud.*, cap. 2; Tertullianus in *Apologetico*, cap. 18, ad Aristæ historiam provocans, ac alii Patres recentiores. Sed Irenæus alterum, nescio quem, auctorem secutus, Ptolemæo Lagi id tribuit, quod illi Philadelpho. De Justino martyre res est incerta, siquidem is Ptolemæum sine addito nominat; ac quamvis in *Paræneși ad Græcos*, pag. 14, Philonem ac Josephum alleget, addit tamen « et alios, » tacitis licet eorum nominibus : ex quibus procul dubio hausit, quod de duplici legatione ipse solus memorat *Apol.* 2, pag. 72. Utrum igitur quoad auctorem legationis cum Philone et Josepho, an cum aliis senserit, dubium manet. Forte autem istud sententiarum divortium exinde natum est, quod legatio ad Judæos acquirendorum sacrorum librorum causa isto facta sit tempore, quo Ptolemæus Lagi filium Philadelphum in regni societatem assumpserat; adeo ut utrique ascribi potuerit, et reapse a diversis auctoribus ascripta sit. Quæ opinio uti plurimorum recentiorum calculo approbatur, ita etiam confirmatur testimonio Anatolii episcopi Laodiceni sæc. III, cujus « multiplicem eruditionem » laudans Eusebius lib. VII *Hist. eccl.*, cap. 32, fragmentum *Canonum paschalium* ejusdem ibi conservavit, in quo Philonem, Josephum, Musæum, suam in rem citat, aliosque antiquiores scriptores Judaicos nominat, nempe duos Agathobulos, quibus *Magistrorum* cognomen hæsit, atque Aristobulum, quem ista occasione ita describit loco citato pag. 234 : Ὡς ἐν τοῖς Ἑβδομήκοντα κατειλεγμένος, τοῖς τὰς ἱερὰς καὶ θείας Ἑβραίων ἑρμηνεύσασι Γραφὰς Πτολεμαίῳ τῷ Φιλαδέλφῳ καὶ τῷ τούτου πατρὶ, καὶ βίβλους ἐξηγητικὰς τοῦ Μωϋσέως νόμου τοῖς αὐτοῖς προσεφώνησε βασιλεῦσιν, « Qui unus fuit ex illis Septuaginta viris, qui sacra et divina Hebræorum volumina in Ptolemæi Philadelphi et patris ejus gratiam (Græce) interpretati sunt; et libros explanationum legis Mosaicæ iisdem regibus dedicavit. » Ubi in eo quidem forte erravit, quod Aristobulum multo juniorem, explanationum legis Mosaicæ auctorem a Clemente Alexand. et Eusebio *De præparat. evangel.* allegatum, cum illo seniore, uno τῶν Ο' confundit (nisi duo Aristobuli diversos in Moysem commentarios scripserint); ast in eo recte omnino sentire videtur, quod versio librorum biblicorum regnante Ptolemæo Lagi et filio ejus Philadelpho facta sit. Atque id vel inde quoque probatur, quod opus istud procuraverit Demetrius Phalereus, teste ipso Aristobulo juniore apud Clementem Alex. lib. I *Strom.*, pag. 342, et Euseb. lib. XIII *Præparat. evang.*, cap. 12. Atqui illum defuncto Ptolemæo Lagi a filio ejus Ptolemæo Philadelpho ab aula relegatum fuisse, celebratissimo illo Hermippi apud Diogenem Laertium testimonio constat. Necesse igitur est, ut, cum Ptolemæus Lagi adhuc in vivis, et Demetrius inter amicos regis esset, versio τῶν Ο' si non ad

[62] In Dialogo, et Apol. 2. [63] Ose. XI, 1. [64] Matth. II, 23.

Digitized by Google

finem perducta, saltem cœpta fuerit. Confer sequentem adnotationem, quæ alia adhuc ad hujus sententiæ confirmationem suppeditabit.

Φιλοτιμούμενος τὴν ὑπ' αὐτοῦ κατεσκευασμένην βιβλιοθήκην, etc. Dices, Philadelpho plurimos istud amplissimæ bibliothecæ condendæ studium tribuere scriptores, non autem Ptolemæo Lagi. Respondeo, utrique idem fuisse studium, licet forte in illo, adhuc juvene, magis ardens. Cum enim Ptolemæum Lagi apprime eruditum non solum plurimas epistolas, easque ad viros doctos datas, sed et *Historiam de expeditionibus Alexandri Magni* scripsisse constet, adeo ut « pacis artibus, quam militiæ, major et clarior » dicatur a Curtio, lib. IX, cap. 8, nullum est dubium, quin et libris undique conquirendis fuerit intentus. Et sane eo regnante bibliothecam Alexandriæ fuisse, eique præfuisse Zenodotum Ephesium, versificatorem et grammaticum, refert Suidas in voce Ζηνόδοτος. Quod non parum confirmatur e Strabonis lib. XIII *Geogr.*, p. 608, ubi memoriæ proditum est, quod Aristoteles docuerit τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν. Atqui Aristoteles non ultra Ptolemæi Lagi regnum vitam produxit; adeo ut ipsi primus forte auctor condendæ bibliothecæ fuerit. Fuit sane, licet non primus, Demetrius Phalereus, de quo Plutarchus in *Apophthegmatibus*, p. 189, ait : Πτολεμαίῳ τῷ βασιλεῖ παρήνει τὰ περὶ βασιλείας καὶ ἡγεμονίας βιβλία κτᾶσθαι **138** καὶ ἀναγινώσκειν. Quæ vix de alio quam Ptolemæo Lagi accipi possunt; et licet ad Philadelphum referantur, Ptolemæo tamen Lagi adhuc vivo istud Demetrii consilium datum est, ut ex præcedenti adnotatione liquet.

Μεταβεβλημένας τὰς Γραφάς. Sic etiam Clemens Alexandrinus loco citato [46] ait, libros omnes, tam legis quam prophetarum, a LXX senioribus in Græcum sermonem conversos fuisse. Cui subscribit Theodoretus in præfat. *Commentariorum in Psalmos*, et Olympiodorus in *Comm. ad librum Job*, et reliqui fere omnes. Aristobulus tamen et Josephus, ambo Judæi scriptores, legem duntaxat ab illis Græce interpretatam fuisse innuunt. Aristobuli quidem hæc verba sunt apud Eusebium in lib. XIII *Præparat. evangel.* : Ἡ δὲ ὅλη ἑρμηνεία τῶν διὰ τοῦ νόμου πάντων ἐπὶ τοῦ προσαγορευθέντος Φιλαδέλφου, etc. Josephus vero in proœmio librorum *De antiquitate Judaica* ita scribit : Εὗρον τοίνυν, ὅτι Πτολεμαῖος μὲν ὁ δεύτερος βασιλεὺς περὶ παιδείαν καὶ βίβλων συναγωγὴν σπουδάσας, ἐξαιρέτως ἐφιλοτιμήθη τὸν ἡμέτερον νόμον καὶ τὴν κατ' αὐτὸν διάταξιν τῆς πολιτείας εἰς τὴν ἑλλάδα μεταβαλεῖν. Et paulo post id ipsum declarat apertius his verbis : Οὐδὲ γὰρ πᾶσαν ἐκεῖνος ἔφθη λαβεῖν τὴν ἀναγραφήν, ἀλλ' αὐτὰ μόνα τὰ τοῦ νόμου παρέδοσαν οἱ πεμφθέντες ἐπὶ τὴν ἐξήγησιν πρὸς τὴν Ἀλεξάνδρειαν. Idem scribit in lib. XII *Antiquitatum*, cap. 2 et lib. II *Contra Apionem* non procul ab initio. Hæc Valesius ad hunc Irenæi locum adnotavit in suis ad Eusebium *Animadversionibus*, pag. 94, col. 1 et 2. Addit quidem (quod et Feuard. adnotat) responderi posse, Judæos legis nomine prophetas interdum comprehendere, ut notat Drusius in cap. 2 *Responsionis ad Minerval Serarii*; atque pro hac explicatione affert verba quædam Josephi ex lib. II *Contra Apionem*. Sed Josephi de sola Mosaicorum librorum versione sententia ex ante citatis verbis, quibus lex toti Scripturæ opponitur, adeo clare elucet, ut frustraneum sit alium venari sensum. Aliter autem res se habet cum Aristobulo, cujus verba non de solius Mosaicæ legis, sed totius Scripturæ interpretatione commode accipi possunt, et forte etiam debent. Quippe in antedicto libro, pag. 664, Eusebius hæc ejus recitat verba : Διηρμήνευται γὰρ πρὸ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως δι' ἑτέρων πρὸ τῆς Ἀλεξάνδρου καὶ Περσῶν ἐπικρατήσεως τά τε κατὰ τὴν ἐξαγωγὴν τὴν ἐξ Αἰγύπτου τῶν Ἑβραίων, ἡμετέρων δὲ πολιτῶν καὶ ἡ τῶν γεγονότων ἁπάντων αὐτοῖς ἐπιφάνεια, καὶ κράτησις τῆς χώρας, καὶ τῆς ὅλης νομοθεσίας ἐπεξήγησις. Atque paulo post in oppositione adversum hæc scribere pergit : Ἡ δὲ ὅλη ἑρμηνεία τῶν διὰ νόμου πάντων, ἐπὶ τοῦ προσαγορευθέντος Φιλαδέλφου βασιλέως, etc. Sed de hoc prolixius disputandi hic non est locus.

Χωρίσας αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων. Justinus non in *Apologia* 2, ut scribit Feuardentius, neque in *Dialogo cum Tryphone* testatur, se LXX cellularum vestigia vidisse, sed in *Paræsi ad Græcos*, pag. 14. Cum quo Irenæus consentit; non autem Epiphanius, lib. *De ponderibus et mensuris* memorans, binos in singulis cellis constitutos fuisse. Cæterum Hieronymi censuram quod attinet, hæc *Præfat. in Pentateuchum* ita sonat : « Et nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxerit, quibus divisi eadem scriptitarunt; cum Aristæas ejusdem Ptolemæi ὑπερασπιστής, et multo post tempore Josephus nihil tale retulerint. Retulit tamen, aut saltem non obscure innuit, Philo Judæus lib. II *De vita Moysis*, p. 659, ubi de LXX interpretibus ait : Καθάπερ ἐνθουσιῶντες προσεφήτευον, οὐκ ἄλλα ἄλλοι, τὰ δὲ αὐτὰ πάντες ὀνόματα καὶ ῥήματα, ὥσπερ ὑποβολέως ἑκάστοις ἀοράτως ἐνηχοῦντος. Unde corrigenda animadversio Valesii ad Euseb. pag. 94, col. 2, scribentis, nullam cellularum apud Philonem fieri mentionem.

Τῶν πάντων τὰ αὐτὰ ταῖς αὐταῖς λέξεσι. Post Philonem Justinus M. loco modo dicto similiter ait, τοὺς Ἑβδομήκοντα ἄνδρας μὴ μόνον τῇ αὐτῇ διανοίᾳ, ἀλλὰ καὶ αὐταῖς λέξεσι χρησαμένους, καὶ μηδὲ ἄχρι μιᾶς λέξεως τῆς πρὸς ἀλλήλους συμφωνίας διημαρτηκότας, ἀλλὰ τὰ αὐτὰ (καὶ) περὶ τῶν αὐτῶν γεγραφότας.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 26.

Pag. 216. *Quemadmodum et ipsi.* Non fuisset hoc initium capitis nisi colo dirimendum a superiore : quod tamen ne lectoribus, præcedentibus sectionibus assuetis, molestum esset, nihilominus indicare, quam transponere. Confirmat autem oraculum Isaiæ de virgine Emmanuelem paritura, in beatissima Maria Christum nostrum enixa, completum esse. Miraculum porro repromissum nullum fuisset, nisi plane virgo integra inviolataque peperisset. Cæterum, Helvidii nefarium errorem, ex hujus Evangelii loco perperam intellecto, natum, docte et acriter refellunt Hieronymus, Chrysostomus, et Hildephonsus Toletanus.

In utero. Hoc ex vet. cod. addidimus, cum idem aperte habeat Evangelium Matth. cap. 1.

In profundum inferni. Vet. cod. « In profundum deorsum, aut in altitudinem sursum. » Quam putarim germanam esse Irenæi lectionem, cum ita habere LXX indicet Hieronymus; quorum lectionem hanc cum Irenæo amplexantur veteres, Justinus in *Dial.*; Cyprianus lib. II *Adv. Judæos*, cap. 9; Basilius, et Cyrillus in hunc Isaiæ locum, et Ambrosius sermone 8 in psalm. CXVIII.

Pag. 217. *Num pusillum vobis.* Quia sic habebant omnes codices, nihil immutavimus. Sanctes ex Hebræo : « Nunquid parum est vobis labore afficere homines, quia labore afficitis et Deum meum? » Tertull. lib. *Contra Judæos* : « Non pusillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præstat certamen? » Cyprianus libro secundo *Adversus Judæos*, capite nono : « Num pusillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præstat agonem? » Eadem etiam habet epistol. ad martyres et confessores de Mappalico.

Communicabit bonum. Sex has voces ex veteri codice restituimus : delevimus unicam, « commutavit. » Justinus martyr ita habet [47] : « Butyrum et mel edet, priusquam dignoscat malum, eliget bonum; quia priusquam dignoscat malum a bono,

[46] Lib. I Strom., p. 341, seq. [47] In Dialogo.

Digitized by Google

reliciet malum ut bonum eligat. » Præclara est hujus loci, alioqui satis obscuri, periphrasis apud Hieronymum, *Commentariis* in VII Isaiæ, qua monet infantiam humani corporis divinæ Christi scientiæ non præjudicasse.

Emmanuel enim nomen. Hebraicum nomen est compositum ex עִמָּנוּ *himmanu*, id est *nobiscum*, et אֵל *el*, *Deus* : unde constat Christum Deum esse in carne manifestatum. Quo pacto autem Christo Jesu hoc nomen conveniat, et quid Judæis ea de re obstrepentibus respondendum sit, disserunt Justinus martyr quæst. 135 ad orthod. et Tert. lib. *Contra Judæos*.

Ejusdem adnotationes in cap. 27.

Pag. 217. *Et in eo quod dicit.* Hic locus ex Irenæo habetur apud Theodor. dialog. 1. Demonstrat autem facta Davidi de Christo promissa in Virgine Maria completa esse, et Christum per eam verum esse filium David; Ebionitarum labefactata impia interpretatione.

Dabit signum. Expunximus «dedit,» auct. vet. cod.

Quid enim magnum. Rabbinorum quidam de rege Exechia hoc Isaiæ vaticinium exponunt : sed jam tunc annos circiter quindecim natus erat. Alii fingunt obscuro cuipiam filiorum Achaz, alii vero ejusdem prophetæ filio illud convenire; sed nullus eorum fuit Himmanuel, nec terram universam suo imperio subjectam habuit, sicuti puer ille, quem paulo post idem propheta constituit terræ Dominum. Laudat igitur propheta insigne et insuetum Dei miraculum, quod de vulgari mulierum conceptu (ut acute vidit Irenæus) nequaquam faceret. Eadem ratione Tryphonem cum asseclis urget Justinus [66] : « Si vulgari more primogenitorum, ait, nasciturus erat ex coitu, cur tanquam prodigium pollicetur, quod commune est primogenitis omnibus? » Eodem modo Tertull. lib. *Contra Judæos*, Basil. hom. de Natali Domini, Cyrillus Jeros. catech. 12.

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 27.

Pag. 217. *De fructu ventris ejus regem promisit.... et non de fructu lumborum ejus.* Similiter Tertullianus argumentatur lib. III *Contra Marcionem*, cap. 20, ubi citata ista promissione, subjungit : « Quis iste venter est? ipsius David? utique non : neque enim pariturus esset David. Sed nec uxoris ejus : non enim dixisset : Ex fructu ventris tui; sed potius : Ex fructu ventris uxoris tuæ. Ipsius ergo dicendo ventrem, superest ut aliquem de genere ejus ostenderit, cujus ventris futurus esset fructus caro quæ ex utero Mariæ florult. Ideoque et fructum ventris tantum nominavit, ut proprie ventris; quasi solius ventris, non etiam viri : et ipsum ventrem ad David redegit, ad principem generis, et familiæ patrem. Nam quia viro deputare non poterat virginis ejus ventrem, patri deputavit. » Sed parum soliditatis videtur habere hæc argumentatio, præsertim distinctio « ventris » et « lumborum; » siquidem ipse apostolorum coryphæus Actor. II, 30, hanc prophetiam recitans ait : ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ. Unde nil mirum est, Tryphonem Judæum quoque in *Dialogo*, pag. 293, ἀπὸ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ dixisse, quamvis male interpretatus sit.

Significantis fuit, quoniam qui descendebat, etc. Ita et Hieronymus ad ista Isaiæ verba : « Utrumque, inquit, ad typum pertinet mortis Domini et ascensionis. Qui enim 139 descendit, ipse est qui et ascendit. » Theodoreti verba gemina recitavi et supplevi in notis ad *Spicileg. Patrum* sæc. I, p. 364.

Quid enim magnum, etc. Maxime consona hisce Irenæi sunt ista Justini in dicto *Dialogo*, pag. 310 : Ὡς μεγάλων πραγμάτων σημαινομένων, εἰ γυνὴ ἀπὸ συνουσίας τίκτειν ἔμελλεν· ὅπερ πᾶσαι αἱ νεάνιδες γυναῖκες ποιοῦσι, πλὴν τῶν στειρῶν.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 28.

Pag. 217. *Hoc est enim quod sine manibus.* Ita Danielis admirabile vaticinium, ante Irenæum Justinus in *Dialogo;* et post utrumque Tertullianus lib. *Adv. Judæos*, et lib. III et IV *Adversus Marcion.*, Hieronymus in II caput Danielis, Augustinus tractatu 7 et 9 in Joannem; et ex Græcis Origenes, et Basilius, ad Christi Domini ex intacta Virgine nativitatem, non minus pie quam eleganter accommodarunt. Quibus fit, ut satis nequeam mirari detestarique Calvini Judaicam plane impietatem, scribentis, hæc verba prorsus absurde de Filii Dei nativitate ex Maria Virgine intelligi.

Ejusdem adnotationes in cap. 29.

Pag. 217. *Propter hoc autem.* Virgæ Mosaicæ transformationem, adventum Filii Dei in carnem præsignificasse cum Irenæo sentiunt etiam plerique antiquorum; quorum verba hunc locum explicabunt. Isidorus : « Virga in serpente, Christus in morte; expavit et fugit Moyses, mortuus est Christus, et expaverunt discipuli, et fugerunt. » Ambrosius lib. *De Salomone* : « Moyses virgam projecit in terram; quæ et ipsa imago erat corporis Domini, ideo omnium Ægyptiorum potestatem absorbuit. » Pluribus verbis adhuc isthæc persequitur in psal. CXVIII, et lib. III *Offic.*, cap. 14. Subscribunt ei Augustin. serm. 86 de tempore; Gregor. Nyssen. lib. *De vita Moysis;* Gregorius Roman., Prosper Aquitanicus, Beda, Rupertus.

Quemadmodum. Hunc locum ita videtur æmulari Tertull. [67] : « Non competebat ex semine humano Dei Filium nasci, nisi totus esset filius hominis, non esset et Dei Filius, nihilque haberet amplius Salomone, et amplius Jona, et de Ebionis opinione credendus erat. »

Pag. 218. *Super hæc autem.* Hoc est, præterea, adhæc, πρὸς τούτοις.

Ejusdem adnotationes in cap. 30.

Pag. 218. *Jechonias autem.* Sixtus Senensis, vir perdoctus et accuratus, scribit Anabaptistas hoc tam Jeremiæ quam Irenæi testimonio abuti, ut probent Matthæum evangelistam aberrasse in recensenda Christi genealogia, quasi a regibus Juda et Davide ortus esset per Jechoniam, Salathielem et Zorobabelem : quando ex superioribus Jeremiæ ac Irenæi locis constet Jechoniam, qui et Joacim, in captivitate Babylonica sine liberis mortuum; in eodemque exstinctam omnem stirpem regiam. Respondet vero illos tantummodo loqui de abdicatione a regno, seu orbitate imperii : non de omnimoda sterilitate seu orbitate prolis, quod ex ejusdem Jeremiæ verbis istis clarum evadit : « Scribe hunc virum, abdicatum hominem, quoniam non augebit de semine ejus sedens super thronum David, princeps in Juda [68]. » Quod autem in Babylone genuerit Salathielem, unde natus sit Zorobabel, præter quod ex lib. I Esdræ cap. III, versic. 2, et Matthæi cap. I, 12, constanter asseritur, Philo in secundo *Chronographiæ* testatur, Evilmerodach eduxisse Joacim cognomento Jechoniam de carcere, et in honorem habuisse. Datum autem ei filium Mesezebeel, cognomento Salathiel, qui anno decimo septimo post solutam captivitatem dux fuit populi, a quo et Zorobabel.

Regem Judææ. Id est tribus Judæ et Benjamin, non totius Israelis.

Mortificatum ejus. Cadaver ipsius Joacim, de quo Jerem. XXII, 19 : « Sepultura asini sepelietur, et putrefactus, et projectus extra portas Jerusalem. » Vult autem Irenæus, quia prædictum erat neminem ex semine Joacim, ex quo Joseph sponsus beatæ Mariæ oriundus erat, sessurum super solium Davidis; Jesum Christum, si ab illo genitus fuisset, non potuisse in eo sedere, juxta verbum angeli, Luc. I.

[66] In Dialogo. [67] Lib. de carn. Christi. [68] Jerem. XXII, 30.

Digitized by Google

Paulo post « inhabitantes » posuimus, pro « inhabitantem, » auct. vet. cod.

Ejusdem adnotationes in cap. 31.

Pag. 218. *Et antiquam plasmaticnem.* Docet oportuisse Christum redemptorem ex virgine nasci, quoniam Adam prævaricator ex terra virgine formatus fuerat : quod paulo apertius et fusius docet his adversus Judæos verbis Cyrillus Jerosol. [69] : « Ex corporibus corpora gigni, possibile; sed pulverem terræ hominem fieri, hoc multo mirabilius. Lutum confusum, oculorum tunicas et splendores, movere, ædificare, loqui, docere, parere, regnare, hoc admirandum. Itaque, o indoctissimi Judæi, unde Adam factus est? Nonne Deus accepit pulverem de terra, et creavit creaturam hanc admirandam? Quid igitur? Lutum in oculum mutatur, et virgo non generabit? Quod apud homines est impossibile, Deus præstare non poterit? » etc.

Et quemadmodum. Sententiam hanc fere ad verbum videtur Tertullianus transcripsisse lib. *De carne Christi :* « Virgo adhuc erat terra, nondum opere compressa, nondum sementi subacta; ex ea hominem factum accepimus a Deo in animam vivam. Igitur si primus Adam ita traditur, merito sequens, » etc. Mellifluus B. Bernardi verba huic loco accommoda præterire non potui : « Deum, » ait ille hom. 2 super *Missus est*, « hujusmodi decebat nativitas, qua non nisi de virgine nasceretur : talis congruebat et virginei partus, ut non pareret nisi Deum. Voluit esse virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus, » etc.

Si igitur primus Adam. Totus hic locus exprimitur a Theodoreto, dialog. 1, usque ad illud proximi capitis : « Si enim ille quidem de terra, » etc.

Ejusdem adnotationes in cap. 32.

Pag. 218. *Erant igitur.* Simonis Magi, Saturnini, Valentini, Cerdonis et Marcionis sectatores intelligit; qui omnes diversis licet errorum anfractibus, eamdem tamen in blasphemiam delapsi sunt, Christum aut non veram carnem, aut non ex Virgine conceptam et natam cepisse. In his refellendis pugnacissimus est Tertull. lib. *De carne Christi*, lib. ut et IV *Contra Marcionem.* Probat vero Irenæus carnem nostram vere conceptam, natam, crucifixam, passam, et resuscitatam esse in Christo, ex eo quod homo et filius hominis dicitur; insuper, vere esurierit, comederit, fatigatus et vulneratus fuerit, doluerit, lacrymarit, sudarit, demum crucifixus et mortuus sit. Infra, « sustinuit » collocavimus, pro « suscitavit, » docente vet. cod.

Filium hominis se confitetur. Tertull.: « Cur homo Christus, et filius hominis, si nihil hominis, et nihil ex homine? Nisi si aut aliud est homo quam caro; aut aliunde caro hominis, quam ex homine, aut aliud est Maria, quam homo [70]. »

Hinc autem apparet concilium Ephesinum recte ex Patribus adversus Nestorium collegisse et statuisse, D. Virginem Mariam censendam esse Deiparam, non tantum Christiparam, quandoquidem constat illum quem utero concepit, fovit, genuit, simul Deum et hominem exstitisse; quod postea quoque sexta et septima synodus confirmarunt. Hoc tantum Nazianzeni proloquium subnectam : « Si quis sanctam Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est [71]. »

Pag. 219. *Cæterum supervacua est.* Isthæc omnia ad finem usque capitis hujus transcripsit Theodoret. dial. 1.

Si nihil incipiebat sumere. Hoc est, si nihil sumpturus erat, ἔμελλε λαμβάνειν.

Aut si nihil sumpsisset. Tertul. Marcionem eodem etiam pacto alloquitur : « Quid dicis cœlestem carnem, quam unde cœlestem intelligas non habes? Quid terrenam negas, quam unde terrenam agnoscas habes? Esuriit sub diabolo, sitiit sub Samaritide, lacrymatur super Lazarum, trepidat ad mortem. Caro, inquit, infirma. Sanguinem fudit postremo : hæc sunt, opinor, signa cœlestia [72]. »

Nutritur. Expunximus « nutriretur, » auct. vet. cod., probante quoque Theodoreto.

Ex. Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 32.

Pag. 219. *Οὐδ' ἂν ἱδρωσε θρόμβους αἵματος.* Hunc Irenæi locum respexit Epiphanius in *Ancorato*, § 31, ubi citaturus verba Lucæ de sudore Christi sanguineo, hæc sua præfatur : Κεῖται ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν Εὐαγγελίῳ, ἐν τοῖς ἀδιορθώτοις ἀντιγράφοις, καὶ χέχρηται τῇ μαρτυρίᾳ ὁ ἅγιος Εἰρηναῖος ἐν τῷ *Κατὰ* (ita enim legendum pro μετὰ, ut in editione novissima expressum reperio) *αἱρέσεων*, πρὸς τοὺς δοκήσει τὸν Χριστὸν πεφηνέναι λέγοντας· Ὑρθόδοξοι δὲ ἀφεῖλοντο τὸ ῥητὸν, φοβηθέντες, καὶ μὴ νοήσαντες αὐτοῦ τὸ τέλος καὶ ἰσχυρότατον. Unde textus Lucæ de sudore sanguineo sequitur; ad quem modo recitata Epiphanii verba omnino pertinent, male a Petavio hujus loci interprete 140 et commentatore, ac Grotio in *Comment.* ad Luc. XIX, aliisque viris doctis relata ad id quod de fletu Christi præcessit ex Luc. XIX.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 33.

Pag. 219. *Propter hoc Lucas.* Ex genealogia Christi ostendit eum vere hominem, et universorum hominum redemptorem, eumdemque ex B. Virgine Maria conceptum et natum; ut sicut virgo Eva sibi et nobis causa mortis facta est, sic B. Maria vitæ et salutis per Filium suum nobis esset.

Paulo ante. Delevimus « paulo attestante, » auctor. vet. cod.

Pag. 220. *Maria et sibi, et universo generi humano causa facta est salutis.* Hoc capite, et infra non raro, multis elogiis laudes et virtutes beatissimæ Dei genitricis prædicat Irenæus : quod illi cum omnibus qui Christianam pietatem excoluerint, adeo commune est, ut nullum invenias ex catholicis scriptoribus, qui non vel singulari opere in eum finem edito, vel sparsim hinc inde, in ejus recensendis encomiis libenter exspatietur. Hæc autem male habent Gnosticos posteriores, qui, opinor, ut ei strenue viam parent, qui postremum funestissimumque bellum illaturus est sanctis omnibus, universos nervos intendunt, ut laudes ejus elevent, vel ipsam gravioribus criminibus onerent. Aliquando enim importunitatis eam accusant, « qua præpostere cursum doctrinæ Christi abrumpere tentarit. » Alias « Dominum ne matrem quidem illam agnovisse, sed apud se intercedentem rejecisse. » Quidam « salutationem angelicam quasi magicum exorcismum æstimant; sanctamque Virginem non minus maligne restrinxisse Dei potentiam, quam antea Zacharias. Votum quoque perpetuæ virginitatis ab ea emissum, absurdum, ridiculum, imo perfidiam gravi reprehensione dignam » non verentur appellare. Alii « maximam ei inferri injuriam » dicunt, cum appellatur « Regina cœli et domina mundi. » Quidam rursus « omni dignitate abdicatam, vilis et abjectæ conditionis mulierculam, ingloriam, pannosam, pauperculam, et omnium ludibrio expositam » appellant. Alii « naturali ratione ipsam Dominum peperisse volunt. » Quidam rursum illam « per incogitantiam eo delapsam garriunt, ut se Deo aliquando præferret. » Alii « graviter eam peccasse in Filii triduana amissione fingentes, peccatum illud comparant cum delicto Evæ, quo salutem hominum initio evertit. » Eamdem denique impii Magdeburgenses « ita cum Josepho fuisse affectam » (utor eorum omnium verbis) non erubuerunt scribere, « ut statuto tempore, more aliorum conjugum,

[69] Catech. 12. [70] Lib. de carne Christi, et lib. IV contra Marcionem. [71] Epist. ad Cledonium. [72] Lib. de carne Christi.

Digitized by Google

voluerit liberos procreare. » Bezæ vesanias, et Viret virulenta in eam convicia, quod adhuc impudentiora sint, consulto prætereo [78].

At his magno animo opponenda sunt elegantissimæ patriarcharum figuræ, aperta prophetarum vaticinia et evangelistarum scripta : quibus copiosissimos gratiæ Dei proventus, immensa beneficia et stupenda opera in ea edita fuisse omnibus obvium est. Opponenda et Patrum Græcorum et Latinorum erudita scripta ; quibus summis et amplissimis honorum titulis merito exornatur. Ac ut Anselmum, Rupertum, Bernardum, Andream Jerosolymitanum, Fulgentium, aliosque plures beatæ Virginis summos laudatores, qui abhinc mille annis vixerunt, taceam ; Petrum Chrysologum, qui sub Martiano imperatore, id est anno Domini 450, floruit, primo loco proferam : « Quantus sit Deus, ait ille [79], satis ignorat ille, qui hujus Virginis mentem non stupet, animum non miratur ; pavet cœlum, tremunt angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit ; et una puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris, cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cœlestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa domus exigat pensione. » Et iterum [80] : « Ipse angelus miratur, aut feminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per feminam ; stupet angelus totum Deum venire intra virginalis uteri angustias, cui tota simul angusta est creatura. » Et alibi [81] : « Ave, gratia plena : Hæc est gratia, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Hanc gratiam detulit angelus, accepit Virgo, salutem sæculis redditura. » Et post pauca : « Vere benedicta Virgo, quæ et virginitatis possidet decus, et matris dignitatem. Vere benedicta, quæ et superni conceptus meruit gratiam, et sustulit integritatis coronam. Vere benedicta, quæ et divini germinis suscepit gloriam, et regina exstitit totius castitatis. Vere benedicta, quæ fuit major cœlo, fortior terra, orbe latior ; nam Deum quem mundus non capit, sola cepit, » etc.

Augustinus cum de peccatis agit, nullam protestatur de beata Maria habere velle quæstionem [77] : scit enim, quod plus ei gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Idem alibi [78] : « Videamus, ait, quæ est illa virgo tam sancta, ad quam Spiritus sanctus venire dignatus est ; quæ tam speciosa, quam Dominus elegit sponsam ; quæ tam copiosa, cujus generationem totus orbis excipiat ; quæ tam casta, ut possit virgo esse post partum. Hæc est immaculata concubitu, fecunda partu Virgo et casta perpetuo. Hæc concipit, non viro, sed Spiritu ; hæc parit, non dolore, sed gaudio. Hæc est sponsa Christi, et gentium magistra, quæ se plenam miratur, et fetam lætatur. » Idem rursus [79] : « Dicat Maria : Porta facta sum cœli, janua facta sum Filio Dei. Illa porta facta clausa, quam Ezechiel vidit. » Et iterum idem [80] : « Facta est Maria scala cœlestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mereantur ad cœlos. » Rursum idem [81] : « Etsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus. Altior cœlo est, abysso profundior, cujus laudes dicere conamur. Hæc est enim, quæ sola meruit mater et sponsa vocari. Hæc primæ matris damna resolvit, hæc homini perdito salutem adduxit, » etc. Et post pauca : « Sed quid dicam pauper ingenio, cum de re quidquid dixero, minor laus est, quam dignitas tua meretur? Si cœlum te vocem, altior es. Si matrem gentium dicam, præcedis. Si formam Dei appellem, digna exsistis. Si dominam angelorum vocitem, per omnia te esse probaris, » etc. Et iterum : « O vere beata Mariæ humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus dedit, cœlos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit, et hominum animas ab inferis liberavit. O quam vere gloriosa Mariæ humilitas, quæ porta paradisi efficitur, scala cœli constituitur! Facta est certe humilitas Mariæ scala cœlestis, per quam descendit Deus ad terras. Quia respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ [82], » etc.

Patiatur, quæso, Christianus et pius lector, dum eam, quam ex recitatis impiorum Gnosticorum conviciis justam animi indignationem jam contraxit, lenire studeo, piorum et priscorum Patrum nostrorum aliquot adhuc, sed contractiora scripta me adducere. Ambrosius [83] : « Sit nobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitaque beatæ Mariæ, de qua velut speculo refulget species castitatis et forma virtutis. Quid nobilius Dei matre? Quid splendidius Dei matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generavit? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, intenta operi, verecunda sermone : arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere ; nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit propinquis? quando fastidivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem? Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, non gestus fractior, non incessus stultior, non vox petulantior ; ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. » Et aliquanto post : « Hæc est imago virginitatis : talis enim fuit Maria, ut ejus unius vita omnium disciplina sit. »

Prodeat in medium acerrimus integritatis ejus assertor contra Helvidium Hieronymus : « Propone tibi, » ait epistola ad Eustochium, « beatam Mariam, quæ tantæ exstitit puritatis, ut mater Domini esse mereretur. » Et rursus ibidem : « Postquam Virgo concepit in utero, soluta maledictio est. Mors per Evam, vita per Mariam. » Et ad Principiam : « Sancta Maria, quia conceperat eum in quo omnis plenitudo divinitatis habitat, plena gratia salutatur. » Et libro *Contra Jovinianum* : « Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Quod clausum est atque signatum, similitudinem habet matris Domini, matris et virginis. » Et lib. *Contra Helvidium* : « Joseph, qui miracula tanta cognoverat in beata Virgine, Dei templum, Spiritus sancti sedem, Domini sui matrem, audebat attingere? » Et in *Apologia pro libris adversus Jovinianum*, ipsam vocat matrem et virginem perpetuam, hortum conclusum, fontem signatum, portam orientalem semper clausam.

Cypriani, quem ob eloquentiam et fortissimum martyrium merito omnes celebramus, aliquot sententias adjiciam : « Maria genitrix est et obstetrix, » inquit serm. de Nat. Christi ad Corn., « et devotam dilectæ soboli exhibet clientelam, attrectat, amplectitur, jungit oscula, porrigit mammam ; totum negotium plenum gaudio, nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio. Nihil in hac re potuit 141 ultio, nec præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarum usuram. Spiritu sancto obumbrante incendium originale exstinctum est : ideoque innoxiam

[78] Calvin. et Muscul. in XII cap. Matth.; Gualter. in I Marc.; Calvin. et Marlor. in I cap. Luc.; Brent. in I Lucæ; Bucer et Molin. in II Lucæ; Calvin. in II Lucæ, cent. I, cap. 10. [79] Serm. 140. [80] Serm. 142. [81] Serm. 143. [77] Lib. de natura et gratia, cap. 36. [78] Serm. 6 de tempore. [79] Serm. 18. [80] Serm. 15. [81] Serm. 35 de sanctis. [82] Luc. I, 48. [83] Lib. II de Virg.

Digitized by Google

affligi non decuit, nec sustinebat justitia, ut illud vas electionis communibus lassaretur injuriis, quoniam plurimum a cæteris differens, natura communicabat, non culpa. Eratque ei proprium privilegium, quod nulla mulierum, nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quod erat simul mater et virgo, singulis titulis insignita. Unde et matri plenitudo gratiæ debebatur, et virgini abundantior gloria, quæ carnis et mentis integritate insignis, spiritali et corporali intus et extra Christi præsentia fruebatur, » etc.

Idiotæ, pii et docti viri, quem volunt anno Dom. 850 vixisse, præclara aliquot verba prætermittere nec debui, nec potui. « Trahe me post te, » scribit Virginem alloquens, lib. *Contempl. de Virgine Maria*, cap. 1, « o benedicta Virgo Maria, benedicta ante ortum, in ortu, et post ortum ; ante sæculum, in sæculo, et post sæculum, » etc., et cap. 2 : « Tota pulchra es in anima, per virtutum et charismatum omnium perfectam pulchritudinem ; tota pulchra es in tua conceptione, ad hoc solum effecta, ut templum esses Dei altissimi. » Et aliquanto post : « Tota pulchra es non in parte, sed in toto : et macula peccati sive mortalis, sive venialis, sive originalis, non est in te, nec unquam fuit, nec erit. » Et capite sexto : « Invenisti, Virgo Maria, gratiam cœlestem, quia fuerunt in te ab originis labe præservatio, angelica salutatio, Spiritus sancti superventio, » etc.

Sedulius presbyter ante annos 1140, si Trithemio credimus, B. Virginem a peccato communi intactam his versibus cecinit, lib. II *Carm. pasch.*, v. 28 seqq. :

Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habens, matremque obscurat honore:
Sic Evæ de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus nova virgo piaret.

Et paulo post, 55, 56 :

Hæc ventura senes postquam dixere prophetæ,
Angelus intactæ cecinit properata Mariæ.

Et qui anno 540 a Christo nato vixisse dicitur Arator diaconus, lib. I in Acta apost., v. 56 seqq. :

.....Qua tunc statione sedebat,
Porta Maria, Dei genitrix intacta creantis,
A nato formata suo ; mala criminis Evæ
Virgo secunda fugat : nulla est injuria sexus.

Claudat porro hunc Latinorum Patrum ordinem B. Hildephonsus Toletanus præsul, ac Hispaniarum ante nongentos annos dignissimus primas. « Beata Virgo Maria, inquit [64], nisi in utero matris sanctificata fuisset, minime ejus nativitas colenda esset. Nunc autem quia auctoritate totius Ecclesiæ digne veneratur, constat eam ab omni peccato originali fuisse immunem, per quam non solum maledictio Evæ matris soluta est, verum etiam benedictio omnibus condonata. Nullis ergo, quando nata est, delictis subjacuit, nec originale peccatum in utero sanctificata contraxit. » Hæc ille ; quæ cum ante viginti circiter annos, Lutetiæ, cuidam Hispano, perdocto sane viro, sed immaculatæ conceptionis B. Deiparæ hosti acerrimo, objecissem, aliud respondere non potuit, quam suppositititium, et a me confictum esse hoc testimonium : quod probrum, mox prolatus a me Hildephonsi vetustissimus et manuscriptus codex, deinde alius a Petro Comestore ante 400 annos conscriptus, quo hæc ad verbum citantur, diluentes, ille penitus obmutuit.

Latinis aliquot Græci accedant : Chrysostomus in liturgia non raro hæc verba usurpat : « Sanctissimæ, incontaminatæ, super omnes benedictæ, gloriosæ dominæ nostræ Deiparæ et semper virginis Mariæ, cum omnibus sanctis memoriam agentes, A onnem vitam nostram Christo Deo nostro commendemus. » Et postea : « Vere dignum et justum est glorificare te Deiparam, et semper beatissimam, et penitus incontaminatam matrem Dei nostri, » etc.

Nazianzenus sub finem tragœdiæ, Virginem sic alloquitur :

Veneranda o Virgo, casta, felicissima,
Quando beata nunc beatorum in polo,
Exuta quidquid fæcis humanæ sedes
Æternitatis pallio ornata, ut dea
Habita, senectæ expers, supremo ex æthere
Benigna adesto vocibus meis, preces
Admitte, Virgo, etc.
O puella, gratia
Æquanda nullis, mater et Virgo supra
Omnes decora virgines, et maxima,
Quæ vincis omnes cœlitum ordines,
Regina, domina, generis humani bonum,
Amica semper esto tu mortalibus,
Maxima quæ quovis in loco mihi salus.

Basilius, modis omnibus magnus, quinquies in liturgia his verbis utitur : « Sanctissimæ et intemeratæ, dominatricis nostræ, Dei genitricis, et semper virginis Mariæ, cum omnibus sanctis memorantes, nos ipsos et ad invicem, atque omnem vitam nostram Christo Deo commendemus. » Omittam ea quæ tradit homilia de humana Christi generatione.

Nulla ex parte inferiorem superioribus Athanasium Magnum audiamus. Epist. ad Epictetum, B. Mariam vocat Virginem « impollutam, in qua novum hujusmodi conditum fuit, quale in nulla alia femina. » Et serm. in Evangel. de sanctissima nostra Deipara : « Quandoquidem ipse rex est, qui natus est ex Virgine, idemque et Dominus, et Deus ; eapropter et mater, quæ eum genuit, et regina, et domina, et Deipara proprie et vere censetur. » Et postea : « Ad te clamamus, recordare nostri, sanctissima Virgo, quæ etiam a partu virgo permansisti, et retribue nobis pro istis eloquiis, magna dona ex divitiis tantarum gratiarum, » etc.

Scientes et prudentes omittimus quæ habent Damascenus, Isychius, Andreas Cretens., Metaphrastes ; quæ etiam B. Ephrem Basilii discipulus, in orat. de laudibus sanctiss. Deiparæ, Orig. hom. 1, in diversos, Clemens Alex. VII *Strom.*, Tertull. lib. *De carne Christi*, numer. 3, 14, 15 et 18. Justinus martyr, passim in *Dial.*, lib. *De Trinitate*, quæst. 66 et 136 ad orthod., Dionysius cap. 3 *De divinis nom.*, et epist. 4, Ignatius *Epist. ad Trallianos*, *ad Philip.* et *ad Ephesios*, Martialis *Epist. ad Tolosanos*, Jacobus in liturgia, in hanc rem disserunt.

Unum tantum superest, de quo pios lectores hic commonitos velim : nimirum, quod cum hæc in prima Irenæi nostri editione 1575 scriberemus, Lutetiæque per quemdam (cujus nomini parco) minus prudenter magnum fuisset adversus immaculatam conceptionem beatiss. Virginis Deiparæ excitatum dissidium, nos, tametsi continuis publicisque scholæ Sorbonicæ tunc occupati ac distracti exercitiis, quot potuimus raptim nancisci, pro sempiterna Virginis tuenda laude ac innocentia, veterum theologorum huc congessimus testimonia. Inter hæc unum velut ex Cyrillo Alexand. lib. VI in Joan. cap. XV addidimus ; quod vix excuso per typographos folio, deprehendimus vere non esse Cyrilli, sed Iodoci Clicthovei, qui quatuor Commentariorum suorum libros Cyrillinis Commentariis interseruit. Hujus mendæ, cum tunc præstantius remedium non daretur, ad finem libri congestis, ut fieri solet, erratorum emendationibus, lectores sedulo tempestiveque monuimus : hoc contenti boni viri officio, tantisper dum hujus secundæ

[64] Lib. contra eos qui disputant de virginitate et parturitione B. Virginis.

Digitized by Google

editionis tempus accederet. Exactis porro decem et octo annis, exierunt in lucem ex officina Juntarum Lugduni 1594 *Disputationes Francisci Suares in tertiam partem divi Thomæ Aquinatis*, in quibus acerbiore censura nos hac de causa perstringens, et in fraudis, quantum in ipso est, suspicionem adducens scripsit, pagina 28, col. 1 : « Notavit quidem hunc locum Feuardentius, in lib. III Irenæi cap. 23, ne quemquam tamen minus doctum deciperet, adnotare debuisset, illum librum non esse Cyrilli, sed Clicthovei. »

At hoc ipsum etiam viginti annis antequam hanc tuam castigationem, mi Francisce, legissem, a me præstitum fuit ; quod ex correctionibus erratorum potuisses animadvertere; atque sic impostura crimen conservo, consacerdoti, et confratri tuo, tam male, quam maligne non impingere. Cæterum, dum scripta illa tua quatuor diebus, quibus tantum a tuæ societatis Patribus (quos ex animo colo ac veneror), volvenda mihi commodata fuerunt, obiter percurrerem, aliquot obviam facta sunt errata, quæ ut vel in tertia illorum saltem editione corrigas, te candide admonendum censui. Prætermitto quod una mecum Clicthovei Commentarios ascribas Cyrillo pag. 511, col. 2 [66], quodque Justino martyri ad finem *Apologiæ* 2 aliquid tribuas, cujus nunquam meminit, pagin. 256, col. 1, ut de meo duntaxat Irenæo loquar. Falleris inprimis, quando, ut me coarguas, cap. 23 citas, pro capite 3, sed hoc calchographorum oscitantiæ deputetur. Verum, ubi, te quæso, invenisti apud Irenæum, in *Expositione fidei d.* (ita enim citas pag. 130 editionis 1592, col. 2 [66]) : « Vos qui ad baptismum aspirare fingitis, qui ut tollatis duas naturas, » etc.? Quo libro, et capite comperisti eumdem censuisse, Melchisedech **142** fuisse hominem gentilem, ex Chananæis ortum, ut ei ascribis pag. 607, columna prima? Ad hæc, scribis, pag. 256, col. 1, apud Irenæum lib. I, cap. 5, Gnosticos tribuere Christo corpus cœleste : sed de hoc ibi ne gry quidem. Pari quoque lapsu ais pag. 4, col. 2 [67], illum lib. III, c. 3, dicere, « quod Eva alligavit per incredulitatem, » etc., et pag. 47, col. 1, eumdem libro III, cap. 1, exponere hæc verba : « Nondum venit hora mea [68]. » Denique, pagina 407, col. 2, Irenæum libro IV, cap. 32, contra negantes veritatem carnis Christi, illud incommodum inferre, « quod globos sanguinis non sudasset, » etc., de quibus in illis locis ne verbum quidem, etc. Nequaquam vero pius ac prudens ego, si ut minus doctos deciperes isthæc te confinxisse ac notasse existimem, tamque temerarie ac perverse de proximo judicarem. Verum, mortales sumus, qui non bene sapimus omnibus horis. Immortalium vero tantum est omnium et semper reminisci. Alter ergo alterius onera portemus, et sic adimplebimus legem Christi. Τὸ λοιπὸν οὖν, ἀγαπητὲ συστρατιώτη καὶ σύνεργε, ἔκλαβε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, καὶ τότε διαβλέψεις ἐκβαλεῖν τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου.

Quæ est a Maria in Evam. Sic vetus codex ; excusi, « quæ et Maria in Eva. »

Alligationis: Ita pro « alligationi » restituimus ; sicuti paulo post, « primæ » pro « primum » substituimus vet. cod. auct.

Sic autem et Evæ inobedientiæ nodus. Piæ huic comparationi Mariæ cum Eva, tanto consensu subscribunt Patres omnes orthodoxi, ut Gallasius alio cœlo natus videatur, qui nesciat ; vel frontem impudentiamque meretricis indutus, qui audeat contradicere et damnare. Sed obganniat licet os impudens, quantum volet : nos pietati et doctrinæ Patrum pressis vestigiis nihilo secius semper inhærebimus. Hieronymus epistol. ad Eustoch. : « Mors per Evam, vita per Mariam. » Bernardus homil. 2, de laudibus Virg., « Curre ; Eva, ad Mariam ; curre, mater, ad filiam ; filia pro matre respondeat, ipsa opprobrium matris auferat, ipsa patri pro matre satisfaciat : quia ecce, si vir cecidit per feminam, jam non erigitur nisi per feminam. » Innocentius III, serm. 2 de Assumpt. : « Oportebat ut sicut per feminam mors intravit in orbem, ita per feminam vita rediret in orbem ; et ideo quod damnavit Eva, salvavit Maria, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, » etc.

Pag. 220. *Solutus est autem.* Vetus codex, « Solutum est autem condemnationis vinculum, quo captivus ductus fuerat homo. »

Ex J. Er. Grabii adnotationibus in cap. 33.

Pag. 219. *Septuaginta duas.* In manu exaratis codicibus, quos inspexi, numerus ille non integris vocibus concipitur, ut vulgo, sed sic, LXXV, ut nescias utrum 72 an potius 75 iste Irenæi interpres exprimere voluerit. Ego postremum probo. Sequentia vero, cum dicit totidem quoque gentes ac linguas esse, non adversantur, imo confirmant potius. Clemens *Stromatum* I : Εὔφορος δέ, καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ἱστορικῶν, καὶ ἔθνη, καὶ γλώσσας πέντε καὶ ἑβδομήκοντα λέγουσιν εἶναι. « Euphorus autem, et alii multi historici, gentes et linguas septuaginta quinque esse dicunt. » Hæc habet Isaacus Vossius, p. 323 *Castigationum* ad cap. IV Hornii. Et mss. quidem codices quod attinet, optarem eos nominasset. Sane proprium Vossii exemplar clariss. Dn. Dodwellus summa diligentia cum editione Feuardentii contulit ; sed haud diversum a recepto 72 numerum deprehendit : neque Mercerus in aliis duobus, quibus usus est. Codicem Arundelianum ipse perlustrans, et modo, dum hæc Londini scribo, iterum inspiciens, video quidem duas virgulas, quibus binarius numerus exprimitur, junctas, sed non ita ut figuram quinarii efficiant, omnino diversa forma alibi in codice exarati. Clementis vero locus Vossii sententiam tantum abest ut confirmet, ut potius eam confutet mox sequentibus disertis verbis infra not. seq. allegatis, quibus ex Christianorum sententia 72 linguas facit. Vix igitur dubito, 72 tantum generationes Irenæum in Evangelio S. Lucæ cap. III legisse (omissis versu 24 τοῦ Ματθὰτ et τοῦ Λευὶ ac vers. 36, τοῦ Καϊνάν), perinde ut Julium Africanum, citatum ab Eusebio lib. I *Hist. eccl.*, cap. 7, Gregorium Nazianzenum carm. 38, de genealogia Christi, Ambrosium in *Comment.* ad dictum Lucæ locum, aliosque.

Significans, quoniam ipse est, qui omnes gentes... et universas linguas... in semetipso recapitulatus est. Ut Irenæi consequentiam seu illationem mysticam intelligas, scito a S. Patribus, præcipue Græcis, duas supra septuaginta gentes et linguas olim numeratas fuisse. Sic Clemens Alex. lib. I *Stromatum*, pag. 338, scribit : Φαίνονται δὲ εἶναι καὶ κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον αἱ γενικαὶ διάλεκτοι δύο καὶ ἑβδομήκοντα, ὡς αἱ ἡμέτεραι παραδιδόασι γραφαί. Et, alios ut præteream, Epiphanius in *Panario contra hæreses*, lib. I, tom. 1, § 5, pag. 6, de Deo ait : Διεσχίδασε γὰρ αὐτῶν τὰς γλώσσας καὶ ἀπὸ μιᾶς εἰς ἑβδομήκοντα δύο διένειμε, κατὰ τῶν τότε ἀνδρῶν ἀριθμὸν εὑρεθέντα. Confer hæres. 39 Sethianorum. Neque ab hoc numero alieni fuere quidam ethnici, præcipue Ægyptii, de quibus insignia sunt Hori Apollinis verba lib. I *Hieroglyphicon*, cap. 14 : Οἰκουμένην δὲ γράφοντες, κυνοκέφαλον ζωγραφοῦσι, ἐπειδὴ ἑβδομήκοντα δύο χώρας τὰς ἀρχαίας φασὶ τῆς οἰκουμένης εἶναι. « Terrarum orbem delineantes, cynocephalum pingunt, quia septuaginta duas ferunt fuisse jam olim orbis habitati regiones. » Lege Bochartum lib. I *Phaleg*, cap. 15, ubi plura de hisce invenies.

[66] Tom. I. [66] Tom. I. [67] Tom. II. [68] Joan. II, 4.

Digitized by Google

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 34.

Pag. 220. *Hic est autem Adam.* Ratione et exemplo contendit adversus Tatiani errorem, divinæ æquitati ac misericordiæ convenientissimum fuisse, ut primus parens præ cunctis liberis ejus salvaretur : quod alii postea theologi pluribus asseruerunt. Ac de pœnitentia ejus cap. 37 dicetur. Vide etiam cap. 31, lib. I.

Cum autem salvatur homo Contendit, quantis potest argumentis, Adamum salvatum esse, quod et postea Augustinus persequitur epist. 99, quia Sapientiæ x, 1, 2, scriptum est : « Illum, qui primus factus est pater orbis terrarum, sapientia custodivit, et eduxit illum a delicto suo. » Deinde, quod constans sit Ecclesiæ hæc sententia. Quin et ipsum Adam post tam varios casus, et tot discrimina rerum, tandem in Golgothæ seu Calvariæ montem pervenisse, ibique vita functum, sepultum fuisse, ubi Dominus et Salvator noster cruci affixus est, magno consensu, et ex antiqua Patrum traditione docent Origenes, tract. 35 in Matth., Cyprianus serm. de Resur. Domini, Athanasius lib. *De passione Dominic.*, Basil. in v cap. Isaiæ, Chrysostom. homil. 84 in Joan., Epiphanius contra hæres. 46, August serm. 71 de tempore, Moses Barcepha lib. *De paradiso.* Hanc sententiam Hieronym. in xxvii Matth. non probat, in v cap. ad Ephes. damnare non audet; sed epist. ad Marcellam eam amplectitur.

Parebit. Expunximus « parebat » vet. cod. auct.

Pag. 221. *Sed non relictis.* Omnia hæc paucis attigit Tertull. lib. *Præscript.* « Tatianus doctrinæ Valentini adjecit, Adam nec salutem consequi posse, quasi si non rami salvi fiunt, et radix salva sit. »

Ejusdem adnotationes in cap. 35.

Pag. 221. *Propter hoc et in initio.* Ostendit maledictionem divinam non proprie in homines latam fuisse, sed in terram et serpentem : quapropter nec ignem æternum illis præsertim paratum esse, sed diabolo principi omnis defectionis. Isthæc sapienter expendens Rupertus ait[89] : « Neque mulieri, maledicta es; neque viro, maledictus es, dixit Dominus; sed tantum hoc : « Maledicta terra in « opere tuo[90] ; » cujus videlicet terræ maledictio, non aliud est, quam multimoda et frequens afflictio qua per varios eventus terræ ex eo corruptæ et deterioratæ affligitur homo. Soli vero serpenti dixit : « Maledictus eris[91], » quo videlicet dicto, firma et immutabilis intelligenda est sententia æternæ damnationis. » Tertullianus libro II *Adversus Marc.* hunc Irenæi locum his paucis contrahit : « Deus ideo non maledixit ipsum Adam et Evam, ut restitutionis candidatos, ut confessione revelatos, sicut maledixit serpenti, cujus salus omnino deplorata erat, » etc.

Similiter autem et mulier. Triplici pœna punita est mulier, quia triplo majus fuit peccatum ejus, quam Adami[92]. Primo, quia credendo serpenti plusquam Deo, seducta est. Secundo, quia ligni vetiti pulchritudinem concupivit. Tertio, quia et virum ad transgressionem induxit. Merito igitur triplex vindicta ei reddita est, præter communem sibi cum viro mortem. Nam mortuorum mater esse meruit. Omnes enim conceptus ejus anima et corpore in peccato moriuntur : et nemo eorum vivit, nisi vivificetur per Christum. Et quia intemperanter fructum arboris expetivit, redditur uteri dolor, dicente Domino : « In dolore paries[93]. » Tertio, quia virum importunitate muliebri ad comedendum illexit, idcirco sub viri potestate redacta est.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 36.

Quemadmodum Cain. Cain ob neglectum Dei consilium, invidentiam, cædem fraternam et maximam in Deum irreverentiam, juste maledictus et reprobatus est.

Uti quiesceret in eo. Chrysostomus, Cyrillus, Græci omnes ita hunc locum reddunt, LXX versionem istam secuti : 143 Οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ οὐ διέλῃς, ἥμαρτες· Ἡσύχασον. Hoc est : « Annon si recte obtuleris, recte autem non distribueris, peccasti? Quiesce. » Sicque volunt Cain his verbis admonitum a Deo, ut recte divideret in fratrem dilectionis officia; non autem felicitati invideret. Hieronym. in *Quæst. Hebr.* testatur illa verba in fonte Hebraico non haberi; Eugubinus vero copiose docet unde processerint.

Extendens et multiplicans malum. Irenæo consentit Chrysostomus his verbis[94] : « Quid ad hæc ingratus et impudens? Debebat cogitare quod Deus non ignarus rei rogaret, sed ab ipso confessionem criminis exigeret, etc. Verum, ille iterum anget vulnus, et ulcus increscere facit, et dicit : Haud scio. Vide responsi impudentiam, » etc.

Propter hoc et ipse. Urget Cain grave peccatum, maledictionem, et perditionem æternam, ut vel obiter Caianorum, quorum meminit lib. I, cap. 35, amentiam furoremque refellat. Hi enim Cainum, Core, Sodomitas, in primis autem Judam proditorem, tanquam ex superiori quadam virtute progenitos, sanctis omnibus præferebant, ut ex Tertull. lib. *Præscript.*, Epiphanio contra hær. 38, et Theodoreto, in primo libro indicavimus.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 37.

Pag. 221. Procopius Gazeus *Commentariis* in tertium caput Genes. hunc Irenæi locum citans, notat caput esse quinquagesimum nonum : quo fit, ut alias apud Græcos fuisse horum librorum sectiones a nostris putem.

Circa Adam autem. Jure quidem maledictus est Cain : quoniam vero Adam statim post admissum peccatum timore perculsus fugit, seque divina præsentia judicavit indignum, atque pœnitere se ficulneo cinctorio manifestavit, tandem servatus est. Seductus porro fuit Adam, non a serpente, sed ab uxore : putans item peccatum suum tantum veniale futurum, nec ob id se moriturum. Ideo et Ignatius *Ep. ad Trallianos* scribit : « Diabolus per mulierem seduxit Adam patrem generis nostri. » Epiphanius quoque contra hæres. 38 : « Diabolus per mendacium decepit Adam et Evam. » Ambrosius denique lib. *De paradiso*, cap. 4 : « Mulier primo decepta est, et virum ipsa decepit. » Hinc Theodoretus hæc Apostoli verba : « Adam non est seductus[95], » intelligit, pro eo quod est : non primus, nec immediate a serpente.

Quæ minus corpus. Plinius lib. II, cap. 5, quasdam ficus adeo ramis et foliis diffundi scribit, ut umbra bina stadia operiant, et quasi fornicato ambitu pastoribus decoram opacamque sepem præstare. Rhodiginus fici folium ex scabritie dici a Græcis θρίον docet : quod Plutarcho probari asserit Erasmus in *Chiliad.* indeque proverbium emanasse, τῷ θρίῳ τὴν ἔγχελιν, id est folio ficulneo anguillam tenes, eo quod scabrum sit et asperum, ob idque ad retinendam anguillam natura lubricam, maxime idoneum. Ad id pertinet et istud Alciat. emblema :

Jamdudum quacunque fugis te prosequor, at nunc
Cassibus in nostris denique captus ades.
Amplius haud poteris vires eludere nostras,
Ficulno anguillam strinximus in folio.

Horum foliorum occasione permoti doctissimi et gravissimi auctores, æstimarunt arborem, ex cujus fructu deliquerunt primi parentes, ficum fuisse, eamque antiquam dixerunt traditionem, atque ea de re Christum ficulneæ aliquando maledixisse. Theodo-

[89] L. II de vict. Verbi Dei, cap. 15. [90] Gen. III, 17. [91] Ibid. 14. [92] Ruper. lib. III de Trin., cap. 22. [93] Gen. III, 16. [94] Hom. 19 in Genes. [95] I Tim. II, 14.

Digitized by Google

retus quæst. 28 in Genes. eos qui allam arborem opinantur, censet errare nimia simplicitate. Athanasius quæst. 58 ad Antioch.; Isidorus Pelusiota apud Lippomanum in III cap. Genes.; Moses Barcepha lib. *De parad.*, Oleaster Lusitanus in III cap. Genes.

Notandum porro hunc locum manifeste sollideque probare, pœnas corporeas hic a pœnitentibus, vel sponte susceptas, vel injunctas, inflictasve æquo animo perferendas esse, ut, illis cum Christi passionibus conjunctis, voluptatem ex peccatis conceptam compensent, satisque faciant suppliciis ac multis illis, quæ ut fructus digni pœnitentiæ, a solutis culpis, et pœnæ æternæ reatu condonato, vel in hoc mundo, vel in orebo expiatorio sunt alias ad extremum usque quadrantem exsolvendæ. Adam etenim, abjecta omni mollitie, indumentum asperrimum induit, petulantis carnis impetum retundit, frenum continentiæ sibi circumdat, et quam demisse potest, coram Deo judice semetipsum abjicit et humiliat. Annon hæc manifesta de peccatis admissis satisfactio? Hinc Tertullianus ait [96]: « Ipse stirpis humanæ et offensæ in Dominum princeps Adam, exhomologesi restitutus in paradisum suum, non tacet. » Qui et ante hæc verba scripserat: « Habes cui satisfacias; confessio satisfactionis consilium est; satisfactio confessione disponitur; Domino offenso satisfacere [97], » etc. Et Cyprianus eos reprehendens, qui hanc pœnitentiæ partem negligebant, scribit: « Datur opera, ne satisfactionibus et lamentationibus justis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur. » Et serm. de lapsis: « Dominus orandus est, et nostra satisfactione placandus, » etc. Augustin. ad eamdem satisfactionem cunctos hortatur, et densis argumentis perurget, *Enchiridii* cap. 65, 70 et 71; epistola ad Macedonium; libro L *Homiliarum*, hom. 50; *Commentariis* in psalm. L, et lib. *De eccles. dogm.*, cap. 53. Confundantur ergo et convertantur hæretici, qui satisfactionis nomen et opera, id est hanc sacramenti pœnitentiæ tertiam partem, cum incredibili animarum jactura, conantur e medio tollere.

Quoniam inquit, eam. Hac paraphrasi significatur Adamum et justitiam originalem et gratiam gratum facientem, seu charitatem, quam initio acceperat, peccato suo perdidisse: qua de re et supra dictum est, cap. 20: « Nos autem in Christo recuperasse, quod in Adam perdidimus. » Quod et Cyprianus postea docuit, scribens illum acceptam divinitus gratiam non custodisse, serm. de bono patientiæ. Ambrosius quoque ait [98]: « Angelos tenebrarum velut latrones, indumentis gratiæ salutaris hominem spoliasse, cum in eos incidit. » Turpiter igitur aberrant, qui aut justitiam originalem donum supernaturale fuisse negant, aut gratiam divinam per mortale peccatum amitti pervicaciter inficiantur.

Et nunc. Sic vetus codex; excusi, « et tunc. »

Pag. 222. *Quemadmodum quidam.* His consona scribit Theophilus Antioch., lib. II *Ad Autolycum*: « Non invidens, ut quidam sentiunt, Deus Adamo cum ab arbore cognitionis abstinere jussit; sed hominem probare volebat, an dicto audiens esse vellet, » etc. Marcionem ac ejusdem disciplinæ comprobatores designari mihi persuaserim; quoniam Theodoretus scribit eos docuisse serpentem meliorem esse et præstantiorem Creatore; quod hic quidem arboris cognitionis participes esse vetuerit, et ille permiserit. Gregorius Nyssen. putat ideo arborem illam prohibitam; quod vim haberet generandi in animo rerum malarum scientiam, quam habere hominem non expediebat. Veteres alii, ut Theophilus, August. XIV *De civit.*, cap. 12, et VIII *De Genesi*, cap. 106; Chrysost. hom. 16 in Genes.; Theodor. quæst. 26, in materiam obedientiæ exercendæ vetitam volunt.

Et insanabile. Delevimus « insensibile » auct. v. c.

Ejusdem adnotationes in cap. 38.

Pag. 222. *Quapropter inimicitiam.* Τὴν ἔχθραν, quæ dicitur ira tempus ulciscendi observans. Disseritur autem de Christo, semine mulieris promisso, ut serpentis caput, id est mortem, Antichristum, diabolum, peccatum, infernumque homine salvo superaret. Atque ita illum Geneseos locum intelligendum ac explicandum esse docent, quæ sequuntur Gen. XII, 3, et XVIII, 18, et XXII, 4, ut et Paulus indicat Gal. III, 8. Adeo quoque manifestum est illius promissi sacri seminis nomine, Christum significatum esse; nomine autem serpentis, diabolum, ex Isaiæ cap. VII et IX, Joannis III, Rom. I, 6, 16, Hebr. II, 1, Petri V, Apocalyps. XII et XIII, et sanctorum Patrum unanimi consensu, ut nunquam satis mirari possim Calvini et Marlorati plusquam Judaicam impietatem, qua locum illum non de Christi ac Satanæ dissidio, sed de communi odio, vulgarique horrore, quo naturæ sensu universi a cunctis serpentibus abhorremus, malunt interpretari.

Super aspidem. Augustinus et Cassiod. hunc quoque locum de Christi et servorum ejus e diabolo victoria interpretantur. Diabolus, inquiunt, est aspis, dum occulte percutit; basiliscus, cum palam venena disseminat; leo, dum violenter persequitur innocentes; draco, cum negligentes impia voracitate deglutit. Vel, draco, dum occulte insidiatur per hæreticos; et leo, dum aperte sævit per tyrannos; quæ omnia per adventum Domini, pedibus ejus, id est a sanctis prostrata jacuerunt.

Ejusdem adnotationes in cap. 39.

Pag. 222. *Mentiuntur ergo.* Eamdem, quam hic confutat Tatiani et Encratitarum hæresim, repetivit lib. I, cap. 31, ubi et multa, quæ hunc locum expediunt, ex aliis auctoribus collegimus. Cæterum, Nicodemus Christi discipulus, et historia, quæ fertur nomine ejus, de passione et resurrectione Domini, refert Dominum Jesum, cum secundum animam 144 descendisset ad inferos, manum Adami tenuisse et dixisse: « Pax tibi cum omnibus filiis tuis justis meis. » Ipsum autem Adam Christi genibus advolutum lacrymabiliter deprecatum eum voce magna, his verbis: « Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me: Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me. Eduxisti ab inferis animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum [99], » etc.

Et concertant de. Expunximus « concertante; » et paulo post « profecit, » loco « proficit » substituimus, auctor. vet. cod.

Ejusdem adnotationes in cap. 40.

Pag. 222. *Traductis igitur omnibus.* Brevi recapitulatione concludit, quæ hactenus adversus varias Gnosticorum impietates disseruit; nimirum de uno Deo, Christi œconomia, et mundi creatione, deinde illorum sectis opponit Ecclesiæ catholicæ ubique constantem consonamque prædicationem, Spiritum sanctum in ea perpetuo residentem; ac idcirco summopere ab omnibus expetendam ejus communionem, ne ad omnem ventum doctrinæ fluctuemus.

Pag. 223. *Aspiratio.* Vet. cod., « ab inspiratione plasmationi, » ut alias forte fuerit, « ab inspiratione, » id est divina revelatione, « plasmatio, » id est hominis primi creatio, innotuerit; aut si excusa lectio placet, per « aspirationem » animam rationis capacem, quæ divino afflatu corpori infusa est, intelligit.

Et in eo disposita. Sic ex vet. cod. reposuimus, ut intelligatur in eo munere prædicationis et fidei, quod Ecclesiæ creditum est, communicationem Christi dispositam esse; nisi forte alias fuerit, « deposito, » cujus loco subrepsisset « disposito, » quod excusi codices habebant.

[96] Lib. de pœn. cap., 22. [97] Ibid., cap. 7, 8, 9 et 10. [98] In cap. X Luc. [99] Psalm. XXIX, 2, 3, 4.

Digitized by Google

Cujus non sunt participes. Idem canit vulgata ore omnium, nec ideo tamen minus gravis, beatissimi martyris Cypriani sententia : « Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. » Hæc digna quæ frequenter suis scriptis insereretur visa est Augustino, tomo VII, libro *De unitate Ecclesiæ*, et libro II *Contra litteras Petiliani*, cap. 38, et tomo IX, tract. 118 in Joan., et tomo II, epist. 50.

Super arenam. Alludit ad Christi verba Matth. VII, per arenam, varias, pugnantes et inconstantes hæresiarcharum sententias, quibus nitebantur, intelligens. Relatum est autem inter adagia : « In arena ædificas, » in eos, qui negotium inutile futurum, aggrediuntur. Similis parœmia est :

Arenæ semina mandas[1].

quæ non tantum inania opera, sed quæ simul jacturam quamdam gravem adjunctam habent, significat.

Epicuri Deum. Id est otiosum, et qui curam nullam habeat rerum creatarum. Talem enim Deum finxisse Epicurum, testes sunt Clemens, Theophilus, Justinus, Lactantius, Laertius, Plutarchus, et M. Tullius. Deum qualem fingebat Marcion, Tertullianus quoque vocat « Deum Epicuri, » libr. quarto; et libro primo « Epicurum Marcionis consiliarium appellat.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 40.

Pag. 222. *Per initia, et medietates et finem.* Intelligo ea quæ inter ipsa temporum initia, in creatione gesta sunt, quæque postea intermediis sæculis prophetarum, in fine denique, Christi, et apostolorum ævo contigerunt. Hæc enim omnia percurrens Irenæus, undique argumenta pro fide Ecclesiæ deprompsit.

Pag. 223. *Lacus detritos.* Græce, λάκκους συντετριμμένους, per quos hoc loco illegitima conventicula eorum qui ab Ecclesia separantur, innuere videtur.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 41.

Pag. 223. *Providentiam habet Deus* Mundum divina providentia, id est paterna Dei sollicitudine et ratione gubernari, etiam ethnicorum testimonio confirmat, adversus Epicureos Gnosticorum tum errores, tum mores. Hujus exstant præclara apud Tullium testimonia. « In mundo Deus est aliquis, » ait lib. I *De nat. deor.*, « qui regit, qui gubernat, qui cursus astrorum, qui mutationes temporum, rerum vicissitudines, ordinesque conservat, terras et mare contemplans; hominum commoda, vitasque tuetur, etc. Ut hominum membra nulla contentione, mente ipsa et voluntate moventur, sic numine deorum omnia finguntur, moventur, atque mutantur. » Et oratione *Pro Roscio* : « Commoda quibus utimur, lucem qua fruimur, spatium quod ducimus, a Deo nobis dari et impartiri videmus, » etc.

Ethnicorum quidam. Inter hos, Aratum, Simonidem, Euripidem, Menandrum, Thestium et Dionysium numerat Theophilus Antiochenus, libro secundo *Ad Autolycum*; quibus libro tertio Aristotelem adjungit. Justinus libro *De monarchia*, quamplurimos alios enumerat. Augustinus de Seneca scribit lib. VI *De civit.*, cap. 10 : « Colebat quod reprehendebat; agebat quod arguebat; quod culpabat adorabat. » Tertullianus, cap. 45 *Apol.*, Platonicos Deum intra mundum constituisse refert, qui gubernatoris exemplo, intra illud sedeat, quod regat.

Ejusdem adnotationes in cap. 42.

Pag. 223. *Rursus ut increpaticum* Hoc capite paucis absolvit, quæ copiose et ornate disputavit postea Lactantius libro integro *De ira Dei*, et Tertullian., passim lib. I *Contra Marcionem*, Origenesque in calce dialogi primi, et initio secundi contra Marcionitas. Probat autem Irenæus fortissimo dilemmate, non esse alium Deum mundi judicem, alium vero Salvatorem constituendum; quandoquidem unicus sit, infinita simul præditus justitia, ut malos plectat, atque bonitate, ut piis benefaciat, et salutem impertiatur. Vocat autem increpativum et judiciale, quod Græcis est τὸ ἐλεγκτικὸν καὶ κριτικὸν, id est potestatem seu vim redarguendi et judicandi. Vel τὸ ἐπιτιμητικόν, id est vis puniendi.

Indignum id Deo Sic vet. cod.; excusi, « ideo. »

Ejusdem adnotationes in cap. 43.

Pag. 224. *Marcion igitur.* De hoc, libro primo, cap. 29, ostenditur porro unicum esse Deum, summe bonum, summe justum, summe sapientem, summe patientem et longanimum, qui denique reddet unicuique juxta opera sua, judicans orbem in æquitate.

Quia Deus non est, cui bonitas desit. Argumentis hujusmodi, ad absurda et inopinabilia ducentibus, eumdem Marcionem sæpe urget Tertullianus lib. I : « Deus, si non unus est, non est; quia dignius credimus non esse, quodcunque non ita fuerit, ut esse debebit. » Et rursus : « Ex hoc quoque negabimus Deum, in quo non omnia, quæ Deo digna sint, constent, » etc.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 43.

Pag. 224. *Dividens Deum in duo.* Ast tria principia Marcionem statuisse a quibusdam memoria proditum est. Vide Athanasium de synodi Nicænæ decretis tom. I, pag. 422; Cyrillum Hieros. catech. 16, Epiphanium hæres. 42, Damascenum *De hæresibus*, etc. Hinc in dialogo Origenis, vel Maximi contra Marcionitas, sect. I, pag. 3. Megethius horum partes agens ait : Ἐγὼ φημι εἶναι τρεῖς ἀρχάς, Θεὸν τὸν πατέρα τοῦ Χριστοῦ ἀγαθὸν, καὶ ἄλλον, τὸν δημιουργὸν, καὶ ἕτερον τὸν πονηρόν. « Ego tria principia esse statuo, Deum Patrem Christi bonum, et alium conditorem mundi, ac ab his diversum, malum. » Et pag. 4 : Ἡ ἀγαθὴ ἀρχὴ τῶν Χριστιανῶν ἄρχει· ἡ δὲ δημιουργικὴ τῶν Ἰουδαίων· ἡ δὲ πονηρὰ τῶν ἐθνικῶν. « Principium illud bonum præest Christianis; mundi autem opifex Judæis; et malum ethnicis. » Imo vero Theodoretus lib. I *Hæret. fabul.*, cap. 24, quatuor ἀγεννήτους οὐσίας, « ingenitas substantias, » Marcionem statuisse refert, tres scilicet modo dictas, et « materiam, quæ malo subsit. » Sed hi scriptores, aut memoriæ lapsu, aut inadvertentia, ipsi Marcioni attribuerunt quod quibusdam ejus sequacibus, vel corrivalibus, præsertim cuidam nomine Synero, competit, ut ex Rhodonis libro contra Marcionem, sive potius fragmento ejus apud Eusebium lib. V *Hist. eccl.*, cap. 13, discimus, sequentia ibi legentes : Ἀπὸ τῆς τούτων ἀγέλης Ἀπελλῆς μὲν μίαν ἀρχὴν ὁμολογεῖ· ἕτεροι δὲ, καθὼς καὶ αὐτὸς ὁ ναύτης Μαρκίων, δύο ἀρχὰς εἰσηγοῦνται· ἄλλοι δὲ πάλιν αὐτῶν ἐπὶ τὸ χεῖρον ἐξοκειλάντες, οὐ μόνον δύο, ἀλλὰ καὶ τρεῖς ὑποτίθενται φύσεις· ὧν ἐστὶν ἀρχηγὸς καὶ προστάτης Συνέρως, καθώς οἱ τὸ διδασκάλιον αὐτοῦ προβαλλόμενοι λέγουσιν. « Ex illorum (Marcionitarum) grege Apelles unum fatetur esse principium. Alii vero, perinde ac Marcionnauta ille, duo introducunt principia. Alii rursum ab his, tanquam tempestate in pejus abrepti, non duas solum, sed tres supponunt naturas; quorum princeps et antesignanus fuit Synerus, ut disciplinæ illius sectatores memorant. » Quem Eusebii, vel potius Rhodonis ab Eusebio citati, locum respiciens Augustinus lib. *De hæresibus* ad Quodvultdeum, cap. 22, scribit : « Marcio, a quo Marcionitæ sunt, qui Cerdonis secutus est dogmata de duobus principiis, quamvis Epiphanius eum tria dicat asseruisse principia, bonum, justum, pravum. Sed Eusebius Synerum quemdam, non Marcionem, trium principiorum, atque naturarum scribit auctorem. » Synero præivit, aut astipulatus est Ptolemæus in epist. ad Floram tom. I Spicilegii Patrum et hæretic. sæculi II, p. 78 seq. De Marcione autem rem confir-

[1] Quid., Iter. V, v. 115.

Digitized by Google

mat, præter Irenæum, Tertullianus lib. I contra illum, cap. 6, dicens : « Marcionem dispares deos constituere, alterum judicem, ferum, bellipotentem; alterum mitem, placidum, et tantummodo bonum, atque optimum. » Confer Origenem jamjam citandum.

Alterum quidem bonum, et alterum judicialem dicens. Ita et Origenes in Exodum, tom. I *Comment.*, pag. 17 seq. Marcionitas innuens, ait : Οἱ δὲ ἕτερον θεὸν φάσκοντες παρὰ τὸν δημιουργὸν, δίκαιον μὲν αὐτὸν θέλουσι, καὶ οὐκ ἀγαθὸν, σφόδρα ἰδιωτικῶς ἅμα καὶ ἀσεβῶς ἐνεχθέντες, ἐν τῷ χωρίζειν δικαιοσύνην ἀγαθότητος, καὶ ἀγαθότητα δίχα δικαιοσύνης. « Quidam vero alium Deum asserentes præter mundi opificem, hunc quidem justum esse volunt, sed non bonum : stulte id quidem et impie, cum justitiam a bonitate separant, et a justitia bonitatem. » Et *Comment. in Joannem*, pag. 38, de iisdem loquitur tanquam οἰηθεῖσι δίκαιον μὲν εἶναι τὸν δημιουργὸν, ἀγαθὸν δὲ τὸν τοῦ Χριστοῦ Πατέρα, « existimantibus justum quidem creatorem mundi, bonum vero patrem Christi. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 44.

Pag. 224. *Qui igitur solem.* Ex effectis cœlestibus docet providentiam et beneficentiam Dei in omnes nunc extendi; futurum autem grave judicium in ingratos et blasphemos, cujusmodi erant Marcionitæ et Gnostici.

Ejusdem adnotationes in cap. 45.

Pag. 224. *Quibus religiosior Plato ostenditur.* Platonis philosophiam a vera Christianorum religione non ita multum abhorrere, quantis potest testimoniis, ex illius scriptis adductis, et cum præcipuis fidei nostræ capitibus collatis, ostendit Eusebius posterioribus sex lib. *De præpar. evang.* Augustinus cum decem capitibus libri octavi *De civit. Dei* multa præclara de Platone disseruisset, undecimo investigat, unde, a quibusve didicerit tanta, quæ religioni nostræ congruunt. Eorum rejicit sententiam, qui opinantur Platonem in sua apud Ægyptios peregrinatione, Jeremiam prophetam audivisse, et cum eo congressum : quam tamen lib. II *De doctrin. Christ.*, cap. 28, ut sui in Christo patris (ita enim de eo loquitur, a quo sacro fonte lotus fuerat) B. Ambrosii ex animo probaverat. Contendit postea Platonem sacras Scripturas legere non potuisse, quippe quæ in Græcam linguam necdum translatæ essent : quod de LXX translatione verum quidem ostendit chronologia. At aliam fuisse ante Alexandri, imo et Persarum imperia, unde quidquid veri et recti docuerunt, hauserint philosophi, contendit Eusebius lib. IX *De præparat.*, cap. 3, et lib. XIII, cap. 7. Libenter autem admittit Augustinus, Platonem, acerrimi judicii virum, sicut Ægyptias, sic et Hebræas litteras per interpretem didicisse.

Et Deus quidem. Locus hic Platonis, etc. *Vide infra notam Ern. Grabii in eumdem locum.*

Ejusdem adnotationes in cap. 46.

Pag. 224. *Et iterum.* Rursum ex Platone docet, mundum istum non ex ignorantia, labe, aut Æonis aberrantis virtute conditum esse; sed divina, cœlestique virtute atque bonitate : quod etiam Cicero eumdem Platonem asseruisse testatur lib. I *De natura deor.* et libro *De universo.*

Nec labis fructum. Sic ex vet. cod. restituimus; excusi « nec de his. » Paucis autem ea Gnosticorum figmenta constringit, quæ latius lib. I, cap. 1 descripserat.

Digna enim commentati et commentiti sunt. Duas voculas ex vet. cod. addidimus, quæ mire conveniunt. Alludere porro videtur ad hæc verba Danielis ad alterum impurorum Susannæ judicum : « Recte et tu mentitus es in caput tuum [2]. » Etenim ut illi, suis adulteriis, ejus castitatem contaminare, sic hæretici Ecclesiæ sponsæ Christi fidem doctrinamque temerare nituntur.

Recepit. Delevimus « recipit » auctor. vet. cod.

Nos autem precamur. Magna Patrum pietas, qui nec pro infestissimis Ecclesiæ hostibus orare desinebant. Sic Ignatius Smyrnenses hortatur pro hæreticis orare, si quovis modo eos pœniteat.

Prorogavimus autem. Id est distulimus opportuniore loco : sic legendum ex vet. cod. proponimus, cujus auctoritate expunximus, « prærogavimus. »

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 46.

Pag. 224. *Et Deus quidem.* Locus hic Platonis exstat dialogo quarto *De legibus* : in quo pro « recte perficit, » quod hic habetur, Ficinus, « recta peragit; » ego forsan melius d'xerim, « recta pergit, » cum Græce legatur εὐθεῖαν περαίνει. Deinde quod Plato veterem de Deo sermonem usurpat, respexisse arbitror ad veteris Orphei carmina, quæ apud Proclum leguntur :

Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς ὕστατος ἀργικέραυνος,
Ζεὺς κεφαλὴ, Ζεὺς μέσσα. Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.

Id est,

Jupiter primus est, Jupiter ultimus fulminator,
Jupiter caput, Jupiter medium : ab Jove autem omnia [facta sunt.

Feuard. Placet Græca Platonis verba, ex edit. Serrani tom. II, pag. 715 seq. transcribere, ita sonantia : Ὁ μὲν δὴ θεὸς (ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος) ἀρχὴν τε τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων, εὐθεῖαν περαίνει, κατὰ φύσιν περιπορευόμενος. Τῷ δὲ ἀεὶ ξυνέπεται δίκη, τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός.

Et iterum. Dicere debebat Feuardentius, ubi Plato hoc docuerit, et indicare locum ex quo Irenæus citata verba deprompsit. Id vero opus, is labor erat [3], quem, perinde ut Erasmus et Gallasius, subterfugit. Atqui locus est in *Timæo*, tom. III edit. Serrani, pag. 29, ubi expresse ait, quod ὁ δημιουργὸς ἀγαθὸς, « mundi opifex bonus » sit, quoque contrarium « dictu nefas » exsistat, μηδ' εἰπεῖν τινι θέμις. Et post alia, in fine dictæ paginæ sequentia habet verba, quibus et ista ab Irenæo allegata continentur : Λέγωμεν δὴ, δι' ἣν αἰτίαν γένεσιν καὶ τὸ πᾶν τόδε ὁ ξυνιστὰς ξυνέστησεν. Ἀγαθὸς ἦν, ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος. Τούτου δ' ἐκτὸς ὢν, πάντα ὅτι μάλιστα ἐβουλήθη γενέσθαι παραπλήσια αὐτῷ. Ταύτην δὲ γενέσεως κόσμου μάλιστ' ἂν τις ἀρχὴν κυριωτάτην παρ' ἀνδρῶν φρονίμων ἀποδεχόμενος, ὀρθότατα ἀποδέχοιτ' ἄν. Quæ Joannes Serranus ita Latine reddidit ampliora : « Quæramus igitur causam, quæ eum impulerit, qui hæc machinatus est, ut originem rerum et molitionem hujus admirabilis universi constitueret. Bonitate videlicet præstabat; in bonum autem nulla de ulla unquam re cadit invidia (id est nullam rem ulli unquam invidet). Cum ab illa igitur liber et immunis esset, omnia voluit quam maxime sui similia generari. Hanc gignendi mundi principem primariamque causam, qui e sapientum hominum sententia statuerit, rectissime profecto statuerit. » Possem plura Platonis loca addere; sed brevitatis ergo unicum, eumque Latine tantum, ex versione Serrani recitabo. Ita vero sonat dialogo II *De republica*, tom. II, pag. 379 : « Constanter attribuenda sunt consentanea Dei naturæ; sive in heroico carmine, sive in lyrico, sive in tragœdia inducatur. Consentaneum est sane. Nonne constituendum est, Deum revera esse bonum, et ita constanter dicendum est? Quidni?..... Neque igitur Deus, inquam, quandoquidem bonus est, omnium rerum causa fuerit, quemadmodum aiunt multi..... Bonarum quidem rerum causa nulla alia statuenda est, præter Deum; malarum autem aliæ quæpiam causæ investigandæ sunt; sed

[2] Dan. XIII, 55. [3] Virg. Æneid. VI, vers. 120.

Digitized by Google

nullo modo Deus mali auctor existimandus est. » Et post aliqua, sequenti pag. 380, ita pergit : « Dicendum est, Deum bene et juste egisse, atque eas illis pœnas inflixisse, ut ex iis utilitatem aliquam reportarent. Verum et eos miseros esse, qui dent pœnas, et Deum illum esse, qui hæc agat; hoc vero minime concedendum est poetæ ut dicat. Sed si diceret malos homines, utpote per se miseros, suppliciis indigere, dum autem pœnas dant, a Deo juvari; illud quidem permittendum est, ab illis hactenus dici. Deum autem, quippe qui bonus est, cuiquam auctorem causamque exstitisse mali, A hoc vero omni contentione refutandum est, neque concedendum, ut quisquam hæc vel dicat, vel audiat in civitate, si illam bene constitutam optamus..... utpote quæ dicta, neque pia sunt, neque utilia, neque ipsa sibi ipsis consentanea, atque congruentia..... Ilæc igitur una lex sanciatur, et formula religionis constituendæ..... Deum bonarum rerum esse causam; non omnium indifferenter, ut malarum, quæ ab illo plane removeantur. » Ex quibus sole clarius elucet, Platoni eumdem Deum, et justum, et maxime bonum fuisse; non autem duos eum cum hæreticis commentum esse.

VARIORUM NOTÆ

IN LIBRUM QUARTUM SANCTI IRENÆI.

Adnotationes Fr. Feuardentii in præfationem libri quarti.

146 Pag. 227. *Eum autem, qui velit eos convertere.* Tum ex hoc loco, tum ex aliis non obscure colligitur, Irenæum non verbis solum in hæreticos fidenter decertasse, verum et illorum tractatus contentioso studio pervolvisse, quo fundamentis eorum, quasi ab imo detectis, universam hæreseon structuram melius postea demoliretur ac subverteret. Nec levioribus conjecturis ductus arbitror, magna quondam prudentia, gravique consilio proceres Ecclesiæ, cum ejus pacem turbare, et doctrinam labefactare hinc inde emissis libellis suis studerent hæresiarchæ, prudentes, sinceros, et argutos quosdam ex suo cœtu viros delegisse, qui istiusmodi codices perlegerent; et præcipua capita fortioribus argumentis refellerent, absurdas impietates, quas coram evomere non audebant tenebriones, pii illi erutas et patefactas e medio tollerent et exstinguerent. Alii vero, quibus hoc negotium demandatum non esset, ut tanquam a nefariis rebus, libellis illis abstinerent, aut Constantini Magni exemplo, flammis absumendos traderent [a]. Huic conjecturæ fidem facere puto, quæ tradit initio libri quinti, se nempe diluere his quinque libris impias sententias, quas suis in scriptis hæretici reliquerunt : quatenus postulationibus et præcepto ejus, ad quem hos suos libros consecrat, morem gerendo, eidem plurima in subsidium præstet, quibus neophytorum sensum confirmet, errantes reducat, et validis rationibus reprimat, melioresque efficiat pervicaces. Accedit frequens illa scriptorum Valentini apud Clementem Alex. commemoratio : et ad Dionysium demissa e cœlo vox apud Eusebium [b] : « Lege omnia quæcunque in manus tuas venerint, quia probare quæque, et singula discernere potes. » Epiphanium, Marcionis; Augustinum, Fausti, Maximini, Cresconii, Gaudentii, Parmeniani, Petiliani, Cœlestii, Juliani; Hieronymum, Joviniani, Helvidii, Vigilantii; Basilium Magnum, Eunomii; Cyrillum Jerosol. Manichæorum [c]; et Gregorium, et Cyrillum, Juliani apostatæ; Primasium, Ticonii Donatistæ; Ambrosium et Prudentium, Symmachi impia scripta ea de causa perlegisse, planum atque manifestum omnibus est.

Pag. 228. *Quemadmodum enim serpens.* Convenienti certe et observatione digna est hæc hæreticorum cum serpente collatio, quam rursus usurpat lib. v. Eadem, sed fusius explicata, utitur Augusti- B nus lib. II *De Genesi contra Manich.*, cap. 25, 26, 27, et Athanasius Magnus orat. 2 contra Arianos; imo et Apostolus II Cor. XI, 3.

Et tunc quidem. Ita vetus codex; excusi, « et tunc quid in apostata. »

Non solum apostatas eos faciens. Sic et Tertullianus lib. *Præscript.* : « Persecutio, ait, martyres facit, hæresis apostatas tantum. » Et Augustinus, hæreticos de lethargicis phreneticos plane facere scribit, lib. *De utilitate credendi*, cap. 18. Cæterum, apostatæ nomen usurpant profani scriptores pro eo, qui a proprio duce ad hostes deficit; sacri vero pro eo, qui a Christiana et catholica religione ad ethnicos, Judæos, vel hæreticos. Ita Justinus martyr in *Dialogo*, Anacletus epist. 1, Hermas lib. III, Cyprianus epist. 17 et 58. Paulus quoque insignem eam defectionem, quæ Antichristi adventum præcedet, ἀποστασίαν nuncupat II Thess. II.

Derogando salutem. Id est aliquid de ea diminuendo et detrahendo. Cicero *Pro Fonteio* : « Quorum rebus gestis fidem et auctoritatem in testimonio inimicitiarum suspicio derogavit. » Expunximus « derogendo, » vet. cod. auctoritate. C

Ex adnotationibus Joan. Ern. Grabii in præfationem.

Pag. 226. *Christum et Spiritum sanctum propter labem emissum docuerunt.* Supra pag. 13, lin. 13 seqq. (pag. 11, l. 23 seqq.) Christum et Spiritum sanctum ideo a Monogene prolatos docebant, ut Æones restaurati confirmarentur. Peccaverunt enim, desiderantes Bythum incomprehensibilem contemplari, juxta pag. 10, lin. 12 seqq. (pag. 8, l. 20 seqq.) Atque ne hac labe ulterius inficerentur, Christus eos docuit, quod incapabilis et incomprehensibilis sit Pater, quodque frustraneum sit eum comprehendendi desiderium.

Salvatorem ab his Æonibus, qui a labe emissi sunt, fructificationem esse. Jesum τέλειον καρπόν, D « perfectum fructum » Æonum ab hæreticis dictum pag. 14, lin. 22 (pag. 12 et 13) legimus, quia scilicet singulos Æones, quod habebant in se optimum atque florentissimum (ἀνθηρότατον), in eum contulisse fingebant, ut ibidem docetur. Istos vero Æones dum a labe emissos dicit, hoc non ita accipiendum est, quasi a labe, sive vitio originem ceperint; neque enim ista erat Valentinianorum sententia, qui in solum Demiurgum, sive mundi opificem hanc blasphemiam ejaculabantur; sed a labe « emissos, » id est « ereptos, liberatos, » intelligere necesse est (quanquam durior sit ista

[a] Sozom. l. I Hist., c. 20. [b] Lib. VII Hist., cap. 6. [c] Catech. 6.

Digitized by Google

phrasis), siquidem hæretici « confirmatos » ac a labe restauratos Æones Jesum, mutua collatione facta, produxisse statuebant citatis pag. 12 et 13.

Ab initio speculatores et ministri fuerunt verbi veritatis. Ἐπισκόπους καὶ διακόνους Græce Irenæum scripsisse conjectavit in margine sui Irenæi reverendus admodum Pearsonus. Sed mihi nullum dubium est, quin ab Irenæo dicti sint, οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου, ex Luc. I, 2, quem locum idcirco subnotare visum fuit.

Pag. 228. *Eamdem ei formam et appellationem tribuit Deus.* In S. Scripturis enim Spiritus sanctus diabolum « serpentem » appellat, de quo vide Justin. M. *Apologiam* ad Antoninum Pium, pag. 56 nostræ editionis, ac ibidem num. 5 et 6 adnotata. Quo sensu autem Deus « formam » serpentis diabolo tribuisse ab Irenæo dicatur, vix conjectando assequi potis sum; nisi forte permissam a Deo idololatriam ethnicorum respexerit, utpote qui deos suos, id est dæmonia, sæpe sub signo serpentis coluerunt. Unde S. Justinus loco citato ait: Παρὰ παντὶ τῶν νομιζομένων παρ' ὑμῖν θεῶν (θεῶν) ὄφις σύμβολον μέγα καὶ μυστήριον ἀναγράφεται. « Apud quemque eorum, qui a vobis censentur, deorum, serpens magni instar symboli ac mysterii pingitur. »

Extenditur malum in homines. Id est peccatum, in quod diabolus homines detrudit, augetur. Eva quippe ad inobedientiam seducta fuit; isti vero hæretici in blasphemias prolapsi.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 1.

Pag. 228. *Cum verbo suo.* Hac sententia et aliis compluribus evidentissimum est, Irenæum pie et orthodoxe de Filii æternitate, deitate, et, ut ita dicam, consubstantialitate sensisse et docuisse: proindeque Servetum, et quosdam fanaticos alios, vel summa improbitate, vel pudenda inscitia laborare, qui pro se illum facere nugantur; cum Dei nomen ita proprie ad Patrem res ringunt, ut Filio vel penitus detrahant, vel non nisi diminute, et quasi precario permittant. Etenim quantum ad coæternitatem ejus attinet, lib. II, cap. 43, Filium infectum esse, Patrique semper coexstitisse affirmat; et lib. IV, cap. 57, « Verbum, id est Filius, ait, semper cum Patre erat. » Et lib. eodem, cap. 48, generationem ipsius etiam angelicis mentibus inenarrabilem et ignotam omnino probat. Et ipsum Patri esse ὁμοούσιον, et vere, naturaque Deum aperte docet lib. III, cap. 6, 12, 16, 18, 21, 23, et ut innumeros alios locos præteream, ad extremum præfationis in hunc librum, Patrem et Filium Dei nomine in Scripturis appellari, se manifestasse tradit. Multiplici autem testimonio concludit, unicum et solum verum Deum, atque rerum omnium conditorem ac Dominum esse. Primo, Spiritus sancti æterna prædicatione; secundo, omnium vere docentium et credentium sententia; tertio, apostolorum constanti doctrina et consensione; quarto, ipsiusmet Christi Dei ac Domini nostri præcipientis eum invocare Deum et Patrem, qui in cœlis est, gravissima auctoritate. Ex quibus infert, Gnosticos impostores esse perversissimos, qui alium Deum supra Creatorem confingerent.

Et eos qui adoptionis spiritum accipiunt. Quo pacto Dei **147** appellatio ad eos transeat, quos Pater per Filium adoptavit, explicat idem Irenæus cap. 79 libri hujus, nempe quod a Deo conditi sint, simulque doctrinæ ejus fidem adhibeant, et ad illius nutum sepsos componant. Hoc iterum exponit libro tertio, capite sexto.

Quam et terram et Jerusalem appellant. Inde arbitror Ebionæos damnasse lib. I, cap. 26, quod Jerusalem adorarent.

Sed potius distinxit eos. Sic vetus codex legendum docuit; excusi, « sed potius distinxisset, qui sunt verbotenus dii, ab eo qui sit verus. »

Ejusdem adnotationes in cap. 2.

Pag. 229. *Recapitulationem.* Hieronymus, epist. ad Paulinum, vocat Deuteronomium secundam legem, et legis evangelicæ præfigurationem. Theodoretus: « Deuteronomium continet recapitulationem eorum, quæ lege canta sunt, et gesta in libris Exodi, Levitici, et Numerorum [7],» etc. Docet autem Moysis, Davidis, Isaiæ, clarissimorum prophetarum apertis testimoniis, eum et unum, et solum Deum esse mundi conditorem, quem Christus in Evangelio Patrem suum multoties appellat.

Attende, cœlum. Ita singulari numero legunt LXX; vulgata editio et Sanctes: « Auribus percipite, cœli, » etc.

Pandoræ. Libro II, cap. 54, vocat Gnosticos, « satellites circa Pandoram dispositos. » At de Pandora adnotavimus in cap. 19 lib. II.

Matrem eorum. Cum ita habeant universi codices, temeritatis fuit Gallasio, contra omnium fidem, aliud substituere.

Adinvenerunt. Delevimus « adjunxerunt » auct. vet. cod.

Quem et Christus. Quod Christus hic affirmare dicitur, ad Patrem convenire oraculum istud: « Audi, Israel, Dominus Deus tuus, unus est » [8]; non id facit, ut significet hoc ipsum sibi quoque, ac Spiritui sancto non competere, quemadmodum impie nugantur Serveti et Gentilis sectatores novi Ariani; quandoquidem ut de unaquaque divina persona sigillatim dicitur, ait August.[9], Pater Deus unus est, Filius Deus unus est, Spiritus sanctus Deus unus est; ita et de tribus conjunctim, Pater et Filius et Spiritus sanctus, Deus unus est. Et rursum: Unus est Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, hoc est ipsa Trinitas unus est Deus, de quo dictum est quia nullus est Deus, nisi unus, qui dixit: « Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est. »

Ejusdem adnotationes in cap. 3.

Pag. 229. *De me enim ille scripsit.* Christum Moysis, et aliorum prophetarum, ac universæ legis finem unicum esse, atque prope animam, probant tot ab evangelistis, apostolis, potissimumque a Paulo contra Judaicam cæcitatem et pertinaciam adducta ex lege testimonia; in hoc quoque tota versatur Stephani protomartyris concio Act. VII.

Credetis. Ita vetus codex, Græce etiam πιστεύσατε; erasimus « creditis. »

Ejusdem adnotationes in cap. 4.

Pag. 229. *Expositio parabolæ.* Isthæc argumenta non esse Irenæi censuerunt, opinor, viri docti inter Germanos, quando in novissima Basileensi editione, his sublatis (rectene nunc non disputo), alia substituerunt. Nullus ergo, eorum calculo, ex adductis verbis tanquam Irenæi auctoritate, narrationem hanc de divite et Lazaro, parabolam tantum, vel figuratam esse locutionem confirmarei. Verum, licet illa esse Irenæi concesserimus, non tamen statim sequetur totam narrationem parabolicam et confictam esse; sed tantum aliqua ex parte, ubi præsertim de digitis, de oculis, de siti, et articulatis vocibus animorum, sermo est; cum hic subjungat Irenæus: « Non autem fabulam retulit nobis, » etc., et lib. II, cap. 62 et 63, inde probaverit animas nec mori, nec a corpore in corpus transire; id nunquam alioqui facturus ex parabola, quando ea de re Gnosticos frequenter damnaverit. Historiam igitur, et rei olim gestæ exemplum, ac narrationem, nobis ultro id concedentibus Luthero,

[7] Quæst. 1 in Deut. [8] Deut. VI, 4. [9] Lib. VII de Trin., cap. 4; lib. III contra Maximin., c. 10.

Digitized by Google

Bucero, Brentio et Calvino, non injuria vocabimus. Ad hoc vel repugnantes urgent Tertulliani argumenta, ubi ait : « Dolet apud inferos anima cujusdam, et punitur in flamma, et cruciatur in lingua, et de digito animæ felicioris implorat roris solatium. Imaginem existimas, exitum illum pauperis lætantis, et divitis mœrentis? Et quid illic Lazari nomen, si non in veritate res est [10]? » Alibi quoque, animas adhuc carnis exsules, torqueri vel foveri apud inferos, hoc exemplo probat[11]. Rursus Moysem et prophetas unicum Deum creatorem, et Patrem Christi prædicantes, hinc Marcionem audire jubet; quod ex figurata locutione acutissimus et acerrimus disputator sane non fecisset[12]. His accedit Græcorum et Latinorum Patrum mutuus consensus : Origen. dial. 2 in Marcionitas, et in psal. XVI; Cyprian. epist. 18; Basil. hom. de laudibus jejunii, et in regulis fusius disputatis, interrogat. 55; Hilar. in psal. CXXII; Hieron. epist. ad Marcellam, et epist. ad Paulam; Methodii serm. de resurr. apud Epiph. tom. I, lib. II; August. in psalm. CXLV et CXLVII; Euthymius denique ex traditionibus Hebræorum, rem vere gestam fuisse docet, divitemque illum Nynensem vocatum affirmat : cujus domus vestigia etiamnum ostenduntur ab incolis Jerosolymam peregrinantibus, ut episcopus Soarez sibi eam ab illis demonstratam profitetur, *Com. in Lucam.*

In eamdem pœnam. Expunximus « in eadem pœna, » auctor. vet. cod.

Multi qui sunt a circumcisione. Quindecim ordine succedentes episcopos Jerosolymis, ex Hebræorum gente, refert Eusebius lib. IV *Hist.*, cap. 5, qui omnes fidem et religionem Domini nostri Jesu Christi amplexati sunt, et apud alios magna diligentia propagare studuerunt. Multa etiam millia Judæorum in Christum credidisse docent Acta apostolica.

Perseverantem. Sic pro « perseverantes » substituimus auct. vet. cod.

Ejusdem adnotationes in cap. 5.

Pag. 229. *Ne, inquit, juraveritis.* Testimoniis prophetarum ac evangelistarum demonstrat unicum esse Deum fabricatorem cœli et terræ, quo non potest esse major, cujus Filium se confitetur Christus, salvans credentes et sperantes in se.

Terra suppedaneum. LXX, ὑπόπoδιον τῶν ποδῶν. Cyprianus lib. II adversus Judæos, cap. 4, « suppedaneum » quoque legit.

Qui enim super se. Huic similis est Tertulliani ratiocinatio, qua probat Deum unicum esse, quia summum magnum est, quo nihil superius et æquale excogitari possit, lib. I *Contra Marcionem.* Hinc etiam Prudentii antiquissimi et gravissimi poetæ versus in *Hamartigenia*, 20-24 :

Aut unus Deus est, rerum cui summa potestas,
Aut quia jam duo sunt, minuuntur dispare summo.
Porro nihil summum, nihil plenis viribus unum :
Distantes quoniam, proprium dum quisque revulso
Vindicat imperio, nec summa, nec omnia possunt.

Pag. 230. *Qui cœperant.* Delevimus « cœperunt » auct. vet. cod.

Indicto audientes. LXX, ἀπειθοῦσι, id est non obedientes : Sanctes, « principes tui declinantes; » Communis editio, « infideles. »

Non aliter salvari. Augustinus pro assertione peccati originalis adversus Julianum Pelagianum decertans, inter undecim Patrum antiquorum sententias, quas Pelagianis opponit, hujus loci ita meminit [13] : « Irenæus Lugdunensis episcopus, non longe a temporibus apostolorum fuit. Iste ait, non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plagâ, nisi credant in eum qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatus a terra, et omnia traxit ad se, et vivificavit mortuos. » Ex quibus patet impudentissimum mendacium Lutheri, dicentis in *Colloq*, pag. 98 et 99 : « Nullum Patrum ante Augustinum, originalis peccati fecisse mentionem. »

Ejusdem adnotationes in cap. 6.

Pag. 230. *Quoniam malignantes.* Respondet figmentis Gnosticorum; non idcirco Deum verum mutari, aut desinere esse, quod cœlum sedes ejus mutetur.

Sed et præteritionem. Huic quæstioni dissolvendæ etiam veteres theologi incubuerunt. Chrysostomus quidem ex his locis, « Vanitati subjecta est omnis creatura [14], » et « Ipsi peribunt [15], » itemque, « Cœlum ut fumus deficiet [16], » existimat cœlestia corpora et elementa, ob peccatum primi parentis, facta esse senectuti, corruptioni, atque interitui obnoxia; in ejus vero resurrectione, et ipsa immortalitate donanda [17]. Accedit Ambrosius [18] refellens eos qui, ut perpetuitatem cœlorum stellarumque assererent, ipsa quintum quoddam corpus æthereum esse finxerunt : contradicente de his Davide : « Ipsi cœli peribunt; » et Domino in Evangelio affirmante : « Cœlum et terra pertransibunt, » Lucæ 148 XXI, 33, etc. His omnes fere Græci Patres consentiunt, docentes cœlum natura sua corruptibile esse; providentia vero sola Dei nunquam corrumpendum. Certe Justinus martyr paucis quidem, sed firmissimis refellit Aristotelem dicentem, libro secundo *De cœlo*, ipsum cœlum, nec ortum esse, nec corrumpi aliquando posse; sed unum ac sempiternum; *Confutatione dogm. Arist.*, item Quæst. 93, 94, 95 orthodox. Novissimus autem, idemque acerrimus hujus sententiæ vindex est August. Eugubinus [19]. Expendens enim hæc B. Petri verba : « Adveniet dies Domini, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, » etc., indicat nimis coactam esse scholasticorum expositionem, dicentium cœlos nihil passuros, sed solum cessaturos a motu. Quod vero de cœlis sidereis B. Petrus loquatur, et non de aere, patere putat ex eo quod adjicit : « Elementa calore solventur. » Idem rursum *Com. in Epist. ad Heb.*, c. 1, sententiam suam confirmat ex his aliis B. Petri verbis : « Exspectantes adventum diei Domini, per quem cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent. Novos vero cœlos, et novam terram, juxta promissum ipsius exspectamus [20]. » Ad hæc, Joannes in Apoc. : « Vidi cœlum novum et terram novam [21]. » Et in Isaia : « Ecce, ego creo cœlos novos, et terram novam. [22] » Ex his Scripturarum testimoniis, inquit, nisi prorsus velimus verbis vim afferre, cogimur fateri futuram vere aliquam magnam cœlorum alterationem per ignem, et non tantum solius motus cessationem : per quam alterationem, novi quodammodo fundentur cœli, et longe fient pulchriores. Hæc iste. Hanc sententiam videntur etiam comprobasse Clem. Rom. lib. III *Recognit.*, Eusebius lib. XV *Præpar. evang.*, Nyssenus lib. *De creatione hominis*, Philastrius in *Catalogo*, Theodoretus in *Com.*, Hieronymus lib. XIV *Com. in Isaiam*, Œcumenius in II B. Petri, et alii multi.

Cui tamen nunc reclamant omnes tam philosophorum quam theologorum scholæ : fortissimisque argumentis contendunt corpora cœlestia prorsus esse incorruptibilia, et in sempiternum mansura. Habent namque substantiam, ab elementorum natura longe diversam : et formam, quæ cunctas impressiones peregrinas, secumque pugnantes qualitates longe longius ab his propulset. Præterea, jam tot tantisque sæculorum curriculis ita perman-

[10] Lib. de anima. [11] Lib. de resurrect., c. 19. [12] Lib. IV contra Marcion. [13] Lib. I, cap. 2. [14] Rom. VIII, 20. [15] Psal. CI, 27. [16] Isa. XLI, 6. [17] Hom. 14 ad Rom. et hom. 10 ad pop. Antioch. [18] Lib. I Hexaem., c. 6. [19] Com. in II Ep. B. Petri, c. III. [20] II Pet. III, 12, 13. [21] Apoc. XXI, 1. [22] Isa. LXV, 17.

Digitized by Google

serunt incorruptibilia, ut nullum unquam, aut senectæ, aut corruptelæ præbuerint argumentum : nihil de horum amplitudine imminutum, nihil de ornatu ac specie detractum sit; quod eos sic in perpetuum mansuros satis ostendit. Hæc denique sententia præter omnes, uti diximus, scholasticos, assertorem habet magnum antistitem Augustinum[23], affirmantem sidereos cœlos, nec postremo incendio purgandos, nec quidem ab igne conflagrationis, qui faciem postremi Judicis præcedet, attingendos esse; sed aereos tantum, id est elementa, quæ in sacris Litteris non semel cœlorum nomine designantur.

Acrius vero instanti in alteram sententiam, educta argumenta de cœlis sidereis intelligenda esse, cum B. Hieronymo respondendum[24], illud senescere, atteri, liquescere, dissolvi, transire, atque perire, quod de illis dicitur, non omnimodam perditionem vel abolitionem significare; sed mirabilem in meliorem et splendidiorem statum designare commutationem, de qua Isaias ait : « Luna fulgebit ut sol, et sol septuplum lumen accipiet[25]. » Paulumque recte dixisse, « præterire figuram mundi[26]; » sed non substantiam. Denique Petrum et Joannem non repromittere alios cœlos, aut aliam terram, sed veteres jam renovatos et commutatos.

In centesimo primo. Quia Hebræi psalmum nonum in duos partiuntur, is qui nunc ab Irenæo adducitur, apud eos centesimus secundus est, Græcis vero centesimus primus.

Quæ præterierunt. Ita cod. vet. Excusi, « quæ præterierunt. »

Ejusdem adnotationes in cap. 7.

Pag. 231. *Quare derelicta.* Auctoritate vet. cod. expunximus, « relicta; » et quod non satis Irenæi mentem exprimeret, quippe qui hoc capite confirmet, nihil divinæ amplitudini ac majestati decessisse, ex eo quod Jerusalem subvertenda a Romanis, aliisque gentibus derelicta sit, prius absolutis in ea humanæ redemptionis per Christum mysteriis.

Adhuc et de Jerusalem. Jerosolymam quasi domum Dei Ebionitas adorasse retulit lib. I, cap. 26. Sed in Marcionitas eum hoc capite disputare puto, qui vel ipsam in perpetuum staturam esse, vel veri Dei domum nunquam fuisse volebant; quorum utrumque absurdum est. Nam horribili clade eversa est sub Tito, rursusque sub Adriano, transmutato etiam veteri nomine, ut exstaret exemplum completarum universarum prophetiarum, et Christi exhibiti, punitique deicidii, et regnum Dei ad gentes translatum esse, compareret. Hæc amplissime tractat Tertullianus duobus capitulis lib. *Adversus Judæos.* Veri autem Dei civitatem sanctam, hæreditatem, et quasi peculium fuisse, propter legem, sacerdotium et promissiones de Messia, ex Scripturis exploratum ac certum est.

Quemadmodum Isaias ait. Hæc ad verbum transcripsit Theodoretus dialogo 2, usque ad id : « quæcunque enim temporale initium habent, » etc.

Ejusdem adnotationes in cap. 8.

Pag. 231. *In Joanne desivit.* Accommodato epitheto Tertullianus vocat « Joannem, limitem constitutum inter vetera et nova, ad quem desineret Judaismus, et a quo inciperet Christianismus[27]. »

Inchoans a David. Primus David Jebusæis expulsis hanc urbem Jerosolymam nuncupavit : « Nam sub Abrahamo parente nostro, » ait Josephus VII *Antiquit.*, cap. 3, « Solyma vocabatur. » — « Illam vero quondam Chananæorum quidam potens condiderat, » scribit Hegesippus[28], « qui patrio sermone Melchisedech, id est *rex justus* vocabatur. » Hieronymus tradit eam urbem quatuor nominibus vocatam fuisse : primo quidem Jebus; deinde Salem; postea A Jerosolyma; et sua ætate ab Ælio Adriano, Æliam; epist. ad Marcellam, ad Eustoch., ad Dardanum, et lib. *De locis Hebraicis.*

Legislationem. Delevimus « legislationis, » auct. vet. cod.

Omnia enim mensura. Damascenus lib. I *Parallelorum.*, cap. 2, hæc nominatim ex Irenæo citat : quæ (quoniam non potuimus Græca consequi) Latina ex interprete sic apponimus : « Deus certo modo atque ordine cuncta efficit; nunquam apud eum quidquam mensura caret; quandoquidem nec quidquam numeri expers est. »

Et velut custodiarium. Græci habent ὀπωροφυλάκιον, id est pomorum custodia. Cyprianus lib. I *Adversus Judæos* cap. 6, cum Irenæo legit : « Sicut casa in vinea, et sicut custodiarium in cucumerario. »

Quandoquidem et figuram mundi. Eodem ac fere pari exemplo utitur B. Petrus apud Clementem, contendens pariter mundi figuram aliquando dissolvendam. « Necesse est, ait, testam ovorum, quamvis pulchre et diligenter formata videatur, frangi, ut inde pullus procedat; ita et hujus mundi necesse est transire statuam, ut status ille sublimior regni cœlestis effulgeat[29]. »

Ejusdem adnotationes in cap. 9.

Pag. 231. *Joannes baptisator.* Sic eumdem frequenter nominat Tertullianus lib. *De anima*, et lib. *Contra Jud.*

Et animalia irrationabilia. Vet. cod., « inanimalia et irrationabilia, » quod tantum indicare visum est.

Liber in arbitrio factus. Referre hæc ad hominem duntaxat ante lapsum, impudentiæ est, quam large coarguunt quæ inferius habentur libri hujus cap. 29, 70, 71 et 72. Ad actiones externas et politicas modo dirigere, impudentissimum; cum de his præcipue loquatur, quæ coram Deo aut frumentum aut paleam, id est regno Dei vel gehenna nos dignos constituunt. In his autem hominem liberum esse, C adeo concors et unanimis est Patrum cum Scripturis utriusque Instrumenti sententia, adversus Simonis Magi, Marcionis, et Manichæi furores, ut magnum appareat mendacium Lutheri, dicentis in *Colloq.* pag. 42, « nomen liberi arbitrii odiosissimum fuisse omnibus Patribus. » Contra quod discipuli ejus Centuriatores Magdeb. fateri coguntur, non tantum primi sæculi, verum et sequentium omnium doctores orthodoxos hanc doctrinam amplexatos esse : a quorum tamen religione, non sine horribili cæcitate et gravissimo Dei judicio, deficere non verentur, ut in castra impiorum transeant.

Sed Irenæi catholicam hanc sententiam explicent confirmentque similes aliquot Patrum sententiæ. Tertulliani primum verba hæc sunt[30] : « Liberum, et sui arbitrii, et suæ potestatis, invenio hominem a Deo institutum, nullam magis imaginem et similitudinem Dei in illo animadvertens, quam ejusmodi status formam. » Et paulo post : « Oportebat imaginem et similitudinem Dei, liberi arbitrii et suæ D potestatis institui, in qua hoc ipsum imago et similitudo Dei deputaretur, arbitrii scilicet libertas et potestas. » Et iterum : « Nec boni nec mali merces juste pensantur ei, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate. »

In prima editione, hic signaveramus eumdem Tertullianum arbitrii nostri libertatem rursum confirmare in *Apologetico*, 149 lib. *Ad Scapulam*, lib. *De exhortatione ad castitatem*, lib. *De monogamia*, lib. *De patientia*, et lib. *De carne Christi*, etc., at vero hos locos se non potuisse invenire scribit Pamelius, nota 38 in secundum libr. Tertull. *Adv. Marc*, hanc nostram citationem, quantum judico, subnotans. Sed cum Tertull. *Apolog.* cap. 23 aperte scribit, etiam « in cacodæmonibus potestatem de suo

[23] Lib. XX Civit., cap. 21. [24] Lib. XVIII Com. in Isaiam. [25] Isa. XXX, 26. [26] I Cor. VII, 31.
[27] Lib. IV contra Marcionem. [28] Lib. V, cap. 9. [29] Lib. III Recog. [30] Lib. II contra Marc.

Digitized by Google

arbitrio inesse ; » et cap. 28. « Iniquum esse liberos homines invitos urgeri ad sacrificandum ; » æqui rerum æstimatores facile mecum judicabunt libertatem arbitrii ab illo constitui. Cum etiam libri *De testimonio animæ*, cap. 2, « animam rationalem » compellat, « palam, et tota libertate quæ sentit pronuntiare ; » et libri *Ad Scapulam*, cap. 1, profitetur Christianos « ultro prorumpere ad martyria ; » et cap. 2, « naturalis potestatis dicit esse unicuique quod putaverit, colere ; religionemque sponte suscipi debere, non vi ; » homines libera mente præditos esse manifeste prædicat. Quid vero apertius et firmius pro assertione libertatis nostræ, quam quod ait lib. *De exhortatione ad castitatem*, cap. 2, « aliquid esse in nobis ipsis, nobisque esse voluntatem eligendi, sicut scriptum est : « Ecce, posui « ante te bonum et malum, [31], » etc., et quod in nostro positum est arbitrio, nos referre non debere in Dei voluntatem [32] ? » Annon quoque hoc ipsum comprobat lib. *De monogamia*, cap. 5, loquens « de libertate ciborum » gentibus ab apostolis concessa ; et cap. 10, viro ac uxori « animi sui licentiam a Deo datam » affirmans [33] ? Et lib. *De patientia*, cap. 7, docens terrena « libenter » amittenda ? cap. 8, « sponte » largiendum ? cap. 10, « arbitrium » defensionis nobis non esse arrogandum ? Cæteros locos prætermitto, eo quod etiam ab ipsomet Pamelio collecti sint, loco superius designato. Mihi inpræsentiarum satis est, manifestis Tertulliani testimoniis evicisse, me recte illum in testem liberi arbitrii appellasse.

Nunc illi adjicio Clementem Alex. « Vestrum est, inquit [34], regnum cœlorum, si velitis, qui liberam animi voluntatem ad Deum direxeritis ; vestrum est, si tantum volueritis credere. » Et in *Pædag.* [35] legatione Moysis ad Pharaonem hæc duo aperte ostensa colligit, et Deum præscivisse futurum, et ejus benignitatem libero animi Pharaonis arbitrio largitam esse occasionem pœnitentiæ. Idem rursus lib. I *Strom.* : « Nec laudes, ait, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia justa sunt, si anima non habeat liberam potestatem et appetendi et aggrediendi. » Et iterum : « Dicit propheta : « Si velitis, et me audieritis, bona terræ comede- « tis [36] ; » in nobis situm esse arguens, et eligere, et declinare. Voluntaria enim est electio et delectus voluntatis. » Et lib. II : « Incredulus fundamentum salutis non habet, fidem voluntariam ; nos autem qui libera et absoluta potestate eligere, et vitare a Domino datum esse hominibus, a Scripturis accepimus, judicio quod transmoveri non potest, fidei acquiescamus. » Et rursum : « Defectio, et recessus, et inobedientia, sunt in nostra potestate, sicut etiam est in nostra potestate obedientia. Quocirca judicantur quæ sunt voluntaria : non judicatur autem quod est involuntarium. » Et paulo post : « Peccatum est voluntaria injustitia ; injustitia autem est vitium voluntarium. Non imputantur quæ non constant, et instituto, et libera electione. » Et lib. III : « Quemadmodum is est laudandus, qui libertate usus est ad vivendum ex virtute ; ita multo magis, qui dedit nobis liberam et nostri juris potestatem, et concessit nobis vivere ut vellemus, est venerandus et adorandus, ut qui non permiserit ut nostra electio et vitatio serviret necessario. » Prætermittam consulto quæ in eamdem sententiam scribit idem, fol. 110, 111, 113, 121, 140, 145, 149, 153, in libris Basileæ excusis 1556. Locos tamen copiose signamus, ut crassissimi mendacii et sycophantiæ convincantur Magdeburgenses, qui hunc Clementem cum aliis Patribus, sibi hac in re non constare, sed secum pugnare, scribere non erubuerunt, centur. 2, p. 59.

Accedat Justinus martyr [37]. Is Deo visum esse prositetur angelos et homines, quos obsequentes habere volebat, liberæ potestatis ad bene agendum condere, ut juxta ipsius leges judicarentur, si quid a recto deflecterent. Idem in priore *Apologia*. « Nulla laude, scribit, quidquid esset dignum, nisi esset ad utrumlibet flexibile. » In posteriore vero, « Nisi homines possent suo arbitratu turpia fugere, et honesta sectari, extra culpam fore quidquid agerent, » recte colligit.

Sed hanc disputationem claudant gravissimæ Petri apostoli, adversus Simonem Magum, ratiocinationes, quas scriptis mandavit, qui aderat Clemens Rom. « Quomodo Deus judicat secundum veritatem unumquemque pro actibus suis (dicebat Apostolus), si aliquid agere in potestate non habuit ? Hoc si teneatur, convulsa sunt omnia : frustra erit studium sectandi meliora, sed et judices sæculi frustra legibus præsunt, et puniunt eos qui male agunt : non enim in sua potestate habuerunt, ut non peccarent. Vana erunt et jura populorum, quæ malis actibus pœnas statuunt ; miseri erunt et ii qui cum labore servant justitiam ; beati vero illi qui in deliciis positi, cum luxuria et scelere viventes, tyrannidem tenent. Secundum hæc ergo, nec justitia erit, nec bonitas, nec ulla virtus, et, ut vis, nec Deus. »

Omittam quæ his penitus consimilia leguntur apud Dionysium Areop., Ignatium, Martialem, Clementem, Hegesippum, Theophilum Antiochenum, et reliquos primi sæculi Patres. Tantum, per eum qui venturus est judicare vivos et mortuos, obtestor Gnosticos posteriores, attendere quos suarum opinionum parentes, et quos auctores probabiles sive improbabiles sectentur ; neque vereantur ad meliorem mentem et frugem redire, et manum ultro sibi oblatæ veritati tradere.

Ejusdem adnotationes in cap. 10.

P. 252. *Ego testis.* Græcam LXX lectionem sequitur, quæ hic ab Hebraica veritate et communi editione nonnihil deflectit.

Ego sum Deus. Vet. cod. cum Græcis verbum, « sum, » desiderat.

Ego sum Deus primus. LXX : Ἐγώ εἰμι πρῶτος, καὶ ἐγὼ εἰμι εἰς τὸν αἰῶνα· atque ita legit Cyrillus.

Sed quoniam impossibile erat. Fidem, quæ revelationi divinæ adnititur, necessariam esse, his verbis luculenter ostendit ; nec sola duce natura hominem ad ea omnia quæ saluti suæ conducunt, per se noscere posse. Id comprobat rursus infra cap. 14. Confirmant idem Clemens lib. I *Recogn.*, epist. 1 ad Jacob., et lib. VIII *Const.*, cap. 1 ; Dionysius, cap. 7 *De divin. nom.* ; Justinus lib. *De Trin.* ; Hermas lib. II, mandat. 9 ; Theophilus Antioch. lib. I *Ad Autolycum* ; Clemens Alexand. in *Protreptico*, 2, 5, 7, et VIII *Stromatum* ; et Cyrillus Jerosol. tota catechesi quinta ; Naz anzenus orat. 2 de pace ; Rufinus *Expos. in Symbolum*, etc.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 10.

Ego sum Deus primus. Frustra Feuard. adnotavit LXX diversimode sonare : Ἐγὼ εἰμι πρῶτος, καὶ ἐγὼ εἰμι εἰς τὸν αἰῶνα. Nam ab Irenæo non iste locus Isaiæ XLVIII, 12, allegatur, sed alter præcedenti cap. XVI, vers. 4, ubi sacri interpretes, perinde ut Irenæus, habent : Ἐγὼ θεὸς πρῶτος, καὶ εἰς τὰ ἐπερχόμενα ἐγώ εἰμι.

Pag. 232. *Neque elate, neque gloriant*, etc. Hæc opposita sunt blasphemis hæreticis, Deum talia inani jactantia protulisse dicentibus, supra pag. 26, l. 25 (lin. 5) et pag. 109, col. 2, l. 18 (pag. 108, col. 2, l. 29, et pag. 110, col. 1, l. 15).

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 11.

P. 252. *Dominus enim noster.* Moysis, Stephani Danielisque vernis ostendit eumdem esse Dominum Deum, qui Patribus olim locutus est sub Veteri Te-

[31] Deut. XXX, 1. [32] Eccli. XV. [33] Act. V. [34] In Protreptico. [35] Lib. I, cap. 9. [36] Isa. I, 19. [37] In Dialog.

Digitized by Google

stamento, et Christum misit, et resurrectionem mortuorum omnium est pollicitus.

Quare non adoras Bel? Hæc habentur c. 14, v. 3, Danielis, quod magna consensione Græci et Latini sæpenumero usurparunt. Tertul. lib. *Adv. Psychicos*, et lib. *De idololatria*; Cyprianus epist. 63, et lib. *De laude martyrii*; Hilarius lib. x *De Trinitate*; Prudentius lib. *Cathemerinon*, hymno post cibum; Ambrosius lib. II *Offic.*, cap. 4, et lib. *De Jacob patr.*, cap. 9; Basilius hom. in divites avaros. Susannæ et Belis historias rejicere non audet e sacro canone Bibliorum Africanus epistola ad Origenem, Eusebio referente lib. VI *Hist.*, cap. 24.

Donavit : utraque his qui. Undecim has voces ex cod. restituimus : delevimus « et Dominus ostendit. »

Ipse igitur Christus. Aperte constanterque Christum profitetur unum esse cum Patre Deum vivorum, qui cum Patribus et Moysé locutus sit [38] : quod tam veterum quam novorum Ebionitarum, Cerinthianorum, Samosatenianorum et Arianorum hæreses plane refellit. Is enim qui locutus est Moysi, seipsum appellat Jehova, quo nomine Judæi simul et hæretici confitentur æternam Dei essentiam et majestatem significari. Christus autem cum Patre ille Deus est. Igitur natura et gloria cum eo unus Deus est, licet personali proprietate distinctus.

Ejusdem adnotationes in cap. 12.

P. 232. *Primum quidem.* Josephus I *Antiq.*, cap. 15 : « Primus Abraham præsumpsit pronuntiare Deum creatorem unum **150** esse cunctorum; reliqua vero ad felicitatem tendentia, per præceptum præhentis singula quæque dari, et non propria virtute consistere confessus est. » Et paulo post : « Propterea eaque Chaldæis et aliis Mesopotamitis in eum consurgentibus, migrationem eligens sequi per voluntatem et adjutorium Dei, terram Chananæam late possedit. »

Tradunt quoque alii Hebræi natum eum esse in Ur, urbe Chaldæorum : qua postea discessit Carras Mesopotamiæ, fugiens cultum Ignis, quem Dei loco tyrannus Nemrod urgebat. Hinc, jubente Deo, venit in terram Chanaan, ubi primum Deo vero altare construxit inter Hai et Bethel, secundum prope Sichem, tertium prope Hebron, quartum in Bersabee, quintum in monte Moria; et cœmeterium uxori, sibi et posteris comparavit in spelunca duplici : filium denique incredibili fide ac obedientia Deo immolare voluit. Idcirco etiam a Spiritu sancto nominatur servus Dei, amicus Dei, dilectus Dei, pater fidei nostræ atque omnium credentium. »

Ejusdem adnotationes in cap. 13.

Pag. 233. *Juste autem.* Docet exemplo Abrahæ, Deum sequentis, apostolos Filium Dei secutos esse; nosque pro Christo crucem ferre debere, ut Isaac ligna tulit, quibus erat immolandus; qui et spontanea oblatione sua Christi oblationem significavit.

Secundum fidem suam. Septem has voces, quæ aptissime conveniunt, ex vet. cod. adjecimus.

Fides enim. Vetus cod. quatuordecim dictiones ex hac sententia desiderat, atque ita habet : « Fides enim ad Deum altissimum, qui constituit cœlum et terram. » Nihil delere, sed tantum ex vet. cod. duas voces, « enim, » et « altissimum » inserere visum est. Cæterum unam nobiscum fidem Patres omnes veteres habuisse docent cum Irenæo Eusebius lib. I *Hist.*, cap. 1; Epiphanius initio libri contra hæres.; Augustinus tractat. 45 in Joan., libro II *Contra litteras Petil.*, capite 37, libro XIX *Contra Faustum*, cap. 13, 16, 17, et in psalm. LXXIII, LXXVII; item *Contra Pelag.* et *Cœlest.*, II, capite 25.

Ne vero solius fidei assertores existiment Irenæum suæ impietati hoc loco favere, cogitent eum loqui de fide quæ per charitatem operatur, ut sequenti mox apparebit capite. Item, eumdem pluribus aliis locis, ut passim observamus, etiam charitati, obedientiæ ac bonis aliis operibus justificationem nostram ascribere. Denique apostolum Jacobum diserte constanterque prædicare [39], Abraham ex operibus justificatum esse, offerendo Isaac filium suum, etc., et non ex fide tantum. Quo pacto vero hac in re bene inter se conveniant Paulus et Jacobus, docte et prudenter docet Augustinus lib. LXXXIII *Quæst.*, q. 7 et 76.

Ejusdem adnotationes in cap. 14.

P. 233. *Dominus enim.* Contendit ex Scripturis, et Filium ab æterno Patrem novisse, et aliis manifestasse, vicissimque Patrem Filium suum hominibus revelasse. Deinde, Filium nec tunc incœpisse esse, cum homo factus est; nec alium a Deo Patre suo mundique conditore Deum annuntiasse.

Sic describunt. Expunximus « dicebant, » auct. vet. cod.

Si autem Christus. Hæreseis Ebionitarum ista fuit, de quibus supra libro I, capite 26, libro III, capite 24, et infra cap. 59 libri hujus; et apud Eusebium libro III *Histor.*, capite 27. Eamdem impietatem secuti sunt Cerinthus, Carpocrates, Artemon, Theodotus.

Et bene Justinus in eo libro. Eusebius lib. IV *Histor.*, cap. 17, vitam operaque Justini describens, hujus loci meminit. Cæterum insignis constantiæ in retinenda semel accepta vera religione verba sunt : quibus non dissimilia pronuntiavit Clemens Rom. [40] cum beatus Petrus nollet eum adesse concertationi adversus Simonem Magum susceptæ. Reposui « credidissem » pro « credidisset, » quod subindicat error in vet. codice, qui « credidissent » habet; quoniam ita legendum ostendunt Justini verba Græca apud Euseb., οὐδ' ἂν ἐπείσθην.

Pag. 234. *Noster, adversus quam et contrariam.* Huic loco et sensum et lucem restituimus, octo vocibus partim immutatis, partim adjectis ex vet. codic. Delevimus « non adversus quem et contrarium exercent discipuli. Nam, » etc.

Credere autem ei. Hinc perpende, quo sensu dixerit superiori capite, fidem justificare hominem, eam nempe, quæ per charitatem operatur [41].

Etenim per ipsam conditionem. Insignis certe locus de cognitione Dei ab operibus ejus desumenda. « Conditio, inquit, id est creaturæ opificium, revelat Deum creatorem; mundus fabricatorem suum demonstrat; opus manifestat opificem; Filius, Patrem suum. In eumdem sensum ait Sapiens : « A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit Creator videri [42]. » Et Apostolus : « Invisibilia enim Dei [43], » etc. Et de his in superioribus jam dictum est.

Oportebat enim veritatem. Quantum valeant ad confirmationem veritatis exterorum testimonia, docet Augustin. lib. XVIII *De civit.*, cap. 47. Cæterum Novatianus lib. *De Trin.*, his Irenæo subscribit : « Firmum est genus probationis, quæ etiam ab adversariis sumitur, ut veritas ab ipsis veritatis inimicis probetur. »

Et ab extraneis. Extraneum a professione Christianorum Josephum fuisse testatur Hegesippus libro II, capite 12, qui tamen de Christo Domino ita scribit [44] : « Fuit Jesus sapiens vir, si tamen virum nominare eum fas est, mirabilium operum effector, et doctor eorum hominum qui libenter quæ vera sunt audiunt : Christus hic erat. » Pilatum Tiberio Cæsari miracula, mortemque et resurrectionem Christi nuntiasse tradit Tertullianus cap. 21 *Apologetici*; Pilati autem epistolam transcribit in *Anacephalæosi* librorum suorum, *De excidio Jerosolymorum*, Hegesippus. Astipulatur istis Nicodemus in fine *Historiæ de passione et resurrectione Domini*, asseverans Pilatum in sui prætorii codices publicos

[38] Exod. III. [39] Jac. II, 21. [40] Lib. I Recog. [41] Galat. V, 6. [42] Sap. XIII, 5. [43] Rom. I, 20. [44] Lib. XVIII Antiq., cap. 6.

Digitized by Google

retulisse omnia quæ inter Christum et Judæos gesta sunt; Annam et Caiphan pontifices adjurasse, eosdemque de Jesu deitate optime respondisse. Abgari Edessenorum principis epistolam ad Christum, et Christi responsum habet Euseb. lib. I, cap. 13. Plura ex Porphyrio, nefario Christianæ pietatis desertore et hoste, testimonia citat idem Eusebius lib. V *De præpar. evang.*, cap. 1, 6, 8.

Pag. 235. *Et ab apostaticis spiritibus.* Consultum duplici hecatombe dæmonium in theca Apollinis latens, imperatori Romanorum hæc respondisse auctor est Niceph. [48]:

Me puer Hebræus, divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemque redire sub Orcum:
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Eusebius non ambigit de Christo Domino intelligenda esse ea quæ narrat Plutarch., nimirum, spiritus quosdam temporibus Tiberii Cæsaris fussisse nautas nuntiare, magnum Pana Deum mortuum esse, lib. V *De præpar.*, cap. 9. August. lib. *De consensu Evang.*, cap. 15, ex Porphyrio recitat quosdam philosophos deos suos consuluisse, quid de Christo censerent; illosque testimonium de ipso rectum perhibuisse. De his rursus multa lib. XIX *De civit.*, cap. 23.

Et unus Spiritus, et una salus omnibus credentibus in eum. Ita vet. cod. Cæterum, cum Spiritum sanctum nulla in re separet a Deo Patre et Filio, ejus divinitatem hic aperte agnoscit: sed uberius adhuc et apertius infra cap. 22 et 37 libri hujus, ut passim lib. V, ex quibus sententiis non dubitavit Basilius Magnus ejusdem Spiritus sancti deitatem confirmare, lib. *De Spiritu sancto*, cap. 29. Apparet itaque Magdeburgenses magna maledicendi libidine scribere, hunc sanctiss. martyrem Spiritus sancti divinitatem nusquam asserere, centuriæ 2 pag. 40.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 14.

Pag. 235. *Et Marcus.* Memoriæ lapsum puta: neque enim in S. Marci Evangelio hoc Servatoris dictum reperitur.

Qui peritiores apostolis volunt esse. Eodem dicterio Marcionitas perstrinxit supra lib. III, cap. 12, n. 13. Unde et hic eosdem respexisse colligo, licet de hæreticis universe ita fere scripserit lib. III, cap. 2.

Nemo cognovit. Dices, Marcionis quoque codicem Luc. X (nam S. Matthæi Evangelium rejiciebat) habuisse in præsenti: « Nemo scit qui sit Pater, » ut ex Tertulliani lib. IV contra ipsum, cap. 25, patet. Unde nec Epiphanius hæres. 42, ubi omnia a Marcione corrupta loca notat, hujus ullam facit mentionem. Respondeo Marcionitas videri, paulo post Irenæi ætatem, hunc textum correxisse. Neque enim religioni ipsis fuisse Evangelium subinde mutare, Tertull. cap. 5 citati libri animadvertit his verbis: « Nam et quotidie reformant illud, prout a nobis quotidie revincuntur. » Mirum autem quod Justinus M. *Apol.* I, pag. 122, lin. 20 seqq., verba Christi citaverit, perinde ut hæretici legerunt.

Si autem Christus tunc inchoavit esse. Sensum hoc loco talem esse conjicio: licet Marcion cum Ebionitis absurde supponere voluisset, Christum tunc initium cepisse, cum de Maria Virgine natus est, nec antea Verbum substantiale Patris exstitisse, per quod se prophetis aliisque manifestaverit; **151** neque sic tamen diversum ab eo, quem prophetæ cognoverunt, Deum fingendum fuisse, sed potius inquirendum quam ob causam Deus veteris testamenti, humanæ salutis incuriosus, tam diu se absconderit.

Pag. 234. *Utraque Deo nobis præbente.* Ad hæc usque verba, sive inclusive, sive exclusive, Justini locum protendi puto. Cujus rei certiores esse possemus, si citatum contra Marcionem σύνταγμα esset superstes. Sed de hoc vide *Spicileg. Patrum* sæculi II, pag. 166 seq.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 15.

Pag. 235. *Et doctus repræsentatione.* De trium illorum apparitione loquitur, quorum unum Filium Dei fuisse, quem adorarit, et Dominum Deum suum vocarit, magna concordia, docent Justinus in *Dialogo*, Tertull. lib. *De carne Christi*, et lib. III *Contra Marcionem*, Eusebius lib. I *Hist.*, cap. 1, Athanasius serm. 3 contra Arianos, Hilarius lib. IV *De Trinitate*, Cyrill. Jerosol. catechesi 11 et 12; Ambrosius lib. II *De Abraham*, cap. 5, August. lib. II *De Trin.*, cap. 10 et 11.

Ex semine ejus. Ita restituere ex vet. cod., pro « ex sermone, » visum est. Porro non vulgarem et infimæ conditionis Abrahæ filium, Simeonem hunc fuisse tradunt Hebræi. Siquidem Talmudistæ magni Hillelis auditorem, Gamalielis autem præceptorem eum faciunt; atque unum ex his, qui ad collegium Sanhedrin, quod sceptrum Juda putaverunt, pertinuerit. Rursusque miracula in templo non defuisse quadraginta annis, quibus ipse Domino ministravit. Nicodem. in *Hist. pass. et resurr.* summum sacerdotem semel et iterum illum appellat. Niceph. lib. I, cap. 12, illum dignitate, virtute, vitæque sanctitate inter Judæos excelluisse docet: quæ adnotare placuit adversus Magdeburgensium, Brentii et Calvini præpostera judicia, quibus hunc privatum homuncionem, senem delirum, obscuræ famæ, nulloque dignitatis aut officii nomine clarum faciunt.

Nunc remittis. Græce est ἀπολύεις, id est deredendi ex hac vita potestatem facis, ut patribus meis adjungar.

In revelatione oculorum. Græce, εἰς ἀποκάλυψιν τῶν: vetus codex, et vulgata editio ad verbum; « ad revelationem gentium. » Alii quidam, « lumen revelandum gentibus, » ut sit allusio ad vaticinia Isaiæ, cap. IX, XLII, et XLIX.

Et regrediente. Delevimus « egrediente, » veteris cod. auct.

Ejusdem adnotationes in cap. 16.

Pag. 235. *Non enim tantum.* Promissiones factæ Abrahæ, ejusdemque exsultatio de futuri Messiæ prænotione, etiam ad posteros ejus et gentes creditoras pertinent. Ipse vero Messias cum venit, tum per se, tum per legatos suos, unum Deum huic mundo nuntiavit.

Hoc autem fecit Jesus. Locum hunc eodem sensu, et iisdem fere verbis interpretatur Clemens Alex. Deum ex lapidibus filios Abrahæ suscitasse, cum justitiam et cordis duritiem eorum, qui lapidibus duriores evaserant adversus veritatem, excitavit semen pietatis in Deum, virtutem sentiens ex lapidibus illis, nempe gentibus, quæ crediderunt lapidibus [49]. Eodem pacto et Gaudentius Brixianus, tract. 2 in Evang.

Et a nostris duris. « Nostris » addidimus ex vet. cod., et « duris, » ex omnibus excusis retinuimus, quanquam id nesciat vet. cod.

Si cognovissetis me, et Patrem meum cognovissetis. Ita vet. cod. Excusi, « si cognovistis me, et Patrem meum cognovistis. » Vet. cod. consentit editio vulgata, cum littera Græca Evang.

Ejusdem adnotationes in cap. 17.

Pag. 236. *Propter hoc Judæi.* Judæi a Deo Patre simul defecerunt, et Verbum Dei, id est Filium ejus, prophetis sensim sese manifestantem, et cum Patre, ac Spiritu sancto cuncta condentem ac regentem, perfide repulerunt.

Ad Abraham et Aaron. Tertull. lib. *De carne Christi*: « Christus cum angelis apud Abraham in veritate carnis apparuit, sed nondum natæ, quia nondum moriturræ. » Hoc idem copiose discutit Au-

[48] Lib. I, c. 17. [49] Orat. ad Græcos.

Digitized by Google

gust. lib. III *Contra Maximin.*, cap. 26. Vetus cod. non habet « et Aaron. »

Hic enim. Vetus cod. « Hæc enim Filius, qui est Verbum Dei, ab initio præstruebat. » — « Præstruebat » retineo, quod familiare sit Tertulliano, et non rarum apud Irenæum.

Quæ facta sunt. Sex has voces desiderabant cod. excusi.

Ministrat enim ei. Contendit præcipue, Deum Patrem ministerio angelorum non eguisse ad condendas res universas, ut post Simonem Magum, et Basilidem, somniarunt quidam Judæorum rabbini; cum per Verbum, uti per sapientiam et virtutem, et Spiritum sanctum, uti per bonitatem suam, sat superque sufficiens sit seipso quæcunque voluerit, efficere. Eodem sensu intelligenda existimo multa Patrum ejus sæculi testimonia; ut Tertulliani, dum lib. *Contra Marcion.* vocat Filium, « ministrum Patris; » et lib. *Contra Praxean*, « vicarium Patris divini; » Justini quoque martyris in *Dialogo*, quando Filium Patri « ministrantem, et sententiarum ejus exsecutorem » appellat. Duris enim alioqui his formulis loquendi, haudquaquam Filium Dei a Patris natura alienum, aut potestate inferiorem esse volunt; sed vel ordinem emissionum, vel seriem distinctionis hypostaseon innuunt. Aut denique deitatem ipsam, simulque omnipotentiam, sapientiam, omnem perfectionem, et virtutem, quam Pater a seipso habet, Filium ipsum non a se, sed a Patre accipere, ad eumque hæc universa referre, ut ad auctorem, docent : prout copiose explicat Novatianus sub finem libri *De Trin.*

Enimvero Filium unam et eamdem esse cum Patre et Spiritu sancto causam primam effectricem et servatricem totius mundi, non autem velut inane ex se instrumentum Patris (ut post Arianos garrit Lutherus, et vociferantur Calviniani), non solum in præcedentibus ac sequentibus frequenter graviterque docet Irenæus; verum etiam sacrorum Bibliorum firmissimis testimoniis palam efficitur. Ait enim ille : « Pater meus usque modo operatur, et ego operor [47]. » Et in Proverbiis genita Sapientia dicit : « Quando præparabat cœlos aderam, cum ipso cuncta componens [48]. » Igitur vel cum a Scripturis asseritur, « omnia per ipsum facta esse; per eum facta esse sæcula; omnia in ipso, et per ipsum condita [49]; » vel a Patribus dicitur Filius in mundi creatione, moderationeque Patri ministrare; hoc non est intelligendum, tanquam esset organum, instrumentumve ab agente natura vel potestate distinctum; sed duntaxat velut suppositum ab ipso Patre productum, et proprietate sua distinctum, cui ab æterno una cum divina majestate, ac essentia sua, omnem quidvis secum agendi ac perficiendi potestatem ac virtutem contulerit. Hinc idem Irenæus hujus libri cap. 8 scripsit : « Is, qui omnia fecit cum Verbo suo, juste dicitur Deus et Dominus. » Et ante hunc Justinus martyr [50] : « Unus revera est universitatis hujus Deus, qui in Patre, Filio, et Spiritu sancto cognoscitur. » Et rursum [51] : « Verbum cum Patre ante creaturas existens et nascens, per eum primitus cuncta condidit et ornavit. »

Sua progenies et figuratio. Allusio est ad Pauli verba, « qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus [52], » etc., item ad hæc Sapientis : « Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis [53]. » Nec est quod hoc loco veteres, aut novi Ariani aliquod impietatis suæ patrocinium petant; quandoquidem, ut post Gregorium Nyssenum, Theophylactus observat, per « splendorem » ostenditur essentiæ unitas, qua Filius coæternus et consubstantialis est Patri, non secus ac luci A splendor; per « figuram » vero, naturæ æqualitas.

Ejusdem adnotationes in cap. 18.

Pag. 236. *Vanus autem et Marcion.* Non modo Marcionitas et Cainitas, Abraham, aliosque veteres patriarchas damnantes, et Cain, gigantes, Sodomitas et similes reprobos cœlo donantes, juste hoc loco coarguit; verum, ex præclaris de eo per Christum, Spiritum sanctum, Moysem, Isaiam, Jeremiam, et Danielem redditis testimoniis, beato sempiternoque in cœlis ævo eumdem perfrui constanter ac evidenter probat. Hanc hæresim ampliore disputatione refutavimus lib. I Appendicis *Adver. hæreses.*

Ejusdem adnotationes in cap. 19.

Pag. 236. *Vindicabat enim*, etc. Christus vindex et salvator omnium, maxime autem fidelium qui quadam excellentia dicuntur semen Abrahæ, illos etiam diebus Sabbatorum curans, non solvit legem, sed adimplevit; cum etiam illis diebus, et parvulos B circumcidere, et pecorum curam habere Judæi non prohiberentur.

Continere enim sic, etc. Otiari, non erat simpliciter scopus Sabbati, quando etiam sacerdotes eodem die ministeriis suis in templo et synagogis vacabant; sed a peccatis, quæ vere servilia opera censentur, penitus abstinere, et bonis erga Deum et proximum operibus vacare.

Uti exiliatus homo. Alludit ad Hebræorum legem, quæ mortuo summo pontifice, exsules domum redire permittebat : **152** et qui hic exiliatus homo dicitur, exsul tantum significatur, Græce forsan non male φυγαδευτὴς nominaretur.

Ejusdem adnotationes in cap. 20.

Pag. 236. *Sed et esurientes.* Expurgat Christus discipulos a calumniis Pharisæorum, quoniam lex Sabbati non vetabat uti cibis appositis, quod ex sacris etiam panibus urgente necessitate fecit David. Adde quod veteres sacerdotes, ac Levitæ, qui sacris operabantur, apostolos, et pios omnes sacrorum Christianorum ministros aperte designarunt. C

Pag. 237. *Sacerdos autem scitus fuerat David.* Eodem sensu David sacerdos hic dicitur, quo filii ejus, II Regum VIII, 18, sacerdotes; id est viri principes et primates; sic enim כֹּהֲנִים, pro quo LXX ἀρχὰς habent, vertit Sanctes. Aut certe in hoc particulari facto, David sacerdotibus æquatus est, quod panes sacros, urgente necessitate, comederit. Demum, potest David etiam sacerdos appellari, quod sacerdotibus Leviticis sacros hymnos concinendos et proposuerit, et una cum ipsis sit modulatus; simulque laudis, orationis, et cordis contriti hostias spiritales magna religione obtulerit.

Omnes enim justi. Sententiam hanc ex Irenæo nominatim, sed paulo aliter transcripsit Melissa, serm. 1, part. II : Πᾶς βασιλεὺς δίκαιος ἱερατικὴν ἔχει τάξιν, id est « Omnis rex justus sacerdotalem habet ordinem. » Vult autem Irenæus, pios omnes D regali juxta atque sacerdotali munere fungi, dum carnis lascivientis impetus lege spiritus coercent, atque hostiam viventem, sanctam et beneplacentem Deo, secundum apostolicam institutionem, seipsos exhibent; eleemosynas etiam, et labiorum vitulos Deo optimo maximo offerunt. August. hæc acute explicat lib. XX *De civit.*, cap. 10. « Sicut omnes Christianos, inquit, dicimus propter mysticum chrisma; sic omnes sacerdotes, quoniam sunt membra unius sacerdotis. De quibus apostolus Petrus [54] : Plebs sancta, regale sacerdotium. » Porro nullum esse sacerdotium externum, quod non ex æquo quibuslibet conveniat viris, mulieribus, cerdonibus, agricolis, lanionibus, agasonibus, et abjectissimis quibusque, exsecranda fuit hæresis

[47] Joan. v, 17. [48] Prov. VIII, 27. [49] Joan. I, 3; Hebr. I, 2. [50] Lib. de conf. Trinit. [51] Apolog. I. [52] Hebr. I, 3. [53] Sap. VII, 26. [54] I Petr. II, 9.

Digitized by Google

Gnosticorum priorum, ut in Marco Mago jam monstratum est, lib. I, cap. 9, et apud Tertullian. in *Præscript.*, quam nostra ætate ab inferis evocarunt Lutherus, Calvinus, et reliqua Gnosticorum recentiorum colluvies. Hanc impietatem copiose et erudite refellunt Alphonsus a Castro, lib. XIII *Contra hæreses*, et Joannes Roffensis lib. *De sacerdotio*.

Sed semper altari, etc. Vel hinc profecto facile est videre Christianos a temporibus Christi, apostolorum, martyrum, et deinceps, sua in templis altaria servasse, quibus Deo sacrificium incruentum corporis et sanguinis Christi, in perpetuam mortis ejus recordationem, offerrent : quod etiam hujus libri cap. 34 confirmat noster Irenæus his Christi verbis : « Cum offers munus tuum ad altare, » etc. Denique, « Deum velle nos offerre munus ad altare frequenter, » etc. Hunc porro locum adversus hæreticos ex Scripturis et Patribus fusissime tractavimus libro primo Appendicis, in titulo *Altare*.

Fructum. Expunximus « factum, » auctorit. vet. cod.

Quare ergo. Quinque has dictiones ex vet. cod. restituimus; ut mox « legem, » pro « legis. »

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 20.

Pag. 237. *Patri suo, et matri suæ*. Hinc confirmatur lectio cod. Alexandrini : Τῷ πατρὶ αὐτοῦ καὶ τῇ μητρὶ αὐτοῦ, cum contra in editt. τῶν Ο', vox αὐτοῦ bis sit omissa.

Non inquiro, inquit, datum; sed inquiro fructum. Equidem Paulus de fructu, non agrorum, qualem Levitis tribuit Epinomis Mosaica, sed Christianæ fidei et charitatis loquitur; attamen ad illum alludere Irenæo visus est.

Omnis scriba. Invehitur Feuardentius in Gallasium, qui in hunc Irenæi locum et sensum animadverterat. Sed omittit quod præcipue ad Irenæi defensionem facit, nempe istud ex parabolis evangelicis argumentandi genus, prisca illa ætate inter hæreticos pariter ac Catholicos receptum fuisse, ac in eo potissimum quartum hunc librum versari, clarioribus Christi dictis, indeque ductis argumentis libro V reservatis, ut ipse Irenæus profitetur in fine libri quarti, et initio libri quinti.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 21.

Pag. 237. *Unius igitur et ejusdem*. Utriusque Testamenti docet unum esse auctorem, ac finem scopumque præcipuum. Nam in Veteri Novum promittitur. De hoc fine Augustinus Præfat. in Psal. CXL ait : « Quidquid de qualibet divina pagina exsculpitur, non habet finem, nisi charitatem. » Et Bernardus : « Ille tenet quidquid latet, quidquid patet in divinis sermonibus, qui charitatem servat in moribus. »

Propterea omnis scriba. Ita hunc locum post Irenæum interpretatur Origenes, ut per nova Evangeliorum et apostolorum oracula ; per vetera autem, legis et prophetarum illis omnino consentanea significentur. Sequuntur hanc expositionem Chrysostomus, Theophylactus, et ex Latinis Hilarius, Hieronymus, Augustinus XX *De civitate*, et in *Quæst. super Novum Testamentum*, Gaudentius Brixianus tractat. 7. Impudens ergo Gallasius, qui beati Irenæi sententiam ridens, mavult apostatæ et furciferi Marlorati rapsodias, quam tam doctorum et piorum Patrum sententiam sequi.

Scribas autem. Qui hi, ut hic apostoli scribæ et doctores vocentur, in Actis vero idiotæ, explicat Origenes in XIII cap. Matthæi.

Novæ autem. Aut retinet genus Græcæ vocis νέα διαθήκη, « Novum Testamentum ; » aut certe novam conversationem secundum Evangelium, Novum vocat Testamentum.

Ejusdem adnotationes in cap. 22.

Pag. 237. *Plus est enim*. Videtur præoccupatio, qua dissolvit argumenta, quibus Marcionitæ, aliique Gnostici ex detortis aliquot Scripturæ locis abutebantur ad diversos deos confingendos. Ac primo quidem concedit, Novum Testamentum Veteri longe præstantius esse, ut lumen majus minori, aqua copiosior minus abundanti, et potior gratia superat exiguam : hoc tamen non efficere, ut alius et alius sit Deus utriusque conditor.

Pag 238. *Percipimus*. Vet. cod., « percepimus ; » putarem legendum « percipiemus, » ut mox postea « habebimus, proficiemus, videbimus, exspectabimus. »

Augmentum. Delevimus « cognomentum, » auct. vet. cod.

Novo enim Testamento. Docet veteres prophetas ea prænovisse et annuntiasse quæ in novo testamento futura erant ; hoc ipsum autem Christum et apostolos toties comprobare, quoties illorum utitur figuris, aut testimoniis, ut doctrinam evangelicam stabiliant. Inde vero concludit, eum vere Christum mundo prædicatum esse, quem Pater sub lege promiserat ; atque sic unicum esse Deum, qui pro diversis temporibus diversa quidem, sed non contraria tulit præcepta. Quod si unum et alterum Deum comminiscaris, et tertium, et quartum, ac innumeros fingere licebit.

Per effectum. Veter. cod., « perfectum ; » utrumque retinuimus.

Terreno quidem. Vetus cod., « ante terrenum quidem et temporalem regem, » etc. Si placuerit excusa lectio, interrogationem assertione plenam ex comparatione regis cum Deo esse existimarem.

Et adhuc. Vet. cod., « ab hoc ; » utrumque servare visum est. Cæterum, loco huic nonnihil lucis afferent Prudentii versus gravissimi, quibus Marcionitas ita exagitat [55] :

Si duo sunt igitur, cur non sunt multa deorum
Millia ? cur numero deitas contenta gemello est ?
Annon in populos dispersa in numina divum,
Fundere erat melius, mundumque implere capacem,
Semideis passim nullo discrimine monstris ?

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 22.

Pag. 238. *Aut quod justificatus sim*. Hæc interpretem vel vetustum scribam ex Italica versione adjecisse puto, cui hoc interpretamentum ex I Cor. IV, 4, citato loco insertum fuisse, ex Hilarii *Comment.* aliisque constat.

Diligitis... in quem nunc videntes. Hæc verba, quæ alioqui in Syriaca versione mutila, ac in principio epistolæ S. Polycarpi omissa sunt, Irenæum legisse, ex hoc loco et lib. V, cap. 7, colligo ; præsertim cum hic ita præfatus sit : « In quem (Christum) et credimus ; quem et diligimus, quemadmodum Petrus ait, » etc. Et « fidei » igitur, et « dilectionis » mentio in adducto Petri versu ab Irenæo occurrit. Cæterum antiqua quoque epistolæ Polycarpi versio Latina ista Petri verba expressa habet, ut et Græce Clemens Alex. lib. IV *Strom.*, pag. 525.

Sermonem Dei. Ita cum Irenæo habent Syrus, Persicus et Æthiopicus interpretes, nec non cod. Cantabrigiensis ; cum edita S. Matthæi exemplaria ἐντολὴν, non λόγον Θεοῦ sonent.

153 *Adnotationes Fr. Feuardentii in cap.* 23.

Pag. 239. *Bene igitur et Joannes*. Quod nuper dixit, prophetas Novum Testamentum prænovisse et prædicasse, nunc Christi testimonio manifestum facit ; ex quo sequitur eos ab ejus Patre afflatos fuisse : Moysen præsertim, qui et adventum, et passionis ejus et locum clare prædixit. Ex vet. porro codice substituimus, « Dominum, » pro « Deum » ; deinde, « præinstruentes, » loco « præstruentes. »

[55] In Hamartigenia.

Digitized by Google

Aliquantlo quidem. Vet. codex hic quædam addit, quædam desiderat. Germanam lectionem, decem adjectis ex illo vocibus, et unica sublata, restituimus. Tertullianus locum hunc imitatus est, contendens non Patrem, sed Filium quæsisse Adam in horto; arcam post introitum Noe clausisse; apud Abraham sub quercu refrigeratum; Moysem de rubo vocasse; ac orbem totum aquarum violentia punivisse: lib. *Contra Praxeam*, num. 11 et 12.

Et non est numerum dicere. Hellenismus, pro « vix, ac ne vix quidem referri potest, quoties a Moyse, » etc.

Pascha nominans. Non quod ipso die solemnissimo Paschatis, id est magno die Sabbati, Christus passus sit, ut satis colligi potest ex cap. XIX Joannis; nec quod illa ipsa hora qua comedebatur agnus: sed eo ipso tempore, quod inter esum agni et sabbatum magnum interfluxit; quod tempus more Judæorum vocantur dies Paschæ.

Ex hoc quoque loco existimatur Irenæus judicasse, vocem Paschatis deductam esse a Græco verbo πάσχειν, quod pati significat: quod certe illi commune fuerit cum Tertulliano lib. *Contra Judæos*, cap. 10; Nazianzeno orat. 2 de Paschate; Lactantio lib. IV, cap. 26; Arnobio Rom. in *Conflictu cum Serapione*, et aliquot aliis: cum tamen vere Hebraica, vel potius Chaldaica sit, et transitum significet, vel angeli percutientis Ægyptios, juxta Hieronymum [86]; vel populi Israelitici ex Ægypto per medium mare transeuntis in desertum, ut est Nazianzeni et Augustini sententia. Sed veteres illi dicentes Pascha a πάσχειν deduci, non tam ipsius vocis etymon, quam mysterii rationem habuerunt.

Et extremitatem temporum, et signum occasus solis. Sic ex vet. cod. restituimus; excusi, « ex extremitate temporum, et signum occasum solis. »

Non deerit princeps in Juda. Non mirum est recentiores Judæorum rabbinos, pro innata sibi adversus Christianam religionem rabie, pernegare hunc locum intelligendum esse de Christo Jesu; quando et Calvinus et Marloratus plane Judaizantes, evulgatis inter Christianos blasphemis commentariis suis, idipsum quoque inficientur, scribentes: « Illos subsannandi ansam præbere Judæis, qui nimis præcise hæc verba de Jesu Christo exponant: cum nondum Spiritus sancti consilium, inquiunt, quomodo illa promissio sit intelligenda, satis animadversum, nondumque satis distincte expositum fuerit. » Annon ergo jure Calvinianis exprobrant Lutherani, quod Judaizent et Turcizent; imo, quod sub falso Christianorum ac Evangelicorum nomine ipsis Judæis ac Turcis longe sint deteriores? Nam quotquot fuerunt a Christo ad hanc usque ætatem, sive Græci, sive Latini Patres, qui de illo textu disseruerunt, uno sensu et animo de Christo Domino illum sunt interpretati. Quin etiam Paraphrastes Chaldæus, et veteres rabbini Judæorum, quos citat noster Petrus Galatinus [87], idipsum præstiterunt: quod piis quibuscunque, quorum animum diabolus a vera fide Jesu Christi nondum abstraxerit, satis esse debet.

Et ad ilicem. Ilex species est arboris glandiferæ, quæ hic nequit convenire, cum Gen. XLIX versio Latina « vitem, » et Hebræa liuera « Sorec, » et LXX τῇ ἕλικι habeant. Itaque « helicem » legerim cum Cypriano lib. I *Adversus Judæos*, cap. 21, secundum correctionem Morellii et Pamelii. Ambros. lib. *De benedictionibus patriarcharum*, cap. 4, habet « cicilum; » Sanctes « ramum » vertit; Origenis interpres, « ad palmitem. »

Lavabit in vino. Hunc locum Scripturæ Justini martyris illustrabit interpretatio: « Significabat Moyses, ait [88], abluendos Messiæ sanguine quotquot in eum crederent. Nam Spiritus sanctus stolam vocat eos, qui per ipsum remissionem peccatorum accipiunt. Cæterum sanguis uvæ significat habere quidem Christum sanguinem, non tamen ex humano semine, sed ex Dei potentia; sicut vitis sanguinem, non homo, sed Deus genuit. » In eamdem sententiam descendunt Tertull. IV *Contra Marcion.*, Orig. hom. 17 in Genes., Clemens Alex. lib. I *Pædagogi*, Athanasius quæst. 105, ad Antiochum, Chrysostom. hom. 67 in Genes., Theodoretus quæst. 109 in Genes., Ambros. lib. *De benedictionibus patriarcharum*, cap. 4, et Augustinus XII *Contra Faustum*, cap. 42, quos omnes Judaico plane supercilio audet Calvinus in commentis suis hac de causa carpere et notare.

Et erit vita tua pendens. Hunc locum de crucis mysterio, post Irenæum, interpretantur Cyprianus lib. II *Adversus Judæos*, capit. 20; Ruffinus in *Exposit. Symb.*; Tertullianus lib. *contra Judæos*; Athanasius lib. *De incarnatione Verbi*; Augustinus lib. XII *Contra Faustum*, cap. 5; Noval. lib. *De Trinit.*, et Lactantius lib. IV, cap. 18, quorum interpretationes sequi oportet, contemptis Calvinianorum Judaicis irrisionibus.

Possedit. Expunximus « possidet, » auctoritate vet. cod. et consensu Vulgatæ editionis Bibliorum.

Ejusdem adnotationes in cap. 24.

Pag. 239. *Quoniam autem.* Veteres prophetæ et noverunt, et videre peroptarunt Christum in carne, ipso per Spiritum sanctum in Scripturis seipsum multis modis revelante, et sine sui mutatione plurima beneficia mortalibus donante; et gratos quidem abundantius muneranteque, ingratos autem severe puniente.

Pag. 240. *Et totus substantia.* Septem dictiones istas desiderabant omnes excusi codices.

Plurimum non promittens. Vetus codex negationem non habet, sed affirmando legit: « Ipse Dominus plurimum promittens. » Suspicor locum esse corruptum, nec nisi alterius exemplaris ope posse restitui.

Gratiæ suæ. Ex vet. cod. sex istas dictiones restituimus.

Introeunte eo. Vet. cod., « introeunte, eum omnes qui erant, » etc.

Ejusdem adnotationes in cap. 25.

Pag. 241. *Seniorum enim ipsorum.* Vel hinc Christus seipsum demonstrat ejus Dei, qui legem Moysi dederat, Filium, quod traditiones Pharisæorum eidem contrarias reprehendit et damnavit: et primum maximumque illius præceptum, quod est de dilectione, explicavit atque confirmavit.

Cæterum, quia gravis est hodie concertatio, cujusmodi traditiones istæ fuerint, quas Christus in citato Evangelii capite reprobaverit, ejusdemque discussio ac finitio nonnihil lucis afferet his duobus Irenæi capitulis; de illis paulo uberius disseramus. Has Hebræi appellabant « Ghezerot Azzekenim, » constitutiones seniorum: Christus primo singulari numero τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων, « traditionem seniorum, » eam scilicet quæ erat de lavandis manibus: secundo vero plurali numero διδασκαλίας καὶ ἐντάλματα ἀνθρώπων, « doctrinas et præcepta hominum. »

Quæ vero fuerint, non est una interpretum sententia. Manichæi namque, ut est apud Epiphanium, harum traditionum nomine, voluerunt intelligendas esse omnes Scripturas Veteris Testamenti; Sadducæi, scripta aliorum prophetarum a Moyse; Ptolemaitæ, tertiam tantum illarum partem. At hæ impietates stare non possunt, quoniam Christus et Moysis et reliquorum prophetarum scripta gravissime probavit et commendavit, dicens: « Scrutamini Scripturas [89]. Oportet impleri quæ scripta sunt in lege, prophetis, et Psalmis [90]. Moysem habent et prophetas, audiant illos [91]. » Paulus quoque ex

[86] Comm. in Mich. et Matth. [87] Lib. IV, c. 4. [88] In Dialog. [89] Joan. V, 39. [90] Luc. XXIV, 44. [91] Luc. XVI, 29.

Digitized by Google

omnibus libris Vet. Test. sua dogmata corroborans, et laudans Timotheum, quod ab infantia illas sacras litteras didicisset, divinas esse cognoscit. Clarum est igitur, nullam Veteris Testamenti partem, vel a Christo, vel a Paulo sub nomine Traditionum reprobatam esse.

Qui nomina Lutheranæ aut Calvinianæ sectæ dederunt, distento gutture vociferantur, traditionum voce, omnes constitutiones ac ritus in Scripturis canonicis non expressos penitus damnari et reprobari. Sed impudenter mentitur iniquitas sibi, quoniam illæ duntaxat coarguuntur, quæ divinis mandatis adversantur, sicut erat ea quæ de parentibus fovendis erat opposita. Alias vero, quæ vel ad Scripturarum explicationem, vel Dei cultum promovendum et exornandum, vel denique bones mores instituendos attinebant, nec unquam in Judaismo, nec in Christianismo Christus vel apostoli reprehenderunt: sed e contrario religiosissime servari, verbo et exemplo suo docuerunt. Ad istas pertinent Hebraicæ quæstiones, quas Hieronymus laudat; et constitutiones a Davide, Salomone, Esdra, Mardochæo, Machabæisque de festis quibusdam et ritibus ordinatæ. Hinc Christus, non modo Scripturam audire, sed et Ecclesiam, **154** cujus pastoribus ait: « Qui vos audit, me audit [65]. » Et de senioribus synagogæ: « Omnia quæcunque dixerint vobis, servate et facite [66]. » Paulus denique de iisdem ait: « State, et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam [67]. » De his quoque fuse supra diximus in caput tertium libri tertii.

Quas ergo traditiones seniorum Christus in citato Evangelii loco reprobat? Plurimas sane, et omnes divinis legibus adversas. Ac primo loco, illas quas diversæ sectæ (in quas misera Synagoga tam fœde lacerata et dissipata erat) inter suos invexerant. Nam Pharisæi coram Deo justitiam in externis vestium phylacteriorum, ablutionum et sacrificiorum cæremoniis constituebant. Sadducæi animas cum corporibus exstingui, nullos angelos, nullam corporum resurrectionem, nullum judicium, nullum bonorum aut malorum præmium in altero sæculo repositum esse tradebant. Galilæi, a Juda quodam seditioso Galilæo accepta origine, solum Deum sic pro domino, rege, ac principe tenendum volebant, ut nulli mortalium parendum esse censerent. Herodiani nullum alium ab ipso Herode rege Messiam ac Redemptorem Israelis exspectandum vel credendum urgebant. Esseni seu Essei nec in templo Jerosolymæ sacrificandum, nec ulla ratione jurandum, nec conjugio dandam operam, nec quidquam in particulari possidendum esse autumabant. Atque hæc mandata hominum, et traditiones seniorum, id est sectarum tum vigentium, quas Christus jure omnium optimo in primis reprehendit.

Secundo, coarguit eas δευτερώσεις, id est, constitutiones Judaicas, quas paulo ante adventum suum, ait Hieronym., R. R. Sammai et Hillel primi adinvenerant; propugnandas vero suscepit R. Akibas, Aquilæ proselyti præceptor; et post eum R. Mayr, cui successit R. Joannam, et post eum R. Eliezer; postea Delphon, hinc R. Joseph, inde R. Josue, usque ad ultimum sanctæ civitatis per Romanos excidium [68].

Tertio, Epiphanius [69] his addit quatuor divinæ legis interpretationes a magistris Hebræorum R. Akiba, R. Iba, R. Moyse et aliquot aliis excogitatas, et magna importunitate invectas, superstitionibus, vanitatibus, et pravis interpretationibus plenas; quas tamen jubebant pari cum veræ legis Dei mandatis obligatione servari.

Quarto, superioribus connumerat B. Thomas illam ingentem traditionum farraginem, quam in Talmude et Misna Judæi post Christi adventum coacervarunt [70]. In his enim plurima continentur tam in Deum Patrem, quam in Dominum nostrum Jesum Christum tam blasphema, et Moysi, prophetis, charitatique contraria, ut vix credi possit. Horum partem Sixtus Senensis in doctissimæ *Bibliothecæ* suæ lib. II collegit et evulgavit: ex quo qui nosse cupit, percipere potest. Nobis hæc de traditionibus Pharisaicis et doctrinis hominum, a Christo damnatis, præsenti loco sufficiant.

Ostendens quod austero. Hieronymi interpretatio huic omnino similis est: « Lex Dei pura atque sincera, scribit ille, violata est traditionibus Pharisæorum: quod Dominus in Evangelio planius docet: omisisse eos legem Dei, et sequi mandata hominum. Omnisque doctor, qui austeritatem Scripturarum vertit ad gratiam, et ita loquitur, ut non corrigat, sed delectet audientes, vinum sanctarum Scripturarum violat atque corrumpit sensu suo. »

Quædam autem. Duas voces istas ex vet. cod. addidimus, et paulo post « vindicare » pro « judicare » restituimus.

Majus hoc. Ita vet. cod. Excusi, « in alium. »

Et neque agnitionem sine dilectione. Vides quantum recedat a Gnosticorum placitis, quibus totum salutis nostræ negotium soli fidei inniti volunt; dilectionis operibus nihil omnino deferentes. Sed de hoc alibi.

Ejusdem adnotationes in cap. 26.

Pag. 241. *In lege igitur.* Persequitur probationem ejus, quod legis ac Evangelii idem sit auctor, idemque sit in eis summum præceptum de Dei et proximi dilectione, idemque Decalogus. Item Christum nunquam legem damnasse, sed tantum Pharisæorum corruptos mores. Vocat porro particularia præcepta, quæ Judæos tantum obligabant, veluti cæremonialia et judicialia; universalia vero, quæ utrique legi communia sunt, sicut de Dei et proximi dilectione.

Utrisque præcepit. Delevimus « præceptis » vet. cod. auctor.

Quæcunque. Hoc addimus ex contextu Evang. et vet. cod.; expungimus vero « quæ. »

Quam adhuc salvis. Codices excusi, « Saulus. »

In vitam. Quinque has voces desiderabant omnes cod. excusi.

Quoniam autem ea quæ possidentur. Hæc ad eleemosynarum encomia et præmia pertinent, quæ eodem pacto Cyprian. serm. de operibus et eleemosynis describit: « Sicut lavacro aquæ salutaris, ait, gehennæ ignis exstinguitur, ita eleemosynis atque operibus justis delictorum flamma sopitur. »

Attinent etiam ista ad satisfactionem eam, quam theologi constituunt tertiam pœnitentiæ partem. Etenim precibus, jejuniis, et eleemosynis ista perficitur, de quibus in Daniele scriptum est: « Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum [68]. » In Proverbiis quoque cap. XVI dicitur: « Misericordia et veritate redimitur iniquitas. » In Evangelio denique: « Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis [69]. » De hac aliquanto fusius diximus in librum III, cap. 37.

Ex J. Er. Grabii adnotationibus in cap. 26.

Pag. 241. *Hæreditaret.* Κληρονομήσω igitur Matth. XIX, 16, legisse videtur Irenæus, perinde ut Chrysostomus homil. 63 (juxta Græc.) in Matthæum, et Arabs atque Æthiopicus interpretes.

Pag. 242. *Et forte non fecerat.* Augustinus, epist. 89, arrogantius multo quam verius juvenem hæc dixisse putat. Hieronymus mentitum illum aperte pronuntiat. FEUARD. Verum haud immerito objici-

[65] Luc. X, 16. [66] Matth. XXIII, 3. [67] II Thess. II, 14. [68] Com. in cap. III Isaiæ, com. in Epist. ad Titum, et Quæst. ad Algasiam. [69] Lib. I Adv. hæres. [70] Comm. in epist. ad Timoth. [68] Dan. IV, 24. [69] Luc. XI, 41.

Digitized by Google

tur, quod Servator juvenem, se præcepta ista servasse affirmantem, « intuitus dilexisse » dicatur Marc. x, 21. Si vero mentitus esset, Christus eum odio habuisset ac increpasset. Sed hoc non fecit; quin potius blandis verbis ad ulteriorem perfectionem viam ei monstravit. Bene igitur Irenæus addidit, « forte; » si quidem res haud caret dubio: quod tamen solvi puto, si dicamus, juvenem observasse præcepta sensu legali, et quoad externos actus; non vero in perfectione evangelica et quoad internos affectus.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 27.

Pag. 242. *Et quia Dominus naturalia legis.* Præcepta legis moralia, quæ hic naturalia vocantur, Christus non abrogavit, sed exposuit, ut patet Matth. v et vi, docens justitiam Christianorum oportere multis modis potiorem esse debere justitia Pharisæorum: atque idcirco apostolos, non servos, sed amicos et fratres suos appellavit.

Cæterum, si cum vet. cod. legas, ut in margine apposuimus, « ante legisdationem, » hujus loci interpres optimus erit Tertullianus, lib. *Contra Judæos.* « Ante legem Moysi, inquit, scriptam in tabulis lapideis, legem contendo fuisse non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, et a Patribus custodiebatur. Nam unde Noe justus inventus, si non illum naturalis legis justitia præcedebat? Unde Abraham amicus Dei deputatus, si non de æquitate et justitia legis naturalis? Unde Melchisedech sacerdos summi Dei nuncupatus, si non ante Leviticæ legis sacerdotium fuerunt qui sacrificia Deo offerebant? » Justinus quoque in *Dialogo* iisdem argumentis vult Patres sub lege naturæ justificatos. Non est igitur quod Magdeburgenses hac de causa Irenæum ut de singulari nævo traducant.

Quod si excusorum codicum lectionem retineris, « a legisdatione, » rectus quoque sensus. Cum lex præcepta illa naturæ conformia non abrogarit, sed magis explicarit et confirmarit; horum observatione, cum fide in venturum Messiam, prophetæ Patresque veram justitiam consecuti sunt. Observandum, quod non soli fidei vim justificandi tribuat, ut mentiuntur Magdeburg.

Primo quidem non tantum in Patrem. Duabus his partibus, quibus justitiam nostram super Pharisæorum abundare docet, tertiam hanc addit Clemens Rom. lib. II *Constit.* cap. 39, si de sacerdotibus, orphanis et viduis majorem curam suscipiant Christiani.

Et unitatem Dei. Sic ex vet. cod. locum restituimus: alii omnes habebant, « unitatem Deo hominem Domino ducit. »

Asservire Deo. Sic vet. cod.; excusi « ad serviendum. »

Homo assueverat. Expunximus « assueti erant, » vet. cod. auct.

Sequi Deum. Delevimus « esse quidem, » vet. cod. auct.

155 Pag. 243. *Erga liberatorem nostrum.* Codic. excusi, « libertatem nostram. »

Liberavit nos. Ita restituimus ex vet. cod. Excusi cod., « liberabimur. »

Quanto autem plus dilexerimus. Melioribus operibus sanctorum majorem apud Deum repositam esse mercedem, hic aperte docet; et eo evidentius adhuc Tertullianus lib. *Scorp.* adversus hosce Gnosticos: « Quomodo, scribit, multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum? » Et Dionysius Areopag.: « Singulos pro meritis lucis suæ Deus participes facit; » lib. *De cœlesti hier.*, cap. 3. Et rursus: « Ipsa lucis participatio pro suscipientium meritis varia est; » cap. 9 ejusdem libri.

Hoc majorem. Prius erat, « eo magis. »

[70] Lib. II Sent., dist. 1. [71] Psal. LXXVI, 21.

Hic est autem. Codices excusi, « est autem. »

Sed ut ipsi Abrahæ. Sic vet. cod. legendum docuit; excusi, « ipse. »

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 27.

Pag. 242. *Antiquis.* Nisi scriba hanc vocem ex Latina Vulgata addiderit, Irenæi auctoritate ea confirmatur, cum alioqui desit in Syriaca, Arabica, Æthiopica versionibus, et Cantabrigiensi, Lincolniensi, aliisque mss. codicibus.

Pag. 243. *Alia duo.* Ita quoque vulgatus interpres, et quædam Marchionis Velesii mss. Imo in Cantabrig. cod. et Steph. 2 legitur καὶ ἄλλα. Sed pleraque Novi Testamenti exemplaria habent simpliciter δύο.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 28.

Pag. 243. *Hominis.* Expunximus « hominem » auct. vet. cod.

Sed ut haberet in quem collocaret sua beneficia. Eamdem totius orbis efficiendi rationem tradit Dionysius cap. 4 *Cœlestis hier.*: « Est enim omnium causæ excellentisque bonitatis id proprium, ait, ut ad consortium sui, quæ sunt invitet et attrahat omnia, » etc. Nec minus pie quam eleganter Lombardus scribit, fecisse Deum rationalem creaturam, quæ summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, et amando possideret, ac possidendo frueretur[70].

Non enim solum ante Adam. Coæternitatem Filii cum Patre astruit hoc loco, et alibi frequenter: quapropter impurum sycophantam oportet fuisse Servetum, qui putavérit, eam pernegando, hunc martyrem sibi favere.

Sed non beneficium. Vet. cod., « sed non beneficium ab eis percipiens. »

In quantum. Cod. excusi, « quantum; » Paulo post « permanere » pro « manere; » deinde « adduc » pro « adhuc, » vet. cod. auctor. reposuimus.

Pag. 244. *Omnes enim.* Paulo aliter effertur hic Isaiæ locus in vulgata editione Latina sic: « Et omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum. »

Hæc ideo, quoniam, etc. Hic novam periodum incœpimus, contra omnium codicum excus. fidem.

Qui indigentes. Vetus codex, « indigent; » excusi, « indigetes: » nos ex utroque, « indigentes, » non male. Sic paulo superius, « homo indiget Dei communione, » etc.

Dans ducationem. Græce δόὴγησιν, manu deducens, viam monstrans; ut sit allusio ad hæc Psalmistæ verba: « Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi et Aaron [71]. »

Spiritali. Vet. codex « sequenti » habet: utrumque legendum docet Pauli littera, Ἔπινον γὰρ ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας, id est, « bibebant enim, » Vulgata, « autem ex spirituali sequenti petra; » atque ita legunt Ambrosius in *Comment.* et Augustinus libro duodecimo *Contra Faustum*, capite vigesimo nono.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 28.

Pag. 244. *Præparavi, et formavi, et feci eum.* Ita et cod. Alex. fere habet, κατεσκεύασα αὐτὸν, καὶ ἔπλασα, καὶ ἐποίησα. Sed Cod. Vaticanus juxta Hebræum tribus hisce verbis singulis addit αὐτόν.

Et aquilæ. Nescio utrum scriba ex Latina vulgata addiderit *et*, vel an Irenæus ipse legerit καὶ οἱ, prouti quidem in Cantabrigiensi et uno Novi ac Lincoln. collegii cod. scriptum est.

Vere enim aquæ multæ Spiritus Dei. « Aquas multas, » id est, multiplices ac diversi generis, mystice interpretatur de diversis Spiritus S. operationibus, ac legibus diversis per Spiritum S. datis, partim in Veteri, partim in Novo Testamento; occasione, uti videtur, accepta ex Joan. VII, 38 seq., aliisve similibus locis.

Omni conditioni congruentem et aptam legem con-

Digitized by Google

scribens, etc. Illis et sequentibus gemina habet Theodoretus lib. v *Hæret. fabul.*, cap. 17, cujus inscriptio est : « Quod idem et Vetus et Novum dederit Testamentum, » ubi pag. 291, tom. IV, ita scribit : Ὁ δεσπότης Χριστὸς ἑκάστῃ γενεᾷ τοὺς ἁρμοδίους ἔδωκε νόμους. Τοὺς μὲν γὰρ ἀναγκαίους καὶ πρώτους καὶ τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων ἀνέγραψεν..... τοὺς δὲ ἄλλους διαφόρως ἐν ἑκάστῃ δέδωκε γενεᾷ. « Christus Dominus convenientes unicuique generationi leges dedit. Necessarias enim et primas in hominum natura inscripsit. » Quæ consona sunt sequentibus Irenæi : « Primo quidem per naturalia præcepta, quæ ab initio infixa dedit hominibus..... Alias autem diversis modis dedit in quavis generatione. »

Ipse quidem nullius horum est indigens... facilem autem ad idola reverti populum erudiebat. Ita et Justinus M. in *Dialogo cum Tryph.*, pag. 238 : Διὰ τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ ὑμῶν, καὶ διὰ τὰς εἰδωλολατρείας, ἀλλ' οὐ διὰ τὸ ἐνδεῆς εἶναι τῶν τοιούτων προσφορῶν, ἐνετείλατο ταῦτα γενέσθαι. « Propter peccata populi vestri, et ob simulacrorum cultus, nequaquam autem quod istiusmodi oblationibus ei opus sit, hæc fieri sanxit. » Confer ibidem pag. 265, necnon Tertull. lib. II *Contra Marc.*

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 29.

Pag. 214. *At ubi conversi sunt.* Hebræi, sua libertate abutentes, legis servitute coercentur, acceptis cæremoniis, quarum virtute non justificabantur; sed ab idolorum cultu revocabantur, quinetiam ad duritiam cordis quædam susceperunt.

P. 245. *Præc. non bona.* Id est, præcepta de ritibus, neomeniis, sacrificiis, et festivitatibus, quæ (ut in scholis loquimur) ex opere operato, propria virtute nec justificabant, nec ac perfectum adducebant observantes : sed umbræ erant futurorum bonorum.

Et obtulerunt. Ita vet. cod. Excusi, « et tulerunt. »

Moloch. Hieronymus *Quæst. Hebraicis* in lib. Paralip. et in XXXII cap. Jerem., Moloch dicit fuisse idolum Ammonitarum, ipsumque Hebræorum lingua regem significare, quod adjicit in XVI cap. Isaiæ et V Amos, Aquilam et LXX Græce μέλχομ reddidisse. Huic Salomonem templum in Judæa exstruxisse refert historia Regum. Eum opinarer generationi filiorum præfuisse, eo quod in illius honorem infantes igne lustrare, aliquos etiam comburere, parricidali superstitione solerent.

Stellam Dei Rempham. Vocem « Dei, » desiderat vet. cod.; habent tamen illam LXX et vulgata editio : Veritas Hebraica « deorum vestrorum. » LXX ῥαιφφάν : Theodotio ἀμαύρωσιν, i. e. « obscuritatem » vertunt.

Dixissent ei. Ita vetus codex; delevimus, « dixisset eis. »

Et propter hoc peccatum. Non vult Moysem simpliciter præceptum dedisse de uxore repudianda : nam istud primæ matrimonii institutioni penitus repugnat, nec unquam aut a Deo, aut a Moyse jussum fuit, ut Augustinus copiose disputat, l. I *De sermone Domini in monte*, lib. I *Retract.*, c. 19, et lib. XIX *Contra Faustum*, c. 26. Non, inquam, præceptum fuit, verum duntaxat ad evitandum majus malum, utpote uxoricidium, permissum. Et volenti omnino dimittere uxorem, præceptum fuit ut libellum seu chartulam repudii, a scribis multis ritibus conscriptam daret uxori.

Decalogi observantes. Vetus cod., « decalogi observantes sint, et detenti ab eo, » ex omnibus codicibus restituimus, ut modo habet littera.

Non reverterentur ad idololatriam. Hanc non esse postremam rationem datæ legis, et institutionum Mosaicarum, multi et præclari viri cum Irenæo docuerunt, Clemens Rom. lib. VI *Constit.*, cap. 20, A Justinus in *Dialogo*. Tertulliani verba sunt : In institutione sacrificiorum patet ea Dei industria, qua populum pronum in idololatriam et transgressionem, ejusmodi officiis religioni suæ voluit astringere, quibus superstitio sæculi agebatur, ut ab ea avocaret illos, sibi jubens fieri, quasi desideranti, ne simulacris faciendis delinqueret [73].

Et id quod erat semper liberum. Rursus libertatem voluntatis humanæ non omnino per peccatum sublatam fuisse clarissime ostendit, adversus priorum et posteriorum Gnosticorum impietates, qui ut Deum malorum auctorem faciant, scribere non verentur, « omnia de necessitate absoluta **156** evenire, » ut poeta voluit :

Certa stant omnia lege.

Verba sunt Lutheri articulo 36, inter eos quos damnavit Leo X; quosque copiosissime et acerrime confutavit doctrina, pietate, et martyrio insignis vir Joannes Roffensis episcopus.

B Gallasius iterum hoc loco in Irenæum et totam catholicam Ecclesiam insurgit, Pelagianismique accusat, quod arbitrium liberum salvum manere post peccatum doceat, atque gratiæ Dei cooperari, ita ut aliqua ex parte suæ salutis causa sit; ignorans, aut certe dissimulans miser, verba Pauli esse : « Dei adjutores sumus [74]; et Petri : « Cum timore et tremore salutem vestram operantes [75]. »

Sed bene habet, quod etiam nunc in extrema senecta incipiat rectius sapere, et symmistis suis hac in re contradicere Beza. Nam in lib. I *Quæstionum et Respons.* quem Joachimo Camerario nuncupat, asserit « hominem gratiæ primæ συνεργεῖν; » et addit, « negantem id, primæ gratiæ efficacitatem negare. » Idem quoque Wittembergici ministri ex veterum sententiis aptissime defendunt; ac ibidem concludunt, « in justificatione hominis tria simul concurrere, nimirum, verbum Dei, Spiritum S. et voluntatem hominis assentientem eidem verbo Dei [76]. » Sicque etiam a communistris impudentia C Gallasii refellitur et damnatur. Verum, sicut supra ea, quæ ad catholicam doctrinam atque fidem ea de re pertinebant, ex primi sæculi apostolicis Patribus attigimus cap. 9 libri hujus; ita et nunc alia ex secundæ ætatis Christianis scriptoribus subjungenda videntur. Cyprianus epist. 18 docet Christum servasse legem, qua homo libertati suæ relictus, et in arbitrio proprio constitutus, sibiipsi vel mortem appetit, vel salutem, quando quibusdam discipulis retro abeuntibus non succensuit; sed potius ad apostolos dixit : « Nunquid et vos vultis ire [76]? » Et libro *De unitate Eccles.* hæreses inde proficisci ait, cum Dominus permittit et patitur, manente in hominibus propriæ libertatis arbitrio. Rursus lib. III *Ad Quirinum*, cap. 52, credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam esse probat, quia in Deuter. scribitur : « Ecce dedi ante faciem tuam vitam et mortem, bonum et malum; elige tibi D vitam ut vivas [77]. » Item apud Isaiam : « Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis [78]. » Missa facio quæ hac de re apud eum scribit auctor ser. de Nativitate Christi; et lib. *De singularitate clericorum.*

Cyprianum sequatur Origenes. In hom. 9 in Numeros ait : « Sensus noster potest bona eligere, ut fiat vas in honorem; aut mala et terrena, ut fiat vas in contumeliam. » Et hom. 12 in eosdem : « Israel, quid Dominus Deus poscit a te, quam ut timeas eum? Erubescant illi hæc verba, qui negant in homine liberum arbitrium. Quomodo posceret Deus, nisi haberet homo in sua potestate, quod Deo poscenti deberet offerre? » Idem hom. 20 : « Sui namque arbitrii esse animum, et in quam voluerit partem est ei liberum declinare, et ideo justum Dei judicium est, quia sponte sua sive bonis, sive per-

[73] Lib. II contra Marcionem. [74] I Cor. III, 9. [75] Philip. II, 12. [76] In propos. fol. 97. [76] Joan. VI, 68. [77] Deut. XXX, 15, 16. [78] Isa. I, 19.

Digitized by Google

simis monitoribus paret. Non recensebo quomodo sibi plane consentiat, hom. 6 in Judicum; lib. II in Job; procemio in lib. *Περὶ ἀρχῶν*. et lib. II, cap. 9, et lib. III, cap. 1, *De principiis;* et *Commentariis*, in III et VII cap. ad Rom.

Neque ascribam quæ tradunt Minucius Felix in *Octavio*, Arnobius lib. II *Contra Gentes*, idemque *Commentariis* in Psal. LVIII, LXIII, LXXVII, XC, CVI, CVIII, CXVII, CXLVI, nec quæ Methodius *Epitome de resurrectione*. Tantum dicam Magdeburgenses impudentissimo mendacio scripsisse, centuriæ secundæ pag. 39, et centuriæ tertiæ pag. 77, Patres hac in re, de qua disputatur, contraria sibiipsis dixisse, et voluntatis libertatem alias affirmasse, alias negasse, quod falsissimum ostendunt hæc, quæ in medium notanda protulimus.

Ei, quoniam. Quatuor voces istas adjecimus; et mox « crediderunt, » pro « credunt, » posuimus ex vet. cod. auct.

Ex J. Er. Grabii adnotationibus in cap. 29.

Pag. 244. *At ubi conversi sunt.* Quod idololatria Judæorum in vitulo colendo occasio fuerit legum de sacrificiis, ante Irenæum docuit Justinus martyr, Tryphonem pag. 237 his affatus verbis : Ἄδικος καὶ ἀχάριστος εἰς τὸν Θεὸν ὁ λαὸς ὑμῶν ἐφάνη, ἐν τῇ ἐρήμῳ μοσχοποιήσας· ὅθεν ὁ Θεὸς, ἁρμοσάμενος πρὸς τὸν λαὸν ἐκεῖνον, καὶ θυσίας φέρειν, ὡς πρὸς ὄνομα αὐτοῦ, ἐνετείλατο, ἵνα μὴ εἰδωλολατρῆτε. « Injustus et erga Deum ingratus populus vester apparuit, vitulo in solitudine fabricato. Unde Deus ad populum illum se accommodans, hostias quoque offerre tanquam nomini suo præcepit, ut ne idololatriam committeretis. » Lege ipsum prophetam Jeremiam cap. VII, vers. 22, seq. et commentatores in istum locum, necnon Clementem lib. VI *Constit. apost.*, cap. 20.

Pag. 245. *Præcepta Dei vivi dare vobis.* Λόγια ζῶντα δοῦναι ἡμῖν, legimus in nostris Novi Testamenti exemplaribus; sed quoad « vobis » cum Irenæi lectione convenit ms. collegii Novi codex Actorum, cui Catena Patrum est annexa.

Corde suo. Τῇ καρδίᾳ cum Irenæo habet alter Novi collegii, necnon Lincolniensis codex, et ms. Cantabrig., cum in editt. legamus ταῖς καρδίαις.

Sacrificia. Ita cum Irenæo versio Syriaca et Æthiopica; ast nostra Græca Novi Testam. exemplaria habent singulariter θυσίαν.

Sed et alio loco. Aut memoria Irenæum fugit; aut dicendum, quod per « alium » locum intelligat « alterum modo citatum. » Quippe ante 25 versum, quo incipit Apostoli tractatus de virginitate, allegaverat aliqua ex præcedenti de regulis in matrimonio observandis dissertatione; quam ab illo quasi distinctam accepit Irenæus, licet juxta nostram divisionem uno eodemque capite contineatur.

Quædam præcepta. « Præcepta » hic sensu latiori pro « dictis, declaratis, statutis » accipienda sunt.

Salutem Decalogi. Id est, Decalogum, cujus observatione homo salvatur, ast « si quis non fecerit, non habeat salutem, » uti paulo ante loquitur.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 30.

Pag. 246. *Quoniam autem et circumcisionem.* Nec circumcisionis, nec aliarum legalium cæremoniarum virtute Judæis collata est perfecta justitia, cum multi ante harum institutionem coram Deo justi et accepti fuerint : sed signa fuerunt rerum spiritalium, quæ per Evangelium exhibentur.

Interea vim omnem ad internam hominis justificationem circumcisioni videtur Irenæus adimere, dicens eam « non fuisse consummatricem justitiæ, » sed in signum datam. Deinde, « per hæc, » videlicet cæremonialia et legalia, « non justificabatur homo. » Istudque confirmat exemplis plurimorum Patrum, qui sine circumcisionis, aliarumve cæremoniarum observatione justificati fuerunt. Hoc ipsum urget etiam Justinus martyr in *Dialogo*, propterea quod feminæ ad illam non tenerentur : quidquid autem ad justitiam et salutem pertinebat, utrique sexui commune esse oportuit. Tertullianus quoque sic argumentatur[79] : « Cur Deus Adam non circumcidit, posteaquam deliquit, si purgat circumcisio? » Et postea : « Hæc Dei providentia fuit dandi circumcisionem Israel, in signum unde dignosci posset. « Huic sententiæ subscribens Chrysostomus ait[80] : « Circumcisio nihil ad animæ virtutem conducit; sed fit signi tantum gratia. Illa enim sunt vere bona animæ, quæ ex electione fiunt; in carne vero signum accipere, quale bonum opus fuerit? » Idemque postea : « Nulla alia ex circumcisione fuit utilitas, quam hæc sola, quod ex signo hoc essent cognoscibiles, et ab aliis gentibus sequestrarentur Judæi[81], » Denique homilia 7 in Epist. ad Rom. diserte contendit, illam nec in vita optima vim ullam habuisse. Aliis citandis auctoribus supersedeo.

Verum huic sententiæ refragari videntur universæ Patrum scholasticorum scholæ, cum suo principe B. Thoma[82] contendentes, circumcisionem ea omnia (solo in regnum cœlorum ingressu dempto), accedente in Christum venturum fide ac spe, tunc parvulis Hebræorum contulisse, quæ nunc parvulis Christianorum præstat baptismus. Nec desunt eis ad hujus assertionis confirmationem plurimæ et fortissimæ rationes, quæ ex eorum scriptis peti possunt. Quorumdam tantum veterum suffragia, Ecclesiæque catholicæ decreta subjicio. Bernardus imprimis baptismum circumcisioni conferens, ac velut Chrysostomi rationem dissolvens ait : « Sicut nunc baptismus absque ullo voluntatis usu infantibus confert salutem, ita tunc circumcisio sine ulla arbitrii electione salutem infantibus attulit. » Et qui hunc aliquot sæculis præcessit, Venerabilis Beda, scripsit in cap. II Lucæ : « Salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere revelatæ gratiæ tempore consuevit, excepto quod regni cœlestis januam nondum intrare poterant. » Accedit summus Ecclesiæ pontifex Gregorius affirmans[83], mysterium circumcisionis pro iis qui ex Abrahæ stirpe prodierunt, hoc egisse, quod apud nos valet aqua baptismi. Cunctis autem his superior Augustinus aperte docet[84], circumcisionem, ex quo instituta fuit in populo Dei, valuisse ad purgationem originalis vo-terisque peccati, sicut baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo institutus est. Quid his clarius et firmius pro circumcisionis virtute ac **157** efficacia? Annon ergo signum fuit plane validum et practicum?

Addamus porro hæc duo Gregorii et Augustini testimonia, inter Ecclesiæ catholicæ decreta jamdudum relata[85] : et novissime a Gregorio XIII probata cum his inscriptionibus Romæ excusis, et inde evulgatis : « Sicut nunc in baptismate, ita olim in circumcisione remittebantur peccata. » Item : « Originale peccatum nunc in baptismate, olim in circumcisione remittebatur. » Refert denique in *Decretalibus*[86] Gregorius IX, Innocentium III decreto suo sanxisse, quod, etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium, et damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum cœlorum. Quibus vim non detrahit, sed potius eximiam efficacitatem tribuit circumcisioni, tametsi minorem quam baptismo.

[79] L. adv. Judæos. [80] Hom. 29 in Gen. [81] Hom. 49 in Gen. [82] III parte, q. 62, art. 6. [83] L. IV Moral., c. 2. [84] L. II de nuptiis et concupiscentia, cap. 2. [85] De consecr. d. 4, can. Quod autem can. Ex quo. [86] L. III., tit. 42, c. Majores.

Digitized by Google

His itaque sic constitutis et probatis, superest, ut adversæ sententiæ argumentis satisfaciamus. Irenæus in primis seipsum explicat, dicens, circumcisionem non fuisse « consummatricem justitiæ, » cum videlicet recta in cœlos non perduceret, redemptionis humanæ pretio nondum per Christi mortem exsoluto. Subdit porro eam non fuisse signum otiosum, tanquam quæ a sapiente artifice data esset. Igitur fuit signum efficax et operatorium. Patres qui Abraham præcesserunt, non fuerunt per eam justificati, quoniam nondum instituta fuerat, imo nec ipse Abraham per eam justus effectus est, quod longe prius fide et obedientia sua Deo gratus et acceptus esset. Nec admodum urget B. Justini ratio, quandoquidem salutis feminarum aliam rationem Deus habuit, cum expresse solum masculinum sexum huic legi devinxerit. Chrysostomo per D. Bernardum factum est satis.

Sed secundum carnem. Easdem circumcisionis et Sabbatorum rationes videre licet apud Justinum martyrem in *Dialogo*, et Tertullianum lib. *Adv. Judæos*. Philo Judæus lib. *De circumcisione* tradit eam institutam esse a Deo ob sex causas, quarum quatuor affert physicas, et duas mysticas. Lactantius lib. IV, c. 17, hanc cum cæteris reddit, quod signaret nudandum esse pectus, id est, aperto et simplici corde oportere nos vivere : quoniam pars illa corporis quæ circumciditur quamdam cordis similitudinem habeat.

Addens porro Irenæus, hanc secundum carnem circumcisionem spiritualem circumcisionem præfigurasse, Catabaptistarum quorumdam refellit errorem, quo volunt circumcisioni veterum nequaquam successisse baptismum, ut et hunc tandem aliquando tollant de medio. At vero, Apostoli verba quæ adducuntur, illud omnino exprimunt : « Circumcisi estis, inquiunt, circumcisione non manufacta in exspoliatione corporis carnis, in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo [87]. » Ergo C baptismus vocatur circumcisio Christi, et circumcisio spiritalis, quod veteri et carnali circumcisioni tanquam veritas umbræ successerit. Sic et Justinus in *Dialogo* baptismum affirmat spiritalem esse circumcisionem, cujus externa illa typus fuerit. Athanasius quoque scribit [88] : « Circumcisio figura erat exuviarum, quæ per baptismum deponuntur. » Et paulo post ; « Abraham circumcisionem accepit pro nota insignibusque ejus regenerationis, quæ per baptismum conficitur. » Epiphanius Cerinthum impugnans, affirmat circumcisionem carnis tempori inserviisse, donec major circumcisio, id est, lavacrum regenerationis accesserit. Augustinus denique profitetur circumcisionem et baptismum esse ejusdem naturæ. Insuper, Christum in Ecclesia sua pro circumcisione veteri baptismum instituisse. Constat ergo tam ex Apostolo, quam ex veterum consensu baptismum divina ordinatione in circumcisionis locum ac ordinem substitutum esse.

Manifestabatur autem. Docet Sabbatum vetus duo significasse. Primum, nos omni tempore debere Deo vacare ; secundum, felicissimam et beatissimam illam requiem, quam post hujus vitæ miserias et certamina in cœlis exspectamus. Atque hoc est intelligibile Sabbatum, inquit Hesychius [89], de quo ait Paulus : « Ergo relinquitur sabbatismus populo Dei ; » quem significat dies septima, in qua requievit Deus. De hoc vide Augustin. ad finem ultimi libri *De civitate*.

Et quia non per hæc. Isthæc iisdem fere verbis habet Tertullianus lib. *Contra Judæos*, ut hinc videantur desumpta.

Dei legatione ad angelos fungebatur. Vetus cod. nomen « Dei, » non habet. Cæterum, difficilis et obscurus erit hic locus, nisi angelorum nomine vel posteros sancti viri Seth, vel certe gigantes seu principes homines intellexeris, quorum nefarias libidines sub nomine filiorum Dei Moyses describit Genes. VI, ad quos monendos nuntius et præco amandatus fuerit Enoch ; atque ita et recte, meo judicio, interpretantur Theodoretus, Cyrillus, et Lyranus. Suidas filios Dei Enos, Enoch, et alios posteros Seth filii Adæ, putat non incongrue appellari, cum Seth Dei cognomen inter eos, qui tum vixerunt homines, ob inventas litteras Hebraicas, stellarumque appellationes, et insignem pietatem obtinuerit. Ex illis igitur multos lascivia victos scribit cum filiabus Cain congressos fuisse. Si vero de immundis spiritibus, quos Justinus, Clemens Alex., Tertullianus, Athenagoras, Cyprianus, Methodius, et plerique alii classici auctores mulierum forma allectos fœdis voluptatibus carnis operam dedisse opinantur, aliquis locum hunc intelligendum contenderit ; singularis est opinio, potius dissimulanda, quam amplexanda, aut procaciter exagitanda ; quam ex libris Enoch nomine evulgatis dimanasse putarunt Tertullianus, Origenes, Augustinus : lib. *De habitu muliebri*, hom. 28 in Numeros, lib. XV *De civit.* c. 23.

Et translatus est, et conservatur. In eum paradisum quo positus fuerat Adam, cum eodem quo vixerat corpore servari ex traditione presbyterorum, qui apostolos audierant, se accepisse scribit postea lib. V. Huic sententiæ tot suffragantur, ut ab ea discedere mihi religio sit, præcipue cum aperte dicat in Ecclesiastico cap. XLIV Syracides Latinus (Græca enim variant) : « Enoch placuit Deo, et translatus est in paradisum ; » et Apost. in Epist. ad Heb. : « Fide Enoch translatus, ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit eum Deus. » Consentit et Thargum Babylonicum, interprete Fagio : « Ambulavit Enoch in timore Domini ; et non ipse, quia non mori fecit eum Dominus. » Philo Judæus lib. *De vita sapientis*, recte judicat, Deum illum transtulisse, non per mortem, sed per separationem a consortio et frequentia improborum hominum, ad ignotum vulgo virtutis secessum.

Errant igitur hi Hebræi, et qui illos sequuntur quidam Latini, cum raptum hunc, mortem ejus præmaturam interpretantur. Etsi enim libenter admitto vitam ejus in terris fuisse tantum 365 annorum, nec ad dimidium ætatis majorum suorum, aut nepotum, eum pervenisse ; sed e medio vitæ hujus cursu repente, et inusitato exemplo assumptum ex hominum conspectu, ut de Elia legimus : non ita tamen ut morte interposita corporeque instar aliorum in cineres redactus sit.

Quo vero translatus sit, et ubi agat, quibusve cibis alatur, aut veste induatur, supervacaneum requirere existimat Chrysostomus [90]. Inter quæstiones, quæ ad fidem non pertinent, judicat Augustinus [91]. Quo translatus sit, novit Deus, pronuntiavit Cyprianus, seu quivis alius auctor tractatus *De montibus Sina et Sion* apud eum. Potius venerandum, quam inquirendum censet Theodoretus quæst. 45 in Gen. Irenæi sententiæ assentiunt, quæ fertur Nicodemi *Historia de morte et resurrectione Domini* ; Tertullianus lib. *De anima* ; Methodius in *Revelationibus*, Epiphanius hæres. 64 ; Augustinus lib. IX *De Genesi ad lit.* cap. 6, lib. I *De peccatorum meritis et rem.*, cap. 3 ; tractatu de Antichristo, et recentiores fere omnes orthodoxi scriptores. In cœlum raptum, id est, per æthera, et assumptum docent Ambrosius lib. *De paradiso* VI, 3, et Gregorius hom. 29 in Evangelia ; venturum autem et pugnaturum adversus Antichristum volunt omnes.

Pag. 247. *Et exstincta esset in Ægypto.* R. Moses ac Elias Levites, ut ex scriptis eorum colligit doctissimus Genebrardus in *Chron.*, tradunt Israelitas

[87] Coloss. II, 11 et 12. [88] In illud : Omnia mihi tradita sunt. [89] In c. XXV Levit. [90] Hom. 21 in Genesim, et 22 in Epist. ad Hebræos. [91] Lib. II de peccato orig.

Digitized by Google

captivitate Ægyptiaca constantissime quidem linguam Hebraicam, suæ gentis habitum et avita nomina retinuisse; verum sanctissimam patriarcharum fidem ac religionem flagitiose deseruisse, sola stirpe Levi excepta, quæ in ea perseverando sacerdotii dignitatem sibi promeruit.

Et cibavit. Expunximus « cibavi; » et continuo « vivit » pro « vivet » reposuimus auctoritate vet. cod.

Ex adnotationibus Joan. Ern. Grabii in cap. 30.

Pag. 246. *Accepit mensuras mundi.* Cogitanti mihi, quænam sint « mensuræ mundi secundæ generationis, » id est, quasi de novo creati, varia incidere, quibus lectorem detinere nolo. Genuinum, nisi fallor, sensum suppeditabunt ista Epiphanii in *Ancorato*, num. 114, de Noemo verba: Διαμερίζει μὲν, ὡς κληρονόμος τοῦ κόσμου καταστὰς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, τοῖς τρισὶν υἱοῖς αὐτοῦ τὸν πάντα κόσμον, ὑπὸ κλήρους διελὼν, καὶ ἑκάστην μερίδα κατὰ κλῆρον ἑκάστῳ ἀπονέμων. « Velut hæres mundi a Deo **158** institutus, totum terrarum orbem inter tres filios sortito distribuit, et unicuique suam portionem juxta sortem assignavit. »

Ad angelos. Sub humana scilicet forma cum mulieribus congressos: quibus, perinde ac hominibus, ob hoc malefactum Enochus, tanquam Dei minister, divinum judicium denuntiavit, paulo post insecutum; unde mox « testis justi judicii Dei » dicitur.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 31.

Pag. 247. *Et erga Deum dilectionem præcipiebat.* Ita codex vetus legendum docuit; excusi, « erga Deum dilectionem præsciebat. » Videtur initium istud loco tantum dirimendum fuisse a superiori capite. Ostendit porro Deum optimo jure sui ac proximorum dilectionem per observantiam Decalogi in primis exegisse, cum non sibi, sed nobis prodesse percuperet. Et ideo Christum adventu suo illum non abrogasse, sed exposuisse et amplificasse; præceptis vero cæremoniarum et judiciorum nos exsolvisse.

Insinuabat. Codices excusi, « insinuabatur, » quod et Erasmus.

Indigente. Ita vetus codex; excusi, « indigentiæ. »

Ex toto corde tuo, et. Quinque has voces ex veter. cod. addidimus.

Præstabant. Sic pro « præstabat » substituere docuit vet. cod.

Largiter donans. Expunximus « largitur. »

Reddemus rationem. Delevimus « reddimus » auct. vet. cod.

Qui et libertatis. Rursus libertatem voluntatis humanæ, etiam post admissum peccatum, permanere, confirmat. Vide supra cap. 9 et 29, et infra cap. 71 et 72, 75 et 76 libri hujus quarti.

Sed ad approbationem. Codices excusi, « sed ad propitiationem. »

Ejusdem adnotationes in cap. 32.

Pag. 247. *Quoniam autem.* Probat ex Samuele, David, Isaia, Jeremia, et aliis, Deum non indigere sacrificiis; promptam potius cordis obeditionem, contritionem, laudem, invocationem, mentis puritatem, fidem, misericordiam, beneficentiam, similiaque spiritalia exigere sacrificia, quibus magis proprie honoratur et colitur. Idcirco Judaicas oblationes repulit, corporis autem ac sanguinis sui novam novi testamenti oblationem instituit et tradidit toto orbe, et per omnes gentes offerendam.

Et rursus. Hæc eadem iisdem scripturis et rationibus innixus amplissime discutit Augustinus lib. x *De civit. Dei*, cap. 5.

Auditus bonus. Hellenismus sic in Vulgata editione Latina explicatus: Melior est obedientia, quam victimæ; et auscultare, magis quam offerre adipem arietum [99].

Pag. 248. *Dedissem utique.* Et Græcus Psalmorum contextus ita legendum docet; et ante mille annos sic Arnobium juniorem legisse, ex ejus *Com.* seu paraphrasi manifestum est.

Ab oculis meis. Sic vet. cod. Excusi, « coram oculis. »

Hæc eorum sacrificia. Expunximus « cæcorum » auct. veter. cod.

Quascunque. Delevimus « quæcunque. »

Pag. 249. *Ne dilexeritis.* Ita vetus codex; excusi, « ne dixeritis. »

Misericordiam volo, et non sacrificium, nunquam condemnasse tis innocentes. Ita legendum vetus cod. docuit; excusi: « Misericordiam volo quam sacrificium; nunquam condemnaretis immerentes. »

Sed et huis discipulis. Hunc revera insignem et apertum locum pro sacrificii eucharistiæ firmamento, aut scelerata impietate detorquere, aut insigni fraude corrumpere, aut denique Satanica audacia conantur et audent negare Gnostici posteriores. Gallasius in tanta luce verborum affirmare non erubescit, priscos illos Christianos in eucharistiæ celebratione, corporis Christi sacrificium ignorasse. Magdeburgenses autem non verentur scribere, Patres hujus et subsequentis sæculi, nulla alia habuisse sacrificia, aut aliud quidquam Deo obtulisse, quam invocationem et gratiarum actionem. Mox vero sui ipsorum immemores, aut proprio judicio damnati, fatentur Ignatium ad Smyrnenses oblationes et sacrificii immolationem docere; Irenæum quoque hoc in loco, si tamen fraude aut mendo vacat (sic enim aiunt boni viri, ut sententiæ hujus gravitatem elevent), satis incommode loqui de oblatione, vel inviti confitentur. Demum, non de panis consecrati oblatione, sed adhuc consecrandi, in usum cœnæ Domini, hæc intelligenda esse autumant.

Nos germanam loci lectionem et intelligentiam proponemus, omnesque qui hujus et superioris sæculi curriculo vixerunt, cum Irenæo vere carnis Christi in eucharistia veram oblationem, ex ejusdem Domini revelatione, institutione, jussione, credidisse, agnovisse et peregisse ostendemus. Consentiunt imprimis codices omnes sive Basileæ, sive Lausanæ, sive Lutetiæ excusi. Veteris nostri codicis lectio est: « Sed uti ipsi nec infructuosi, neque ingrati sint, eum qui est ex creatura panis, accepit, et gratias egit, dicens: Hoc est meum corpus. Et calicem similiter, qui est ex creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est. » Reliqua consentiunt.

His autem quinque docet, tanta evidentia, ut tenebrionum vel impiorum sit, aut non videre, aut dissimulare. Primum, Christum panem et vinum verbis certis, corpus suum et sanguinem esse confiteri, quod apertius adhuc explicat infra cap. 34, et lib. v idem Irenæus. Deinde, discipulis non tantum consilium dedisse offerendi Deo primitias ex creaturis, sed et novi testamenti novam docuisse oblationem, cum de pane dixit: « Hoc est corpus meum [99]; » et calicem confessus est suum esse sanguinem. Postea, hac oblatione Deum quidem nullatenus, sed homines egere, ut maximo creatori, et redemptori optimo quantas poterunt gratias rependant pro beneficiis, et fructus uberiores, mortis nempe Dominicæ, hac incruenta oblatione sibi accersant. Deinceps, istiusmodi oblationem corporis et sanguinis Christi, Ecclesiam per universum orbem offerre, ut ab apostolis accepit, et ipsi a Christo. Postremo, Malachiam ex duodecim prophetis minoribus unum, hac de oblatione, quæ fit in eucharistia, vaticinatum fuisse.

[99] I Reg. xv, 22. [99] Matth. xxvi, 26; Marc. xiv, 22, Luc. xxii, 19.

Digitized by Google

Ut autem eam fuisse Patrum omnium illius sæculi doctrinam fidemque, contra Gallasii et Magdeburgensium inficiationem ostendam, ad superiores ascensurus a Cypriano exordiar. « Quando, inquit, in sacrificiis precem cum pluribus facimus, coronis et laudibus vestris, plenam Domini faventiam postulamus; » epistola 4, quæ est ad Moysem et Maximum presbyteros, cæterosque confessores [95]. Schismaticum porro illum censet, et altaris hostem, et adversus sacrificium Christi rebellem, qui derelictis episcopis « et Dei sacerdotibus, constituere aliud audet altare, » epist. 7. Sacrificio et manu sacerdotis conscientias purgari docet, epist. 14. Sacerdotes sacrificia Dei quotidie celebrare, hostiasque et victimas Deo præparare, epist. 17. Episcopos antecessores suos religiose jampridem censuisse, ne pro eo, qui ad tutelam vel curam clericum nominasset, offerretur ad altare Dei, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur, refert et probat, epist. 27. Sacrificia pro defunctis semper se obtulisse, clerum et plebem suæ diœceseos optat recordari, epist. 62. Arguit illos qui in calice Dominico sanctificando, et plebi ministrando non hoc faciebant, quod Jesus Dominus noster « sacrificii hujus auctor et doctor fecerat » et docuerat, aquam nimirum vino prius admiscere, epist. 68. Eadem persequitur ,Dominum nostrum panem et vinum, «suum scilicet corpus et sanguinem obtulisse inter cœnandum, ut Melchisedech typum adimpleret; utque sanguinem Christi propinatum possemus bibere, priorem ipsum bibisse; » sacerdotem quoque in altari, vice Christi fungi, et sacrificium verum et plenum Deo Patri, in passionis Unigeniti sui recordationem offerre. Idem rursus manum ad sacrificium Dominicum admissam, diaboli laqueis ultra implicari prohibet, epist. 97. Martyribus et confessoribus ad metalla damnatis, offerendi et sacrificia divina celebrandi denegatam a tyrannis facultatem conqueritur, epist. 99.

Cyprianum sequatur Tertullianus, cujus ille scriptis tantopere delectabatur. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die fecisse Christianos tradit, libro *De corona militis*. Pœnitentes « aris Dei (in quibus procul dubio sacrificabant) adgenicolari» solitos, lib. *De pœnitentia*. Sacerdotum officia tria hæc esse recenset, docere, tingere et offerre, lib. *De velandis virg.* Mulieres in publicum procedere vetat, nisi cum aut imbecillis frater visitandus est, « aut sacrificium offertur, » aut Dei verbum administratur, lib. *De cultu feminarum*. Matrimonium inter Christianos illud felix existimat, quod Ecclesia conciliat, « et confirmat oblatio, » lib. II *Ad uxorem*. Ubi ecclesiastici ordinis major non est consensus, « tingendi et offerendi jus » sacerdotem habere agnoscit; virumque oblationes annuas pro spiritu uxoris reddere suadet, libr. *De exhort. ad castitatem*. Viduam similiter pro anima defuncti viri offerre annuis diebus dormitionis ejus hortatur lib. *De Monog.*

159 His accedit Clemens Alexandrinus [96], qui Hydroparastatarum hæreses damnat, quod pane et vino in oblatione non uterentur juxta regulam Ecclesiæ. Idem alibi docet, Melchisedech sacerdotem Dei altissimi panem et vinum dedisse in typum eucharistiæ; nos quoque ablutos, mundos et splendidos ad sacrificia et preces pergere jubet.

Justinus martyr in *Dialogo*, nunc sacrificium similæ, quod pro mundatis a lepra jubet Leviticus offerre, figurasse ait eucharistiam, quam in memoriam passionis suæ, et ut gratias agamus Deo, tum pro creatione, tum pro redemptione, Jesus Christus Dominus noster posteris tradidit; mox illud idem aperte Malachiam cap. 1 prædixisse; nunc Jesu Christi traditione apud Christianos per totum orbem, A eucharistiæ panis et poculi sacrificia fieri grata Deo Patri. Item in *Apologia* priore ejusdem sacrificii ritus et formam paucis quidem, sed gravissimis sententiis explicat.

Iis quatuor non ita multo post ab apostolis natis, totidem eorum æquales et auditores connectantur. Clemens Rom. vult diaconos « oblationi eucharistiæ esse intentos, ministrantes corpori Domini cum timore; » et populum astantem orare secreto, dum sacrificium peragitur, lib. II *Const. apost.*, c. 61. Episcopum in aliena diœcesi peregrinum, posse eucharistiam offerre, lib. ejusdem cap. 62. Quemlibet fidelem die Dominico sacros cœtus frequentare jubet, quandoquidem lectio prophetarum, Evangelii prædicatio, sacrificii oblatio, atque sacri cibi dispensatio die ipso haberetur, cap. 63, et libri VI cap. 31. Idem post jejunia Parasceves, et pernoctationem magni Sabbati Christianos hortatur « ad illud offerendum sacrificium, de quo præcepit Dominus dicens: « Hoc facite in meam commemoraB « tionem [97]; die resurrectionis Dominicæ, » lib. V cap. 20. In ecclesiis et cœmeteriis, antitypum regalis corporis Christi, acceptabilemque eucharistiam offerre monet eosdem lib. VI, cap. 30. Oblationem illam vocat, « mundam et incruentam hostiam, mysteriumque novi testamenti, » quod Christus instituit, lib. VIII, cap. 3. Præteribo quæ in eamdem sententiam subjungit cap. 17, 18, 19, 24, 34 et 52 ejusdem libri octavi. Missa faciam insuper ea, quæ epist. 2 ad Jacobum fratrem Domini, et epist. 3, quæ est de officio sacerdotis et clericorum; rursus in canon. 3, 4, 18, quos ex apostolis in unum corpus congessit; et ex innumeris quædam a Dionysio illo, quem sacris undis perfudit, simulque Christianis legibus instruxit beatus Paulus, adducam.

Is cap. 3 *Ecclesiast. hierar.* eucharistiam, salutaris hostiæ oblationem, excellentius sacrificium, divinorum altissimam et maxime venerandam celeC brationem, mysteria sacrosancta, omnique digna veneratione suspicienda, sacramentorum omnium summam, divinum augustissimumque sacramentum, magna religione appellat; et pontificem post divinorum operum laudes (quas nos præfationem vocamus), quod hostiam salutarem sacrificet, seipsum excusantem, atque his ad Deum exclamantem facit: Tu dixisti; Hoc facite in meam commemorationem, etc.

Fortissimus martyr et dignissimus; qui Petro in Antiochena sede tertius succederet Ignatius, *Epist. ad Smyrnenses* docet, non licere sine episcopo neque baptizare, neque offerre, neque sacrificium immolare, οὔτε δοχὴν ἐποιεῖν, quod Perionius cum veteri interprete reddidit, « neque missam celebrare. » Idem *Epist. ad Ephes.* lupum sub ovis pelle latitantem vocat illum, qui ab episcopo sejunctus est, nec convenit in cœtu sacrificiorum et ecclesia.

D Martialis, qui Christum miracula facientem esse vidisse et in cœlum ascendentem adorasse testatur: « Sacrificium, inquit [97], Deo creatori offertur in ara, non homini, neque angelo; nec solum in ara sanctificata, sed ubique offertur Deo munda, sicut testatus est; cujus corpus et sanguinem in vitam offerimus, » etc. Et paulo post: « Quod Judæi per invidiam immolaverunt, putantes se nomen ejus a terra abolere, nos causa salutis nostræ in ara sanctificata proponimus, scientes hoc solo remedio nobis vitam præstandam et mortem effugandam; hoc enim ipse Dominus noster jussit nos agere in sui commemorationem. »

Nullis igitur exsecrationibus ac diris satis detestari, nullis flagris et dignis satis supplicis quis pro merito castigare posset Gnosticorum posteriorum prodigiosum simul et perniciosum illud men-

[95] Epistolæ citantur ex codice Morelii. [96] Lib. I et IV Stromat. [97] Luc. XXII, 19. [97] Epist. ad Burd., c. 3.

Digitized by Google

dacium, quo primorum sæculorum ecclesiasticos Patres, corporis Domini in eucharistia oblationem non agnovisse impudenter garriunt; cum etiam sempiterna, eademque gravissima quæque gehennæ supplicia commereantur.

Nec hoc loco prætermittere possum aut debeo, Satanam omnium hæreseon parentem, ac veritatis hostem infestissimum, hujus sanctissimi sacramenti atque sacrificii incruenti primis adversariis et oppugnatoribus auctorem fuisse, ut illud cunctis viribus impugnarent, blasphemarent, et penitus abolerent. Non est enim ambigendum, quin Capernaitæ, primi hujus sacramenti, dum a Christo pro concione promitteretur[98], contemptores ac derisores, ab illa cacodæmonum legione, quæ horum flues incolebat[98*], ad illam impietatem fuerint incitati atque permoti. Et Judas proditor, cujus occasione ad finem concionis Christus dixit duodecim apostolis: «Sunt quidam ex vobis qui non credunt[99],» procul dubio a quodam dæmone excæcatus fuit, ne verum aut possibile esse crederet, quod Christus pro certo promiserat: « Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.» Hoc evangelistæ subnotantes referunt eumdem Christum cisdem duodecim dixisse: « Unus vestrum diabolus est,» Judam intelligens. Deinde, in eumdem proditorem cum hac perfidia communicantem, ipsummet « Satanam intrasse,» nec deseruisse donec ad sempiternum interitum secum illum pertraxisset. Atque hæc cum sanctissima eucharistiæ inimicitiarum et contradictionum origo a principe tenebrarum.

Cumque his per Christum oppressis hostibus, universa per orbem Christianorum Ecclesia in vera fide et doctrina de eucharistiæ sacramento sacrificioque tranquilla plus mille annos permansisset, tandem in Gallis Satanas idoneum suorum mendaciorum ministrum et satellitem reperit, per quem bellum adversus utrumque redintegraret. Berengarium dico, qui verum Christi corpus et sanguinem per eucharistiam reipsa nobis ad offerendum et edendum primus negavit. Nec id, ut arbitramur, nisi Satanæ consilio et opera. Scriptum enim reliquit vir antiquitatis mirus explorator Vincentius Bellovacensis in *Speculo hist.*[1], horribilem ac ingentem dæmonem, inter ipsum Berengarium et auditores ejus frequenter apparuisse, dum ille de sua adversus eucharistiam hæresi dissereret. Referunt etiam alii[2] beatum Fulbertum Carnotensem episc. *in* extremis agentem jussisse ut Berengarius e cubiculo abigeretur, quod teterrimum dæmonem illi semper præsto esse conspiceret. Hæc de Sacramentariorum et Misoliturgorum parente.

Scribunt porro de Luthero præceptore suo Alberus, Amsdorffius, et alii, quod omnium primus, hujus nimirum sæculi, de transsubstantiatione et sacrificio incruento eucharistiæ doctrinam pontificiam oppugnaverit: quod eis non invite concedimus. Sed quo auctore et consultore id fecerit, secum, rogo et obsecro, pii omnes attente considerent. Certe non dubitant hinc Gesnerus et Tigurini; inde Daniel Tossanus in *Libello consolatorio*, et Neostadiani sacramentarii in *Pandora* sua, coram mortalibus universis testificari[3], illum « maligni spiritus instinctu hanc controversiam movisse.» Quinetiam, ut scriptis mandavit Schlusselburgius[4], « Beza ex basi Witebergensium infernali, Lutherum ingenio istis controversiis de re sacramentaria attrito sæpenumero errasse scripsit,« libro 1 epist. folio 275. Idem rursus[5] Calvini verba, ex ultima ad Westphalum admonitione citat, quibus Lutheranorum de cœna doctrinam « commentum a diabolo suggestum appellat.» Item: « eosdem esse mancipia Satanæ, quæ diabolus horribili modo fascinaverit.» Rursumque Bezam, in *Creophagia*, folio 23, « illos a Satanæ spiritu, non Christi moveri.» Quibus patet sacramentariis persuasissimum fuisse, ac etiamnum adhuc hodie esse, Lutherum in re eucharistica maligni spiritus afflatui omnino obsecutum fuisse.

Verum, istorum velut hostium suorum perversa judicia, falsaque testimonia, Lutherani vel elevabunt, vel ut omnino falsa et sycophantica reprobabunt. Sed quid, si ipsiusmet Lutheri verbis et scriptis, etiam ab eisdem Lutheranis impressis, et per orbem evulgatis, idem comprobemus? Non poterunt ea profecto vel mendacii, vel imposturæ coarguere. En igitur propria ejus, primo contra missam, quam vocat privatam, scribentis verba, 1. *De missa privata et unctione sacerdotum*, Witembergæ 1557 impressa, per Thomam Kolug, tomo VII Operum Lutheri, pagina 228[6]: « Contigit me semel sub mediam noctem subito expergefieri. Ibi Satan mecum cœpit ejusmodi disputationem. Audi, Luthere, doctor perdocte, nosti etiam te quindecim annis celebrasse missas privatas pene quotidie. Quid si tales horrenda essent idololatria? Quid si ibi non adfuisset corpus et sanguis Christi?» etc. Tum ordine prolixeque recitat quinque Satanæ argumenta, quæ attentissime ex hujus patris mendaciorum ore audivit, et vera esse credit; sicque a dæmone magistro doctus et persuasus, non modo a missæ **160** sacrificio deinceps abstinuit, sed quam potuit exsecrandis blasphemiis traduxit, laceravit, lubefactavit. Et non pudet Hugnosticos tam maledicti, abominati, et damnati doctrinæ suæ præceptoris? Non horrent id verbum Dei purum, revelatam veritatem, Evangelium appellare, quod ipsemet Satan ex infernali pectore suo in aures Lutheri sui insusurravit ac evomuit? Non timent teterrimo huic fidei et salutis nostræ adversario suas adversus Christi doctrinam et Ecclesiam ejus operas collocare? Ac ne quis dubitet Lutherum cum hoc monstro arctissimam habuisse consuetudinem, dextramque ad istud sacerdotium sacrificiumque Christianorum oppugnandum dedisse, audiat rursum eumdem de hac sua familiaritate cum Satana pronuntiantem: « Crede mihi, inquit[7], bene, imo valde bene novi diabolum. Mecum in dormitorio nonnunquam deambulat. Quando cum hominibus sum, non nocet mihi: cum vero me solum deprehendit, tum docet me mores.» Et rursum addit magis horrenda[8]: « Diabolus frequentius et propius mihi condormit, quam mea Catharina.» Et alio loco jactitans se adversariorum argumenta non timere, rationem hanc reddit[9]: « Quia ipsorum argumenta per otium a diabolo audivi, et graviora quidem.» Et non parum se in cacodæmonum schola proficere indicans, subdit[10]: « Habeo unum et alterum mirabilem diabolum, a quibus diligenter, et admodum intente observor. Sunt enim non vulgares, sed magni dæmones, imo inter diabolos magni doctores in theologia.» Et in litteris ad electorem Saxoniæ scribit: « Diabolus interdum per meum cerebrum ita commeat, ut nec scribere possim, nec legere.» Quis ergo dubitare potest, illum ab his omnia illa didicisse et accepisse, quæ adversus sanctissimam eucharistiam tam impotenti ac furioso animo deblateret? Quantum vero sibi placeret etiam per hunc familiarem herum suum hanc vitam finire, ut eam per illum ducebat, his verbis manifestat[11]: « Malo per diabolum, quam per Cæsarem interire: sic enim per magnum dominum interirem.» Vel, ut alius commensalis et

[98] Joan. VI, 53. [98*] Marc. V; Luc. VIII. [99] Joan. VI, 65. [1] Lib. XXV, c. 30. [2] Lanfrancus, Guitmundus, Algerus, Antoninus, Sabellicus. [3] Pag. 127. Pag. 217. et 218. [4] Lib. II Theol. Calvinist., art. 12. [5] Lib. II, art. 1. [6] In editione Jenens. tom. VI, fol. 28. [7] Tom. II German. Jenæ, fol. 77. [8] Colloq. Ger., fol. 275 et 281. [9] Colloq. Ger. fol. 216. [10] Colloq. Ger., fol. 275. [11] Colloq. Ger., fol. 259 et 285.

Digitized by Google

discipulus ejus collegit et vulgavit[15]: « Magis cupio per diabolum, quam per Cæsarem mori; morior enim per magnanimum atque potentem dominum. » Atque hæc sunt, viri Germani, non quæ pontificii per sycophantiam de vobis commenti sunt: sed quæ vel Lutherus vester de seipso testatus est, vel discipuli et commensales ejus Aurifaber et Rebenstock sectæ vestræ ministri, ex illius ore collegerunt, ac inter vos typis excudi et vulgari curaverunt. Hæc dogmatis vestri prima initia, fulcra, fundamenta, ab ipso diabolo inventa, erecta et constabilita. Et adhuc his inniti atque superstruere vos non pudet? Adhuc meliora sapere piget? Imo deteriora, eheu! sequi delectat, quando pars vestrum, quemadmodum vir apostolicorum temporum de vestris dixit abavis[13], « media fertur agina, » pars, ut ipsi videtis et ingemiscitis, proficit in pejus, « de calcaria pergens in carbonariam; » id est, a Lutheranismo deficit ad Calvinismum, Arianismum, Mahometismum et atheismum.

Nec enim porro inter vos in quæstionem vertitur, nec inter nos ullo modo dubitatur Calvinismum, Zwinglianismum, seu sacramentarismum hujus sæculi, ortum etiam habuisse a Satana, et ipsum cacodæmonem præcipuis auctoribus ejus omni ope et consilio adfuisse, ad verba Christi, quibus ipsa sacratur eucharistia, depravanda et corrumpenda. Enimvero de illis vere scripsit Lutherus[16]: «Satanas in mundo haud dubie auctor est Sacramentariis hujus sacramenti labefactandi et evertendi gratia, contendens plane, ovo epoto, nobis reliquere putamina; hoc est, Christi corpus et sanguinem e sacramento tollere, ut præter simplicem panem a pistore confectum nihil reliquum nobis remaneat.» Ac ut quodam ordine in his etiam procedamus, Carolstadius primus hujus tragœdiæ auctor, frequenter et publice jactavit, uti Lutherus et Chemnitius, cum quibus diutissime vixit, scriptis tradiderunt, « quod vir quidam ad eum venisset, qui demonstravit ei, quomodo verba cœnæ, in primis vero vocem τοῦτο, « hoc, » detorquere valeret; nec dubitant diabolum fuisse, qui eum postea totum occupavit ac possedit[18]. » Alberus Basiliensis minister libro contra Carolstadianos, diserte scribit, « diabolum corporaliter in eo habitasse; imo multis illum obsessum fuisse legionibus dæmonum. « Ipse quoque Lutherus non aliter tractans hominem in *Colloquiis*, quam si cum obsesso ageret, suis commensalibus dicebat[19]: « Quod diabolum eum nomino, nemo miretur. Nam ad Carolstadium non respicio; sed ad eum a quo obsessus est, et qui per eum etiam loquitur[17], » Satanam intelligens. Denique Basileenses ministri in quadam epistola memoriæ posterorum reliquerunt, « virum humana forma grandiorem (diabolum pro certo affirmant) Carolstadio concionante in templo visum, ac protinus egressum, ædes illius intrasse, ac filio spurio (incestas enim nuptias contraxerat) imperasse, ut patri diceret, se post triduum e vivis auferendum esse. » Eventus acta probavit, horribili morte tum sublato Carolstadio. Atque hi omnium novissimorum Hugnosticorum patriarchæ, ex cineribus Berengarii ignes Sacramentarios quærentis et accendentis, progressus, errores, miserabiles exitus.

Succenturiantis illi in sacramentario errore Zuinglii inventa propositaque non a Spiritu sancto, non a verbo Dei, non a perpetuo consensu totius Ecclesiæ catholicæ, non denique a sanctorum Patrum doctrina prodierunt; sed a spiritu nequam perambulante in tenebris, ut idem ipse his verbis profitetur[18]: « Cum tredecima Aprilis lux appeteret (vera narro, adeoque vera, ut celare volentem con- A scientia cogat effundere), visus sum mihi in somno multo cum tædio contendere cum adversario scriba, sicque obmutuisse, ut proloqui non possem. Ibi ἀπὸ μηχανῆς visus est monitor adesse (ater fuerit an albus, nihil memini), qui diceret: Quin, ignave, respondes ei, quod Exodi XII scribitur: Est enim Phase, hoc est, transitus Domini. Protinus ut hoc phantasma visum est, simul expergefio, et e lecto exilio, » etc. Hæc ille, quæ Schlusselburgius superintendens Megapolensium ita excipit[19]: « Ex hac Cinglii, secundi Sacramentariorum nostri sæculi antesignani narratione, ipsa meridiana luce apertius est, Calvinistas ipsam sacram Scripturam non magni facere. Nam Cinglius, ne verbis Christi lucidissimis fidem haberet, maluit isti atro angelo, in somno apparenti, quam ipsi Christo credere. Certissimum enim est, non album, sed atrum spiritum, id est, non bonum, sed malum angelum fuisse monitorem istum, qui Cinglio dogmatis sacramentarii incrustationem revelavit. » Hoc consequenter probat: 1° ex eo, quod boni spiritus semper ea forma se conspiciendos in apparitionibus præbeant, ut vere cognoscantur, non diaboli, sed boni esse angeli. 2° Numquam atra, sed alba forma semper appareant. 3° Nihil unquam cogitant, dicant, faciant, nisi quod cum Dei voluntate et verbo per omnia congruere norunt. Cinglii autem monitor verba Filii Dei, « significat », pro, « est » supponendo, falsare docuit. 4° Fructus Sacramentariorum, quos passim afferunt, sole clarius ostendunt, non Deum verum, sed ipsissimum diabolum Cinglio per somnium suam hæresim sacramentariam inspirasse. » Hactenus iste, qui et in Præfatione apologetica rursum scribit: diabolum Cinglio hæresim sacramentariam inspirasse, insusurrando illi, ut, « est, » per, « significat, » exponeret; hincque in libro *De vera et falsa religione*, in recitatione verborum cœnæ ex evangelista Luca, pro, « est, » substituisse, « significat; » quod procul dubio famosi ac impostoris illius serpentis, qui primos parentes decepit, certum ac manifestum est argumentum. Concludit porro, hujus discipulos non nisi a Satana instigatos, funestum hoc adversus eucharistiam certamen in Ecclesia Dei excitasse, furiisque infernalibus actos idem bellum continuare; nec desituros esse, prius quam vel seipsos everterint, vel Christus illustri suo adventu eos compescuerit, et commeritis pœnis affecerit. Procœmii pagina 2. Et hactenus de factione Zuinglii, qui Lutheri judicio[20], « tanquam latro et seditiosus mortuus, damnatus est, volens alios armorum vi ad suum errorem adigere. »

De Calvinistica vero nunc multiplici ac fera turba quid dicemus? Nonne et illius antesignani atque primipili, duce Satana, contra sanctissimam eucharistiam infestis animis armisque insurrexerunt? Certe cum primæ cohortis dux Calvinus fatetur se « a quodam genio ad convicia, probra, et maledicta[21], » quibus scriptiones ejus scatent et redundant, concitari; prudentibus profecto atque sagacibus cunctis æstimandum reliquit, hujusmodi genium spiritum esse blasphemiæ et contentionis, non mansuetudinis et gratiæ. Sed quid apertius, quod res est, pronuntiare dissimulamus? Manifestum et indubitatum est, eum cum universis manipularibus ejusdem atri spiritus furoribus agitari, qui in somnis apparuit Zwinglio antecessori, cujus adversus realem Christi in eucharistia præsentiam et incruentam oblationem hæreses amplectuntur. Non enim possent tot illorum adversus Christum et expressum verbum ejus horrendæ blasphemiæ, nisi a diabolo provenire. Si nobis non creditur, hac saltem in re Lutheranis, quos sym-

[15] Colloq. Latin. fol. 32. [16] Tertull. [17] Tom. VII Ser. de euch., pag. 335. [18] Lib. II cont. cœlest. prof. tom. III lib. de Cœna, pag. 214. [19] Colloq. Ger., fol. 367 et 373. [17] Tom. III Jenensi, fol. 6. [18] Tom. II, fol. 249. [19] Procœmio lib. Calvinisticæ Theologiæ, fol. 3. [20] Colloq. Latin. tom. II, fol. 36. [21] Epist. ad Bucerum.

Digitized by Google

mistas et commilitones suos in *Harmonia et consensu orthodox.* reputant, fides habeatur. Lutherum in primis nuper audivimus, asserentem « Satanam Sacramentariis hoc sacramentum labefactandi auctorem esse. « Alibi recensuimus eum **161** quoque censere cunctos « Sacramentarios esse dæmoniacos, diabolis omni ex parte, ante, pone, supra, infra, intus et extra obsessos, diabolum eosdem admotis calcaribus agitare, et linguam calamumque eorum contra Christum moderari. » Ergo si vere dixit Beza [23], « Lutherum fuisse virum ore toto divinitus afflatum; » Calviniani pro certo toti a spiritu immundo afflati sunt. Sed quid de his Lutheri discipuli ac successores? Schlusselburgius contestatur [24], « quod somniis a nigro dæmone instillatis, testamentum Filii Dei labefactare evertereque nitantur. » Idem libro primo *Theologiæ Calv.*, art. 20, non dubitat opinionem eorum de cœna, a quodam spectro, id est, ab ipso spiritu tenebrarum suppeditatam esse. » Et libro secundo, articulo primo, Bezam dialogum, quem *Creophagiam* nominavit, « haud dubie dictante diabolo, contra Filii Dei testamentum concinnasse. » Et articulo 12: « Ipsum cacodæmonem esse magistrum omnium Calvinistarum » Denique libro tertio, articulo octavo, omnino contendit, « spiritum Calvinisticum esse spiritum tenebrarum; et Satanam per Calvinistas organa sua loqui. » Joannes Schutz præfatione in libr. L *Causarum* constanter affirmat, « sacramentarismum », in Calvinianis nunc potissimum urgentem, « camarinam esse, in quam multæ hæreses confluunt, ultimamque Satanæ iram, quam furiis agitatus, contra Christum ejusque Ecclesiam exercet. » Nimis prolixum et forte tædiosum esset Westphali, Heshusii, Chemnitii, Morlini, Wigandi, Chytræi, Corvini, Puchenii et reliquorum Lutheranorum superintendentium ac ministrorum similia de Calvinianis judicia referre, quibus uno velut animo indicant et ore pronuntiant, illos pro certo spiritu vertiginis et diabolico agitari, ut Christum in eucharistia revera Ecclesiæ suæ præsentem, velut de solio suo deturbent ac propellant; ipseque Satanas tandem aliquando tyrannidi suæ, opera eorum restitutus, rerum potiatur. Et de his hactenus. Ad Irenæum vere, pie, et apostolice de eucharistiæ sacramento et sacrificio disserentem revertamur.

Non quasi indigenti. Quia partim cum audacissimis simulque callidissimis hæreticis, qui rectissima quæque ad impia figmenta sua torquebant, partim vero cum simplicissimis et adhuc neophytis Christianis, quibus imponere facile erat, negotium habebat Irenæus; hic et in sequentibus frequenter inculcat, Deum nullis rebus hominum egere.

Sed uti neque infructuosi. Varios multiplicesque fructus communionis et oblationis corporis Christi, paucis istis verbis comprehendit; quos apertius enumerat cap. 34 hujus libri, et initio quinti.

Nec ingrati. Alia ratio est institutæ oblationis eucharistiæ, nimirum, ut gratias agamus dominationi ejus, veluti clarius demonstrat cap. 34, et discamus Deo servire. Inde graviter et erudite admodum docet Augustinus, cultum hunc, qui per sacrificium exhibetur, nulli unquam exhibendum, nisi vero et soli Deo, lib. VIII *De civit.*, cap. 27, et lib. X, cap. 4 et 7; et epist. ad Deogratias, quæst. 3.

Eum qui est ex creatura panis. Ambrosius: « Panis est ante verba sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. » Et paulo post: « Antequam consecretur, panis est; ubi autem verba Christi accesserunt, corpus est Christi. Denique audi dicentem: « Accipite et edite ex eo omnes: Hoc est corpus meum [25]. » Et ante verba Christi, calix est vini et aquæ plenus; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit [26]. » Cyprianus martyr serm. de Cœna Dom.: « Panis iste communis in carnem et sanguinem mutatus, procurat vitam et incrementum corporibus. » Et non ita multo postea: « Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro. »

Hoc est meum corpus. Ita legit vetus codex; et Paulus I Cor. XI, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα, hancque lectionem retinet Jacobi liturgia Græca. Verba vero hæc de pane dici, iisdemque effici corpus Christi, apertius postea docet cap. 34 dicens: « Panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed eucharistia, » etc. Et lib. V: « Quando mistus calix, et fractus (sive factus) panis percipit verbum Dei, fit eucharistia corporis et sanguinis Christi, » etc.

Et calicem. Christus profecto tam studiose accipiens calicem; et Paulus vocans eum « calicem benedictionis, » et « calicem Domini, » satis docuerunt, non in vasis profanis et communibus tam augustum mysterium exercendum esse, ut profani volunt hæretici. Constat enim, etiam a temporibus illis ad nos usque hæc sacra vasa propter consortium corporis et sanguinis Domini sanctificata, cunctis Christianis honori fuisse ac veneration. Nam et ipse calix, certe argenteus, in quo Dominus consecravit, adhuc quingentis postea annis Jerosolymis in scriniolo reconditus religiose servabatur, et per operculi foramen tangi et osculari peregrinantibus concedebatur, ut testis est Venerabilis Beda; lib. *De Locis sacris*, c. 2. Justinus martyr ad finem *Apolog.* 1 refert calicem allatum præsuli ad sacrandum. Tertullianus testatur suo tempore calices imaginibus Christi, instar pastoris ovem aberrantem referentis, depictos ornatosque fuisse [26]. Cyprianus epist. ad Cæcilium, de sacramento Dominici calicis, et serm. de lapsis, sacri hujus poculi non semel meminit. Etiam aureos et argenteos calices ecclesiam Africanam habuisse temporibus Diocletiani, satis declarant acta Circensia [27], ab Augustino relata in *Breviculo collat. cum Donatist.*, die 3, c. 13. Athanasius deinde ex actis synodi Alexandrinæ, docet eum impium esse, qui mysticum poculum, apud legitimos Ecclesiæ præsides inventum, sponte fregerit, « quia sanguini Christi ex eo propinato contumeliam facit [28]. » Optatus Donatistis exprobrat: « Calices Christi sanguinis portitores fregistis, eorum species revocastis in massas, » etc. Nazianzenus orat. 1 in Julianum, Theodoretus lib. III *Hist.*, c. 12 et 13, tantumdem vitio vertunt Juliani apostatæ officiariis et agnatis Felici ac Elvidio, etc. Cæteris, ne longior sim, supersedeo.

Novi testamenti novam docuit oblationem. His declarat, Christum verbo suo instituisse et docuisse sacrificium corporis sui, jussisseque apostolos, novi testamenti sacerdotes et episcopos itidem facere, et ecclesiis tradere, cum primus ipse juxta ordinem Melchisedech obtulerit; deinde, ut explicat B. Clemens, præcepit dicens: « Hoc facite in meam commemorationem [29]. » Neque vero sine insigni impudentia possunt hæc Irenæi verba ad sacrificia spiritualia torqueri; cum ea nova non sint in novo testamento. Multo adhuc minus ad eleemosynas, in gratiam egenorum et Ecclesiæ ministrorum a fidelibus collatas et oblatas; aut ad panem communem necdum consecratum referri, ut nugantur cum Magdeburgensibus Major et Gallasius; sed de ipsis jam verbo Dei consecratis pane et calice sunt acci-

[23] In Iconibus. [24] Proœmio I. Calv. theolog. [25] Matth. XXVI, 26. [26] Lib. IV De sacr., c. 4, 5. [26] De pudic., c. 7 et 10. [27] Tomo VII. [28] Apologia 2. [29] Luc. XXII, 19.

Digitized by Google

pienda et intelligenda. Nam apertissime scribit Irenæus, Christum tunc consilium dedisse offerendi, cum panem accepit dicens : « Hoc est meum corpus ; » similiter et calicem suum sanguinem esse confessum fuisse, novique testamenti novam docuisse et tradidisse oblationem.

Quam Ecclesia ab apostolis accipiens. Non tantum sacrificii missæ actionem ipsam et substantiam (ut loquuntur), quæ consecrationem, oblationem, et communicationem veluti præcipuas partes complectitur, apostolos una cum Evangelio, baptismo et aliis sacramentis tradidisse ecclesiis, ausim post Irenæum affirmare ; verum et singulos ritus et cæremonias, sive vestes, luminaria, incensum, orationes, laudes, gratiarum actiones, lectiones, ablutiones manuum, salutationes et acclamationes ad populum, pro vivis et defunctis precationes, et benedictiones si spectaverimus ; quemadmodum ex liturgiis B. Jacobi, B. Dionysii et B. Clementis attentis et piis lectoribus liquidum est.

In universo mundo offert Deo. Jacobum aliosque apostolos Jerosolymis sacrificasse monstrat cum illius liturgia, Actorum apostolorum liber, cap. II, et sexta universalis synodus. Paulum Corinthiis ritus eucharistiæ prius opere, deinde scripto tradidisse ipse sibi testis est [30] : eumdem quoque in ecclesia Antiochena cum Barnaba et aliis Christianæ pietatis antistitibus jejunasse, et Domino rem sacram fecisse, λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ, docet peregrinationum ejus comes Lucas evangelista [31]. Ibidem etiam missarum solemnia B. Petrum celebrasse, scribunt Gregorius Magnus, et Isidorus, epist. ad Joan. Syracusanum ; et lib. I *De officiis.* Matthæum in Æthiopia juxta altare, in quo celebraverat, martyrium obivisse testatur Abdias. Quotidie se immaculati Agni carnem et sanguinem sacrificasse, et populis distribuisse profitetur, qui Scythiam, Moscoviam, Germaniam, Græciam, et Achaiam, Evangelii gratia, lustraverat B. Andreas ; ut testatur epist. ecclesiarum Achaiæ ad universas per orbem ecclesias ; cujus meminerunt Cyprianus lib. *De duplici martyrio* ; Algerus, et Bernardus. Thomam, Philippum et Bartholomæum in Perside, India, et universo Oriente, tanti sacramenti formam et doctrinam magna diligentia comprobasse non est ambigendum. Marcum Alexandriæ, Joannemque Ephesi Christiani sacerdotii munere functos esse clarum est. Romæ Petrum et Clementem huic oblationi operam dedisse ; Galliis demum nostris Martialem, Aurelianum, Dionysium Areopagitam, prout ab apostolis edocti fuerant, et altaria **162** erexisse, missarumque solemnia celebrasse, et posteris ad hæc usque tempora tradidisse, scripta eorum loquuntur. Jure igitur optimo affirmat Irenæus Ecclesiam toto orbe dispersam, eucharistiæ oblationem, ut ab apostolis accepit, Deo omnipotenti offerre, juxta Malachiæ vaticinium et Domini nostri præscriptum.

Malachias sic præsignificavit. Hunc cum vet. cod. Augustinus Malachielem vocat, quem et angelum nuncupatum, et Esdram sacerdotem fuisse, cum Hebræis, Jonathan Chaldæo, et Hieronymo, opinatur lib. XX *De civitate Dei*, cap. 25. Dorotheus martyr in *Synopsi* tradit angelum Domini illi apparuisse eo ipso secundo die, quo aliquid prophetasset. Clemens Alex. ubicunque ejus meminit, angelum tantum vocat. Epiphanius scribit illum ob formam oppido quam præstantem, mansuetudinem, et insignem pietatem, id nomen consecutum esse.

Porro locum hunc prophetæ, de sacrificio corporis et sanguinis Christi in eucharistia, ante Irenæum interpretati sunt Clemens Rom. lib. VII *Constit. apost.*, c. 31 ; Martialis epist. ad Burdeg., cap. 3 ; Justinus martyr in *Dialogo* ; postea vero Tertullianus lib. III *Contra Marcion.*, Cyprianus lib. I *Adversus Judæos*, cap. 16 ; Chrysostomus in Psal. XCV ; Augustinus XVIII *De civit. Dei*, cap. 35, et lib. XIX, cap. 23, et lib. I *Contra adversarium legis*, cap. 20 ; Eusebius lib. I *De demonst. evang.*, cap. ultimo ; Damascenus lib. IV, c. 14 ; Petrus cognomento Venerabilis lib. I *Contra Petrobrusianos*, et lib. II *Contra Judæos*, cap. 3 ; imo et qui Christo nomen non dederat, rabbi Samuel, *Parastasi veri Messiæ*, ad rabbi Isaac magistrum synagogæ Subiulmetæ in regno Marochiano, cap. 20 et 23, ut impietas sit plusquam Judaica, huic interpretationi repugnare.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 32.

Pag. 247. *Non vult.* Irenæus non εἰ θελητὸν, ut nostra τῶν Ο' exemplaria sonant, sed οὐ θέλει legi se videtur, quomodo et Theodoretus habet.

Aures. Nescio utrum scriba ex Latina Vulgata ita posuerit, an ipse Irenæus τὰ ὦτα vel ὠτία in LXX legerit, prouti et in aliis Græcis Patribus reperitur ; cum tamen ipse Apostolus Hebr. X,5, allegaverit : σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι.

Pag. 248. *Holocausta.* In editt. itaque τῶν Ο' pro singulari ὁλοκαύτωμα lege pluraliter ὁλοκαυτώματα, prouti cod. Alex. et ipse Apostolus Hebr. X, 6, habet.

Alibi ait : Sacrificium, etc. Quis vero ita ait ? An David, cujus Psalmum L, 18, Feuard. in margine apposuit ? Ast iste locus jam ante citatus est, nec ibi posterius comma, « odor suavitatis, » etc., legitur. Anne Isaias, cujus proxime facta est mentio ? Sed nec in Isaia, neque in ullo alio S. Scripturæ libro, canonico vel apocrypho, hanc sententiam reperire potui, licet plurimum temporis ei inquirendæ impenderim. Id solum addo, eamdem ex parte a Clemente Alex. lib. II Pædagogi, cap. 12, pag. 261, una cum alio Isaiæ dicto, ab Irenæo hic citato, allegari hoc modo : Ὀσμὴ, φησὶν, εὐωδίας τῷ Θεῷ καρδία δοξάζουσα τὸν πεπλακότα αὐτήν. Ubi perinde Irenæus, a quo forte hæc mutuatus est, in genere ait φησίν. Equidem ibi in margine notatum est Ecclesiastici cap. XXXV, quod in LXX est XXXII, sed nec ibi hoc dictum legitur.

Omnis Juda. LXX modo habent, πᾶσα Ἰουδαία.

Et sacrificiis. Irenæus itaque θυσιῶν legisse videtur, prout et in cod. Alex. scriptum est ; cum editt. juxta Hebræum habeant singulariter θυσίας.

Servisti. Ita iterum cum Irenæo codex Alex., ἐδούλευσας· sed editt. juxta Hebræum, ἐδούλωσά σε.

Fecisti. Irenæus itaque legit ἐποίησας, non ἐποίησα, sicut et Cyrillus Alex. in Isaiam habet.

Ante me stetisti. Ita juxta editt. LXX, Irenæus, et post ipsum Procopius, sed in mss. Alex. est πρόσστην σου, quomodo et Cyrill. Alex. ac Theodoretus, necnon Hieronymus in suo τῶν Ο' cod. legit.

Pag. 249. *Non enim adipes.* Hæc ex Jeremia Irenæus addidisse videtur, quamvis verba parumper differant ; neque enim in Isaia ea reperio.

Ex animo. Hæc verba explicationis ergo sunt addita.

Et judicium pacificum. Nostri LXX habent juxta Hebræum : ἀλήθειαν καὶ κρῖμα εἰρηνικόν. Sed in Irenæi cod. omissa fuit vox ἀλήθειαν, quæ et in ms. Alex. desideratur.

Sed et suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, etc. Eam quam Feuard. hic inseruit de sacrificio eucharistiæ dissertationem, indeque subnexam in Lutherum, Calvinum, etc., invectivam omitto, quod nimis prolixa et intempestiva sit, non quod rem ipsam inficias eam, aut subterfugiam. Certum enim est, Irenæum ac omnes, quorum scripta habemus, patres, aposto-

[30] I Cor. XI. [31] Act. XIII.

Digitized by Google

lis sive coævos, sive proxime succedentes, S. eucharistiam pro novæ legis sacrificio habuisse. Atque hanc non privatam particularis ecclesiæ vel doctoris, sed publicam universalis Ecclesiæ doctrinam atque praxin fuisse, quam illa ab apostolis, apostoli ab ipso Christo edocti acceperunt, diserte hoc et sequenti 34 cap. docet Irenæus, atque ante ipsum Justinus martyr, partim in *Apologia* I ad Antoninum, clarius vero et prolixius in *Dialogo cum Tryphone Judæo*. Cujus, ut et S. Ignatii, Tertulliani, S. Cypriani, aliorumque verba, tam a pontificiis, quam a doctioribus protestantibus, crebro allegata hic describere non est necesse. Unius solum Clementis Romani verba, non spuria vel dubia, qualia Feuard. hoc loco adnotavit, sed certissime genuina ex ejus *ad Corinthios Epistola* adducere placet, quod non nisi ab uno mox laudando scriptore, neque ab eo integra, hanc in rem citata sciam. Ita vero is § 40: Πάντα τάξει ποιεῖν ὀφείλομεν, ὅσα ὁ Δεσπότης ἐπιτελεῖν ἐκέλευσεν· κατὰ καιροὺς τεταγμένους τάς τε προσφορὰς καὶ λειτουργίας ἐπιτελεῖσθαι, καὶ οὐκ εἰκῇ ἢ ἀτάκτως γίνεσθαι, ἀλλ' ὡρισμένοις καιροῖς καὶ ὥραις... Οἱ οὖν τοῖς προστεταγμένοις καιροῖς ποιοῦντες τὰς προσφορὰς αὐτῶν, εὐπροσδεκτοί τε καὶ μακάριοι· τοῖς γὰρ νομίμοις τοῦ Δεσπότου ἀκολουθοῦντες, οὐ διαμαρτάνουσιν. « Cuncta ordine debemus facere, quæ nos Dominus jussit peragere; statutis scilicet temporibus oblationes et sacra ministeria perfici, neque temere et inordinate ea fieri, sed præfinitis temporibus, et horis. Qui ergo assignatis temporibus oblationes suas faciunt, accepti et beati sunt; dum enim leges Domini sequuntur, non aberrant. » Ne vero hæc de solis Judaicorum sacerdotum, vel Christianorum laicorum oblationibus accipiantur, addo sequentia § 44 verba: Ἁμαρτία γὰρ οὐ μικρὰ ἡμῖν ἔσται ἐὰν τοὺς ἀμέμπτως καὶ ὁσίως προσενεγκόντας τὰ δῶρα τῆς ἐπισκοπῆς ἀποβάλωμεν. « Non enim erit leve peccatum nostrum, si eos qui inculpate et sancte dona obtulerunt, episcopatu privaverimus. » Atqui cum hujus epistolæ auctor ille ipse Clemens fuisse videatur, cujus « nomen in libro vitæ scriptum » Philippensibus scripsit Paulus cap. IV, vers. 3, cumque is modo citata duobus vel tribus post Petri et Pauli apostolorum martyrium, et viginti ante S. Joannis obitum, annis scripserit, vix ullus dubitandi locus relictus est, ab ipsis SS. apostolis hanc de sacrificio eucharistiæ doctrinam promanasse, ac proinde omnino tenendam esse, licet nullum pro ea dictum ex ipsis prophetarum vel apostolorum scriptis adduci posset. Generale est enim S. Pauli præceptum II Thessal. II, 14: « Fratres, state, et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. » Sed satis quoque Scripturarum pro sacrificio eucharistiæ post Irenæum aliosque S. Patres adduxerunt recentiores theologi, non modo pontificii, sed et protestantes, præsertim Anglicanæ Ecclesiæ doctores: ex quibus unum nomino, tam doctrinæ quam pietatis eximiæ virum, Josephum Medum, utpote qui peculiari tractatu *De sacrificio Christiano*, Anglice scripto, hanc rem egregie probavit et illustravit; ab omnibus proinde theologiæ studiosis, præsertim sacri presbyterii candidatis diligenter legendo. Atque hujus non solum sententiæ, sed et voto in fine capitis 8 expresso, toto corde subscribo, atque opto, ut postquam multi pii doctique e parte protestantium viri hunc Lutheri et Calvini errorem, ac veram apostolicæ Ecclesiæ doctrinam bene agnoverint, hujus quoque sanctissimas formulas liturgicas, quibus dictum sacrificium Deo offertur, ab illis male e suis cœtibus proscriptas, in usum revocent, et hunc summum divinæ majestati honorem debite reddant.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 33.

Pag. 249. *Quod est autem aliud nomen.* Nomen Domini Jesu etiam ad Patrem, qui genuit et misit eum, pertinet: et per illud ubique glorificatur inter gentes, dum Ecclesia offert per ipsum preces et sacrificium purum. Impii igitur sunt in Filium et Patrem Calviniani, idem nomen Jesu nulla omnino reverentia dignum existimantes, ut in Dialogo tertio, superiore anno demonstravimus.

Per Jesum Christum offert Ecclesia. Locum hunc illustrant et confirmant aliquot non absimiles Patrum sententiæ subjectæ. Cyprian. epistola 68: « Sacerdos in altari vice Christi fungitur, et sacrificium verum et plenum Deo Patri in passionis Unigeniti sui offert recordationem; » August. X *De civitate Dei*, cap. 20: « Christus sacerdos est, ipse offerens, ipse 163 et oblatio; cujus rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium; cum ipsius ipse sit caput, et ipsius capitis ipse sit corpus, tam ipsa per ipsum, quam ipse per ipsam suetus offerri. » Chrysost. hom. 83 in Matth.: Qui tunc ista in illa cœna confecit, ipse nunc quoque operatur, ipse perficit; ministrorum nos ordinem tenemus; qui vero hæc sanctificat et transmutat, ipse est. » Ambros. in Psalmum XXXVIII: « Etsi nunc Christus non videatur offerre, ipse tamen offertur in terris, quando corpus Christi offertur. Imo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium, quod offertur, » etc.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 33.

Pag. 249. *Per Jesum Christum offert Ecclesia.* Hoc caput Irenæi explanat, et quomodo preces atque oblationes tum Christo, tum Deo Patri per Christum offerantur, egregie declarat locus Origenis lib. VIII *Contra Celsum*, ita sonans: Τὸν ἕνα Θεὸν, καὶ τὸν ἕνα Υἱὸν, αὐτοῦ καὶ Λόγον, καὶ εἰκόνα, ταῖς κατὰ τὸ δυνατὸν ἡμῖν ἱκεσίαις καὶ ἀξιώσεσι σέβομεν· προσάγοντες τῷ Θεῷ τῶν ὅλων τὰς εὐχὰς διὰ τοῦ Μονογενοῦς αὐτοῦ, ᾧ πρῶτον προσφέρομεν αὐτὰς, ἀξιοῦντες αὐτὸν, ἱλασμὸν ὄντα (περὶ) τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, προσαγαγεῖν, ὡς Ἀρχιερέα, καὶ εὐχὰς, καὶ τὰς θυσίας, καὶ ἐντεύξεις ἡμῶν τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ. « Unum Deum atque unum Filium, ejus et Verbum, et imaginem, supplicationibus ac precibus pro virili nostra colimus; fundentes Deo universorum orationes per Unigenitum ejus, cui primum eas offerimus, rogantes illum, utpote qui propitiatio est pro peccatis nostris, ut, velut summus Pontifex, et preces, et sacrificia, et intercessiones nostras illi, qui super omnia est, Deo sistat. »

Cum igitur offers. Hunc Evangelii locum de eucharistiæ oblatione cum Irenæo interpretantur B. Clemens Romanus lib. II *Constit. apost.*, cap. 58 (57); Optatus Milevitanus lib. VI *Contra Parmenianum*, Cyrillus Jeros. V catechesi mystagogica. Feuard. Dicti enim, ut et alii auctores, memorant ritum Ecclesiæ, quo per diaconos hortabatur fideles ad S. eucharistiam accessuros, ne cum inimicitia vel discordia ad altare venirent, in hoc Servatoris præcepto utique fundatum. Et sane cum hoc contineatur eximio isto sermone, quo novam legem, aut veterem renovatam, fidelibus suis observandam promulgavit; non tam Mosaicas oblationes cum altari et templo brevi abolendas, sed altare ac sacrificium Ecclesiæ jamjam instituendum præcipue respexisse, ac tale supposuisse videtur: quale etiam in Christianorum cœtibus fuisse, non solum Irenæus et antiquior Ignatius, sed et ipse Apostolus testatur Hebr. XIII, 10, scribens: « Habemus altare, ex quo edendi non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt. » Extra Judæorum itaque templum in Ecclesia erat θυσιαστήριον, « altare, » et per consequens etiam θυσία, « sacrificium, » non solum rationale laudis et precum, sed et materiale panis et vini, quod verbo « edendi » clare significat Apostolus.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 34.

Pag. 250. *Quam Dominus docuit offerri.* Observa quam frequenter, graviter, et nominatim repetat Christum Dominum auctorem et institutorem esse sacrificii eucharistiæ.

Digitized by Google

Offerre igitur oportet Deo primitias. Quia sæpe oblationis primitiarum meminit, de illis quædam disserere operæ pretium visum est.

Primitias vocabant Hebræi primos fructus frugum, vinearum, olearum, etc., quos ex agris quotannis percipiebant; Deoque offerre lege tenebantur, Exod. XXII, XXIII, XXV, XXXIV; Deuteron. XII, XVIII, XXVI; Num. XV, XVIII, XXXI; Levit. XXIII, XXV. Ab initio autem, arbitrio offerentium relictum fuit quantum quisque offerre vellet; verum ob ingratum animum populi et sacerdotum avaritiam, magistrorum deinde arbitrio effectum esse tradit Hieronymus, ut qui plurimum, quadragesimam partem daret; qui minimum, sexagesimam; inter quadragesimam et sexagesimam licebat offerre quæcunque collibuisset.

Primo autem offerebant, gratias agentes Deo auctori et largitori omnium bonorum, eique ut summo omnium imperatori tributo persoluto, se famulitium perpetuum præstituros recipiebant.

Secundo, sacerdotes et Levitæ, quibus nulla terræ portio certa fuerat, quique continuo sacris operabantur, his oblationibus honeste alebantur, atque ob eam rem Deus eorum agris ubertatem pollicebatur.

Tertio, viduarum, pupillorum, peregrinorum et pauperum necessitatibus consulebatur.

Postremo, hoc genere oblationum, ut reliquis sacrificiis et cæremoniis legalibus, venturum Messiam; et per ejusdem perfectam oblationem peccatorum expiationem, perfectamque cum Deo reconciliationem, se credere et exspectare significabant.

Christiani autem cum legis cæremoniis per Christum soluti sint, postremaque ratio ad eas spectet, nunquam ea conditione primitias offerre licet. Quia vero aliæ rationes ad moralia pertinent, quæ Christus non abrogavit, sed explicavit et confirmavit; judicaverunt apostoli, horumque successores, Christianos adhuc decimarum et oblationum offerendi munere teneri. Id docet B. Clemens Romanus his verbis: « Quanquam Dominus liberavit vos a servitute adjectorum vinculorum, non amplius sinens vos sacrificare animalia bruta pro peccatis; non tamen vos oblationibus liberavit, quas sacerdotibus debetis; et beneficentiis erga eos qui egent. Ait enim Dominus in Evangelio: « Nisi abundaverit justitia vestra [35], » etc. Ita ergo abundabit, si de sacerdotibus, orphanis, viduis majorem curam suscipietis. » Lib. II *Const. apost.*, cap. 39. Rursus cap. 29 docet quantum debeant episcopi ex primitiis et decimis capere, et reliquis communicare, prohibens ne soli obliguriant ac dilapident, alias eis exprobrabitur: « Lac comedebatis, et lanis vestiebamini [36], » etc. Iterum, quomodo ex omnibus prorsus bonis et possessionibus dare debeant, scribit lib. VII, cap. 30, quibus distribui, lib. VIII, cap. 36 et 37; quibusque verbis episcopus eas suscipiens benediceret, lib. VIII, cap. 46. Jubet quoque novas spicas, uvas, oleum ad luminaria, et tempore quo sancta celebratur oblatio, thymiama ad altare offerri, canon. 4 apostolorum; omnium vero aliorum primitias, mitti debere ad domum episcoporum et presbyterorum, nequaquam super altare, canon. 5 eorumdem.

Qui præter hos Clementis et Irenæi locos, de illis ampliora desiderat, consulat Urbani papæ et martyris epistolam ad omnes episcopos; Origenem hom. 11 in Numeros, et 10 in Josue; Epiphanium hæresi 80; Hieronymum in cap. XLIV Ezech.; Gratianum causa 16, quæstione 7; demum Thomam Aquinatem, 2-2, q. 87, artic. 4.

Et non genus oblationum. Sic cum negatione legendum, cum veteri cod. indicat sensus, qui nullus alias exsisteret; et me ante veteris exemplaris fidem mire distorsit. Docet sacerdotium et sacrificia per Christum non esse sublata, sed translata; non abrogata, sed consummata; id est, in alia multo augustiora mutata: quod et Paulus scribit: « Translato sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat [35]. » Translatum ait, seu commutatum, non quassatum, prohibitum, aut (ut cum Irenæo loquamur) reprobatum; quia oblationes illic, id est, apud Judæos; oblationes et hic, apud Christianos; sacrificia in populo, id est, synagoga Hebræorum; sacrificia et in Ecclesia Christianorum. Illa enim tantum figuræ erant et umbræ futurorum bonorum, hæc vero veritatem ipsam, quam significant, et complectuntur, et exhibent.

Clemens Rom. ante Irenæum hoc ita dilucide et acute explicavit [36]: « Tabernaculum testimonii per omnia figuram Ecclesiæ referebat, » etc. « Vos igitur hodie, o episcopi, estis populo vestro sacerdotes et Levitæ, qui ministrant sacro tabernaculo sanctæ et catholicæ Ecclesiæ; atque assistentes ad altare Domini et Dei nostri, et adducentes ei, καὶ προσάγοντες αὐτῷ τὰς λογικὰς καὶ ἀναιμάκτους θυσίας, rationales et incruentas hostias, per Jesum magnum pontificem. » Et lib. VI, cap. 23: « Baptismum, sacrificium, sacerdotium, localem adorationem mutavit; pro quotidiano baptismo, unum solum; pro sacrificio cruento, rationale et incruentum ac mysticum sacrificium instituit, quod in mortem Domini per symbola corporis et sanguinis sui celebratur. » Hæc ille in lib. *De const. apost.* quos germanos et vere illius esse, tam unanimi sententia Patres omnes veteris Ecclesiæ confirmant, ut flagitiosæ impudentiæ sit dubitare aut negare. Eadem pertractat Augustinus lib. XVII *De civitate Dei*, cap. 17 et 20.

Observandum quoque Irenæum non loqui de sacrificiis illis spiritalibus cordis contriti, orationis, laudis, gratiarum actionis, et beneficentiæ, quæ omni ætati et legi communia fuerunt; sed de nova novi testamenti, externaque oblatione, quam legalibus externis opponit. Id enim sacrificium omnibus sacrificiis veteris testamenti successisse, ex apertis Scripturis ostendit Augustinus XVII *De civitate*, cap. 20.

164 *Neque sine.* Ita vetus codex. Excusi, « sive. »

Ab initio enim respexit. Hebræi per hunc Dei respectum, cœlestem oblatæ rei combustionem intelligunt, qualis postea contigit sub Manue, Aarone, Salomone, Elia et Machabæis.

Nonne si recte offeras. Septuaginta interpretum lectionem sequitur, ut post eum Ambrosius lib. *De incarnationis Dom. sacram.*, cap. primo, serm. 9, lib. *De Cain et Abel*, cap. 6; Cyrillus Alex. lib. II in Genes.; Prosper Aquitanicus lib. II *De vocat. gent.*, cap. 13; Chrysostomus hom. 18 in Genesim. Et de hoc jam superius dictum est.

Seducit. Sic vetus codex; excusi, « ad se ducit. »

Putarentur. Expunximus « putantur, » auct. vet. cod.

Consilium. Ita cum veteri codice habet sacrorum Bibliorum littera; ideo « concilium » delevimus.

Sed non. Ita vetus codex; excusi, « sed eum. »

Cum minime acquiesceret. Vetus cod. « cum minime quiesceret. »

Semper justum. « Super justum, » lubens legerem, etsi nullus codicum hoc doceat.

Igitur non sacrificia. Nulla sacrificia externa per se sanctificant hominem cum impia mente, ac odio proximorum offerentem, ut supra de Cain

[35] Matth. V, 20. [36] Ezech. XXXIV, 3. [35] Heb. VII, 12. [36] Lib. II Const. Apost., cap. 29.

Digitized by Google

ostendit, consequenter quoque probat ex Isaia; sed conscientia pura et simplex, quemadmodum Ecclesia offert Deo, sanctos efficit.

Peccatori. Delevimus « peccator, » auct. vet. cod.

Pag. 251. *In sententia pura.* Fallunt turpissime, et falluntur Magdeburgenses, qui his verbis contendunt species sacrificiorum enumerari, ut oblationem corporis Christi Irenæo inde ignotam probent. Non enim sacrificia enumerat; sed quibus virtutibus, modis, et præcedentibus animi præparationibus homines Deo grati, gratam ei oblationem offerant et percipiant, docet. Huc pertinet illa diaconi ante oblationem et communionem proclamatio apud Clementem, Basilium, Cyrillum Jerosolymitanum et Chrysostomum [36] : « Ne quis infidelis ; Ne quis in hypocrisi ; Ne quis dolose ut Judas : Ne quis contra aliquem : Nullus catechumenus : Nullus hæreticus : Sancta sanctis. »

Hæc Feuardentii verba adnotationibus suis inseruit Grabius, probavitque.

Ad hæc quoque pertinuisse symbolicam manuum ablutionem profitentur Dionysius Areopagita lib. *De eccl. hier.*, cap. 3; et Cyrillus Jerosol. catech. mystagogica 5. Nec aurea, quæ sequuntur, oris vere aurei verba prætermittere possum : « Quare mundiorem esse non oportet, ait [37], eum, qui hoc sacrificio participaturus est? Quos radios solares non debet excedere manus illa quæ hanc carnem pertractat, os quod igne impletur spirituali, lingua quæ cruentatur hoc admirabili sanguine? » In eam rem præclara et multa reperies apud Hesychium in cap. XXVI Levitici; Augustinum epist. ad Julianum comitem; Hieronymum *Commentariis in Epist. ad Titum;* Gregorium Nyssenum lib. *De vita Moysis;* Cyprianum serm. 5 de lapsis; et Clementem Alex. IV *Strom.*

Quæ sunt ejus. Ita legendum docuit vetus cod. Excusi, « quæ sunt eis. »

Non enim. Vet. cod. duas voculas « per, » et « Deo, » nescit; ideoque longe apertius pro sacrificii corporis Christi comprobatione legit, « non enim receperunt Verbum, quod offertur. » Hoc indicare magis, quam immutare placuit.

Sed neque hæreticorum Synagogæ. Hæreticos æque ac Judæos pernegat veram sinceramque eucharistiæ consecrationem et oblationem habere, quandoquidem alii diversos deos sibi fingentes in creatione rerum universarum, a persona, dispensationeque Domini nostri turpissime aberrabant. Alii ut in baptismi, sic et eucharistiæ doctrina et ministerio hallucinati, nunc aqua sola utebantur, ut est apud Clementem Alex. I Strom. nunc magico murmure verborum vinum album tanquam rubicundum et purpureum apparere facientes; id etiam conari jam insanas a se redditas mulierculas jubebant, ut cap. 9 lib. primi idem demonstravit Irenæus. Quidam ipsam consecratam eucharistiam carnem veram Domini Jesu esse inficiabantur, ut est apud Ignatium [38], referente etiam Theodoreto [39]. Alii exsecrandis et non dicendis pollutionibus panem contaminabant. Alii serpentis cujusdam lambitu confici suspicabantur, uti referunt Epiphanius et Theodoretus. Merito igitur illorum omnes synagogas vero et salubri Dominico sacrificio carere docet. Omnium autem nequissimos posteriores nostri temporis Gnosticos vel inde esse constat, qui non modo non offerunt, sed ab aliis oblatum, sanctis aris avellunt et conculcant.

Quomodo autem constabit eis. Duo præcipua confessionis Christianæ capita, Christum nempe Dei Filium esse qui mundum condidit, et universæ carnis resurrectionem, confirmat ex eo quod Christus panem et vinum benedictione et invocatione, corpus et sanguinem suum esse prædicaverit et fecerit, eademque offerre instituerit, et edenda distribuerit in commemorationem propriæ mortis, atque arrhabonem et pignus nostræ resurrectionis.

Hæc iterum Feuard. verba notis suis inserit Grabius, probatque.

Quoniam vero hæc Irenæi verba, quamvis clarissima, conatus est impius Ecclesiæ desertor et Sacramentariorum alter in Helvetia coryphæus Œcolampadius, magna orationis arte pervertere, et in alienum sensum detorquere; operæ pretium duxi huc ea sigillatim ascribere, quæ adversus illum pro Irenæo scripsit pridem piissimus et doctissimus episcopus, nunc autem beatissimus pro Christo martyr Joannes Fischerus Roffensis episcopus, lib. IV *De eucharistia*, cap. 21 et 22 : « Ipsis primis verbis, ait, velut rem certam affirmat, constare panem et vinum esse corpus et sanguinem Domini; id quod apparet ipsos hæreticos, adversus quos contendebat, ceu confessum admisisse; et istud, de quo sibi cum adversariis convenit, ceu basim facit argumentationis suæ. Sic enim ratiocinatur : Vos asseritis panem illum in quo gratiæ sunt actæ, corpus esse Domini vestri; et calicem illum, calicem sanguinis ejus. Et quomodo istud constabit, si negaveritis Dominum vestrum esse Filium conditoris omnium creaturarum? hoc est, ipsum Verbum quo vitis fructificat, et parit uvas, terra quoque primum herbam, deinde spicam, postremo plenum triticum producit? Nam si conditorem harum rerum Christus pro sibi adversario (sicut vos putatis) haberet, nunquam panem et vinum, quæ ex illis creaturis fiunt, delegisset, unde corpus pariter et sanguinem conficeret. »

Eum panem, in quo gratiæ actæ sint. Ista ex Justini martyris *Apologia* posteriore desumpta videntur : quoniam illic panem eucharistiæ vocat ἄρτον εὐχαριστηθέντα, rursumque τροφὴν εὐχαριστηθεῖσαν, Cyprianus quoque, « panem cœlesti benedictione consecratum [40]. » Ita enim quondam benedixit terram, et germinavit : benedixit panes et pisces, et illico mirabiliter multiplicati sunt, etc. Ex his autem evidentissime patet, Irenæum non solum constanter credidisse et docuisse, panem vi consecrationis reipsa effici verum corpus Christi, non figura, metonymia, vel significatione; verum etiam ex hoc tanquam firmissimo, et ab ipsis etiam hæreticis admisso principio, adversus alias illorum hæreses argumenta duxisse.

Quomodo ergo rursus dicunt carnem. Ex hoc Irenæi loco catholici scriptores tria hæc argumenta pro reali corporis Christi præsentia in eucharistia, conficiunt. Primum : Corpora nostra redduntur immortalia per hoc quod aluntur corpore Christi jam immortali. Ergo corpus Christi non solum animis in cœlo concipitur, ut blaterant Calviniani, sed reipsa in eucharistiæ communione ore corporis nostri percipitur et sumitur. Secundum : « Panis percipiens invocationem Dei, » id est, verba per Christum Deum prolata et instituta, non est amplius panis communis, sed sacramentum constans re terrena, id est, accidentibus remanentibus; et re cœlesti, id est, corpore immortali, glorioso, et jam cœlestis Patris consortio gaudente; igitur in eucharistia idem numero corpus adest, offertur, et ore corporis percipitur, quod in dextera Patris residet in cœlis. Tertium : Panis eucharistiæ, percepta invocatione, ita mutatur ab esse terreno in cœleste, sicut corpora nostra per ejusdem participationem ex mortalibus et corruptibilibus efficientur immortalia et incorruptibilia. Sed corpora nostra non figura vel significatione quadam, sed reipsa proprieque erunt immortalia et incorruptibilia. Igitur panis terrestris euchari-

[36] Lib. II Const., cap. 61 et lib. VIII, c. 15; in Liturg. [37] Chrysost., hom. 83 in Matth. [38] Epistol. ad Smyrn. [39] Dialogo 3. [40] Serm. de cœna Domini.

Digitized by Google

stiæ, non metonymice et imaginarie, sed substantiali realique transmutatione fit ipsum corpus Domini nostri Jesu Christi.

Beatus episcopus et martyr Roffensis ita hunc Irenæi locum interpretatur : « Perinde est ac si dixisset : Quoniam caro Christi vivificati est, et eadem resurrexit ad vitam incorruptibilem ; inde fit, ut qui carnem illam digne comederunt, si nulla posthac sua culpa virtutem illam quam acceperunt, amittant, eorum corpora procul dubio resurgent ad immortalitatem. »

Huic sententiæ subscribit Cyrillus Alex. in VI, cap. 40, diserte non minus, quam diffuse ostendens carnem Christi ideo vivificatricem esse, quia ineffabiliter conjuncta est Filio Dei ; a quo universa vivificantur, quique per naturam vita est, cum ex vivo Patre genitus sit · proindeque corpora **165** nostra quamtumvis corrumpenda, arrham, jus, vimque gloriosæ immortalitatis, ex illius naturali participatione et reali conjunctione percipere, quod his argumentis probat. Caro Salvatoris Verbo quod naturaliter vita est, conjuncta, vivifica est : hacque de causa in excitandis mortuis, non solum ut Deus, verbo atque imperio utebatur ; verum etiam carnis suæ contrectationem adhibebat, ut ostenderet corpus suum vivificare posse. Igitur quando eam carnem comedimus, tunc vitam habemus in nobis, quæ committet et inseret omnino immortalitati participes sui.

Deinde his exemplis rem illustrat. Aqua ex natura frigida, adventu ignis frigiditatis suæ oblita, æstuat. Quando mors in primogenitos Ægyptiorum sæviebat, carnes agni manducantes Hebræi, ejusque sanguine superliminaria perungentes, mortem effugerunt. Mulier apud Matthæum fermentum abscondit in farinæ satis tribus, et parum fermenti totam massam fermentat ; sic parvula benedictio totum hominem in se attrahit, et sua gratia replet : et hoc modo in nobis Christus manet, et nos in Christo. Propterea dicit : « Resuscitabo eum in novissimo die. » Ego enim, dixit (id est corpus meum, quod comedetur), resuscitabo eum. Non enim alius ipse est quam caro sua.

Et iterum : Non poterat aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem ac vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei conjungeretur. Non credis mihi hæc dicenti ? Christo, te obsecro, fidem præbe. « Amen, amen, inquit, dico vobis[61] : nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et suscitabo eum in novissimo die. » Hucusque Cyrilli verba usurpavi. Præterea quæ ad hujus articuli confirmationem adducere possem ex Chrysostomo in Joan. et Matthæum ; Hilario, VIII *De Trinitate* ; Tertulliano lib. *De resurrectione carnis* ; Justino quæst. 44 ad orthod. et Ignatio, *Epist. ad Ephesios* et *ad Rom.*

Ergo aut sententiam mutent. Roffensis : « Monet hæreticos, cum hæc ita se habeant, nempe quod ex ipsis creaturis pane et vino, Christus corpus et sanguinem suum instituit conficienda, ut deinceps aut Christum credant fabricatoris mundi Filium, et Verbum esse, quo mundus, et quæ in eo sunt omnia fuere condita, aut ab ejusmodi sacrificio abstineant. » Philippus Melanchthon bona fide pollicitus Friderico Myconio, libello eo nomine conscripto, se recitaturum veterum scriptorum sententias de eucharistia, has quidem affert, quæ realem præsentiam carnis Christi asserunt : sed singulari fraude tres istas reticet, quæ ejusdem oblationem astruunt. Quod observare libuit, ut nullus commoveatur, aut eis confidat, qui Patrum testimonia tanto dolo soleant usurpare.

Nostra autem consonans est sententia. Roffensis : « Pergit adhuc Irenæus, insinuans Ecclesiæ dogmata, tum sibi mutuo, tum ipsi veritati convenire : sicut hæreticorum e diverso tam cum ipsa veritate, quam secum etiam pugnant. Nam quod ipse mundi fabricator Christi Pater sit, cum isto consonat, quod ipse Christus creaturis ab illo conditis utatur, ex quibus et suum ipsius corpus et sanguinem confecit. Et hoc scilicet rursus confirmat, Christum (qui talibus creaturis tam potenter utitur) non alterius, quam ipsius omnium conditoris esse Filium. Quamobrem et fides, qua Christus creditur esse Dei Filius, eucharistiæ consonat ; et eadem ab eucharistia confirmatur.

Offerimus enim ei. Roffensis : « Per communicationem corporis et sanguinis Christi, efficimur una caro, unusque cum eo spiritus : quam etiam unitatem Paulus sæpe testatur in Epistolis. » Unum « corpus, inquit, multi sumus, omnes qui de uno « pane participamus[62], » Et rursum : « Qui adhæret « Deo, unus est spiritus[63]. » Nec potest certe quisquam Deo conjunctius adhærere, quam qui cum pietate carne Christi vescitur, et ejusdem sanguine potatur. Per cibum enim istum incorporamur Christo, et unum cum ipso corpus efficimur. Asserit enim ipse Irenæus, nos per sacramentum corporis vere carni Christi, et per sanguinem ejus vere Spiritui communicare.

Percipiens invocationem Dei. « Vocationem » habebant omnes excusi codices ; at « invocationis » vox, quam ex vet. cod. restituimus, aperte desiderabatur. Docet autem, non fide, aut apprehensione humana, ut delirant Calviniani, sed verborum illorum, quæ Christus protulit, et proferre jussit, virtute atque efficientia, carnem et sanguinem Domini adesse, cum panis substantia, natura, et communis conditio desinit, et in carnem sanguinemque Christi transmutatur : conservatis nihilominus quantitate, qualitate, sapore, reliquisque quæ externis sensibus ex accidenti conveniunt. Eo igitur sensu panem communem manere negat, sed eucharistiam fieri dicit, quæ terrena panis et vini specie, simulque cœlesti et gloriosa Domini carne constat : vel carne Christi, quæ terreno Virginis utero prodiit ; et anima quæ Deo superne creante corpori ejus infusa et communicata est.

Hanc porro esse omnium sanctorum Græcorum et Latinorum fidem, ex innumeris selectiorum scriptorum testimoniis confirmabo. Justinus martyr scribit, interprete Gelenio : « Non ut vulgarem panem et vulgare poculum hæc sumimus : sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus Servator noster, carnem et sanguinem pro salute nostra habuit ; sic etiam δι' εὐχῆς λόγου, per verbum precationis et gratiarum actionis, sacratam ab ipso alimoniam, quæ mutata nutrit nostras carnes et sanguinem, illius incarnati Jesu carnem et sanguinem esse didicimus[64]. »

Origenes, panes oblatos per obsecrationes effici corpus sanctum, sanctificans eos qui sana mente utantur, lib. VIII *Contra Celsum*, confirmat.

Hesychius lib. VI in Leviticum, cap. 22, pe: Christi virtutem et prolatum ab eo verbum, quæ in altari videntur, sancta reddi docet.

Cyrillus Alex. ad Calosirium episcopum, τῆς εὐλογίας δυνάμει, id est, benedictionis virtute, sanctum corpus Christi adesse sacramento, et extra usum permanere credit.

Gregorius Nyssenus, panem in corpus statim commutari ; οὐ διὰ βρώσεως, ἀλλὰ τοῦ λόγου, non per esum, sed per verbum Dei scribit, ser. catech., cap. 37.

Cyrillus sacrorum Jerosolymorum ante mille et

[61] Joan. VI, 54, 55. [62] I Cor. X, 17. [63] I Cor. VI. [64] Apol. 8.

Digitized by Google

trecentos plus minus annos patriarcha, panem eucharistiæ post Spiritus S. invocationem, non amplius esse panem communem, sed corpus Christi, ad oves curæ suæ commissas concionabatur [45]. His quoque addebat [46] : « Cum Christus ipse affirmet et dicat de pane : « Hoc est corpus meum, » quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante et dicente : « Hic est sanguis meus, » quis dubitet, et dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, et non erit dignus cui credamus quod vinum in sanguinem transmutet? » etc.

Atque hactenus Græcos; jam Latinos audiamus. Tertullianus lib. IV *Contra Marc.* Christum acceptum panem, suum corpus effecisse declarat, dicendo : « Hoc est corpus meum. »

Cyprianus, panem quem discipulis Dominus porrigebat, non effigie, sed natura mutatum, verbique omnipotentia carnem factum esse docet, sermone de cœna.

Hieronymus de his clericis aliquid sinistri loqui cavet, qui Christi corpus sacro ore conficiunt, id est, ut idem ipse alibi exponit, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur; epistola ad Heliodorum, et epistola ad Evagrium.

Augustinus illud tantum corpus Christi dicit, quod ex fructibus terræ acceptum, et prece mystica consecratum, rite sumitur ad salutem; libro III *De Trinitate*, cap. 4. Idemque sermone 28 de verbis Domini : « Dixi vobis, inquit, quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur; ubi vero verba Christi deprompta fuerunt, jam non panis dicitur, sed corpus appellatur. »

Multis ex utroque Testamento prodactis exemplis innuit Ambrosius non id esse in eucharistiæ pane, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit : cum major sit vis benedictionis, qua natura ipsa mutatur, quam naturæ ipsius; sermonemque Christi, quo utitur sacerdos, adeo efficacem et valentem esse, ut quæ prius erant, in aliud commutet; lib. *De iis qui mysteriis initiantur*, cap. 9, et lib. IV *De sacramentis*, cap. 4 et 5. De reliquis supersedeo.

Quam vero propudiosæ, quam diversæ, quamque adversæ et perversæ sint e contrario hujus ævi Sacramentariorum de eisdem verbis Christi eucharistiam instituentis interpretationes, pugnæ, contradictiones : quam denique inconstantes, dubiæ, et incertæ sententiæ, quadam ex parte dicemus infra super cap. 69.

Jam non communis panis est. Invisibili Spiritus sancti operatione, virtuteque consecrationis, evenire docet, ut ea desinat communis ipsa natura et substantia panis, quæ antea sub suis accidentibus latebat, transeatque in immortalem, cœlestem et Deo junctam Christi carnem; cujus participatione, corporibus nostris ex prioris Adami noxa morti et corruptioni subjectis, jus, arrha, virtus, certaque exspectatio vitæ immortalis conferatur; quod ex vulgari pane nunquam accideret. Hanc esse germanam hujus loci intelligentiam, idem ipse Irenæus postea conspicuum facit lib. V : **168** « Quando mistus calix, scribit, et fractus panis, percipit verbum Dei, fit eucharistia sanguinis et corporis Christi, ex quibus augetur, et consistit carnis nostræ substantia. Quomodo carnem negant (hæretici) capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ corpore et sanguine Christi nutritur, et membrum ejus efficitur? »

Sic et corpora nostra. Roffensis : « Quanquam granum tritici jactum in terram corrumpatur, ea tamen corruptio propter abditam in ipso grano virtutem, via est ad alterius vitæ majus incrementum : ad eumdem modum necesse est, ut corpora nostra tandem per corporalem mortem redeant in cineres. Sed quia nonnihil virtutis, quam ex esu carnis Christi contraximus, in ipsis adhuc cineribus manere visum est tam Irenæo quam cæteris priscis; ipsa nostræ carnis incineratio (si tamen ante pasta sit hoc cibo) rectissima callis est ad immortalitatem. »

Sed gratias agentes donationi. Ita habent codices omnes Basileæ, Lausannæ, et Lutetiæ excusi : vetus codex, et rectius, meo judicio, « dominationi, » atque ita legit Œcolampadius apud Roffensem, lib. IV, cap. 21. Cæterum, alludit procul dubio Irenæus ad eas laudes et gratiarum actiones, quas in præfatione (ita post Cyprianum vocamus) ante consecrationem decantat sacerdos, cujus initium est : « Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.—Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est.—Vere dignum et justum est. » etc. Hæc enim ad verbum concinunt liturgiæ B. Jacobi, et Clementis lib. VIII *Const.*, cap. 16, quibus passim utebantur in Oriente et Occidente sæculo Irenæi.

Eadem sua quoque ætate inter Græcos conservata fuisse ostendunt liturgiæ Chrysostomi et Basilii, et Chrysostomus hom. 18 in secundam ad Cor., hom. 22 in Genes., hom. 16 ad populum Ant., hom. de Encæniis; et Cyrillus Jeros. 5 cat. mystagogica.

Idem observasse Latinos docet Augustinus epistola 57, quæst. 1, epist. 59, epist. 120, cap. 19, lib. *De sancta virginitate*, cap. 16; lib. II *De bono perseverantiæ*, cap. 13; lib. *De spiritu et littera*, cap. 11; sermone 44 de tempore; Cyprianus *De oratione Dom.*, Cæsarius Arelatensis hom. 5; Rabanus lib. I, cap. 33.

Ad hoc ut præstet nobis. His operum bonorum necessitatem et mercedem apud Deum repositam esse docet : licet soli fidei et nullis operibus, salutem et justitiam coram Deo illum, cæterosque ejusdem sæculi Patres, acceptam referre mentiantur Magdeburgenses, cent. 2, p. 46. Unius tantum Clementis Alex. verba ad eos convincendos hic subjicere libet [47] : « Pretiosissimam salutem emere proprio thesauro, charitate et fide vitæ, ut justo quod libenter Deus acceptat pretio, » quoslibet hortatur. Idem, V *Strom.* : « Gratia servamur, sed non absque bonis operibus. » Et lib. VI : « Quando audierimus : « Fides tua te salvam fecit [48], » non accipiamus absolute eos salvos futuros, qui quomodocunque crediderint, nisi facta quoque fuerint consecuta. » Et post pauca : « Sunt variæ mansiones pro dignitate et meritis eorum, qui crediderunt. » Rursus lib. VII : « Quomodo medicus præbet sanitatem iis qui opem illi ferunt, ita etiam Deus æternam salutem iis qui opem illi ferunt, et cum eo cooperantur ad cognitionem et ad bonas actiones. »

Ita idipsum. Sic vet. cod. Excusi, « ita ad ipsum. »

Pag. 252. *Est ergo altare in cœlis.* Hæc imperitissime ac nequissime nobis objiciunt Sacramentarii, ac si Irenæus iis negare vellet, aut altare, aut sacrificium aliquod nobis a Christo traditum esse ac relictum in terris : cum e contrario præcedenti linea doceat, eumdem « Christum velle ut frequenter offeramus munus ad altare. » Pauloque supra tam sancte et graviter dixerit, « illum novi testamenti novam docuisse oblationem : » alibique, altarium usum in hanc rem nobis relictum fuisse, ut suis locis diximus.

Hic tantum adjicio, altarium commemorationem ac inter Christianos usum Paulum aperte comprobare, I Cor. IX, 13 : « Qui altario deservit, » etc.; I Cor. X, 21 : « Non potestis esse participes mensæ Domini, et mensæ dæmoniorum. » Quæ porro mensa dæmoniorum, præter altaria, in quibus idolis gentiles immolabant? Ergo mensæ Dominicæ, altaria Christianorum. Heb. XIII : « Habemus altare,

[45] Cat. 3 mystagogica. [46] Catech. 4. [47] In Protrepticо. [48] Matth. IX, 22; Marc V, 34; Luc. VII, 50.

Digitized by Google

de quo edere potestatem non habent qui tabernaculo deserviunt, » etc.

Patres non solum illa religiose servarunt, adornarunt, et propter Christum, qui in his adoratur, coluerunt : sed et horum effractores ac eversores divinæ majestatis reos ac hostes esse censuerunt. Nam Chrysostomus eversores altarium, ut blasphemos lapidibus petendos et obruendos esse docet. Idem hom. 20 in II ad Cor. et Nyssenus serm. de baptismo, affirmant altare esse admirabile, propter sacrificium, quod super illud ponitur. Lapis quidem natura est, sed sanctus est, quoniam Christi corpus accipit. Nazianzenus Arianis exprobrat : « Sancta profanis pedibus a vobis conculcata, altaria conspurcata sunt; » et Juliano Apostatæ : « Destruxisti altaria, » etc. Optatus furiosis Donatistis : « Altaria, in quibus obtulerunt olim Cyprianus, Lucianus, et cæteri martyres confregistis [49]. » Et lib. III : « Quo tempore altaria solemniter aptarentur, » etc. Et libris quinto et sexto : « Quid est altare, nisi sedes Domini nostri? Quid iniquius, quam altare frangere, eucharistiam animalibus projicere? » Sed finis hic esto : alibi namque id fusissime tractavimus.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 34.

Pag. 250. *Offerre igitur oportet Deo primitias*, etc. Missa Feuardentii hoc loco de primitiis digressione, Irenæo gemina solum e *Corpore canonico*, distinct. 1, De consecrat., cap. 69, verba adduco : « Omnis Christianus procuret ad minarum solemnia aliquid Deo offerre, et ducere ad memoriam : quod Deus per Moysem dixit : « Non apparebis in « conspectu meo vacuus [50]. »

Ut in quibus gratus.... percipiat honorem. Hoc colon vix recte intelliges, nisi de homonymia vocis « gratus » ante monitus. Quippe primo « gratus » homo dicitur, ratione grati pro acceptis beneficiis animi; deinde vero « gratus » Deo « deputatus, » id est acceptus, sicut initio hujus capitis ait : « purum sacrificium reputatum est apud Deum, et acceptum est ei. » Atque dum ita Deo acceptus est homo, cum iis quæ offert muneribus, « honorem percipit. » Quippe, uti paulo ante Irenæus dicebat, « Is qui offert, glorificatur ipse in eo quod offert, si acceptetur munus ejus. »

Sacrificia in populo, sacrificia et in Ecclesia : sed species immutata est tantum. Satis apte ad hæc adnotavit Feuardentius verba lib. VI *Constit. apost.*, cap. 23 : « Baptismum, sacrificium, sacerdotium, localem adorationem mutavit. Pro quotidiano baptismo unum solum, pro sacrificio cruento, rationale et incruentum ac mysticum sacrificium instituit, quod in mortem Domini per symbola corporis et sanguinis sui celebratur. » Inepte vero addidit, quod libros *Constitutionum apostolicarum* germanos ac vere Clementis Romani esse, tam unanimi sententia Patres omnes veteris Ecclesiæ confirment, ut flagitiosæ impudentiæ sit dubitare aut negare. Cæterum bene observat, Irenæum hoc loco non loqui de sacrificiis spiritualibus cordis contriti, orationis, laudis, gratiarum actionis, et beneficentiæ, quæ omni ætati et legi communia fuerunt, sed de nova novi testamenti, eaque externa oblatione, quam legalibus externis opponit Irenæus, quamque omnibus sacrificiis veteris testamenti successi se, ex Scripturis probavit Augustinus lib. XVII *De civitate Dei*, cap. 20.

A foris enim sepulcrum apparet formosum..., plenum est. Ita et Clemens Alexandrinus citat, lib. III *Pædagogi* cap. 9 : Ἔξωθεν ὁ τάφος φαίνεται ὡραῖος... γέμει : quomodo etiam in ms. Evangeliorum cod. Cantabrigiensi legitur, nisi quod γίνεται pro φαίνεται ibi sit exaratum. Sed editi. Novi Testam. paruuser differunt.

A *Emunda quod est intus calicis.... quod foris est.* In nostris Novi Test. editt. exstat : καθάρισον πρῶτον, et post ποτηρίου additur καὶ τῆς παρόψιδος, item ἐκτὸς αὐτῶν. Sed πρῶτον deest quoque in Chrysostomi *Comment.* in hunc locum; et καὶ τῆς παρόψιδος in Clemente Alex. loco citato ac ms. Cantabrig.; denique αὐτῶν in Clemente, Chrysostomo, atque Latina vulgata versione.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 35.

Pag. 252. *Munera autem.* Etsi ea quæ in hoc mundo condita sunt, ideæ ac typi rerum cœlestium dicantur, non inde sequitur ipsa cœlestia aliarum desuper et incognitarum rerum rursum typos esse; aut Deum nobis notum, alterius ignoti typum ac figuram esse : alias in infinitum pergeret hujusmodi Gnosticorum deliratio.

Nec enim. Vetus cod. : « Nec enim aliter poterat assimilare spiritalium imaginem. »

B *Et omnino stultorum.* Vet. cod., « et omnimodo. »

Quemadmodum sæpenumero ostendimus. Hæc præcipua discussit lib. II, cap. 40.

Ejusdem adnotationes in cap. 36.

Pag. 252. *Ad quos juste.* Extremæ dementiæ ac insaniæ indicat esse, aut supra, aut extra verum Deum alium comminisci **167** ac investigare; quoniam si cœlorum dimensiones nec metiri nec comprehendere valemus, multo minus divinam assequi immensitatem poterimus.

Cæterum. Licet pro hac dictione vetus codex « cubitorum » habeat, tamen utrumque non incongrue legendum videtur.

Immensurabilis. Similis huic est ista Cypriani sententia [51] : « Deus nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensu major est; et ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. »

C *Et dextræ.* Vet. cod. « et » desiderat, legitque « mensuram dexteræ »

Vere autem in profundum. Cyrillus Jeros. de hoc Valentinianorum figmento disserens, allusisse videtur ad hunc locum, cum ait [52] : « Docet enim eum, qui profunditas erat malitiæ, a profunditate suam auspicari doctrinam. »

Ejusdem adnotationes in cap. 37.

Pag. 253. *Igitur secundum magnitudinem.* Deus natura quidem incomprehensibilis, operibus tamen ostendit se unicum esse hujus mundi Deum ac Dominum : quippe qui illum non mediantibus angelis, sed per unigenitum Filium suum atque Spiritum sanctum condiderit.

Ad quos et loquitur dicens : Faciamus. Hunc locum post Irenæum sic intelligendum censuerunt Tertullianus lib. *De Trinitate;* Athanasius epist. de synodis; lib. I *De unita deitate Trinitatis;* serm. 4, contra Arianos; Hilarius lib. IV *De Trinitate;* Basilius homil. 9, in Hexaemeron; Gregorius Nyssenus orat. in ea verba : « Faciamus hominem, » etc.; Cyrillus Jerosol. catech. 10; Cyrillus Alex. lib. II, cap. 2, in Joan.; lib. IV dialog. *De Trinitate;* lib. I, IV et VIII *Contra Julianum;* Epiphanius hæres. 69; Ambrosius lib. I *De fide*, cap. 7; et lib. VI Hexaem. cap. 7; August. lib. XII *De Trinit.*, cap. 6, libro *Contra sermonem Arianorum;* Theodoret. quæst. 19 in Genesim. Judæos, Sabellianos, et Arianos huic interpretationi contradicentes, rationibus, aliis Scripturis jam convictos, horrendis anathematibus et diris omnibus prosequendos deserunt.

D *Bene ergo pronuntiavit Scriptura.* Hunc locum Irenæi transcripsit Eusebius lib. V *Hist.*, cap. 8. Ex quo germanam lectionem restituimus, duabus

[49] Lib. II. [50] Exod. XXIII, 15. [51] Epist. 57. [52] Catech. 6.

Digitized by Google

dictionibus adjectis, « pronuntiavit, » et « quæ. » Magdeburgenses, etsi sexdecim viros Lynceos plane et Argos jactitant suis rhapsodiis diu noctuque incumbere, hic tamen fœdissimo mendacio lapsi sunt, scribentes hoc ipsum Irenæi judicium de *Pastoris* scripto, quod Eusebius recitat, non reperiri in iis, quæ hodie exstant, Irenæi operibus. Hanc porro sententiam Origenes Irenæum imitatus ex *Pastoris* libro, in cap. 3 libri primi *Patriarchon* inseruit : eamdem Arianos adamasse, et citasse, refert Athanasius epistol. « Quod Nicæna synodus, » etc. Cæterum quanti hinc æstimandi sint Hermetis seu Pastoris scripta, pronuntiabit Ecclesia : gravissimorum ego auctorum diversa proponam judicia. Hermam sive Hermetem eum esse, quem in fine Epistolæ ad Roman. salutat Paulus, quosdam æstimasse scribit Eusebius lib. III, capit. 3 *Historiæ*. Pii papæ, qui anno vigesimo Antonini imperatoris martyrium perpessus est, fratrem eum vocat Damasus; Platina non fratrem, sed familiarem fuisse magna intercedente inter eos consuetudine scribit. Hunc idem Pius pontifex et martyr appellat doctorem fidei et Scripturarum, qui sua ætate effulserit, cuique angelus Domini in habitu pastoris apparuerit. Irenæum hujus scriptum novisse et probasse eo indicat Eusebius quod præcedenti ab illo sumpta sententia utitur ad hæresim revincendam, fideique præcipuum dogma confirmandum. Angelum pastoris habitu ei collocutum, citatis verbis ejus semel et iterum lib. I et II *Stromatωm;* semel lib. IV, bis quoque lib. VI, docet Clemens Alex. Quosdam orantium ritus ex Hermæ scriptis disputat et probat Tertullian.[53]. Ad librorum ipsius lectionem hortatur Origen. hom. 13 in Ezech. Athanasius libro *De incarnatione Verbi*, sententiæ supra scriptæ partem adducens, utilissimum appellat *Pastoris* librum. Ruffinus in *Expositione Symboli*, illum ascribit libris quos majores ecclesiasticos vocarunt. Hieronymus inter primos ecclesiasticos scriptores eum enumerans [54], librum illius publice apud quasdam Græciæ ecclesias prælegi testatur : eumque revera utilem censet, et multos veterum ex eodem testimonia usurpasse cognoscit. Sedulius in cap. XVI ad Rom. scripturam libelli *Pastoris* valde sibi utilem et divinitus inspiratam videri, scriptum reliquit. Hæc observare libuit in Magdeb. qui præcipue hunc auctorem frivolis et jejunis conjectionibus innixi, miseris modis exceptum lacerant et damnant.

Quoniam autem et Sapientia. Spiritus sancti divinitatem et cœternitatem cum Patre et Filio hic videre est : eaque ratione Magdeburgenses oppositum illi ascribere per sycophantiam non debuerunt.

Dominus creavit me. De hujus loci sensu graviter olim inter catholicos et Arianos certatum fuit : Iis inde volentibus Filium Dei proprie et vere creatum esse; illis constanter negantibus, utpote qui semper cum Patre fuisset, quemadmodum hoc capite tradit Irenæus, id est eamdem cum Patre haberet æternitatem, immensitatem et divinam majestatem, profitentibus in Symbolo : « Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus. Non tamen tres æterni, nec tres immensi; sed unus æternus et unus immensus. » Hunc porro nodum paucis dissolvunt Epiphanius [55] et Hieronymus [56], docentes in fonte Hebræo verbum esse « Canani, » quod *possidere* et *acquirere*; non autem « Bara » quod *creare* significat. Ac idcirco Aquilam rectius vertisse, Κύριος ἐκτήσατό με, « Dominus possedit me; » quam LXX, Κύριος ἔκτισέ με, « Dominus creavit me. » Possessio enim significat, quod semper Filius in Patre, et Pater in illo fuerit : creatio autem ejus, qui prius non erat, conditionis exordium; quod de Filio Dei vel cogitare impium ac nefastum.

Pag. 254. *Nec veterum.* Vet. cod. pro his duabus vocibus habebat « qui quieverunt; » utrumque legi potest.

Et cum loqueretur. Hoc loco quædam delevimus, alia adjecimus vet. cod. auct. Nam excusi legebant, « et colloqueretur, et adfuturus esset, id est ab universo suo plasmate salvans illud, et parcibilis ab eo, » etc.

Nam prophetia. Parem huic descriptionem habet Basil.[57] : « Propheta est, qui per Spiritus sancti revelationem, quod futurum est prænuntiat. » Et Procopius Gazæus in c. I Isaiæ, prout Latinum factum mihi ostendit ejus interpr. Joannes Curterius : « Propheta est, qui res futuras, vel præsentes occultas prædicit. »

Quemadmodum etiam videntes lumen. Sententiam hanc usque ad id, « et propter hoc incapabilis, visibilem se, » etc., transcripsit nominatim ex Irenæo Melissa, pag. 2; in ea autem « percipiunt » pro « recipiunt » substituimus.

Per quem fecit. Sic vet. cod. Excusi, « per quem perfecti. »

Verbum dispensator. Expunximus « dispensatum, » vet. cod. auct.

Non enim solo sermone. Elegans est Aug. ea de re sententia hæc : « Patrum illorum non tantum lingua, verum etiam vita, prophetica fuit; » lib. IV *Cont. Faus.*, c. 2, et lib. XXII, c. 23. Tert. etiam : « Sicut vocibus, ita et rebus prophetatum est; » lib. *De resurrect. carn.*

Et reliquas autem ejus. Tria hæc genera visionum, quibus prophetis Deus seipsum, suaque judicia manifesta fecit, copiose persequitur Augustinus, lib. *Contra Adimantum*, cap. 28.

Et Verbum quidem loquebatur Moysi. Constans est hæc omnium fere antiquorum sententia, ut sæpe adnotavimus. Hunc locum illustrabunt clarissima isthæc B. Clementis verba [58] : « Hunc Filium Dei incarnandum, olim apparentem vidit Jacob uti hominem, et dixit : « Vidi Dominum facie ad faciem [59]; » hunc Abraham hospitio recepit, hunc Moyses in rubo vidit, hunc Jesus Nave dux exercitus Domini armatum, pugnantem; hunc Daniel, Filium hominis venientem ad Patrem, » etc. Vide et Cyrillum Jerosol. catechesi 10 et 11.

Et manu mea. Sic vetus cod. Græce, σκεπάσω τῇ χειρί μου. Vulgata : « Protegam dextera mea. » Sustulimus, « manum meam. » Et postea, « ipsam, » pro « ipsi, » reposuimus.

Et propter hoc facie ad faciem. Eadem sic quoque exprimit Tertullianus lib. IV *Contra Marc.* : « Cum desiderasset conspectum Domini Moyses, dicens : « Si inveni gratiam coram te, manifesta te mihi, ut « cognoscenter videam te [60] : » eum conspectum desideratus, in quo hominem esset acturus, quod prophetæ sciebat, etc. « In novissimo, » inquit Dominus, « videbis posteriora mea [61]; » non lumbos, nec suras, sed quam desideraverat gloriam in posterioribus temporibus revelandam, in qua facie ad faciem visibilem se ei repromiserat, » etc. Eadem continet libro *Contra Praxeam*. Item Cyrillus Jerosolymitan. catech. 10.

Non igitur manifeste. Hæc desumpta videntur ex Dionys. Areopag. lib. *De cœlest. hier.*, c. 4, et epist. 2, ad Caium monachum.

Pag. 256. *Prophetæ proprie.* Ita vetus cod. Excusi, « priores. »

Et similitudinem. Decem has voces ex vet. cod. restituimus.

168 *Igitur si neque Moyses.* Disputarunt olim, atque etiam nunc inquirunt multi : An Moyses et Paulus, cum adhuc hic peregrinarentur, viderint Deum

[53] Lib. de orat. [54] In Catalogo. [55] In Anchorato. [56] Ep. ad Cypr. [57] In c. IV Isa. [58] Lib. V Const., cap. 21. [59] Gen. XXXII, 30. [60] Exod. XXXIII, 13. [61] Ibid. 23.

Digitized by Google

more beatorum, id est facie ad faciem sicuti est? quod hic diserte negat Irenæus. Ego paucis, quod ab eximio doctore Augustino didici [65], subjicio. Is alicubi scribit, eos Deum vidisse, non aliqua corporalis naturæ similitudine vel imagine; sed in ea subjecti natura et essentia, qua Deus est, quantum eam capere potest homo sevocatus ab omni sensu corporis. Idem rursum confirmat epistola ad Paulinam, de videndo Deum, cap. 12 et 13. Sed hoc ipsum lib. II *De Trinit.*, cap. 17 et 18 exponit, affirmans illos solo mentis oculo Deum ad tempus vidisse, quantum fas homini, non autem corporeis oculis. Contendit etenim lib. XXII *De civ.*, neque etiam beatos post judicium, Deum corporeis oculis, quantumvis glorificatis, aspecturos esse : observans beatum Job dixisse quidem : « In carne mea videbo Deum [66] ; » sed non, per carnem.

Nec solus Irenæus judicat Moysem vel Paulum hic degentes, Deum instar beatarum mentium minime vidisse; verum idem quoque sentiunt Dionysius lib. *Cœlest. hier.*, cap. 4, ac epistola ad Caium; Origenes homil. 1, in Isaiam; Nazianzenus orat. 2, de theologia; Chrysostomus hom. 14 in Joannem; Cyrillus Alex. lib. I in Joan., cap. 22; et ex Latinis Hieronym. dialog. 3 adv. Pelagianos; Gregorius lib. XVIII *Moral.*, cap. 36 et 37, aliique permulti. Ad Scripturas autem quas contra sentientes objiciunt, respondent, illas de speciali quadam et illustriori visione intelligendas esse, non de beatifica, qua nunc cum angelis in cœlo potiuntur.

Aliquando enim. Tertull.: « Hic erat visus Babylonio regi in fornace cum martyribus suis quartus, tanquam filius hominis, » etc. Lib. *Contra Marc.* et lib. *Contra Praxeam.* Consentiunt Hieronymus et Theodoretus *Comment.* in III Daniel.

Aliquando autem lapis a monte. Per montem, vel Hebræorum genus, vel B. Mariam Virginem; per lapidem vero Christum, superveniente solius Spiritus sancti virtute, ex ea conceptum et natum, cum Irenæo intelligendum arbitrantur Justin. in *Dialog.*, Tertull. lib. III *Contra Marc.*, Augustinus concione ad catechum., cap. 12. Reposuimus autem « videtur, » pro, « videbitur. »

Sed et Joannes. Sacram Apocalypsin diserte Joanni apostolo et evangelistæ ascribit : verum de hoc infra copiosius dicetur.

Et perseverabile orationum. Id est perseverantiam, qua frequenter pernoctabat in precibus.

Qui inciperet eum tradere. Ἔμελλε παραδιδόναι, qui traditurus esset.

Pag. 257. *Et in loco eliberata.* Græce, καὶ ἔσται ἐν τῷ τόπῳ οὗ, « et in loco erit, in quo vocabatur, » etc.

Sic autem et Moyses. Theodoreto quæst. 4 in Exod., Hieronymo in I cap. Soph., et Augustino serm. 86, placet quoque hæc intelligentia.

Sed quæritur a multis, quomodo uxor Moysis dicatur Æthiopissa, cum fuerit filia Jethronis sacerdotis Madian, in quam provinciam fugisse dicitur, non in Æthiopiam? Respondeo, Madian solo brevi maris Rubri trajectu ab Æthiopia distare : eamdemque persæpe vocari in sacris Litteris terram Chuz ac Æthiopiam : ideo Sephoram inde natam et educatam recte Æthiopissam appellatam esse. Est tamen memorabile, quod non solum Epiphanius [67], sed etiam R. Moses Maimonin observat, nimirum, Moysem prophetæ suscepto munere, ab eadem uxore sua deinceps abstinuisse, ut tam sanctæ ac spiritali vocationi puriorem daret operam.

Suscepit autem speculatores. Vetus cod. adjicit, « tres speculatores, » quod comparationi de tribus divinis hypostasibus concinne quadraret, si Bibliorum contextus, duos, non tres fuisse repeteret. Cæterum non multum discedit ab hac Irenæi allegoria Justinus martyr in *Dialogo.* A

Nullificant. Id est aspernantur et contemnunt. Proxima linea, « præcedunt, » pro, « præcedent, » legimus, quod in Evangelio legatur, προάγουσιν.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 37.

Pag. 253. *Accipiens.* Videtur itaque Irenæus in suo τῶν Ο' codice una cum aliis S. scriptoribus legisse λαβών, sicut et hodienum in quibusdam exemplaribus exstat, cum contra in aliis hæc vox desit, et a quibusdam etiam Patribus omittatur.

Verbum et Sapientia .... in quibus omnia .... fecit. Similiter Theophilus Antiochenus lib. I *Ad Autolycum*, pag. 21: Ὁ Θεὸς διὰ τοῦ λόγου αὐτοῦ καὶ τῆς σοφίας ἐποίησε τὰ πάντα. Unde mox eadem Salomonis verba ex Proverb. III citat, quæ Irenæus paulo post allegavit.

Ad quos et loquitur. Maxime parallela sunt verba Theophili Antiocheni lib. II *Ad Autolycum*, pag. 115 edit. Oxon. : Ἔτι μὴν καὶ ὡς βοηθείας χρῄζων ὁ Θεὸς εὑρίσκεται λέγων· *Ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν.* Οὐκ ἄλλῳ δέ τινι εἴρηκε, *ποιήσωμεν*, ἀλλ' ἢ τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ καὶ τῇ ἑαυτοῦ σοφίᾳ. Ubi perinde ut Irenæus Filium « Verbi, » Spiritum S. « Sapientiæ » nomine designat, sicut et paulo ante pag. 106 mentionem facit τριάδος. τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ λόγου αὐτοῦ, καὶ τῆς σοφίας αὐτοῦ. Confer vero ipsum Irenæum lib. I, cap. 19. B

Pag. 257. *Rahab fornicaria.* Ante Irenæum S. Clemens in *Epist. ad Corinthios*, § 12, eodem, qui hic laudatur, actu Rahab meretricem prophetasse, id est futura adumbrasse scribit : Οὐ μόνον πίστις, ἀλλὰ προφητεία ἐν τῇ γυναικὶ γέγονεν. Neque solum actu, sed et voce eam prophetasse observavit Origenes homil. 3 in Jesum Nave : « Ista meretrix, inquit, quæ eos suscepit, ex meretrice efficitur jam propheta. Dicit enim : « Scio, « quia Dominus Deus vester tradidit vobis terram « hanc [68]. » Vides quomodo illa... prophetat et prænuntiat de futuris. » C

Fide signi coccinei. Exploratoribus pollicitis Rahab meretrici, eam servatum iri cum omni familia, si coccineus funiculus in signum domus suæ per fenestram dependeret, fidem illa habuit, fecitque quod jusserunt, atque sic servata est, uti sacra historia narrat. Id vero mystice significavit, ὅτι διὰ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου λύτρωσις ἔσται πᾶσι τοῖς πιστεύουσιν καὶ ἐλπίζουσιν ἐπὶ τὸν Θεόν, uti S. Clemens loco citato scripsit. Quem secuti Justinus M. in *Dial. cum Tryphone*; pag. 358, et Irenæus hoc loco, atque post ipsum plurimi alii, nominati a Cotelerio in notis ad citatum S. Clementis locum.

Quod erat Pascha. Nam signum, quo Israelitæ ex Ægypto egressuri servabantur, ne primogenita eorum, perinde ut Ægyptiorum, interirent, erat sanguis Paschæ, cum signo coccinei funiculi ratione coloris conveniens. Unde et Justinus M. loco citato ambo commemorat. D

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 38.

Pag. 257. *Quoniam autem et in Abraham.* Non solum in Abraham præsignata est fides et vocatio gentium ad Christum; verum etiam in Rebeccæ parturitione, et rebus gestis per Jacob : ideo facile apparet eamdem patriarcharum fidem cum nostra in unum Deum fuisse, etc.

Pag. 258. *Sed et partum Rebeccæ.* Huic interpretationi subscribunt Justin. in *Dialogo.*, Tertul. initio libri *Contra Judæos*, Origen. hom. 2 in Genes., Ambros. in cap. IX ad Rom., August. serm. 68 de temp., Prosper. Aquit. lib. I *De prom.*, cap. 20.

[65] Lib. XII de Gen. ad lit., c. 27 et 28. [66] Job XIX, 26. [67] Contra hæres. 78. [68] Jos. II, 9.

Digitized by Google

Qui est absconsorum cognitor. Verba sunt Susannæ, sumpta ex cap. XIII Danielis; ex quibus, et aliis quæ supra cap. 11, et infra cap. 44, referuntur, apparet manifeste illa duo postrema Danielis capita, quæ nunc ab Hugnosticis velut apocrypha rejiciuntur, sacrosanctæ veritatis et auctoritatis fuisse antiquissimis Ecclesiæ proceribus et martyribus.

Quemadmodum apprehendit calcaneum. Eucherius Lugdunensis, Rupertus, Glossa interl.: « Majoris plantam tenuit, quia mystice major minorem superaturus erat. Planta enim Esau novissimum præsignabat Israelitici populi tempus, in quo Dominus noster advenire dignatus est, ut eis conferret salutem, » etc.

Duodecastylum. Sic legendum docet vet. cod., id est duodecim columnarum, quarum nomine duodecim apostolos intelligit adumbratos per duodecim patriarchas; qui ut Judæorum, sic isti Christianorum propagines fuere. Justin. addit, eosdem significatos fuisse per duodecim tintinnabula dependentia e stola pontificis. Tertull. per duodecim fontes in Elim, duodecim gemmas in tunica sacerdotis, duodecim lapides in Jordane electos, et in arca testamenti conditos, lib. IV *Cont. Mar.* Delevimus « decastylum, » et paulo ante « patitur » pro « patiebatur, » auct. vet. cod. reposuimus.

Ex duabus sororibus. Hoc pro ingenti crimine, quod tamen diligenter diluit, Manichæos beato patriarchæ objecisse tradit August., qui et allegoricos totam historiam eleganter explicat, lib. XXII *Cont. Faust. Manich.*, a cap. 52 usque ad 60, itemque serm. 80 de temp.

Quæ præfigurabat. Sic Just. in *Dial.* scribit: « Duæ uxores Jacob duos populos adumbrabant, Lia Synagogam, Rachel Ecclesiam. Liæ debiles erant oculi, sic Judæi animæ oculos hebetes habent; Rachel furata est deos Laban, Ecclesiæ Christianæ etiam perierunt dii fabrefacti, » etc.

169 *Ex J. Ern. Grab. adnotationibus in cap.* 38.

Pag. 257. *In ventre tuo.* LXX modo sonant: Ἐκ τῆς κοιλίας σου διασταλήσονται. Sed S. Barnabas § 13 Epist., perinde ut Irenæus, citat, ἐν τῇ κοιλίᾳ σου, adeo ut frustranea sit conjectura cl. Cotelerii in margine: *f.* ἐκ κοιλίας. Cujus, ut obiter id moneam, prava quoque versio verborum Barnabæ, ὅτι μείζων ὁ λαὸς οὗτος ἢ ἐκεῖνος, « quod hic vel ille populus major futurus sit; » ita corrigenda: « quod hic populus illo sit major. »

Fratris patiebatur ... persecutiones. Ita et Justinus M. in *Dial. cum Tryphone*, pag. 364: Τὸν χρόνον πάντα ἐμισεῖτο ὑπὸ τοῦ ἀδελφοῦ ὁ Ἰακώβ. Καὶ ἡμεῖς νῦν, καὶ αὐτὸς ὁ Κύριος ἡμῶν, μισεῖται ὑφ' ὑμῶν, καὶ ὑπὸ τῶν ἄλλων ἁπλῶς ἀνθρώπων, ὄντων πάντων τῇ φύσει ἀδελφῶν.

Peregre incipiebat duodecastylum. Hic S. apostoli duodecim στύλοι et firmamenta Ecclesiæ appellantur: Στύλοι quidem ex Galat. II, 9, ubi Jacobus, Petrus, et Joannes dicuntur δοκοῦντες στύλοι εἶναι: « duodecim » vero « firmamenta, » ut conjicio, ex Apoc. XXI, 14, ubi S. Joannes in descriptione supernæ Jerusalem memorat θεμελίους δώδεκα καὶ ἐν αὐτοῖς ὀνόματα τῶν δώδεκα ἀποστόλων τοῦ ἀρνίου. Cæterum Christus peregre apostolos creasse dicitur, ratione cœlestis patriæ, a qua peregrinabatur, dum versabatur in terris.

Variæ oves, etc. Hæc quoque Irenæus a Justino M. mutuatus est, qui loco jam citato ait: Ἐδούλευσεν Ἰακὼβ τῷ Λαβὰν ὑπὲρ τῶν ῥαντῶν καὶ πολυμόρφων θρεμμάτων. Ἐδούλευσε καὶ τὴν μέχρι σταυροῦ δουλείαν ὁ Χριστὸς ὑπὲρ τῶν ἐκ παντὸς γένους ποικίλων καὶ πολυειδῶν ἀνθρώπων, δι' αἵματος καὶ μυστηρίου τοῦ σταυροῦ κτησάμενος αὐτούς.

S matter omnibus dans. Ita et a Justino M. loco cit. A dicitur: Χριστὸς τῶν αὐτῶν πάντας καταξιῶν τοὺς φυλάσσοντας τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ· ὃν τρόπον καὶ οἱ ἀπὸ τῶν δούλων γενόμενοι, τῷ Ἰακὼβ πάντες υἱοὶ καὶ ὁμότιμοι γεγόνασι.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 39.

Pag. 259. *Manibus suis lavans.* Vult eam pedum ablutionem, quam in cœna Christus peregit, significasse alteram eam, qua quotidiana peccatorum remissione animorum nostrorum sordes abluuntur; quod ampliori oratione explicat Cyprianus, seu quivis alius auctor sermonis de ablutione pedum, cui subscribunt Cyrillus et Augustinus in Joannem.

Hæredificantis. Expunximus « reædificantis, » auct. vet. cod.

Non enim propter eos solos. Eleganter scribit Lactantius, ideo crucis supplicium præ cæteris omnibus summum Patrem elegisse, quo Filium affici sineret, ut cunctis gentibus ejus passio innotesceret. Nam qui patibulo suspenditur, et conspicuus est B omnibus, et cæteris altior. Quapropter Dominus noster in passione extendit manus suas, orbemque dimensus est, ut jam tunc ostenderet, ab ortu solis usque ad occasum, magnum populum ex omnibus linguis, et tribubus congregatum, sub alas suas esse venturum, signumque illud maximum atque sublime frontibus suis susceperum, lib. IV, cap. 26.

Sed propter omnes omnino. Calviniani pro sua impietate, toti generi humano per Christum partum et oblatum redemptionis beneficium ad minimam illius partem contrahentes et restringentes, non verentur cum Bucero dicere, « eum morte sua electorum tantum peccata expiasse[66]; » cum Museculo, « tantum pro credentibus satisfecisse; » cum Calvino, « nec pro impiis crucifixum, nec sanguinem ejus pro expiandis horum peccatis effusum[67]; » cum Beza in *Colloquio Montpelgartensi*, pag. 544, etc.: « Promissiones universales de Christo redemptore omnium, non secundum litteram de omnibus C hominibus, sed de quibusdam tantum accipi debere; » quæ hic a viro apostolico Irenæo summo jure coarguuntur. Equid aliud vir sanctus præstitisset, docente præsertim B. Joanne apostolo, Polycarpi præceptoris sui præceptore ac doctore, « Christum propitiationem esse non pro nostris (id est electorum) peccatis tantum, sed et totius mundi[68]? » Præcursore quoque personante, illum esse Agnum Dei, « qui tollit peccata mundi[69]? » Pauloque attestante, « Christum mortuum esse pro omnibus, Deum in Christo mundum sibi reconciliasse[70]? Et Christum dedisse semetipsum redemptionem pro omnibus? Mortem degustasse pro omnibus[71]? » Sed de hoc alias.

Ejusdem adnotationes in cap. 40.

Pag. 259. *Propter hoc dicebat.* Vocationem gentium ad fidem præsignaverunt patriarchæ et prophetæ, et adventum Christi prædixerunt, ut facilius susciperetur: quod et angelus beato Joseph D revelavit, ut alacrius Filio, matrique ejus subserviret.

Deserrierunt. Ita vet. cod. Alii, « deserviunt. » Deinde « cogitaret, » pro « cogitabat, » substituimus vet. cod. auct.

Quæ generaret. Codices excusi « generat. »

Et in reliqua ejus educatione. Docet beatum Joseph non tantum patris Christi vulgo nomen habuisse, sed et officia vere paterna erga eum præstitisse, dum sanctissimæ matri ejus fideliter et gnaviter in cunctis adfuit; filium tulit in templum, in Ægyptum, in Judæam, in Galilæam, etc., assiduisque laboribus ac vigiliis utrique de hujus vitæ necessariis providit. Hæc quippe attendens Bernardus, appellat eum servum fidelem et prudentem, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ vero carnis nutritium, Hom. 3, super « Missus est. »

[66] In Joan., pagina 34. [67] L. contra Heshuf. [68] I Joan. II, 2. [69] Joan. I, 29. [70] II Cor. V, 19. [71] Tit. II.

Digitized by Google

Pag. 260. *Præco futurus.* Ad hunc locum alludit Euseb. lib. II *Historiæ*, capite 1. Quæ ad ejus illustrationem pertinent, adnotavimus cap. 3 libri primi et cap. 12 libri tertii.

Ejusdem adnotationes in cap. 41.

Pag. 260. *Propter hoc et Paulus.* Quos hoc capite commemorat Pauli præ cæteris labores, omnibus eloquentiæ suæ nervis, velut effusis totius ingenii fontibus, postea prosecutus est Chrysost. homiliis octo de laudibus Pauli, quibus pauca hæc ex Hieron. addere non erit injucundum : « Ille est electionis vas, tuba Evangelii, rugitus leonis nostri, tonitruus gentium, flumen eloquentiæ Christianæ? » etc. Idemque iterum : « Quotiescunque Paulum apostolum lego, videor mihi non verba audire sed tonitrua. Videntur quædam ejus verba simplicia, et quasi innocentis hominis et rusticani, et qui nec facere, nec declinare novit insidias; sed quocunque respexeris, fulmina sunt. Ilæret in causa, capit omne quod tetigerit, tergum vertit ut superet, fugam simulat, ut occidat, » etc. Adversus errores Joannis Jerosolym. et in *Apolog. pro lib. adversus Jovinianum*, Eusebius non solum labore, sed etiam eruditione et sententiarum pondere æquales apostolos superasse, litteris mandat lib. III *Hist.*, c. 42.

Qui est super omnem. Codices excusi, « omnes » habebant, quod delevimus, ut sex alias voces ex vet. cod. insereremus.

Ejusdem adnotationes in cap. 42.

Pag. 261. *Sic enim oportuerat.* Utrumque testamentum in Abrahamo figuratum fuit : novum, quando incircumcisus credidit ad justitiam; vetus quando circumcisus est. Thamaris quoque partus duorum populorum typus fuit; unus vero utriusque testamenti atque populi Deus.

Jam vero et per Thamar. Theodoretus quæstione 95 in Genesim, Augustinus XXII *Contra Faustum*, cap. 83, 84, 85, 86, hanc allegoriam uberiore calamo describunt, patriarchamque Judam, et nurum ejus Thamar, quantum possunt, a calumniis Manichæorum vindicant.

Quinetiam ad ejus excusationem Chrysost. hom. 62 in Genes. rationem hanc adjicit, quod furari voluerit soceri concubitum, et filios ex eo procreare, non libidinem explere concupiscens, sed dispensationem. « Nullus, inquit, hæc audiens condemnet Thamar; nam dispensationem ministravit, et propterea neque ullam reprehensionem meretur. Duo filii ejus duorum populorum figura fuerunt; et prædictio vitæ Judaicæ, et spiritualis. » Totus quoque in hanc sententiam est Ambrosius lib. III in Lucam. Imo et R. Simeon, filius Jochai, *Com. in Pentateuch.* quos *Zoar* appellavit, liberat eamdem a crimine, quod non explendæ libidinis gratia id egerit, sed pio quodam instinctu, nempe ut ex Juda exspectatum Messiam conciperet. Sed de peccatis veterum sanctorum copiosius dicet Irenæus infra cap. 45 et 46.

Præfigurata in Abel. Augustini verba lucem huic loco afferent : « Occiditur, inquit, Abel minor natu, a fratre majore natu; occiditur Christus caput populi minoris natu, a populo Judæorum majore natu; ille in campo, iste in Calvariæ loco. » Ex lib. XII *Contra Faust.*, cap. 9 et 10. Sedulius, eleg., v. 9, 10 :

Frater iniquus erat, justum qui perculit olim :
Damnator Christi, frater iniquus erat.

Præfigurabat duo testamenta. Hæc sunt Apostoli ad Galat. IV : **170** « Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera; hæc autem sunt duo testamenta, » etc. Quam sententiam sequitur Augustin. XV *De civit.*, cap. 2 et 3, et lib. XVI, cap. 25, Sara et Agar cum prole duas civitates significasse, unam in Deo liberam, aliam terrenam. Idem, sed copiosius disputat lib. II *Contra advers. legis*, c. 9, et lib. XXII *Cont. Faust.*, c. 30, 31, 32.

Alii vero messi sunt. Sic loquitur, pro « messuerunt; » et postea, « demessa est in Ecclesia, » pro « fructum percepit. »

Ejusdem adnotationes in cap. 43.

Pag. 261. *Hic est enim thesaurus.* Christus thesaurus est absconditus in veteris testamenti atque prophetarum typis, qui plane revelati ac manifestati fuerunt per ejus adventum; ac idcirco ut Christianis aperti sunt, sic Judæis adhuc obscuri.

Pag. 262. *Danieli prophetæ.* Ita vet. cod. Alii omnes, « in Daniele. »

Priusquam habeat effectum. Sic vet. cod. legit. Alii vero, « efficaciam et ambiguitas. »

Qui cum episcopatus. Successioni vult veritatem doctrinæ junctam esse : alias nec audiendi, nec pro apostolorum successoribus agnoscendi sunt, qui illorum doctrinæ et traditionibus adversantur, quamvis sedes eorum occupent : id tamen ex animo faciendum, etiamsi pietatem et sanctos mores eorum, quibus succedunt, non imitarentur. Ex his porro et illis, quæ supra scripsit lib. III, cap. 2, 3, 25, 40, infra etiam cap. 45, 65 et 70, ex aliisque ejus sæculi, et deinceps doctissimis, antiquissimis et sanctissimis pastoribus et scriptoribus manifestum est legitimam episcoporum successionem Ecclesiæ catholicæ notam certam esse, qua discernitur ab omnium infidelium, hæreticorum et schismaticorum congregationibus; ad hanc ut sacram anchoram veteres confugisse, huic soli promissum Spiritum veritatis in æternum sibi persuasisse, hanc denique ut murum aheneum universis infidelium machinis et arietibus opposuisse. Hoc telo omnes priorum Gnosticorum copias confodit Tertullianus. « Si audent interserere se ætati apostolicæ, inquit [72], ut ideo videantur ab apostolis traditæ, possumus dicere : Edant origines suarum Ecclesiarum; evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt, sicut Smyrneorum Ecclesia habens Polycarpum ab Joanne collocatum, refert; sicut Romana Clementem a Petro ordinatum, id utique et cæteræ exhibent. Confingant aliquid tale hæretici. Quid enim illis post blasphemiam illicitum est? » Et paulo post : « Ad eos merito dicendum est : Qui estis? Quando, et unde venistis? Quid in meo agitis, non mei? Quo denique, Marcion, jure silvam meam cædis? Qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? Qua potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio, olim possideo; prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus quorum fuit res. Ego sum hæres apostolorum; sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certe exhæredaverunt semper, et abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos, » etc. Hujusmodi argumento Novatianos coarguit Cyprianus lib. I, epist. 6. In hoc asylum se recepit Hieronymus adversus tot Orientis sectas dissectas, ut indicat ipse, epist. ad Damasum, et dial. cont. Luciferianos. Parmenianum et Donatistas hoc laqueo præfocat Optatus Milevitanus, lib. II. Istius successionis consideratione, quasi arctissimis vinculis retentum, et fortissimis repagulis conservatum se in gremio catholicæ Ecclesiæ confirmat frequenter Augustinus, lib. *Contra epist. Manich.*, cap. 4; *Psalmo contra partem Donati*; Epistola 163 et 165, lib. *De utilitate credendi*, capit. 17 et 49; lib. *Quæstionum Veteris et Novi Testamenti*, quæst. 110; lib. II *Contra litteras Petiliani*, cap. 51.

Qui circa Chore. Hellenismus, οἱ περὶ Χωρέ, id est, ipsi Chore, Dathan et Abiron.

[72] Lib. Præscr.

Digitized by Google

Ejusdem adnotationes in cap. 44.

Pag. 262. *Qui vero crediti.* Nicolaum ex septem diaconis unum: Cerinthum qui Petro a domo Cornelii redeunti, et Joanni in Asia aliquando negotium facessiverat; Ebionem, et id genus hæresiarchas, hic atro carbone notari existimo. Ætate enim apostolos æquarunt, Irenæumque præcesserunt, atque ob id elati, Ecclesiæ unitatem hæresibus dissipabant, et insanis fœdisque libidinibus labefactabant, ut non raro conquestus est lib. I. Nec absurde illos comparat cum duobus illis, hircorum more, libidine prurientibus, qui Susannam accusarunt, quandoquidem « sicut illi, » ait Cyprianus epist. 25, Susannam pudicam corrumpere et violare conati sunt; sic et hi adulterinis doctrinis Ecclesiæ pudicitiam corrumpere, et veritatem evangelicam violare conantur. »

Observandum interim, Susannæ historiam ex cap. XIII Danielis petitam, Irenæum imitatos veteres frequenter laudasse, Tertullianum lib. *De corona militis;* Cyprianum epist. 25, item lib. *De bono pudicitiæ;* item lib. *De singul. clericorum;* Ambrosium libro tertio *De Spiritu sancto*, capit. 7; epistol. 7 et 64; lib. I *Officiorum*, capit. 3 et 18; lib. III, cap. 14; lib. *De fuga sæculi*, cap. 9; serm. 49 et Enarratione in psalm. XXXVII; Augustinum tractatu 36 in Joannem, et serm. 242 de tempore; Alcimum Viennensem lib. VI; Græcos similiter, Ignatium *Epist. ad Magnesianos;* Clementem lib. II *Constitut.*, cap. 55 et 53; Dionysium capit. 7 *De divinis nominibus;* Athanasium orat. contra Arianos., epist. ad Marcellinum, lib. *De naturali communione inter Patrem, Filium et Spiritum sanctum*, epistol. ad Serapionem; Cyrillum Alexandrinum lib. I in Leviticum; Chrysost. hom. de sancta Susanna, et innumeros alios: quod notare justum fuit, in eos qui adeo temere ea postrema capita Danielis e sacro canone Christianorum librorum secant, vel potius obliterant.

Qui non secundum gloriam judicat. Isaiæ verba citat secundum LXX, ut etiam Cyrillus et alii permulti. Vulgata Latina, « Non secundum visionem oculorum. »

Ab omnibus igitur talibus. Docet longe recedendum a cunctis schismaticis, hæreticis, et istiusmodi pestiferis hominibus; constanter vero adhærendum piis ac fidis Ecclesiarum pastoribus, cujusmodi fuerunt olim Moyses, Samuel, Paulus, etc.

Pag. 263. *Potentatus sum.* Eadem phrasi, qui Latine scripsit, Lucifer Calaritanus utitur, initio lib. II ad Constantium: « Non potentabitis sanguinem innocentis. » Significant, « potentari » verbo, vi tyrannideque aliquos opprimere. Sic et Jacobi II, vers. 6.

Non invenistis. Vetus codex negationem desiderat, sed delere noluimus, quod Græcorum more ad majorem inficiationem, negantem dictionem sæpe geminet.

Nemini nocuimus. Ita vet. cod., excusi « neminem. »

Et dabo principes tuos. Locus Isaiæ secundum LXX: Καὶ δώσω τοὺς ἄρχοντάς σου ἐν εἰρήνῃ, « Et dabo principes tuos in pace, et episcopos tuos in justitia: » καὶ τοὺς ἐπισκόπους σου ἐν δικαιοσύνῃ. Atque hinc manifestum est, antiquissimam esse vocis « episcopi » mentionem: ut etiam ex Psal. CVIII, 8, et ex prophetis per apostolos traducta sit ad Ecclesiæ præfectos ac principes.

Ejusdem adnotationes in cap. 45.

Pag. 263. *Ubi igitur.* Veri legitimique pastores sunt tantum in Ecclesia catholica, non in conventiculis hæreticorum aut schismaticorum; et ab illis non ab istis, vera germanaque divinæ Scripturæ interpretatio est quærenda, quoniam inter illos sunt

[73] Lib. II cont. Parm.

A dona Spiritus sancti et legitima episcoporum successio. Sic autem et Augustinus lib. *Contra epist. Fundam.* c. 4, ex legitima episcoporum successione veritatem deprehendens et retinens ait: « Tenet me in Ecclesiæ gremio ab ipsa sede Petri, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum, sacerdotum successio. » Jam vero nullam hoc tempore Anabaptistarum, Calvinianorum, aut Lutheranorum ministri possunt continuam pastorum ab apostolis successionem ostendere, per quam nova dogmata sua susceperint. « Sunt igitur, » ut ait de Donatistis Optatus [73] « sine patribus filii, sine magistris discipuli, atque prodigioso plane modo tanquam de seipsis orti et nati: » quapropter nec Scripturæ sincera interpretatio, nec veritas, nec religio divina ab his petenda est; sed a successoribus apostolorum, cum quibus certo perpetuoque vinculo est colligata.

B *Ubi igitur charismata Domini sunt.* Rursus in medium profert successionem legitimam esse signum certum veræ Ecclesiæ, in qua sola Spiritus veritatis residet. Vide sup. cap. 43. libri hujus et 3, 4, 5 libri tertii.

Conversationis. Quinque has voces ex vet. cod. addidimus. Innuit autem, Ecclesiam nunquam errare in doctrina et moribus; quoniam semper in ea consistit doctrinæ incorruptibilitas et morum integra norma.

171 Pag. 263. *A quodam presbytero.* Monuimus lib. I Irenæum frequenter aliquem citare, qui ab apostolorum auditoribus in religione Christiana eductus fuerat, sed suppresso ejus nomine, quod et hoc loco facit. Quis ille fuerit, Eusebius se nescire scripsit. Ego lubens Clementem Rom. judicarem, nisi obstaret quod illum ab apostolorum auditoribus eruditum testatur; hunc vero apostolos ipsos præceptores habuisse, omnibus est in confesso.

C Ideo Clementem opinarer, quia similia iis, quæ ab Irenæo adducuntur, apud illum exstant lib. II *De constit. apost.*, cap. 21. Aut forsan Papiam intelligit, Hierapolitanum episcopum, qui se studiose investigasse a senioribus, qui apostolos viderant et audierant, quid apostoli docerent et traderent Ecclesiis, declarat in proœmio librorum suorum, cujus fragmentum exstat apud Euseb. lib. III *Hist.*, cap. 39. Sed et hunc idem Eusebius post Irenæum, facit Joannis apostoli auditorem, Polycarpi sodalem, eodem loco *Historiæ*, Itaque fateor me non posse certo dijudicare quis ille fuerit; ostendat alius acrioris judicii.

Propter justitiam. Quinque has voces ex vet. cod. adjecimus.

Sapientia. Expunximus « sapientiam, » et « gentes » adjecimus, auct. vet. cod.

Et mittitur. Codices excusi, « et mittit. »

Pag. 264. *Et Psalmum exhomologeseως.* Hunc esse quinquagesimum etiam fatentur Hebræi, hujusmodi D titulum eidem affigentes: « Psalmus David, quando venit ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bethsabee. »

Typum veri templi. Ita vetus codex; excusi, « veritatis. » Cæterum Salomonis templum typum fuisse Christi Domini liquet Joan. II: « Solvite templum hoc, » etc., quod eleganter explicat Athanasius oratione 5, contra Arianos.

Quinque millia canticorum. Hæc in Scripturis Hebraicis nusquam reperiri scribit Athanasius in *Synopsi.* Pro « Domini, » reposuimus « Deo, » veteris codicis auctoritate. Josephus porro lib. VIII *Antiq.* ait Salomonem parabolarum atque similitudinum fecisse libros tria millia. Hos rabbini tradunt in devastatione urbis una cum libris legis combustos esse per Nabuzardan, militiæ Chaldæorum præfectum, nec postea reparatos esse. Scri-

Digitized by Google

psit item *Hascirim*, hoc est canticorum vel carminum quinque millia; sive, ut Josephus exponit, carminum libros quinque millia, ex quibus unus tantum, qui *Canticum canticorum* inscribitur, remansit: cæteris incendio Jerosolymorum absumptis. Disputavit quoque, ut ex lib. III. *Regum*, c. IV colligit Hieronymus, de viribus, naturis et moribus jumentorum, volucrium, reptilium et piscium; quod eodem cum aliis incendio deflagravit.

Et regina Austri. Franciscus Alvares ac *Historia Æthiopica* vocant illam Makedam et Nicaulam, quæ eodem imperii constituerit in Saba insula Nili, quam postea Cambyses Meroen appellavit. Aiunt etiam feminam illam nupsisse Salomoni, et ex eo filium suscepisse, quem nominavit Melich et David. Rursum, in Æthiopiam secum abduxisse duodecim Judæorum millia, mille videlicet ex singulis tribubus, quibus ibidem magno numero propagatis, nobiles Æthiopum e semine Israëlis etiam hodie prognatos se es e gloriantur. Stat etiam hodie latissimum magni Negus, seu Presbyteri Joannis illic imperium, in quo religio Christiana primum ab eunucho, deinde a beato Matthæo propagata et confirmata utcunque servatur. Qui de his copiosiora cupit, consulat scripta ejusdem Alvari, Damiani a Goes, Osorii et Maffæi.

Et fecit Salomon malignum. Idolis gentium non tantum delubra aramque erexit, verum et ipsis sacrificavit, ut Tryphoni objicit et exprobrat Justinus. Tertullianus lib. V *Contra Marcionem*: « Salomon per mulierem in idololatriam usque pertractus est. »

Ea propter Dominum. De vero Christi descensu ad inferos, ut inde animas patrum abduceret, sic conspicua sunt hæc, ut sensu communi egeant qui alio derivare conantur; de quo articulo largius in extremo libri sequentis. Tantum hic indicabo Clementem Alexandrinum mira ascribere de hoc descensu Christi, prædicatione et multorum conversione apud inferos, lib. II et VI *Stromatum*, quæ ex Hermetis seu Pastoris revelationibus confirmat.

In nostram autem correptionem. Similia et Justinus martyr: « Prodest scire conversationes a ratione alienas, ne quis improviso studio in eas incidat; » *Epist. ad Zenam et Serenum.* Vide Chrysostom. in psalm. L.

Cum usuris. Sex has voces, ex vet. cod., consentiente textu evangelico, restituimus.

Ejusdem adnotationes in cap. 46.

Pag. 265. *Sine dubitatione igitur.* Transgressiones et ultiones veteris populi non arguunt alium Deum esse ab eo, quem Christus in Evangelio prædicavit; quandoquidem is qui olim in Israelitas animadvertit, hodie quoque peccata suorum ulciscitur.

Non bene sensit. Οὐκ εὐδόκησεν, id est non gratos et acceptos habuit universos Hebræos; sicut et capite superiori, « non in pluribus eorum bene sensit Deus, » quod alii reddiderunt: « plures illorum non approbavit Deus. »

Qui non obediunt Evangelio. Ita vetus codex. Vulgata editio et textus Græcus, μὴ ὑπακούουσι τῷ εὐαγγελίῳ: expunximus, « audiunt Evangelium. »

Pag. 265. *Et temporaliter.* Augustinus pereuntium illarum civitatum parvulos saltem et infantes, qui criminibus parentum rei non erant, a gehennæ æternis suppliciis liberatos esse sibi persuadet in *Quæst. ex. Vet. Test.*, q. 13.

Ejusdem adnotationes in cap. 47.

Pag. 265. *Valde insensatus.* Insensati sunt et furiosi, qui alterum Deum a creatore nituntur introducere, propterea quod auctior sit fides et gratia novi testamenti, majorque a nobis et justitia requiratur. Unus namque et idem Deus varie genus hominum disponit, et mors Christi fidelibus est salus, infidelibus perditio.

Pag. 266. *Sic et pœna.* Hoc argumentum ex c. X ad Heb. sumptum est: « Irritam quis faciens legem Moysi, » etc.

Isti erunt semper. Evertit Platonica suppliciorum et vicissitudines, quas postea plus æquo misericors excogitavit Origenes; sed copiose in easdem disserit Augustinus XXI *De civit.*, a c. 12 usque ad 20.

Qui tunc temporaliter. Vet. cod. auct., « tunc » pro « nunc; » ut mox « salvavit » pro « salvabit » reposuimus.

Ejusdem adnotationes in cap. 48.

Pag. 266. *Sed induravit.* Dissolvit argumentum Marcionitarum, quod Deum malorum auctorem facere nitebantur, quia dicitur excæcasse Pharaonem. Hoc autem vult intelligi ea phrasi dictum, qua in Evangelio et Apostolo Deus tunc excæcare, indurare et tradere in reprobum sensum dicitur, cum faciem avertit, gratiæ subsidium subtrahit, et in tenebris illos manere permittit, qui sponte eas sibi elegerunt; quod exemplo desumpto a sole eleganter declarat. Eodem pacto isthæc interpretantur Tertullianus lib. II *Cont. Marcionem*, Archelaus Mesopotamiæ episcopus apud Cyrillum Jeros. catechesi 6, et omnium uberrime et acutissime Augustinus lib. *De prædestinatione et gratia*, cap. 15, lib. *De prædestinatione sanctorum*, cap. 8 et lib. *De gratia et libero arb.*, cap. 21, 22, 23.

Incrassa cor populi. Vetus cod., « incrassatum est; » atque ita legit Tertull. lib. III *Cont. Marcionem.*

Sed nullificant eum. Sic etiam Tertullianus loquitur lib. IV *Adv. Marc.*, cap. 14: « Ne metueritis ignominiam ab hominibus, et nullificatione (id est contemptu et despicatione) eorum ne minuamini. » Et alibi non semel « nullificamen, » pro contemptu idem usurpat.

Et ideo mittet Deus operationem. Sic ex vet. cod. et contextu Græco Apostoli restituimus; excusi cod., « mittit operationes. »

Pag. 267. *Si igitur et nunc.* Non negat Dei pietatem et gratiam effusam esse in universum genus hominum; aut Deum pro diversis meritis diversa illis reddere præmia: sed id prædicat et explicat quod dicit Apostolus, Deum quosdam tradere in reprobum sensum, et in tenebras quas ultro elegerunt incidere; illis ipsis, non Deo, tribuens propriæ reprobationis et perditionis causam.

Sed in infidelitatis præcipitaretur pelagus. Ita vet. codex; excusi vero, « infidelitate præcipitaretur pelago. »

Ejusdem adnotationes in cap. 49.

Pag. 267. *Qui vero exprobrant.* Marcionitas intelligit, quos fraudem illam Hebræorum in Ægyptios, Creatori maxime objecisse auctor est Tertullianus lib. II *Contra Marcionem.* Augustinus, quæst. 39 super Exodum, Hebræos omni suspicione furti liberat: « quia enim, ait, hoc Deus jussit, qui noverat quid quemque pati oporteret, hi furtum non fecerunt; sed Deo jubenti ministerium præbuerunt. » D. Alcimi episcopi **172** Viennensis, viri per-antiqui, versus non inelegantes subnectere non erit injucundum:

. . . . . *Portantur avari*
Sic Pharaonis opes, quem tunc mercede soluta,
Servitii longum credas taxasse laborem.

Gregorius id allegorice explicat XXVIII *Moral.*, cap. 17.

Si enim non typica. Codices excusi omnes, « sic enim nos in typica. » Addidimus deinde octo voces virgulis conclusas, ex veteri codice.

Ministratio. Prius erat, « miseratio. »

Qui emit. Quis autem. Quindecim has voces desiderabant omnes excusi codices; quas ex veteri restituimus.

Digitized by Google

Qui in regali aula. Fidem Christi ad illustres usque imperii Rom. ordines et principes hoc sæculo penetrasse, ex his manifestum est. Processum et Martinianum non infimæ sortis milites, pro Christo sub Nerone martyrium passos esse narrant Vincentius, Petrus de Natalibus et Bergomensis. Alexandri episc. Rom. opera Hermetem urbis præfectum, cum uxore et liberis; nobiles deinde viros Trebellium, Pertinacem, Zenonem patricium, Eustachium fortissimum ducem, Achaicum principem, Heliadem ducem, Theodorum magistrum militum, et Carcerium alterum exercitus ducem, pietatis Christianæ ergo, Adriano imperante, martyria sublisse scripserunt posteriores. Sub Antonio Pio, M. Antonio Vero et Commodo imp., stipendia meruisse non tantum gregarios milites, sed rei militaris præstantissimos etiam copiarum Romanarum et legionum ductores, qui Christo nomen dederant, ex apologiis et legationibus Justini, Melitonis, Athenagoræ, Tertulliani, scriptisque M. Aurelii Antonini ad S. P. Q. R. facile colligitur.

Et ædificarerunt eis civitates. Josephus addit Ægyptios adegisse Hebræos ad substructiones illarum pyramidum, quæ inter septem mundi miracula numerantur, lib. II *Antiq.*

Quid igitur injuste gestum est. Hebræi longum tempus in Ægypto, in lateribus, muris, urbibus faciendis consumpserunt. Dominus igitur mercedem aliquam laboris sui eos percipere voluit, ideoque illos hac calliditate uti. Nam et Ægyptii regi suo operam suam navarant, ait Theodor. quæst. 23 in Exodum. Tertullianus vero : « Non ad fraudem, inquit, sunt instincti Israelitæ, sed ad mercedis compensationem, quam alias a dominatoribus exigere non poterant, » lib. IV *Cont. Marc.*

Pag. 268. *Et reliqua quæcunque benefacientes justificamur.* Et paulo post : *Hæc in dominicas util. lates convertentes, justificamur.* Non posset quidpiam clarius et certius dici pro necessitate bonorum operum, cum ad justificationem, tum ad salutem, contra Simonianos, pseudo-apostolos, Eunomianos, Lutheranos, et Calvinianos, solius fidei assertores.

Ex adnotationibus J. Ern. Grabii in cap. 49.

Pag. 267. *Imputant populo... et ipsis non imputant.* Ægyptiis scilicet, qui iniquissime cum Israelitico populo egerant. Idem vero Marcioni ad hanc objectionem respondit Tertullianus lib. II contra ipsum, cap. 20, his verbis : « Age, infelicissime hæretice, teipsum expostulo arbitrum; cognosce in utramque gentem prius, et ita de auctore judicabis. Reposcunt Ægyptii de Hebræis vasa aurea et argentea; contra Hebræi mutuas petitiones instituunt, allegantes, sibi quoque eorumdem Patrum nomine ex eodem Scripturæ instrumento mercedes restitui oportere illius operariæ servitutis, pro civitatibus et villis ædificatis. Quid judicabis, optimi Dei elector; Hebræos fraudem agnoscere debere, an Ægyptios compensationem? »

Insigne aurum. « Non signato, » cujus modo mentio facta, opponitur.

Pag. 268. *Fugati fueritis.* Fallor, an Irenæus vel interpres hoc potius, quam « deficiendi » verbo uti voluerit, quod « receptioni » in æterna tabernacula egregie respondeat, cum contra τὸ « deficere » aliquanto obscurius esse videatur.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 50.

Pag. 268. *Typus et imago fuit.* Auctoritate vet. cod. delevimus « ilebat; » et paulo post, «eam» pro « eum » substituimus. Cæterum, ut figuræ istius partes singulas copiosa oratione tractarunt Origenes, Isidorus, Rabanus, et Rupertus; sic excultis versibus suis cecinerunt Sedulius presbyter, et Alcimus Viennensis. Illius sunt :

Pervia divisi patuerunt cærula ponti
In geminum revoluta latus, undataque tellus
Cognatis spoliatur aquis, ac turba pedestris
Intrat in absentis pelagi mare, perque profundum
Sicca peregrinas stupuerunt marmora plantas.
Mutavit natura viam, mediumque per æquor
Ingredièns populus, rude jam baptisma gerebat :
Cui dux Christus erat, clamat nam lectio, multus
Vox Domini super exstat aquas, vox denique Verbum est,
Verbum Christus adest, geminæ qui consona legis,
Testamenta regens, veterem patefecit abyssum,
Ut doctrina sequens planis incederet arvis [76].

Istius, id est Alcimi, libro quinto Carminum ad finem libri comperies.

Joannes discipulus Domini in Apocalypsi. Ilic et multis aliis locis adeo manifeste et constanter auctorem Apocalypseos docet fuisse B. Joannem evangelistam, ut crassæ impietatis sit ea de re amplius ambigere. Quoniam autem duobus libris accurate et erudite hoc negotium pertractavit vir æque pius ac doctus F. Franciscus Titelmanus ordinis Minorum, adversus Erasmi censuras et adnotata, in confutandis Calvini et Bodini dubitationibus super eadem re, non immorabimur.

Pag. 268. *Neque fieri similes Cham.* Cham impudentem patris irrisorem typum hæreticorum gessisse, post Irenæum his docet Augustinus XVI *De civit.*, cap. 2 : «Cham porro, qui interpretatur *callidus*, quid significat nisi hæreticorum genus callidum, non spiritu sapientiæ, sed spiritu versipellis astutiæ; quod solent hæreticorum fervere præcordia, et pacem perturbare sanctorum? » Eadem Augustini verba transcripsit Eucherius Lugdunensis lib. II in Genes., cap. 2.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 50.

Pag. 268. *In suam hæreditatem.* In terram sanctam videlicet, in qua cum Christo rege suo Ecclesiam in fine mundi futuram credidit Irenæus. Sed C de hoc felici fidelium statu plura vide sub finem libri V.

Inveniet easdem plagas, etc. Respexit Irenæus « plagas septem novissimas, in quibus consummatur ira Dei, » Apocal. XV, 1, quæ sequenti cap. XVI recensentur. Et sane nulla ibi nominatur, quæ non et Ægyptiis inflicta fuerit, ut ex collatione dicti capitis cum Exodi VIII, IX et X patet.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 51.

Pag. 268. *Etenim Lot non ex sua voluntate.* Concubitus ille, quo Lot ambas filias virgines constuprasse legitur, Gnosticis istis et Manichæis, ut ex August. colligitur, horrendum et omnibus supplicils dignum factum visum est : quibus nostro ævo assentiuntur Lutherus, Musculus, Calvinus et reliqua Gnosticorum progenies. Apostolico autem seniori, cujus superiori capite meminit Irenæus, et catholicis omnibus Græcis et Latinis, gravissimis de cau- D sis, a peccato vel penitus, vel majori ex parte, ipsum liberare placuit. « Non enim invenio eum, » scribit Origenes, « insidiatum esse, aut violenter eripuisse pudicitiam filiarum, sed magis insidias passum, et arte circumscriptum. Nullos igitur audeat (infert Chrysostomus [74]) aut justum, aut justi filias condemnare. Quomodo non esset extremæ dementiæ eos quos Scriptura liberat ab omni crimine, nos peccatis plenos damnare? » Et Theodoretus : « Ilis qui per ignorantiam peccant, homines quoque ignoscere solent. Nemo igitur jure ac merito Lot succensere potest : quod enim flebat, ignoravit. Culpandus est quidem (aiunt August. [75] et Eucherius [77]) non tamen quantum ille incestus, sed quantum illa meretur ebrietas. Proinde illud factum, cum in sacra Scriptura narratur, prophetia est; cum vero in illorum vita consideratur, flagitium. Nec rursus tanta reprehensione atque accusatione

[76] Sedul. Carm. pasch. l. I, v. 136-147. [77] In Gen. [74] XXII Contr. Faustum, c. 41. [77] II in Gen., c. 30.

Digitized by Google

res digna est, quantam in eam Faustus inimicus et cæcus evomuit. » Ambrosius lib. II *De Abraham*, cap. 2 : « inebriatus vino, quid gereret nesciebat. »

Sed consummavit typum. Vet. cod. « sed » desiderat.

Pag. 269. *Per quam duæ filiæ.* Non multum huic dissimiles allegorias fusius persequuntur August. XXII *Contra Faustum*, cap. 41, 42, 43, 44, 45, et Origenes hom. 5 in Gen.

Veni, potionemus patrem nostrum vino. Ab ebrietatis delicto immunem Lot facere non potest Origenes. « Subjacet enim culpæ, ait, quod decipi potuit, quod vino indulsit; et hoc non semel, sed iterum fecit. Ebrietas decipit, quem Sodoma non decepit. Uritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non ussit. » Chrysostomus et Theodoretus facile veniam mereri docent, quod ad levandum animi mœrorem, ex charissimæ conjugis metamorphosi et clarissimarum urbium horrendo excidio contractum, liberiorem vini usum filiarum manibus porrectum admiserit.

Quapropter et ipsæ excusabiles sunt. Si non a toto, saltem 173 a tanto (ut in scholis loquimur) post Irenæum easdem excusat Origenes his verbis : « Audierant in fine sæculi terram et omnia elementa ignis ardore decoquenda. Videbant ignem, videbant sulphureas flammas, videbant cuncta vastari, matrem quoque suam videbant non esse salvatam. Suspicatæ sunt tale aliquid factum, quale in temporibus audierant Noe, et ob reparandam mortalium posteritatem, solas se esse cum parente servatas. Recuperandi igitur humani generis desiderium sumunt. Et quamvis grave eis videretur crimen, furari concubitum patris, gravior tamen videbatur impietas, si humanæ posteritatis spem, servata castitate delerent. Patris mœstitiam vel rigorem vino molliunt et solvunt; singulis ingressæ noctibus, singulæ suscipiunt ab ignorante conceptum. Ultra non repetunt, non requirunt. Ubi hic libidinis culpa? ubi incesti crimen arguitur? quomodo dabitur vitio, quod non iteratur in facto? » Ab hac Origenis sententia non recedunt Chrysost., Theodoretus, et Ambrosius lib. II *De Abraham*.

Conservationem. Auctoritate veteris cod. expunximus « conversationem, » et paulo supra « fructus » pro « fructum; » « ut » pro « et; » inferius quoque « fecit » pro « refecit » posuimus.

Commistus et unitus est. Voce commiscendi unitionem illam, quam hypostaticam vocarunt, duntaxat intelligit, ut supra adnotavimus.

Id est, duæ filiæ. Vetus codex : « id est duæ congregationes justificatæ a patre suo. »

Sed statua salis. Origenes aliam meditatus allegoriam, Lot rationabilis sensus et animi virilis, quo semper ad salutem tendimus; uxorem ejus, carnis imaginem tenere putat, quæ semper retrorsum, id est ad vitia, respicit, et voluptates requirit. Sedulii versus factum istud concinne explicantes sunt [18]:

Lot Sodomæ fugiente chaos, dum respicit uxor
In statuam mutata salis stupefacta remansit,
Ad pœnam conversa suam : quia nemo retrorsum
Noxia contempti vitans discrimina mundi,
Respiciens salvandus erit, nec debet arator
Dignum opus exercens, vultum in sua terga referre.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 51.

Pag. 268. *Quemadmodum et Lot.* Lot ejusque filias a crimine absolvit post Irenæum Joannes Chrysostomus ob eamdem scilicet rationem, quod Scriptura eos non culpaverit : « Nullus igitur audeat, » inquit homil. 44 in Genesin, « aut justum (ita cum S. Petro II Epist. II, 7, appellat Lot, aut justi filias condemnare. Quomodo non esset extremæ dementiæ, eos quos Scriptura liberat ab omni crimine, imo vero pro quibus tantam apologiam contexuit, nos peccati plenos condemnare? » In quibus apologia ista consistat, ipse cum Irenæo aliisque mox declarabit. Contra Manichæi, post veteres Gnosticos, magni criminis loco istud factum habuerunt, uti colligitur ex Augustini lib. XXII *Contra Faustum*, cap. 43, ubi mediam ipse viam post Origenem homil. 5 in Genesin ingressus, Lot non incestu, sed ebrietate peccasse quidem docet, attamen non adeo graviter, uti hæretici contendebant; neque sine mysterio et significatione futurarum rerum id contigisse, una cum Irenæo aliisque existimat. Judicium hac de re ferre temerarium puto, ac proinde observandum apostolici presbyteri monitum, ab Irenæo præcedenti capite memoratum.

Neque ex sua concupiscentia carnali. Ipse Augustinus loco citato fatetur, hoc Lot et filiarum ejus factum non ita in S. Scriptura referri, « ac si ille in filias necessaria libidine exarserit; » aut illæ « in sui patris carnem exsecrabili amore flagrassent. » Imo longe diversa facti ratio redditur.

Neque sensum neque cogitationem. Eamdem excusationem affert Theodoretus quæst. 70 in Genesin, et ante eum Chrysostomus loco citato, qui Lot idem quod Adæ accidisse ait : « Nam sicut illic ex dormientis latere portio sumpta est, eo non sentiente; similiter et nunc..... Nam id quod illic divina Scriptura, quod immisit (Deus) extasin in Adam, et dormivit; hoc et hic significavit, dicendo : Nescivit quando vel accubuerit, vel resurrexerit (filia). » Dices : Sed Lot ignorantiæ suæ fuit causa, dum se inebriari passus est. Respondet iterum Chrysostomus, hoc non ex incontinentia, sed tristitia accidisse : « Siquidem anxius valde ac mœrens, utpote omnibus simul bonis, et uxore etiam sua spoliatus, permisit ut filiæ vinum largius affunderent, et quod struebatur ignorans, ad leniendam mitigandamque tristitiam id fieri suspicabatur, » prout et Theodoreti verba loco citato sonant.

Pag. 269. *Δύο..... συναγωγαί.* Interpres legisse videtur δύο θυγατέρες, τουτέστι, δύο συναγωγαί, ita ut ob recurrentem vocem δύο intermedia duo exciderint : nisi dicere potius velis, scribam quempiam ea addidisse. Rem ipsam vero quod attinet, Origenes loco citato non sine judicio contra sensum allegoricum ab Irenæo allatum hæc objicit : « Scio nonnullos, quantum ad allegoriam pertinet, Lot traxisse ad Domini personam, et filias ejus ad duo testamenta. Sed hæc qui sciat quid de Ammonitis et Moabitis, qui ex genere Lot descendunt, Scriptura dicit (*Deut.* XXIII) nescio si libenter accipiat. »

Statua salis semper manens. Ita et Clemens Rom. in *Epist. ad Corinth.* memorat στήλην ἁλὸς ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης. Atque ex Judæis Josephus lib. I *Antiq.*, cap. 12, de eadem salis statua scribit : Ἱστόρηκα δ' αὐτὴν· ἔτι γὰρ καὶ νῦν διαμένει.

Per naturalia, ea quæ sunt consuetudinis humanæ. Menstruum fluxum muliebri sexui naturalem indigitare videtur, utpote quem uxori Lot, licet jam in statuam salis versæ, quosdam ascripsisse, vel affluxisse docet auctor carminis de Sodoma, quod inter Tertulliani atque Cypriani opera exstat, post medium ita de uxore Lot canens :

Dicitur et vivens alia jam corpore sexus
Munificos solito dispungere sanguine menses.

Dum sæpe auferuntur, etc. Auctor modo dicti carminis de statua salis :

Quinetiam si quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.

Id Irenæus ad Ecclesiam applicat; de qua gemina quoque habet cap. 64 hujus libri.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 52.

Pag. 269 *Hujusmodi quoque.* Utriusque testa-

[18] Carm. pasch. lib. I, v. 121-126

Digitized by Google

menti unicus est auctor, Deus nimirum, qui hunc mundum condidit; hæretici aliter sentientes impia dogmata sua dissimulabant, ne deprehensi a doctoribus catholicis confunderentur.

Præter unum eum. Vetus cod. « eum » desiderabat, et « unum » habebat : utramque lectionem retinui.

Et concedat ab aliquo altero. Sic restituimus ex vet. cod. Alii omnes habebant : « et eum concedat ab aliquo altero, aut per aliam factam conditionem, quæ sit secundum nos, » etc.

Abscondunt a nobis. Simili modo de Arianis conqueritur Athanasius, orat. 1, quod veluti anguillæ in sinus mæandrosque lubricarent [79], et sese occultare studerent, ideoque aptissimo epitheto, post Tertullianum, vocat illos « bestias lucifugas. » Auctoritate veteris cod. « habent » pro « habet » supposuimus.

Pag. 270. *Apud eos qui in Ecclesia sunt presbyteri.* Scripturam sacram, ejusque sinceram intelligentiam, a sola Ecclesia catholica petendam contendit : quod satis diffuse post ipsum ostendit Clemens Alex. sub finem libri VII *Stromatum*.

Ut discerat homo. « Cicero ut confirmaret liberum arbitrium, » ait Augustinus V *De civitate*, cap. 9, « negavit Deum præscium esse futurorum, atque ita dum vult facere liberos, facit sacrilegos; religiosus autem animus utrumque eligit, utrumque confitetur, et fide pietatis utrumque confirmat. » Et cap. 10 : « Nullo modo cogimur, aut retenta præscientia Dei, tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deum (quod nefas est) negare præscium futurorum. »

Ejusdem adnotationes in cap. 53.

Pag. 270. *Qui ab initio in universis dispositionibus.* Cum tanta et plane divina opera tribuat Spiritui sancto, ambigendum non est ipsum pie et orthodoxe de illius deitate ac coæternitate sensisse, quidquid blaterent Magdeburgenses. Fulgentius sub finem libri III ad Trasimundum, et tota epistola ad Donatum, ex iisdem et similibus operibus, quæ una cum Patre et Filio communia habet, concludit adversus Arianos et alios hæreticos ipsum natura Deum esse.

Judicat quidem omnes. Alludit nimirum ad verba Apostoli I Cor. II, 15 : « Spiritalis judicat omnia, et ipse a nemine judicatur; » ubi Theodoretus : « Qui gratia Spiritus sancti dignus est habitus, ipse quidem ad alios docendos sufficit, aliorum vero doctrina non indiget. »

Ejusdem adnotationes in cap. 54.

Pag. 270. *Nam judicat gentes.* Non de legis Mosaicæ prævaricatione, quoniam eis data non fuit : et qui sine hac lege peccaverunt, sine lege peribunt [80]; nec de contempta lege evangelica, si nunquam eis sufficienter promulgata sit; sed de lege naturæ mentibus eorum descripta et insculpta, quam graviter et multiplicter sunt prævaricati, ut copiose graviterque Paulus disserit magna capitis primi ad Rom. parte, et hic Irenæus insinuat. Etenim cum hac duce unum Deum cognoverunt, et non sicut Deum coluerunt : 174 sed innumeros sibi confluxerunt deos, deasque, imo et ipsis impurissimis dæmoniis immolaverunt filios et filias suas, ut exprobrat Psalmista; ea de re, et pluribus, iisdemque gravissimis sceleribus adversus legem naturæ commissis recte judicabuntur et damnabuntur. Quod accuratius notandum operæ pretium visum fuit, ut Zuinglianorum lœdissimum errorem, quo hujusmodi impuros gentiles ac idololatras cœlis donare non erubescunt, coargueremus.

Zuinglius namque *Expositione fidei*, quam paulo antequam gladio caderet, Francisco I regi Galliarum Christianissimo dicavit, de vita æterna his verbis eum alloquitur : « Hic (in æterna vita) visurus es Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones, » etc. Tigurini Germanica confessione sua anno 1545 edita, sui Zuinglii sententiam probant. Bullingerus hanc appellat « cygneam Zuinglii vocem; » Thalmannus, Gualtherus, Lavatherus, Hardembergius, Tossanus, eamdem sibi propugnandam sumpserunt : superius nominatis a Zuinglio connumerantes Platonem, et alios honestiores ethnicos, quos et ipsi volunt inter electos referendos esse; in eodem quoque errore volutatus Erasmus, eisdem connexuit Ciceronem, Maronem, Horatium [81], etc.

Sed bene habet, quod eamdem sententiam non solum Œcolampadius in cap. X Job, et Beza libro *De pœna hæreticorum*, id est Zuingliani sacramentarismi commilitones; sed etiam Wigandus, Winshemius et Schlusselburgius, Lutheranæ theologiæ professores, illam opinionem velut impiam ac plane ethnicam publicis scriptis coarguerunt. Ac certe condolere eis qui pereunt, miserationis est humanæ : sed adversus æquissima decreta Dei insurgere, nimiæ temeritatis et insaniæ. Exstant autem judicii divini adversus cunctos infideles et idololatras (quales superius nominati fuerunt) publica et immutabilia decreta. « Qui non credit, jam judicatus est. Qui incredulus est Filio Dei, non videbit vitam : sed ira Dei manet super eum [82]. Qui talia agunt (opera carnis, luxuriam, idolorum servitutem, etc.), regnum Dei non consequentur [83]. Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli [84], » etc. Et certe valde peregrinum est, et ab omni ratione prorsus alienum, Zuinglianos inferis mancipare omnes suos nostrosque prædecessores, qui in fide Romana, id est catholica, in Christo pie decesserunt; ethnicos autem omnes fidei, spei et charitatis expertes cœlo collocare. Sed de his alibi copiosius dicemus.

Ejusdem adnotationes in cap. 55.

Pag. 270. *Neque volentes.* Conjunctionem « et » expunximus auctoritate vet. cod. Et paulo post, « nihil indigenti Deo, » pro « indigente, » reposuimus; in argumentis « judicabuntur » pro « judicantur. » In illis etiam « quemadmodum » pro « quomodo » usurpat suo more.

Ejusdem adnotationes in cap. 56.

Pag. 270. *Non cognoscentes.* Mira Scripturarum connexione demonstrat duos eosdemque plurimum a se dissitos adventus Christi : primum in abjectione, secundum in majestate futurum.

Dissolvens quidem Amalech. Justinus, Tertull., Cyprianus, eam historiam, quæ refert Moysem in formam crucis extendisse brachia, movisse ac protraxisse preces ad Deum, tantisper dum Jesus Nave vinceret atque deleret Amalecitas, scite ac convenienter cum Irenæo accommodant ad mysterium passionis et mortis Domini Jesu Christi; qui in ligno crucis affixus, suis precibus, lacrymis et vibicibus, de morte, peccatis, inferis et diabolo magnos triumphos et ampla spolia sibi et nobis reportavit.

Ejusdem adnotationes in cap. 57.

Pag. 270. *Suum corpus esse confitebatur.* De hac re pro virili diximus in cap. 32, 33 et 34 lib. hujus.

Temperamentum calicis. Libro quinto vocat « mistum calicem; » quibus liquet perantiquam atque adeo apostolicam esse traditionem, ut aqua vino commisceatur in calice consecrando eucharistiæ. Quapropter sicut Encratitas et Hydroparastas solam aquam pro eucharistia offerentes, priscis temporibus damnavit Ecclesia, uti docent Clemens Alex., Cyprianus, Epiphanius, Augusti-

[79] Orat. ad Epict. [80] Rom. II, 12. [81] Colloq. in convivio religioso; et Epist. præfixa quæst. Tuscul. [82] Joan. III, 18, 36. [83] Gal. V, 21. [84] Exod. XXII, 20.

Digitized by Google

nus; sic nostri hujus sæculi Gnosticos omnes eodem anathemate prosequitur, propterea quod solo vino utantur, et commistionem hanc in catholica Ecclesia solitam, papisticum recensque institutum nuncupent et damnent. Porro ritum hunc, uti a Christo apostolisque profectum amplexantur, servandumque docent Augustinus lib. IV *De doctrina Christiana*, cap. 21, lib. *De eccles. dogm.*, cap. 75, et serm. 119 de tempore; Ambrosius lib. V *De sacram.*, cap. 1, Hieronymus *Com.* in cap. XIV Marci, et *Quæst. Heb.* in lib. Paralp.; Cyprianus epist. ad Cæcilianum fratrem; Alexander martyr epist. 1. Et qui Græce scripserunt ante multa sæcula, Theophylactus in cap. 19; Joan. Damascenus lib. IV, cap. 14; Justinus martyr ad finem prioris *Apologiæ*, et Clemens Rom. apostolorum comes lib. VIII *Constit.*, cap. 17; Jacobus in liturgia per concilium VI univers. ante 900 annos probata; Basilius quoque et Chrysostomus in liturgiis; Theodoretus dialogo primo; et concilium tertium Carthaginense, cui adfuit Augustinus, canone 24, idipsum quoque confirmant et probant. Cæterum, verbum « esse » addidimus; et paulo post « suum » pro « sui » reposuimus auct. vet. cod.

Quomodo autem. Iisdem argumentis, sed fusius explicatis, Marcionem urget Tertullianus lib. *De carne Christi.* « Jam hic responde, inquit, interfector veritatis; nonne vere crucifixus est Deus? Nonne vere mortuus et vere crucifixus? Nonne vere resuscitatus? Ut vere scilicet mortuus, falso statuit inter nos scire Paulus tantum crucifixum. Falso sepultum ingessit. Falso resuscitatum inculcavit. Falsa est igitur et fides nostra, et phantasma est totum quod speramus a Christo. Scelestissime hominum, qui intereruptores excusas Dei. Nihil enim ab eis passus est Christus, si nihil vere est passus. Parce spei totius orbis, qui destruis necessarium decus fidei. » Idem lib. IV *Contra Marcionem:* « Si caro Christi phantasma, nihil ergo remansit in ligno. Nihil pependit etiam post exspirationem. Nihil de Pilato postulatum. Nihil de patibulo detractum. Nihil sindone involutum. Nihil sepulcro novo conditum. Atqui non nihil, » etc.

Ejusdem adnotationes in cap. 58.

Pag. 271. *Judicabit autem et eos.* Etiam Valentinianorum reprobabuntur impietates, quibus unitatem Dei reipsa lacerant, tametsi aliud simulent; simulque Christum unicum Dominum nostrum in multas partes plusquam ethnica fraude distrahunt.

Propriam quidem emissionem. Libro I pluribus in locis dixit, Gnosticos unicum Christum Dominum nostrum in quatuor distrahere, in Monogenem, Verbum, Christum et Salvatorem, et horum unicuique probolas seu productiones et emissiones assignare; quod hic rursus commemorat.

Inimicus est enim ille mihi. Verba sunt quibus Achillem, Ulyssi multa ex Agamemnonis parte pollicenti, si in ejus gratiam rediret, et bellum pro Græcis adversus Trojanos redintegraret, respondentem facit Homerus, *Iliados* nono:

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.

Ejusdem adnotationes in cap. 59.

Pag. 271. *Quomodo possunt salvari.* Locum hunc nominatim citat Theodoretus dialogo 2. Fulgentii sequentia verba aliquid lucis afferent: « Nullatenus namque humana natura, ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi unione Verbi Dei, non naturali confusione, sed solum personali unitate transiret. » Lib. *De incarn. et gratia Domini nostri*, cap. 4.

Vel quam. Ita vet. cod.; excusi, «quemadmodum.»

Quomodo autem eum. Veteris cod. lectio nonnihil variat; eam malui signare, quam quid immutare; habet ergo: « Quomodo autem adversus hominem fortis erat, qui non solum vicit hominem, sed et detinebat, quem sub sua devicit? Et eum quidem qui vicerat, vicit, » etc.

Ad cujus similitudinem Dei factus est homo. Vocem « Dei » expunximus, auctor. veteris cod. Porro quod hic obscure innuit, id clare libro quinto explicat; nempe ad imaginem Verbi Dei humanam naturam olim assumpturi, Deum ab initio efformasse hominem, cum dixit: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram [65]. » Sic et Tertullianus sensit lib. *De resurrectione carnis.* « Quodcunque, inquit, hujus hominis exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus. » Consentit et Origenes hom. 1 in Genesim his verbis: « Quæ ergo est alia imago Dei, ad cujus imaginis similitudinem factus est homo, nisi Salvator noster, qui est primogenitus omnis creaturæ? » etc.

175 *Ejusdem adnotationes in cap.* 60.

Pag. 271. *Quemadmodum enim.* Pro «quomodo» suo more. Cæterum Marcionitas intelligit, de quibus lib. I, cap. 29, et libro isto, cap. 14 et 57.

Putaticum est igitur. Tertullianus lib. *Contra Val.*: « Omnia in imagine urgent, plane et ipsi imaginarii Christiani. » Et Ignatius: « Omnes ejusmodi hæretici cippi sunt et sepulcra mortuorum, in quibus duntaxat mortuorum hominum nomina inscripta sunt. » *Epist. ad Philadelphienses.*

Cæterum, prioribus hisce Gnosticis posteriores meliores nec haberi nec dici posse, Lutherus et Calvinus, qui illos a teneris unguiculis educarunt, quosque intus et in cute norunt, palam et affirmate asseverant; quibus hac in re non consentire non possum. Ille Postilla Domin. I Adventus Saxones et Witembergenses suos, multo quam dum sub Rom. pont. agerent, deteriores atque ad omne sceleris genus procliviores, rursus et Solomitis flagitiosiores factos testatur. Iste, hæresi suæ addictos omnium mortalium sceleratissimos et facinorosissimos esse convincit; deinde cum verba illorum sceleribus satis congrua invenire non potest, tetra monstra et malos genios humanam formam indutos appellat; concione 10 ad Ephes. Gallice script.

Omnia apud eos. Expunximus «omne» auct. vet. cod.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 60.

Pag. 271. *Vere se putant disputare.* Negat doctrinaatque argumentationes istorum hæreticorum in veritate fundatas esse, si Servator noster phantasma fuit. Forte enim loquela, perinde ut externa specie homines delusit, cujus tamen verbis omnis Christianorum doctrina innititur.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 61.

P. 271. *Judicabit autem et pseudoprophetas.* Marcionitas præcipue intelligit, quos spiritum prophetiæum ab Ecclesia arcere, ut cœtibus suis arrogarent, dixit lib. III, cap. 11. Marcum etiam Valentini sectatorem perstringit, cujus imposturas habes supra libro primo, cap. 8 et 9. Horum autem omnium insolentiam et arrogantiam pedibus et manibus sequuntur inter Gnosticos posteriores Anabaptistæ, quorum dux Muntzerus se sibique adhærentes cœlestes prophetas vocabat; id quod a Luthero didicisse eos arbitrarer, quem Eliæ et Joannis Baptistæ summorum prophetarum spoliis exornatum esse a suis conqueritur Calvinus. Quinetiam Rebenstock commensalis Lutheri refert eum frequenter dicere solitum [66]: « David, Daniel, Isaias excellentissimi fuerunt prophetæ. Ego sum Isaias, Philippus Melanchthon, Jeremias. » Et alias: « Ego Isaiam, Philippus Jeremiam præ se fert. » Et ne Luthero Calvinus haberetur inferior, etiam prophetæ gloriosum nomen non solum simius ejus Beza illi tribuit, verum etiam Hier. Bolsecus illius frequens auditor sæpe eumdem Calvi-

[65] Gen. I, 26. [66] Tom. II Colloq., pag. 28 et 101.

Digitized by Google

num in hæc verba pro suggesto prorumpentem se audivisse testatur : « Ego propheta sum. Ego errare non possum. Ego a Deo missus sum. » Nec de hujus fide ambigendum, quando in concionibus in Danielem Rupellæ 1563 editis, legitur, quod prophetæ titulo sese exornaret ; et in eos qui ægre ferrent, furenter debaccharetur. Vide quid alienatio mentis valeat ! At non effugient districtum judicium Dei istiusmodi ventosi pseudoprophetæ.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 61.

Pag. 271. *Et pseudoprophetas.* Marcionitas et Marcosios hæc ferire adnotat Feuardentius ; ego potius Montanistas, sive Cataphrygas, quorum secta longe lateque spargi cœperat, cum Irenæus hunc et præcedentem librum scriberet. Hos enim nomine ψευδοπροφητῶν insignitos legimus, non modo in inscriptionibus capp. 14 et 16, lib. v *Historiæ* Eusebii, sed et in ipso hoc cap. 16, parum ab initio pag. 179 edit. Valesii anonymus auctor in opere contra Cataphrygas, ψευδοπροφητείας eos accusat, et circa medium pag. 181, ψευδοπροφητικὸν πνεῦμα appellat, etc. Sed et reliqui characteres Montanistis congruunt, ut ex sequentibus adnotationibus patebit.

Aut propter vanam gloriam. Anonymus auctor modo laudatus loco citato pag. 180, notat Montanum ἐν ἐπιθυμίᾳ ψυχῆς ἀμέτρῳ φιλοπρωτείας, δόντα πάροδον εἰς ἑαυτὸν τῷ ἀντικειμένῳ, « immodica primi loci captum cupiditate, aditum in se adversario spiritui præbuisse. »

Aut ad quæstum. Apollonius in lib. contra Cataphrygas apud Euseb., lib. v, cap. 18, pag. 184, de Montano ait : Ὁ πρακτῆρας χρημάτων καταστήσας, ὁ ἐπ' ὀνόματι προσφορὰν τὴν δωρεὰν ληψίαν ἐπιτεχνώμενος, ὁ σαλάρια χορηγῶν τοῖς κηρύττουσιν αὐτοῦ τὸν λόγον, ἵνα διὰ τῆς γαστριμαργίας ἡ διδασκαλία τοῦ λόγου κρατύνηται, etc. Et mox pseudoprophetissam accusat, utpote σίληψιλαν καὶ χρυσὸν, καὶ ἄργυρον, καὶ πολυτελεῖς ἐσθῆτας, etc. Confer de Themisone, p. 185. Paulo post universe de iis scribit : Δείξομεν γὰρ τοὺς λεγομένους παρ' αὐτοῖς προφήτας καὶ μάρτυρας, μὴ μόνον παρὰ πλουσίων, ἀλλὰ καὶ παρὰ πτωχῶν, καὶ ὀρφανῶν, καὶ χηρῶν κερματιζομένους.

Secundum operationem mali spiritus. Lege anonymi scriptoris verba loco citato pag. 180.

Pag. 172. *Σκηνοβατοῦν καθ' ἑκάστην γενεὰν ἐν τοῖς ἀνθρώποις.* Σκηνοβατέω, hic in bona accipiendum significatione ; sic non necesse erit cum Cotelerio, tom. III *Monum. Eccl. Græcæ*, col. 676, addere, ἐξηγησάμενον. Cæterum nisi Latina sint corrupta, vetus interpres pro καθ' ἑκάστην γενεὰν ἐν τοῖς ἀνθρώποις, legit, καθ' ἃς ἦν (nempe υἱὸς), ἐν τῷ ἀνθρωπείῳ γένει. Sed Damasceni lectio genuina esse colligitur ex cap. 53, et clausula sequentis cap. 66.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 62.

Pag. 272. *Judicabit autem et eos.* Graviter et severe inquiret Dominus in eos, qui Ecclesiæ magnum et illustre Christi corpus ob modicas causas schismatibus suis divellunt, peccato omnium gravissimo semetipsos involventes ; sicut et in omnes qui extra illius communionem et unitatem inventi fuerint.

Nulla enim ab eis. Schismatis crimen, quo sancta Ecclesiæ unitas lacerâtur variis hæreseon sectis, adeo grave et horrendum æstimaverunt Patres, ut nullis tormentis satis expiari posse crederent ; quod et hic aperte indicat Irenæus. Aliorum omnium gravissimum esse post Clementem Roman. lib. VI *Constitut.*, cap. 1, ideo colligunt Optatus Milévitanus et Augustinus, quòd fratricidis, incendiariis, adulteris, idololatris, pœnitentiæ locum Deus reliquerit, vel suppliciis leniioribus in ipsos animadverterit ; schismaticos vero, subducto resipiscendi tempore, vel cœlestibus ignibus absumpserit, vel hiatu terræ viventes corpore et animo ad tartara brevi momento præcipitaverit. Quis jam dubitaverit hoc esse sceleratius commissum, quod est gravius vindicatum ? Libro primo *Contra Parmenianum*, libro II, *De baptismo contra Don.*, cap. 6. Disserit quoque hac de re Dionysius Alexandrin. apud Eusebium lib. VI *Hist.*, cap. 37, contendens omnia potius incommoda subeunda esse, quam Ecclesiæ Dei discindere concordiam ; illudque martyrium, quod quis perpetitur ne dirimatur Ecclesiæ consensio, multo plus habere commendationis, quam illud quod suscipitur ne idolis omnino immoletur ; quæ utinam accuratius multi hujus ætatis attenderent !

Extra Ecclesiam. Ex his manifestum est hæreticos et schismaticos non esse vera membra Ecclesiæ catholicæ : id est non oves, sed hircos ; non palmites vitis, sed arida sejunctaque sarmenta ; non filii sponsi ac sponsæ, sed nothi ac spurii, ex patre diabolo et meretrice hæresi prognati[87]. Hinc Tertull. : « Si hæretici sunt, Christiani esse non possunt. Cum exierunt ex nobis, desierunt esse ex nobis. » Et Lactantius lib. IV, cap. 30 : « Cum Marcionitæ aut Ariani nominantur, Christiani esse desierunt. » Huic sententiæ astipulantur Cyprianus lib. *De unitate Ecclesiæ* ; Hieronymus *Dialog. contra Luciferianos*. Quinetiam Theodosius et Valentinianus publicis legibus prohibuerunt hæreticis Christianorum sibi nomen usurpare, sed auctorum errorib quos sequerentur.

Judicabitur. Delevimus « judicatur » auctoritate veteris cod.

Et dispositionis ejus. Vetus cod., « et dispositiones ejus, per quas factus est homo Filius Dei, » etc.

Ejusdem adnotationes in cap. 63.

Pag. 272. *Constant.* Sic vetus codex ; excusi omnes « consistunt. » Docet autem agnitionem veritatis et Scripturarum sinceram germanamque interpretationem a veteri Ecclesiæ statu et ordine petendam esse, ubi charitas cunctarum virtutum maxima viget et valet. Sic et Augustinus Donatistas ad Ecclesiæ subsellia remittens scribit : « Quisquis falli metuit alicujus obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Scriptura sancta demonstrat. » Lib. II *Contra Cresc.*, c. 33.

Et character corporis Christi. Ita pro « charactere. » ex vet. cod. restituimus. Vult autem signum et notam veræ Ecclesiæ, qua eam ab infidelium, hæreticorum et schismaticorum conciliabulis internoscamus, esse successiones episcoporum **176** per universas illius sedes. Quæ vero ad hunc locum illustrandum pertinerent, diximus ad initium libri III, et lib. IV cap. 43.

Custodita. Vetus cod. « custoditione, sine fictione Scripturarum tractatio plenissima. »

Quod est pretiosius. Charitatem principium locum inter virtutes ; et omnia Spiritus sancti charismata obtinere docet, quod Apostolus I Cor. XIII eleganter persecutus est.

Supereminentius. Expunximus « supereminem, » vet. cod. auctoritate.

Ejusdem adnotationes in cap. 64.

Pag. 272. *Quapropter Ecclesia.* Martyrum copiosus ac illustris exercitus, qui in sola Ecclesia catholica esse potest, palam testatur de ejus in Deum dilectione ; ac eamdem multo magis augeri, cum per tyrannos imminui et debilitari putatur. Tantum vero abest, ut hæreticorum sectæ martyres habeant, ut etiam martyrium pro Christo subeundum esse negent.

Reliquis autem omnibus. Basilidem professum fidem persecutionis tempore, fidenter etiam perjurio negandam, nec subeundum pro Christo martyrium esse, memoriæ post Irenæum mandaverunt Tertull., Eusebius, Epiphan., Theodor. et Philastr. Et quia martyrium Dei donum est, quod extra cha-

[87] Lib. Præscr., cap. 37.

Digitized by Google

ritatem et unitatem Ecclesiæ nemini conceditur, ideo negat Gnosticos extra eam aberrantes veros martyres habere, quos in testimonium veræ pietatis et apostolicæ doctrinæ ostentare possint. Idem tradit Clemens Alexand. lib. IV *Stromaton*. Hæc longe atque late persequuntur Augustinus lib. I *Contra epistolam Parmeniani*, cap. 7, lib. II *Contra litteram Petiliani*; lib. III *Contra Cresconium*, cap. 48; lib. II *Contra secundam Gaudentii epist.*, cap. 19 et 20; lib. II *De baptismo*, cap. 10, et lib. VII, cap. 16, et Cyprianus epist. ad Antonianum; et libro elegantissimo *De unitate Ecclesiæ*: ex quibus omnibus tantum Augustinum audi: « Hæretici faciunt opera latronum et dæmonum, et gloriam sibi vindicant martyrum. Vivunt latrones et volunt gloriari martyres. »

Constat porro hujus ævi hæreticos per legitimum magistratum sublatos de medio non esse pro martyribus censendos, quantumvis tales videri conentur et a consortibus prædicentur; quandoquidem extra Ecclesiam et unitatem occumbant, idque etiam non propter fidem cathol., sed quod eam abnegaverint, et impias, scelleratas, seditiosasque hæreses amplexi, in easdem alios pertrahere conati sint. Quid quod etiam de semetipsis hoc ipsum palam agnoscant et fateantur? Lutherus namque de primo duce ac pseudomartyre Zuinglio in bello perempto interrogatus num damnatus esset, respondit: « Zuinglius tanquam latro mortuus est, quia voluit alios adigere ad suum errorem, et propter hanc causam in bellum profectus et interfectus est. Deus est justus judex, ejusque judicium rectum, qui blasphemos et contemptores verbi sui non sinit impunitos, sed misere pereunt. » Rebenstock, tom. II *Colloq. Lutheri*, pag. 36. Scribit etiam Joan. Jezlerus Sacramentarius, lib. *De diuturnitate belli eucharistici*, pag. 57, Westphalum lib. contra Laskum Polonum, « Calvinianos, Anglos, atque Gallos, pro hæresibus suis afflictos, diaboli martyres » nominare. Et pag. 93: « Lutherani asserunt nostros esse mendaces, falsarios, sacramentiperdas, corruptores testamenti Christi, ruere in tartara, diaboli martyres, gladio potius magistratus quam verbis refellendos, » etc. Idem autem e contrario de Lutheranis, quos non nisi anthropophagorum, Christicidarum et artolatrarum habent loco, ut idem Jezlerus, pagina 93, testis est, Calvinianorum esse judicium; et Anabaptistarum de utrisque, ut et ipsi utrosque damnant, apertius est quam ut prolixioribus verbis demonstrem.

Sed neque quidem. Hic aliqua adhuc desiderantur, quæ ex vet. cod. restituere non potuimus. Habet vero: « Sed neque quidem necessarium esse dicentibus tale martyrium. Esse enim martyrium verum secundum sententiam eorum, » etc.

Cum martyribus nostris. Eusebius lib. V *Hist.*, cap. 16, elegans fragmentum ex libris Apollinarii Hierapolitani episcopi contra Montanum transcribit, quo docet Marcionitas et Montanistas adversus catholicos jactitasse martyres sese plurimos habuisse, hocque certum esse argumentum virtutis et potentiæ in prophetico eorum spiritu abditæ, volebant. Istud autem omnino a veritate alienissimum pronuntiat Apollinarius: quandoquidem catholici martyres temporibus persecutionis, si forte quosdam ex hæreticis secum trahi conspicarentur, et in fidei confessione, et suppliciis cum illis communicare detrectabant.

Hic quoque addere libet, quæ Conradus Schlusselburgius, Lutheranus superintendens, cuidam tenebrioni Sacramentario, martyres sectæ suæ prædicanti, respondet[88]: « Usitatum est Sacramentariis, Anabaptistis, Manichæis, et aliis id genus profugis præstigiatoribus, sua martyria prædicare. Sed verbum Dei testatur, etiam falsos prophetas interdum in hoc mundo horribiliter divinitus puniri, sicut Paulus ait: falsorum doctorum finem esse perditionem[89]. Ita Jeremias scribit Achab et Sedechiam, falsos doctores, igne assatos esse. Ita etiam Donatistæ olim conquesti sunt de gravissimis persecutionibus et martyriis, quæ sustinuerunt. Sed Augustinus respondit illis, etiam diabolos in toto orbe terrarum perpessos esse persecutiones graves[90]. Item, non pœnam, sed causam facere martyrem. »

Sæpe debilitata, et statim augens membra. Justinus in Dialogo: « Quod nos nemo terrere aut domare valeat, apparet quotidie; cum enim obtruncemur, crucifigamur, objiciamur bestiis, ignibus, aliisque tormentis tradamur, tamen a confessione non discedimus. Sed quanto magis in nos sævitur, tanto plures pietatem, fidemque per nomen Jesu profitemur; haud secus quam si quis vitem putatione provocet ad ubertatem fructuum. » Et Tertull. lib. *Ad Scapulam*: « Non deficiet hæc secta, quam tunc magis ædificari scias, cum cædi videtur. Et ad finem *Apologetici*: « Plures efficimur, quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum. » Hieronymus, fundendo sanguinem et patiendo magis quam faciendo contumelias, fundatam esse Ecclesiam docet, eamque persecutionibus crevisse et martyriis coronatam scribit, epistol. ad Theophilum. Verba hæc B. Augustini omittere nolui: « Civitas Christi quamvis haberet tam magnorum agmina populorum, nunquam adversus persecutores suos pro temporali salute pugnavit, sed potius ut obtineret æternam non repugnavit. Ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur, trucidabantur, et multiplicabantur. » Lib. XXII *De civit.*, cap. 6.

Ejusdem adnotationes in cap. 65.

P. 272. *Quod quidem.* Superius c. 42 scripsit Abel passionem Christi mortem adumbrasse; et cap. 56 tertii libri justum Abel injusto Cain Dominum subjecisse, ut patientiæ cunctis exemplum ederetur; quibus indicat in eodem initiata esse servorum Dei futura martyria. Eadem postea confirmata fuerunt Noe, Lot, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moyse, David, Achimelech, Elia, Jeremia, Isaia, Daniele, ac ceteris patribus et prophetis plurima et gravissima ab impiis pro pietate ferentibus[91]; ad quæ hoc capite Irenæum respexisse non est dubitandum.

Ejusdem adnotationes in cap. 66.

Pag. 273. *Cum enim et ipsi.* Ostendit veteres prophetas velut vera vivaque membra Christi, Spiritu sancto prophetasse de regni ejus gloria, de incarnatione, de loco nativitatis, de passione, descensu ad inferos, de resurrectione, ascensione, reditu ad postremum judicium, novi testamenti libertate, item docuisse Patrem, Filium et Spiritum sanctum, unicum et verum Deum.

Retribuere eis qui tribulant nos tribulationem. Græca Pauli sequitur, ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς θλῖψιν. Ambrosius reddidit: « Retribuere eis qui vos deprimunt, pressuram; » Hieronymus et Primasius cum Irenæo « tribulationem » legunt; Vulgata editio, « retributionem. »

Virtutis ejus. Ita vetus codex; excusi, « Dei. »

Veni ad prophetam. In feminino genere usurpat; « Prophetissam habet Vulgata Bibliorum editio. Hieronymus sanctam Mariam interpretatur, quam prophetasse credit, cum in Evangelio loquitur: « Ecce enim ex hoc beatam me dicent[92], » etc. Cæterum, Cyrillus Alexand. probat lectionem veteris nostri cod. « venit, » habet enim προσῆλθε.

Purus pure, purum aperiens vulvam. Adverbium « pure » ex veteri cod. addidimus; quo, ni fallor,

[88] Lib. III Theol. Calv., art. 6. [89] Philip. III, 19. [90] Jerem. XXIX. [91] Heb. XI, 33, 34, 35, etc. [92] Luc. I, 48.

Digitized by Google

vult indolentiam munditiamque omnis generis beatissimi et castissimi B. Mariæ uteri in partu Christi prorsum exstitisse, ac longe secus quam aliis puerperis contigisse; quæ pariundo doloribus communiter differuntur, vita periclitantur, et nonnullæ pereunt. Ita Tertullianus : « Christus novus homo, nove natus est ex Virgine, Dei Spiritu [93]. » Et lib. *De velandis virg.* Christum eumdem ex integra Virgine natum pie docet; quibus mitigare ac mollire mihi videtur dura alioqui verba, quæ lib. *De carne Christi* usurparat. Ad hæc Ignatius epist. ad Heronem scribit : « Decebat opificem non usitata uti 177 nativitate, sed admirabili et nova, ac inaudita, ut Creatorem. » Quod vero miraculum, quæ rei novitas, si more communi ac sordibus et impuritatibus nostris contaminatus intactæ matris uterum aperuisset? Pro rei istius assertione præclara invenies apud Hieronymum, *Apologia pro lib. contra Jovinian.*, epistol. ad Pammachium, et Augustinum epist. 3. At apertam fuisse vulvam, urgebis, diserte scribit Irenæus. Respondeo : Phrasis est Scripturæ, qua simpliciter primogenitus significatur, quoquomodo natus sit. Deinde, Christum vere incarnatum, natum et editum fuisse contendunt Patres, adversus phantasma Marcionis.

Rememoratus est. Supra adnotavimus hanc sententiam, sacrilegio Judæorum, deletam fuisse ex Jeremia propheta, sicut illis exprobrat Justinus martyr in *Dialogo*.

Occidet. Sic vetus codex, cui conformis est Vulgata ed. et Hieronymus; codices excusi, « occidit. »

Pag. 274. *Receptionem in cœlos.* Ante Irenæum Dionysius Areopag. in *Cœl. hierarchia*, et Justinus *Dialogo*; postea Ambrosius lib. *De instit. virg.*, cap. 5, versus illos psalmi XXIII dialogum inter Christum ascendentem in cœlum et angelos, continere docuerunt.

Ejusdem adnotationes in cap. 67.

Pag. 274. *Si autem subit vos.* Christus mirabili ac plane novo adventu suo cuncta renovavit; et veteres prophetias, quæ non nisi a Patre suo prodierant, novis mysteriis et operibus adimplevit; ipsum denique novum testamentum constituit et morte sua confirmavit.

Pag. 275. *Solvere.* « Dissolvere, » et recte meo judicio, habet vet. cod., quoniam Græce est καταλῦσαι, quod magis proprie significat « destruere, demoliri, et abrogare, » quam simpliciter «solvere »

Donec pertranseat. Expunximus « pertransiet » auct. vet. cod.

Vivet. Ita in futuro legendum indicant Habacuc, et Pauli contextus Græcus Rom. I, Hebr. X, Galat. III. Vetus codex etiam secundo « vivit, » præsenti tempore, legit.

Præstabit in novissimo dierum. Quatuor has voces desiderat vetus codex, qui et proxime sequentem sententiam ita legit : « Neque enim casu quodam hæc evenisse potestis dicere, » etc.

Longe erant. Octo voces istas desiderabant omnes codices excusi; eas ex veteri restituimus.

In nullo altero. Eisdem argumentis utuntur Justinus martyr in *Dialogo*, Tertullianus libro *Adversus Judæos*, et Athanasius libro *De incarnatione Verbi.*

Pag. 276. *Significans.* Delevimus «significabat, » moxque pro « quemadmodum, quomodo; » et « excipit » pro « excipiet » reposuimus, veteris codic. auctorit. Cæterum, falcis nomine, crucem Domini intelligit, utpote ex ligno ferroque clavorum compactam; quam Abel justi ab injusto fratre mors illata significavit, ut superius dictum fuit.

Ejusdem adnotationes in cap. 68.

Pag. 276. *Ab altero autem Patre.* Ita restituimus ex vet. cod.; excusi omnes, « ab altero autem Dominum Patrem nostrum. » Colligit ex his quæ prius dicta sunt, insaniam illorum coargui posse, qui duos aut plures deos confingunt: simulque narrat prophetias omnes ab uno Patre Domini nostri Jesu Christi promanasse.

Ejusdem adnotationes in cap. 69.

Pag. 276. *Adversus eos.* Evincit vana et insana esse, quæ Valentiniani de Scripturarum sanctarum veritate comminiscebantur; simulque eos non parum contumeliosos esse in Deum, qui per has seipsum manifestat. Insuper, Christum vere fidei, non ignorantiæ magistrum, pro nostra salute passum; cujus discipuli et servi unanimes sint in fide; cum interea ipsi propudiose inter seipsos dissideant.

In Pleromate existens. Ita vet. cod.; excusi, « mittens, » quod delevimus.

Hoc idem ipse. Octo voces ex vet. cod. adjecimus, expunximus ejusdem auct., « item Spiritu. »

Pleromatis. Expunximus « Pleromatibus; » et paulo post « Horo » pro « hora, » « sursum » pro « rursum » reposuimus.

Pag. 277. *De aliquo.* Delevimus « quo; » et aliquanto postea « de Verbo » pro « vero », « protraxerit » loco « protexerit » supposuimus, vet. cod. auct.

Tantæ sunt de uno inter eos diversitates Commemorat rursum dissidia, quibus primus Gnosticorum exercitus secum dimicavit; iisque unanimum perpetuumque Ecclesiæ catholicæ in doctrina fidei consensum opponit : inde jure optimo colligens nihil veritatis aut Spiritus divini inter eos residere, sed in sola Ecclesia catholica, cujus pastores et oves semper eadem de eisdem fidei articulis docuerunt, senserunt, crediderunt. Similes quoque Arianorum, Eunomianorum, Macedonianorum, Donatistarum, et aliorum quasi mediæ ætatis Gnosticorum pugnas satis effuse describunt Theodoretus, Sozomenus, Socrates, Evagrius et Nicephorus in Historiis ecclesiasticis. De postremorum hujus ævi Gnosticorum, id est Lutheranorum et Calvinianorum, mutuis acerrimisque certaminibus, non semel in superioribus disserumus. Hic tantum, ut Irenæi vestigiis inhæreamus, duntaxat ex parte dicemus, quantæ sunt de uno eucharistiæ sacramento inter ipsos etiam Sacramentarios diversitates : ut vel ipsi conspicientes, quam diversa, quam adversa, quam perversa de unica re scripserint hujus sectæ duces, ab eis abhorreant; vel saltem ab eorum conventibus et hæresibus procul fugientes catholici viri, magis ac magis in sua veraque religione confirmentur ac proficiant.

1. Ab ipsa Dei nostri omnipotentia exordior, qua fieri nunquam posse blasphemant Zuinglius, contra Lutheri confessionem, et Responsione prima contra Eckium; Petrus Vermilius, dialogo contra Brentium; Beza, libellis contra Selneccerum, Jacobum Andream et Pappum; itemque *Creophagiæ* folio 152; Danæus, in *Elencho hæreticorum*; Erastus, contra Schegkium; Liberinus, in *Syntagmate*, et alii passim; ut idem corpus Christi in multis simul locis constituatur, vereque consistat et exhibeatur. Contra vero, Zuinglius ac Œcolampadius in colloquio Marpurgensi concesserunt Luthero « Deum id omnino posse, modo velit. » Heidelbergenses in colloquio Maulbrunensi professi sunt « se nolle in quæstionem revocare hac in re omnipotentiam Dei. » Boquinus scripsit, « vertiginosi spiritus esse, ullo modo de omnipotentia Dei litigare. » Volanus libro contra Scargam ait : « Christum posse facere, ut caro ejus tam in cœlo, quam in terra sit præsens. » Beza vocat eos fallaces sophistas, « qui negant fieri posse ut quis simul vicitet in locis duobus. [94] » Calvinus profitetur « hoc loco nullum esse certamen de omnipotentia Dei [95]. » Calviniani denique omnes fremunt ac furunt contra

[93] Lib. V cont. Marc. [94] In Epigram. ad Truchin. [95] Instit. lib. IV.

Digitized by Google

nos, cum objicimus illis quod divinæ omnipotentiæ detrahant.

2. Œcolampadius libro *De verbis Domini*, 1525, visus est probare nihil esse in hoc sacramento quod miraculum dici queat, vel captum hominum excedat. Idem censet Zuinglius in *Exegesi*. Calvinus catholicos et Lutheranos sarcasmis irridet, quod auditis verbis Christi, « Hoc est corpus meum, » miraculum a Christi mente remotissimum imaginentur, et in abyssum omnipotentiæ seipsos demergant. Subscribit Beza in *Creophagia*, et *Gont. Pappum*. Consentiunt Lavatherus, *Hist. sacram.*; Aretius, serm. 3 de cœna; Germanus Bavarus, in *Examine*, et Sacramentarii universi. Contra vero Calvinus in *Instit.* affirmat « Christum, modo miraculoso et impervestigabili, dare nobis corpus et sanguinem suum. » Et in *Optima ineundæ concordiæ ratione*, pag. 97, concludit : « Sacramentum hoc a Paulo magnum mysterium vocari ; et se in eo miraculum agnoscere, quod et naturæ fines, et sensus nostri modum exsuperat. » Beza quoque *Creophagiæ* folio 66, hoc incomprehensibile mysterium appellat ; et *Diallacti* pag. 82 fatetur « sanctos Patres ingens miraculum illud recte nominasse. »

3. Calvinus ait[96] substantialem corporis Christi in hoc sacramento præsentiam se semper repudiasse ; Christi corpus ibi exhiberi secundum virtutem, non secundum substantiam ; carnis substantiam ore non sumi. Zuinglius libro *De vera et falsa religione*, pag. 278 et 292, et in *Expos. fid.*, pag. 36, pari errore tuetur, nullam Christi carnem aut corpoream substantiam illic aut esse, aut recipi. Consentiunt Œcolampadius, lib. *De verbis Dom.*, pag. 2 ; Bullingerus, in 5 decade, et in caput xi primæ ad Cor. ; Vermilius, dialogo contra Brentium ; Beza, *Creophagiæ* pagina 18. Contra vero, Calviniani omnes, qui in Rupellanam synodum convenerunt, eos omnes suis calculis damnaverunt, « qui nolerint uti vocibus substantiæ et substantialiter in negotio cœnæ. » Heidelbergenses in colloquio Maulbronnensi rogarunt Lutheranos « ne accusarent eos, quasi docerent in cœna Dom. corporis et sanguinis Christi homines non fieri participes. » Calvinus denique scribit, « ex substantia corporis Christi vitam credentibus inspirari ; et substantialem Christi communicationem credentibus (Evangelio Calvinico scilicet) per cœnam exhiberi[97]. »

178 4. Zuinglius lib. *De vera et falsa relig.*, pag. 278 et 292, scribit Christi carnem nec spiritualem in cœna esse, nec spiritualiter accipi ; quandoquidem in Scripturis nullum reperias corpus Christi spirituale. Idem, epistola ad Eslingenses, negat nos vel spiritualiter, vel spirituali modo, corpori et sanguini Christi participare. Idem canunt Gualtherus et plerique Tigurini. Contra vero Calvinus in Heshussium, cœnam affirmat « esse carnis Christi spiritualem communicationem. » Vermilius in *Disputatione Oxoniensi* tradit, « Christum ibidem spiritualiter a nobis manducari ; » idemque prædicat Bullingerus in *Antithesi*, Bucerus in cap. xxvi Matth., Laski contra Westph.-lum, Lavatherus in *Hist. sacram.*, Simlerus contra Jac. Andream. Imo idem Zuinglius epistola ad principes Germaniæ, seipsum coarguens, affirmat « spirituali nos Christi corpore vesci. »

5. Beza in *Confessione Calvin.* et lib. contra Heshus. et contra Brent. tanto intervallo separat corpus et sanguinem Christi a cœna Dominica, quanto distat cœlum a terra. Idem palam affirmavit in colloquio Pissiceno. Tigurini et Genevenses pari errore scribunt, *Formulæ consensionis* pag. 23 et 24 : « Necesse est corpus Christi tanto locorum intervallo distare, quanto cœlum abest a terra. » Idem sentit Danæus lib. contra Chemnitium ; contra vero Calvinus ult. admonit.[98], « falsum et calumniosum esse, suos verum et naturale corpus Christi a cœna Dominica penitus removere. » Danæus contra Chemnitium profitetur « se non negare Christum corpore et sanguine suo adesse in cœna sua. » Musculus in *Locis* prædicat, « panem cœnæ esse verum pro nobis crucifixum ac mortuum Christi corpus. » Beza denique sui oblitus, ait : « Testamur nos illud ipsum corpus, quod traditum est pro nobis, illum ipsum sanguinem pro nobis fusum, ipsissimum denique Christum, mediatorem nostrum, rem esse, sive materiam et substantiam sacramenti[99]. »

6. Bucerus in Joannem[1] nuda et vacua signa constituit panem et vinum in cœna, sicut statua Cæsaris dicitur Cæsar ; et verbum, *Deus*, per hominem prolatum, significat Deum. Œcolampadius et Zuinglius, *De verbis cœnæ*, in eadem sunt sententia. Vermilius palam testatur[2], se omnem realem Christi corporis præsentiam ab eucharistia removere. Danæus ait[3], sacramentum signum esse rei ab his terris absentis : quod et Calvinus *Contra Westph.* tradiderat. Zuinglius epist. ad Alberum idem sentiens, ait hoc sacramentum esse tantum symbolum rerum longe absentium. Contra vero Wolph. Musculus in Matth. scribit : « Dicat Christianus Domini sui verba secutus : Non panem accipio, non vinum bibo, sed corpus Christi sumo, et sanguine Christi recreor ; Christus corpus suum dedit, non panem ; sanguinem dedit, non vinum. Alium cibum, alium potum in cœna Domini non agnosco. » Calvinus quoque, lib. *De cœna*, ait : « Substantiam corporis Christi nobis in ea dari. » Et *Contra Westph.* : « Illud est mihi extra controversiam, inquit, veritatem hic cum suo signo conjunctam esse. » Denique in cap. xi primæ ad Cor. concludit, « realiter et vere nobis in cœna dari Christi verum corpus et sanguinem. »

7. Joachimus Cureus in *Exegesi* asserit[4] præsentiam substantialem corporis Christi in cœna esse inutilem. Danæus consentit, scribens contra Chemnitium, ex illa nullam veram et solidam consolationem conscientiis nostris afferri posse. Uthenhovius, non modo inutilem, sed et impossibilem, et cum Scripturis pugnantem esse blasphemat. Idemque sentiunt Zuinglius epist. ad Alberum, Gualtherus et Bullingerus in cap. xi primæ ad Cor., Œcolampadius in Actis colloq. Marpurgensis. Contra vero Vermilius, tractatu *De cœna*, Bucerus, in *Retractationibus* super Matthæum, Musculus, in xxvi cap. ejusdem, clarissime affirmant, « cum cœna Domini dari remissionem peccatorum. » Calvinus, « non nisi a carne, et per carnem Christi vitam nobis a Deo exhiberi. » Vermilius iterum ait[5] : « Continent sacramenta suo modo præcipua et summa bona quæ habemus : offertur in eis nobis Christus, peccatorum condonatio, et promissio vitæ æternæ. »

8. Gualtherus *Comment.* in I Epist. ad Cor. dicit eos errare, qui ex cœna viaticum quoddam fingunt. Musculus in *Locis*, Bullingerus, decade quinta ; Beza *Contra Westph.* idem affirmant. Calvinus, defens. 2 cont. eumdem Westph. damnat eos qui ægrotis domi dari permittunt. Aretius, II parte *Probl.*, negat sacramentum ad ægrotos esse deferendum ; et serm. 3 de cœna, hoc damnat tanquam corruptum Ecclesiæ morem. Contra vero Œcolampadius in I Epistol. Joan. scribit : « Hoc cibo et potu dum vegetamur, in itinere deficere non possumus. In morte denique securi, hoc horum mysteriorum tutari nos poterimus. Cureus in *Exegesi*

[96] Defensione 2. [97] Contra Heshussium. [98] Fol. 117. [99] I vol. Theolog., pag. 605, 621. [1] Fol. 138. [2] Tract. de Euch. [3] Contra Schneccerum. [4] Fol. 121 et 125. [5] In cap. x prim. ad Col.

Digitized by Google

laudat consuetudinem, « qua etiam privatim sacramentum ad ægrotos defertur. » Vermilius in cap. x primæ Corinth. « concedit ægrotis dandum esse. » Hemmingius in *Syntagmate* scribit, « recte fieri, cum singulis ægrotantibus et petentibus porrigitur, ut morituris vita æterna in Christo promissa obsignetur. » Calvinus denique seipsum suosque damnans, in epistolis, fol. 626, 627, concludit, « propter multas et gravissimas causas, illud sacramentum nulla ratione debere, aut posse ægrotis denegari. »

9. Idem rursum Gualtherus in I Epistolam ad Cor., pagina 170, et in Lucam, pagina 511, scribit eos errare, qui corpora nostra hoc sacramento ad resurrectionem pasci docent. Zuingliani et Calviniani ubique in Germania, Helvetia et Gallia ægrotos ac morituros fraterculos suos sine ulla sacramenti consolatione miserrimas animas exhalare sinunt. Contra vero in Anglia, « etiam ad contagiosis morbis laborantes deferre præceptum est. » Et Calvinus, tam Gualtherum quam suos asseclas damnans, scribit in libro epist. « Ab usu sacramentorum rite probatur carnis resurrectio. Cœnæ participatio, ad cœlestis vitæ fiduciam nos invitans, ad sensus etiam corporales dirigitur. » Hemmingius denique in Epist. Pauli, fol. 219, asserit, « illud recte vocari viaticum, propterea quod admoneat nos ante mortem ipsum sumentes, quod Christus sit nobis via ad perpetuam fruitionem Dei; hocque morituris inculcandum esse, quod virtute corporis Christi resuscitemur a mortuis ad vitam æternam. »

10. Melanchthon, Beza aliique passim sacramentarii, Christi in eucharistia præsentis religiosam adorationem blasphemo ore vocant ἀρτολατρείαν; Danæus contra Chemnitium impudentissime et nequissime clamat, eos Dei ore maledictos esse, qui carnem Christi, etiam deitati personaliter conjunctam, adoraverint. Nihil frequentius est in ore Calvinianorum quam in missa horrendam committi idololatriam. Contra vero, auctor *Diallacti* apud Bezam probat ex August. lib. III *De doctr. Christ.*, cap. 9 *Comment.* in psal. XXI et LXXVIII, item ex Emisseno, Chrysostomo, Ambrosio, et Theodoreto, « veteres non prius carnem Domini manducasse, nisi prius adorassent : illosque graviter peccare qui non adorant. » Vermilius quoque ait[6] : « Quemadmodum audita recitatione quorumdam sacrorum verborum adoramus Deum, quamvis verba ipsa non adoremus; ita in sacra communione adoramus quidem Christum, etsi symbola illa externa non adoremus. » Sed et Calvinus se suosque impietatis coarguens, adorationem Christi in eucharistia his verbis concedit[7] : « Si in Christo hoc fieret, dicerem adorationem eam demum esse legitimam, quæ in signo resideat, sed ad Christum in cœlo sedentem dirigitur. » Bucerus denique ad episcopum Abrincensem eamdem pie et religiose fieri confitetur.

11. Varia et multiplicia corpora Christo affingentes, Christi tandem veram humanitatem negant, ne juxta expressum ejus verbum eamdem nobis in eucharistia præsentem exhiberi confiteri cogantur. Cum enim explicite et asseveranter dixerit, se nobis dare hoc corpus quod tradebatur, et hunc sanguinem qui effundebatur; manifeste consequitur eum non verum et humanum corpus assumpsisse, si non verum et humanum nobis dederit : quod est Marcionitarum, Valentinianorum et Manichæorum vetus delirium. Zuinglius namque in *Subsidio* ait corpus Christi semel intelligi naturale, natum ex Maria Virgine; secundo, a mortuis excitatum, et nostris mortis defæcatum; tertio, mysticum. » Et in *Instit.* : « Duplex est caro Christi, inquit, altera quæ in mortem tradita et sublata in cœlos; altera quam in memoriam veræ illius carnis manducamus. » Subscribit illi Bullingerus super cap. XI primæ ad Corinth. Christo confingens corpus duplex, « unum naturale manens in cœlo; alterum spirituale, quod in cœna porrigatur. » Idem, decade quinta, duo rursum corpora eidem tribuit, « primum, verum, proprium et humanum; secundum, sacramentale, quod discipulis dederit. » Auctor *Diallacti* apud Bezam multis quoque contendit « Christum alterum corpus habere organicum, naturale, verum, suis membris distinctum; alterum improprium, cœleste, divinum, symbolicum, invisibile, impalpabile, informe, nec de Maria Virgine assumptum. » Hieronymus Zanchius lib. II *De natura Dei*, cap. 6, non modo bicorporem, sed etiam tricorporem Christum his verbis comminiscitur : « Primo, inquit, est quoddam corpus Christi verum et vivum, quod in cœlo perpetuo hæret. Secundo, est corpus mortuum, quod in cœna offertur exsangue et inanimum. Tertio, est novum quoddam Christi corpus Paulo exhibitum (*Act.* IX; I *Cor.* I, 5), in hoc formarum **179** scilicet, ne verum Christi corpus a cœlo unquam discedat. »

12. Obsecro, quæ monstra, quæ portenta verborum! Vereor dicere. Miseri et excæcati tenebriones non solum sanctissima Christi Filii Dei mysteria, sed et ipsissimum Christum mundi redemptorem et judicem, in fictitium Geryonem, Cerberum et Briareum transformant. O summam Dei in hos ter quaterque blasphemos Sacramentarios patientiam! Sed tardi tatem supplicii hujusmodi impietatibus debiti, tandem aliquando gravitate compensabit. Non referam ergo quibus verbis Calvinus, lib. *Contra Heshusium*, superioribus suorum sententiis contradicat; Bullingerus quoque, decade quinta, et secum, et cum illis pugnet, ut his Sacramentariorum mutuis de unico eucharistiæ sacramento contradictionibus et dissensionibus citius finem imponam. Universas enim referre non est hujus loci.

13. In hoc quidem unum conveniunt adversus Dominum et adversus Christum ejus, ut in verbis Christi : « Hoc est corpus meum, » sit aliquis tropus et figura constituenda; sed cujus speciei ac formæ; deinde, quibus verbis adhibenda, plusquam feraliter dissident, ac sese mutuo lacerant et conficiunt, quando unusquisque aliam et aliam comminiscitur et statuit. Scribit enim Calvinus *Contra Westphalum* : « Quidam nostrum synecdochen, alii metaphoram, alii metonymiam esse tradunt. » Et *Contra Heshusium* : « Panis est corporis signum, vel figura, vel symbolum; vel panis significat corpus, vel metaphorica, vel metonymica, vel synecdochica est appellatio. » Annon hæc præ errorum et tenebrarum ægritudine, incerti atque perturbati animi manifestissima sunt argumenta? Bullingerus, *Comment. in Matth.*, scribit, « se nemini vel metaphoræ, vel metonymiæ, vel alterius tropi nomine, velle in hac controversia molestum esse; » omnia æquo animo laturus, modo Christus e sacramento suo exturbetur. Aretius asseverat, « illum sermonem Christi esse vel metaphoricum, vel improprium, vel catachristicum, vel metonymicum, vel symbolicum, vel mysticum; qui explicatione debeat illustrari[8]. » Quid his magis tortuosum, inconstans et varium? Sed pergamus confusas istas Babylonicæ turris ædificatorum linguas, despumantes suas confusiones, audire. Joachimus Cureus, in *Exegesi*, vocat propositionem illam « vel sacramentalem, vel metonymicam, vel synecdochicam, vel antonomasticam. » Brevi exsurget, ni jam prodierit, ex horum grege, qui ironicam, ut Christum velut illusorem naso suspendendum relinquant, adjicient.

14. Nec minor quibus verbis adhibeatur, digladiatio. Carolstadius in pronomine « hoc » constituendam censet[9]. Zuinglius, lib. *De vera et falsa religione*, hanc sententiam velut frigidam, meptam,

[6] Defens. vet. doct. de cœna Domini. [7] Instit. lib. IV, cap. 17, § 37. [8] Com. in Matth., cap. XXVI. [9] Dial. 1525 edito.

Digitized by Google

barbaram et impiam condemnat; et in verbo substantivo « est, » per « significat » reddendum, figit. Viretus in suo prolixo volumine sacramentario scribit verbum « est » relinquendum esse verbum veritatis et exsistentiæ; « corpus » vero pro corporis figura et significatione capiendum. Contra vero Beza[10] asserit tropum esse, non in voce « corpus » sed in verbo « est; » Laski autem non in verbis, sed in tota actione cœnæ vult figuram esse ponendam. Zuinglius[11] iterum nunc « corpus » pro « divinitate » vult esse intelligendum; mox pro « morte et passione; » illico pro « fide in Christum; » denique pro « commemoratione passionis et mortis Dominicæ; » quasi aliquid eorum traditum et fusum esset pro nobis, vel in ara crucis confixum pependisset. Germanus Bavarus, in *Examine*, ait statum quæstionis consistere in verbo « accipite; » Cleinwitzius contra Heshusium, in verbo « manducate; » Tossanus in suo *Consolatorio* jurat « non esse certamen de Christi verbis, sed de verbis et additionibus hominum; » Beza[12] vero auctoritate sua concludit, « verba comedendi et bibendi in sacro cœnæ usu, non proprie, sed figurate, translatitie et tropice intelligenda esse; » Pincierius denique in *Antidoto* vult « Christum in cœna inopia vocabulorum panem dixisse corpus, sicque improprie et imperfecte loqui voluisse. » Atque hic modum finemque ponimus, cunctos per Deum rogantes et obsecrantes, ut vel ex his perspiciant nullam esse inter sectarios istos in summis rebus concordiam, ac proinde nullam veritatem, nullam denique conscientiarum securitatem, vel salutem; et ideo in unitate fidei catholicæ, quæ semper eadem fuit, vel constanter permaneant; vel ad illam cito redeant, si aliquando ab eadem aberraverint. Quæ ad veram sententiam de eucharistia pertinent, diximus in cap. 32 et 34 hujus libri.

Ejusdem adnotationes in cap. 70.

Pag. 277. *Quem enim non confutat.* Parabola de vinea palam demonstrat, eumdem Deum hujus mundi conditorem, Christum Filium suum misisse, qui olim prophetas ad populum Israelis destinarat; eumdemque a Judæis et gentibus fidei et pietatis fructus jure suo reposcere. Vet. cod. auctor. « confutat » pro « confitetur » legimus. Vult enim Christum, vel ea solum parabola, cunctas Valentinianorum deliriationes diserte solideque refellere.

Pag. 278. *Sed expansam in universum mundum.* Ecclesiam per universas mundi plagas Irenæi temporibus jam dilatatam fuisse, variis exemplis, historiis et auctoribus citatis adnotavimus, cap. 3, lib. I. Hic tantum observandum, eamdem veræ Ecclesiæ notam Irenæo et cunctis Patribus fuisse, quæ nunc est catholica; et ad universa loca, tempora, hominum genera, ad nationes denique omnes et linguas pertinet; et instar solis, fontis et radicis, radios vibrat, rivos diffundit et ramos suos unica in fidei confessione sacramentorumque perceptione ipsa manens, in omnes extendit. Hæc variis Scripturarum testimoniis et validissimis rationibus docet Augustinus, eadem via evincens, nullis omnino hæreticorum sectis nomen catholicum aptari posse, epist. 48, 161, 170; *Breviculo collat. cum Donatistis*, collatione tertii diei; lib. *De agone Christiano*, cap. 29; lib. *De symbolo*, cap. 10; lib. III *Contra Gaudentium*, cap. 1, et lib. *De unitate Ecclesiæ*, cap. 3, 6, 7, 8 et 9.

Superducet. Expunximus « superducit, » vet. cod. auct.

Unus et idem cum semper sit Verbum Dei. Vetus cod. « unum et idem, » quod magis Latinum est; verum, cum fere semper Verbum Dei, pro Filio, in masculino genere dixerit, vocem Λόγος respiciens, immutare noluimus.

A *Cum angeli transgressores.* Vetus fuit multorum et gravissimorum auctorum opinio, angelos malos specie mulierum allectos, assumptis hominum corporibus, cum ipsis rem habuisse prolemque suscepisse, quam in Gigantes, Faunos, Panas, Silvanos et id genus monstrorum partiti sunt. Enochum primum ferunt hujus opinionis auctorem; Moysem deinde volunt rei hujus meminisse, Genes. VI; Josephus I *Antiq.* et plerique alii Hebræorum raphini illam asserunt. Inter Græcos orthodoxos his subscribunt, Justinus martyr in priore *Apol.*; Clemens Alex. lib. III *Pædagogi*, cap. 2, et lib. III et V *Strom.*; Athenagoras in *Apol.* pro Christianis; Methodius martyr serm. de Resur.; Origenes tractat. *De singul. clericorum* apud Cyprianum, si illius sit auctor; Proclus et Psellus philosophi Christiani. Ex Latinis scriptoribus eam amplexantur Tertull. lib. *De velandis virginibus*, et lib. *De habitu mulierum*; Cypr. tractat. *De vanitate idolor.*; Lactantius lib. II, cap. 15, et Severus Sulpitius lib. I *Hist. sacræ.*

B Plurima hinc inde suo more versans Augustinus XV *De civitate Dei*, cap. 23 et 24, de hac disputatione nihil temere audet diffluire, etc.

Verum, ista Moysis sententia : « Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores[13], » etc., cui innititur præcedens opinio, longe rectius redditur a Chaldæo interprete et Patribus orthodoxis, sic ut per filios Dei non spiritus angelici significentur, sed filii principum, ea phrasi qua judices, magistratus, principes aliique præstantes viri et dii et filii Dei in sacris persæpe appellantur. Aben-Esra quoque per « filios Dei » homines Deum agnoscentes intelligit, nimirum filios Seth, apud quos divina religio ab initio et deinceps viguerat; qui tandem, cum Cainitarum filiabus commisti, didicerunt opera earum et in summam impietatem evaserunt, dempta Noe unica familia. Atque hanc sententiam ut aptiorem et saniorem amplexantur Hieronymus, Chrysostomus, aliique

C plurimi. Augustinus denique, *Quæstionibus in Genesim*, in eamdem magis inclinans scribit justos homines posse etiam angelorum nomine nuncupari, sicut et Joannes Baptista « angelus » in sacris nominatur, Malach. III, 1; Joan. I.

Donationem. Ita vet. cod; excusi, « dominationem » habebant.

Ad vos. Expunximus « eos; » deinde « dices » pro « dicas; » et « voci » pro « vocem, » vet. cod. auct. restituimus.

Super nos. Delevimus « vos. »

Distribuit adversus. Codices excusi, « attribuit in; et non multo post « terrarum » pro « terræ » supposuimus, auct. vet. cod.

Boni operis. Non inepta est veteris cod. lectio in dandi casu, « bono operi, sed malo, » cum quidam Græci cod. habeant τῷ ἀγαθῷ ἔργῳ, et Chrysostomi interpres reddiderit, « principes bene agentibus terrori non sunt, sed male. »

D *Vocans.* Codices excusi, « vocat; » deinde « stantes erasimus, et « statim reposuimus veteris cod. auct.

Similiter autem et merces una. Si æternitatem regni cœlestis, immortalitatem corporum, ac ipsum Deum unicum **180** beatitatis objectum spectaverimus, omnibus certe æqualis est merces; alias non.

Et inscriptionem. Delevimus « discretionem, » vet. cod. auct.

Et pœnitetur. Verbum impersonale vocis tantum activæ, voce passiva usurpat. Græca Evangelii habent ὕστερον δὲ μεταμεληθείς: Vulgata edit. reddit, « Postea autem pœnitentia motus. »

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 70.

Pag. 277. *Filium suum unicum, dicens : Forte.* Vocem ἕνα ex Marc. XII, 6, et ἴσως ex Luc. XX, 15,

[10] Cont. Hesh. [11] Instit. de cœna Domini; et Resp. ad quemdam amic. [12] Summa doct. de re sacram. [13] Gen. VI, 2.

Digitized by Google

petisse videtur Irenæus; neutrum enim in S. Matthæi Evangelio legitur.

Temporibus suis. Sic interpres non modo Irenæi, sed et S. Matthæi ex Græco, ἐν τοῖς καιροῖς αὐτῶν. Sed vix dubito cum Syro interprete legere αὐτῶν, « eorum, » scilicet « fructuum, » quia præcessit vers. 34, ὅτε δὲ ἤγγισεν ὁ καιρὸς τῶν καρπῶν

Iterum dicit. Vox « iterum » in nullo S. Evangeliorum legitur.

Nunquam legistis. Ἐν ταῖς Γραφαῖς, « in Scripturis, » quod in S. Evangelii codice et omnibus versionibus hoc loco additum exstat, Irenæus ex memoria allegans omisisse videtur.

Circumterminavit. Id est finibus terræ sanctæ inclusit, uti patet ex paulo post sequentibus : « Tradidit eam Dominus Deus, non jam circumvallatam, sed expansam in universum mundum, » etc.

Pag. 278. *Repente.* Ἀφνιδίως cum vulgato interprete legit Irenæus, nisi illius interpres, vel scriba, hunc potius quam Irenæi textum secutus fuerit.

Quomodo enim factum est in diebus Noe. Quæ sequuntur ex memoria allegavit Irenæus.

Nunquid usque ad cœlum exaltaberis. Anne Irenæus cum vulgato Bibliorum interprete legit : μὴ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθήσῃ? Minime puto, siquidem in nullo Græcorum Patrum hunc locum ita allegatum reperio. Interpreti itaque Irenæi, aut scribæ, Latinam Evangelii versionem sequenti, hæc ascribenda videntur.

Dicere : Avertimini. Aut Irenæus in Jeremía, aut interpres in Irenæo male legit λέγειν pro λέγων.

Alii quidem Dominum annuntiabant, etc. Scilicet « Prophetæ; » quippe gratia adoptionis per effusionem Spiritus sancti novo testamento reservata erat.

Pag. 279. *De quo et Apostolus ait*, etc. Vestis, qua Apostolus « superindui » optat, est corpus immortale ac a peccati labe immune, quale in cœlo gestabimus. Attamen ad « Spiritum sanctum, » per quem ad istam felicitatem præparamur et digni reddimur, mystice verba Apostoli applicat Irenæus.

Quod idem ipse rex. Origenes *Comment. in Matthæum*, pag. 475 seq., idem argumentum urget sequentibus verbis, quæ ob prolixitatem Latine solum recitare placet : « Dicant nobis, utrum iratus ille, utpote qui nuptias filio suo faciat, Christi Pater sit, an præter eum qui, quatenus edisserit parabola, iratus est, alius sit ipsius Pater? Utrobique sane occurrent angustiæ, sive iratum illum nuptias filio facientem Patrem Christi esse nolint propter iram; sive propter nuptias et filium Patrem ipsum Christi esse et irasci cogantur fateri. Quod si iræ huic explicationem aliquam inferre conentur, dicemus illis : Heus vos, quænam hæc partitio est, cum qui in Evangelio nuptias filio suo facit, propter iram minime refugere, nec alium quærere; in lege autem et prophetis propter idem iræ nomen, vel alia huic consimilia, alium a legis prophetarumque Deo Deum fingere conari? »

Pag. 280. *Subjecti estote.* Nostra Vulgata Nov. Test. exemplaria sonant, ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι. Sed Irenæus cum vulgato Latino interprete legisse videtur ὑποτάσσεσθε, et insuper vocem ἀνάγκη prorsus prætermisit.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 71.

Pag. 281. *Veterem legem libertatis.* In cap. 9 et 29 libri hujus, multa adduximus ex Patribus, qui primo et secundo a Christo sæculo Ecclesiam direxerunt, quibus præsens Irenæi dogma de libero arbitrio in angelis et homine, ante et post lapsum servato, tanquam Dei verbum amplexandum esse confirmavimus. Hic ne in re apertissima simus prolixiores, aliquod tertiæ et quartæ ætatis Patrum testimonia adjiciemus, reliquorum autem locos quasi digito signabimus, quibus idem firmatur : ut inde cuivis pateat perpetuam, perspicuamque et nunquam confusam, uti garriunt Magdeburgenses, Ecclesiæ catholicæ hujusmodi fuisse sententiam. Horum itaque primus audiatur Eusebius Cæsar. « Non dii boni, ait[14], sed perniciosi dæmones sunt, qui libertatem nostram destruxerunt, et stellis non exteriora solum, verum etiam voluntates nostras cogi persuaserunt. Quod si esset, jaceret omnis philosophia, jaceret pietas, nulla esset laus virtutis, nullus fructus laborum, nec puniendi essent improbi, nec admirandi studiosi, » etc. Fusius isthæc persequitur toto eo capite; et capitibus 6 et 7 confirmat rursus eadem dilucidis gentilium philosophorum rationibus. Capitibus 8 et 9 idem præstat rationibus et sententiis Bardesanis Syri episcopi, Origenis, demum Litteris sacris; deinde etiam lib. I *Demonstr. evangelicæ*, cap. 9, et lib. IV, cap. 1, 6, 9 et 10.

Sequatur Lactantius : « Quoniam clemens est, ait[15], et pius erga suos Deus, ad eos Filium misit, quos oderat, ne illis in perpetuum salutis viam clauderet; sed daret his liberam facultatem sequendi Deum, ut et præmium vitæ adipiscerentur, si eum secuti fuissent; et culpa sua in mortis pœnam incurrerent, si regem suum repudiassent. »

Addatur Athanasius : « Anima, inquit[16], ad eas quas commenta est voluptates, viribus suis abutitur, ideo quod libera sit et sui arbitrii. » Et alibi[17]: « Animadvertens Deus arbitrium delectumque hominis utroque vergere, mature gratiam quam dederat, legis et loci præsidio communitam voluit. »

Hilarius[18] : « Unicuique nostrum libertatem vitæ sensumque Deus permisit. »

Basilius ad illud Isaiæ I[19] : Si volueritis et audieritis me, etc. « Hoc maxime loco, inquit, velut ob oculos exhibet libertatem arbitrii humanæ naturæ indultam. » Item in cap. XIV Isaiæ : « Ex suo ipsius proposito et libera voluntate, unusquisque esse potest semen sanctum, aut certe in diversum abire. » Et : « Homo natura utitur libera, ut ad utrumlibet possit inclinari, ad electionem scilicet boni et pejoris. »

Nazianzenus *Apolog.* I. « Singularis et eximiæ Dei bonitatis argumentum est, facere ut nostra quoque aliqua ex parte sit virtus, nec natura tantum inseratur, sed voluntate etiam animique proposito excolatur, arbitriique libertate parem in utramque partem motum habente. » Prætermitto quæ ad hoc dogma confirmandum idem auctor habet in explicatione illius : « Cum consummasset Jesus sermones hos[20], » etc. Item Oratione in Christi Nativitatem; ut reliquorum ejus ætatis locos insigniores duntaxat designem.

Marcus eremita, libro *De paradiso*, sub finem, et lib. *De lege spirituali*, cap. 55 et 56, Ambrosius epist. 84, enarratione in psalm. XL; Epiphanius libr. *Contra hæreses*, 16 et 64; Gregorius Nyssenus libr. *De hominis opificio*, cap. 16, lib. *De vita Mosis*, homilia 2 et 8 in Ecclesiasten, Oratione catechetica cap. 5 et 31, Oratione de mortuis, Prudentius in *Hamartigenia*; Theophilus Alexandr. libr. III Paschali; Hieronymus epistol. ad Demetriadem, epist. ad Ctesiphontem, epistol. ad Damasum, *Quæst. Heb. in Genes.* et lib. III *Comment. in Isaiam*; Augustini locos magna diligentia collegit Hieronymus Torrensis, lib. II *Confessionis Augustinianæ*, cap. 32; Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 4, Alexandrinus dialogo de oratione Spiritus sancti, libr. III et VIII *Contra Julianum*; Prosper Aquitanicus libr. I *De vocatione gentium*, cap. 3, 5 et 7. Illi omnes tum Græci, tum Latini, hominem

[14] Lib. VI De præp., cap. 5. [15] Lib. IV, c. 11. [16] Orat. cont. idol. [17] Lib. De incar. Verbi. [18] In Psal. XI. [19] Lib. III contra Eunom. [20] Matth. VII, 28.

Digitized by Google

natura liberum esse, boni malique optionem et electionem sibi datam et oblatam, ob idque utrinque juste judicatum iri, partem iisdem Scripturis et rationibus, quibus his capitulis Irenæus, partim aliis manifeste docuerunt.

Vis enim a Deo non fit. Hæc Irenæi verba citantur a Damasceno, libr. 1 *Parallelorum*, cap. 100, et in eumdem scopum, nimirum ut doceat uterque peccatorum ac reprobationis improborum causam non esse in Deo, sed in ipsis reprobis. Nam vis ab illo non fit ut peccent, sed unicuique proponit vitam et bonum, et econtrario mortem et malum, ut diligat Dominum et ambulet in viis ejus [21]. Insuper, dat omnibus, inquit Irenæus, bonum consilium, videlicet per prophetarum, apostolorum et his succedentium pastorum Ecclesiæ adhortationes, et tam publica quam privata commoda vel incommoda; occultas denique Spiritus sancti in conscientiis omnium hominum loquentis inspirationes; quas si pro relicta sibi libertate elegerint serioque amplexati et prosecuti fuerint, procul dubio servabuntur; alias æternæ perditioni juste addicentur. Hinc et Hilarius : « Esse filios Dei, non necessitas est, sed potestas; quia universis Dei munere non natura gignentium affertur, sed voluntas præmium consequitur. » De his copiose disserit Augustinus. lib. *De spiritu et littera*, cap. 33; libr. III *De libero arbitrio*, cap. 19, et libro *De natura et gratia*, cap. 67.

Posuit autem in homine. Hujusmodi electionis potestatem, **181** etiam post lapsum primi hominis in ejus posteris perseverasse adeo certum et manifestum est, ut nulli Simoniani, nulli Marcionitæ aut Manichæi, nulli Lutherani aut Calvinistæ, nulli Anabaptistæ aut Ariani hoc ipsum inficiari valeant, nisi pervicaciter damnent, vel saltem misere torqueant istas Scripturas : « Elige vitam, ut et tu vivas, et semen tuum. Tu hodie elegisti Dominum Deum tuum [22]. Elegi abjectus esse in domo Dei mei [23]. Maria optimam partem elegit [24], etc. »

Etenim angeli rationabiles. Angelorum exemplo confirmat, ad Dei infinitam liberalitatem æquitatemque pertinere, quod non modo angelos, sed et ipsos homines animi libertate præditos condiderit, totoque vitæ curriculo eadem instructos vel præmiis cœlestibus tandem coronet, vel sempiternis adjudicet suppliciis. Ac de his jam diximus in capite nono hujus libri.

Ex J. Er. Grabii adnotationibus in cap. 71.

Pag. 281. *Quemadmodum et in angelis.* Sic quoque Justinus M. *Apologia* 1 (2), pag. 45 : Αὐτεξούσιον τό τε τῶν ἀγγέλων γένος καὶ τῶν ἀνθρώπων τὴν ἀρχὴν ἐποίησεν ὁ Θεός. « Libero arbitrio præditum et angelorum, et hominum genus ab initio creavit Deus. » Et Tatianus in *Orat. ad Græcos*, pag. 26 nuperæ editionis : Τὸ ἑκάτερον τῆς ποιήσεως εἶδος αὐτεξούσιον γέγονε. « Utrumque creaturæ genus (angelorum scilicet et hominum) liberi est arbitrii. » *Datum quidem a Deo, servatum vero ab ipsis*, etc. Ita et Tatianus continuo subjungit : Τ' ἀγαθοῦ φύσιν μὴ ἔχον πλὴν μόνον παρὰ τῷ Θεῷ, τῇ δὲ ἐλευθερίᾳ τῆς προαιρέσεως ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ἐκτελειούμενον, etc.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 72.

Pag. 281. *Si autem naturaliter.* Homines plena libertate aut vel boni sunt vel mali, non natura, ut aperta evangelistarum et apostolorum testimonia comprobant. Qui vero libero arbitrio contradicunt, Deum imbecillitatis et injustitiæ arguunt.

Juste apud homines sensatos. Id est qui non egent sensu communi, sed sola naturali recta ratione de rebus judicant, quales inter alios fuerunt philosophi, oratores, poetæ profani, quorum judiciis, rationibus et scriptis humani animi libertas comprobatur.

Pag. 282. *Perfectis.* Vetus codex, « per prophetas; » utrumque servavimus.

Aperiant ei. Codices excusi. « aperiatis. »

Sed etiam in fide liberum. Fidem duplicem constituunt theologi; priorem, quæ lectione vel auditione verbi Dei acquiritur; hinc acquisitam vocant. Hanc Cyrillus Jerosol. dogmaticam, Apostolus fidem ex auditu nominat, eam liberam sic docet Augustinus. « Intrare ecclesiam quisquam potest nolens, accedere potest ad altare nolens, accipere potest sacramentum nolens; credere non potest nisi volens [25]. » Posteriorem fidem, quod a Deo penitus infundatur mentibus nostris, infusam appellant. Hinc donum Dei esse compluribus scriptis ostendunt Augustinus et Cyrillus, verum et ipsam consensum liberum voluntatis nostræ requirere suis libris produnt : lib. *De prædest. sanctorum*, cap. 11; lib. 1 *Retractat.*, cap. 23; *De spiritu et littera*, cap. 31 et 32, et catechesi 5. De utraque igitur loquatur Irenæus, semper vere loquitur, non solum in operibus, sed etiam in fide, hominem liberum esse.

Pag. 283. *Hoc est qui cum vi.* Duodecim has voces ex vet. cod. addidimus.

Omnis autem qui agonizat. Græce est, ὁ ἀγωνιζόμενος, « qui certat. » Cyprianus lib. *De exhortatione martyrum*, cap. 8, et epist. ad martyres et confessores de Mappalico, habet ut Irenæus : Omnis enim qui agonizat. » Pamelius, vir multæ lectionis, illic adnotat omnes codices suos, uno excepto, legisse : « Omnis qui agonizatur; » quod et hic habebat vetus noster codex : utrumque recte.

In omnibus continens est. Græce, πάντα ἐγκρατεύεται, « in omnibus temperans est. » Cyprianus locis superius signatis, ut et Irenæus, « in omnibus continens est. » Deinde plurali numero, « illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, » legit idem Cyprianus, quod et hic vetus codex noster.

Nos autem incorruptibilem. Sic habet vetus codex. quod concinne respondet verbis Græcis, φθαρτόν, ἄφθαρτον, id est corruptibilem et incorruptibilem; excusi, « incorruptam, » non male.

Clariores erimus apud Deum. Pro diversis operibus, varios gloriæ et claritatis gradus apud Deum reponi, hic exploratum et certum habetur, ut vel cæcis omnibus innotescat. Proinde fremant licet bonorum operum osores et solius fidei assertores.

Ex J. Er. Grab. adnotationibus in cap. 72.

Pag. 281. *Οὔθ' οὗτοι ἐλαττοῦσι*, etc. Origenes in *Comment.* ad Matth. XIII, tom. I edit. Huetii, pag. 214, ubi eosdem, contra quos Irenæus hic disputat, memorat hæreticos, dicentes « differentes bonorum et malorum esse naturas, » eodem eos telo configit, ita scribens : « Tali quidem acceptioni omnes refragantur Scripturæ, arbitrii libertatem astruentes, quæque peccantes accusant, eos autem laudant qui recte agunt; cum non justa sit eorum reprehensio, qui ex genere sunt, quod suapte natura tale est; nec eorum laus, qui sunt ex genere meliore. » Confer Justini M. *Apologiam* 1, ad Antoninum Pium, pag. 84 nostræ editionis, vel 81 edit. Paris.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 73.

Pag. 283. *Si hoc autem dicat aliquis.* Oportuit creaturam plurimum differre a suo creatore : quoniam is æternus est, non factus ab aliquo; illa facta ex tempore et imperfecta, ut sequenti capite exemplo parvuli declaratur. Ideoque hominem sensim crescere ac perfici decuit.

Ejusdem adnotationes in cap. 74.

Pag. 284. *Infans enim fuit.* Quibus de causis

[21] Deut. XXX, 19. [22] Deut. XXX, 19; XXVI, 17. [23] Psal. LXXXIII, 11. [24] Luc. X, 42. [25] Tract. XXVI in Joan.

Digitized by Google

primus homo cum infante comparetur, explicat Theophilus Antioch. lib. II *Ad Autolycum*, nimirum quod simplex et sincerus esset quasi puer.

Panis perfectus Patris. Vetus codex vocem « Patris » ignorat; hanc si retinueris, sensus est a Patre missus ac datus, uti scriptum est, Joan. VI : « Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Ego sum panis, qui de cœlo descendit. » Quod sequitur : « Lac nobis semetipsum præstitit, » explicatur egregie a Clemente Alexandr. « Verbum, inquit, est omnia infanti, et pater, et mater, et pædagogus, et altor. Comedite, ait, meam carnem, et bibite meum sanguinem. Hæc apposita et convenientia alimenta nobis suppeditat Dominus, et carnem præbet, et effundit sanguinem, et ad incrementum nihil deest infantibus, » etc. lib. I *Pædagog.*, cap. 6.

Ejusdem adnotationes in cap. 75.

Pag. 284. *Et propter hoc Paulus.* Docet hominis imperfectionem non alicui divinæ infirmitati tribuendam esse, sed humanæ incapacitati. Nam Deus in hominis conditione maximam virtutem, sapientiam ac bonitatem adeo manifestavit, ut rationis expertes sint qui aliter sentiunt.

Nunc nuper factus. Pro his tribus vocibus, vetus codex habet « imperfectus. »

Sed circa eum. Vet. cod., « sed circa eum, qui nuper factus homo, quoniam non infectus erat. »

Pag. 283. *Filio vero ministrante.* Cum hic, vel alibi dicitur Filius ministrasse Patri in rerum creatione, intelligendum quod omnipotentiam vimque omnem, ut et ipsam deitatem Filius a Patre habeat, non a seipso; et eadem cum Patre creat, regit, operatur : velut ait in Evangelio : « Pater meus usque modo operatur, et ego operor. » Et postea : « Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quæcunque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit, » etc. Joan. V, vers. 17 et 19. Ergo Pater per Filium omnia fecit, ut Joannes et Paulus affirmant [26], non tanquam per instrumentum aut ministrum a natura et deitate sua alienum, ut blasphemavit Arius; nec tanquam per causam secundariam, vel minus principalem, ut Calviniani, et novi Samosateniani, Trinitariique impie garriunt, sed ut per alteram a se personam, cui cum essentia sua omnem vim cooperandi et concreandi ab æterno communicavit. Idem ergo cum Patre est rerum omnium creator et principium, licet de principio, nimirum de Patre, sicut testatur, dicens : « Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens [27]. Ego principium, qui et loquor vobis [28]. Ego sum α et ω, principium et finis [29]. » Paulus denique Psalmistæ verbis ita hunc alloquitur : Tu in principio terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli [30]. » Itaque non sine gravi in Filium Dei blasphemia scripsit Calvinus ad fratres Polonos, « Filii personam non nisi improprie Creatorem cœli et terræ nominari. »

Visio autem Dei. Verba sunt ex libro Sapientiæ, tametsi paulo aliter reddantur quam in Vulgata editione. Ex quo tamen apparet, librum illum Irenæo fuisse auctoritatis canonicæ, sicut et Tertulliano lib. *Præscript.*, cap. 7, libro 182 *Advers. Valentin.*, cap. 2, et libro tertio *Adv. Marc.*, cap. 22; item Clementi Alexand., Cypriano aliisque primæ notæ auctoribus, eumdem librum cum aliis divinis annumerantibus. Augustinus de eodem ac Ecclesiastico scribit : « Illi duo libri, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt [31]. » His accedunt Patres quotquot adfuerunt concilio III Carthaginensi, Laterano, Florentino et Tridentino; quorum assertionibus satis A revinci eos puto, qui nunc aliter sentiunt ac scribunt.

Ejusdem adnotationes in cap. 76.

Pag. 285. *Agnitionem autem.* Boni et mali discrimen in hominis mente permansit, ut unum eligat et persequatur, aliud fugiat et deprecetur; Deo tractabilem secum fide et obedientia sistat, ut ab eo perficiatur. Respondetur quoque eis qui in tempus adventus Christi et reparationis humanæ curiosius, quam deceat, inquirunt. Hoc et Augustinus discutit tractatu 31 in Joannem; item lib. LXXXIII, *Quæst.*, quæst. 43, et epistola 49.

Experimento discens. Decem et octo has voces, quæ manifeste desiderabantur, ex veteri codice restituimus.

Pag. 286. *Efficeris.* Ita pro « effeceris, » et mox « temetipso pro semetipso, » auct. vet. cod. restituimus.

Non igitur ars deficit Dei. Quatuordecim quoque B dictiones istas ex vet. cod. adjecimus.

Convenientem subdidit pœnam. Vetus codex, « convenienti subdidit pœnæ; » inde judicarim paulo supra legendum, « et eos qui fugiunt, ei, » etc., quanquam nulli, quod sciam, codices monstrent.

Præparat. Ita vet. cod.; excusi, « præparata. »

Ejusdem adnotationes in cap. 77.

Pag. 286. *Et condens mala.* Sole clarius ostendit Irenæus hæc prophetæ verba de afflictionibus et tormentis, quæ mala pœnæ in scholis appellamus, intelligenda esse; non autem de peccati culpæque defectibus. Horum enim auctorem Deum facere, Simonis Magi, Marcionis et Manichæorum blasphemia est, totius orbis consensu et auctoritate damnata; quam nihilominus nostræ tempestatis Gnostici in integrum restituere moliuntur. Hieronymus in III caput Lamentationum et XVIII Jeremiæ, tropicam dicit esse istam prophetæ locutionem, qua mala dicitur Deus facere, dum adversa et flagella merentibus infligit; quæ non natura ipsa mala sunt, sed C mala patientibus videantur. Irenæo et Hieronymo astipulantur ex Latinis Augustinus lib. *Contra Adimantum Manich.*, cap. 27; *Contra epistolam Manich.*, cap. 38, lib. I *Contra adversarium legis*, cap. 25; Ambrosius serm. 16 in psalm. CXVIII; Gregorius lib. III *Moral.*, cap. 7; Eucherius Lugdunensis lib. I in Genes., cap. 7. Ex Græcis Dionysius Areopagita, cap. 4 libri *De divinis nominibus;* Clemens Rom. lib. V et X *Recognitionum;* Justinus martyr in *Dialogo*, et lib. *De monarchia;* Basilius homil. *Quod Deus non sit auctor malorum;* Cyrillus Alexand. lib. IV in Isaiam, cap. 45, et plerique omnes orthodoxi scriptores.

Eam ob rem satis mirari nequeo Melanchthonis, Œcolampadii, Petri Martyris, Calvini et Bezæ amentiam [32], qui hujus sententiæ propheticæ a se præpostere intellectæ prætextu, Deum omnium bonorum fontem non erubuerint facere instigatorem, impulsorem, imo operatorem auctoremque adulterii D et homicidii Davidis, fratricidii filiorum Jacob, rapinarum, incendiorum ac cædium impiorum, qui in fortunas Jobi grassati sunt; Absalonicæ perduellionis, atque ejusdem incestus, quo patris concubinas polluit; Pharaonicæ obstinationis et crudelitatis; Herodis, Pilati, Judæorumque impietatis; Judæ traditionis, omnium tandem turpitudinum, scelerum et peccatorum hominum et diabolorum.

Quoniam vero ad hunc locum nobis ea maxime pertinere videntur quæ scripsit Mart. Campanus, medicus Burdegalensis, his de causis, nostris attexuntur. Quicunque Deum auctorem mali comminiscuntur et credunt, eumdem bonum negant; nec id solum, sed omnino tollunt; sicque mundum et ab eo prognata æterna constituunt; bona item et mala,

[26] Joan. I; Rom. XV. [27] Proverb. VIII, 29, 30. [28] Joan. VIII, 25. [29] Apoc. I, 8. [30] Psalm. CI, 26; Hebr. I, 10. [31] Lib. II de Doctr. Christ. [32] In X cap. Isaiæ; in I Samuelis, cap. 2, et in II, cap. 16; lib. I Instit., cap. 48, et lib. de æterna prædest.; lib. contra Sycophantam.

Digitized by Google

paria et æqualia promiscue ponunt ac comprobant. Quæ sane falsa sunt omnia, vana, et a spurcissimis atheis ficta atque inventa. Deus enim auctor boni, pariter et mali esse non potest; propterea quod hæc duo contraria plane inter sese exsistant et sibi mutuo repugnent, effectorem suum longe diversum faciant et agnoscant. Nam cum Deus sit ipsamet bonitas, nullum malitiæ primordium ab eo ducitur. Sed uti sol tenebras, lucem tenebræ; frigus ignem, ignis frigus; siccitas humidum, siccitatem humidum; sanitas morbum, sanitatem morbus, et id generis alia, sua potestate et vi, neque procreare et emittere iis quæ sunt, valent; ad eumdem modum Deo neque datur auctor ut sit malorum : quoniam totus natura bonus, aut secundum Euripidem,

Εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσὶ θεοί,

Deus nequaquam est. Atqui Deum esse constat, proinde necessario bonum : in quem nec minima quidem mali contemplatio cadit, tantum abest ut ejus auctor et sunsor pro explorato et certo statui censerique debeat.

Homerus, *Odys.* ι, causam malorum nequitiæ mortalium ascribit, et non Deo.

Αὐτῶν γὰρ, inquit, *σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν*
[*ὄλοντο*
Νήπιοι,
Sua nequitia stulti profecto perierunt;

verba faciens de sociis Ulyssis. Et paulo post, Jupiter cœlicolas ea de re in unum convocatos alloquitur :

Ὦ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται.
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι οἱ δὲ καὶ
[*αὐτοὶ*
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχου-
[*σιν.*
Papæ! uti mortales deos nimirum incusant.
Namque ferunt mala exoriri a nobis; verum et ipsi
Sua nequitia præter fatum dolores angoresque per-
[*petiuntur.*

Plato, perpetuus mentis Homericæ interpres et velut index, demonstrato passim in suis dialogis Deo bonorum omnium auctore, nunquam malorum, et hominibus semper, in extremo lib. II *De republ.* post multa sic ait : Κακῶν δὲ αἴτιον φάναι θεόν τινι γίγνεσθαι ἀγαθὸν ὄντα; διαμαχετέον παντὶ τρόπῳ· μητέ τινα ταῦτα λέγειν ἐν τῇ πόλει, etc. « Causam malorum Deum cuipiam esse, qui bonus sit, omni ratione decertandum ac rejiciendum est; neque pati quemquam hæc pronuntiare in civitate convenit. »

Menander initium malorum et caput hominibus trahi, eo pacto monstrat cuidam adolescentulo :

... Ὅτι
Ὑπὸ τῆς ἰδίας ἕκαστα κακίας σήπεται
Καὶ πάντα τὰ λυμαινόμενα, ἐστὶν ἔνδοθεν.
Οἷον, ὁ μὲν ἰὸς, ἂν σκοπῇς, τὸν σίδηρον,
Τὸ δ' ἱμάτιον οἱ σῆτες· ἡδὲ θρίψ τὸ ξύλον.
Ὁ δὲ τὸ κάκιστον τῶν κακῶν πάντων φθόνος
Φθιτικὸν πεποίηκε, καὶ ποιήσει, καὶ ποιεῖ,
Ψυχῆς πονηρᾶς δυσσεβεῖς παρατάσεις.

Quoniam a proprio vitio putrescunt singula,
Et omnia quæ corrumpunt, interna sunt,
Ut rubigo, si animadvertas, ferrum,
Vestimenta tineæ, et ligna teredo.
Malorum autem pessimum invidia
Tabificum reddidit, et reddet, et reddit,
Ob impios animi scelerati conceptus.

Mercurius ille Trismegistus, iis nunc præteritis ex industria quæ disperse et sæpenumero disseruntur de Deo, tandem concludit perturbationes animorum res procreatas subsequi, rubiginem ferrum, limum animata corpora. Ac quemadmodum faber ferrarius rubiginem ferro non introducit, nec generator cœnum et sordem animatis corporibus, sic item Deus auctor malorum hominibus neutiquam est. Hanc in sententiam complura licet excerpere, partim ex Demosthene in *Olynthiac.* *Philippic.*, et *Pro Cherroneso;* partim ex Sallust. *De bello Catil.* in orat. Catonis; plerique omnes demum, qui memoriam ex Deo prodiderunt, idem assenserunt; mirandumque sit, et simile monstro prorsus habeatur, theologos redivivos purioris et sincerioris fidei, et doctrinæ Christianæ restitutores scilicet, eo stupiditatis, ne dicam insaniæ, nostris temporibus pervenisse, palam ut docuerint atque adeo turpiter et nequiter confirmarint Deum auctorem impulsoremque malorum esse; et quod universam impudentiam et temeritatem exsuperat, libros ea de re publicarint, simul vero posteris tradiderint.

Illud ad extremum reservatum jam demonstratis addam, Deum uti nec actum agere, sic nec auctorem mali, nec id cuiquam inferre posse; de cætero autem, supplicia et præmia cunctis peræque certissima, et ea quidem justissima semper exspectanda; similiter, prout quique promeruerint, ab eodem sempiterne subeunda et accipienda. Hactenus ille, et Christiane.

183 *Ejusdem adnotationes in cap. 78.*

Pag. 286. *Si autem alius.* Evincit ex Scripturis eumdem Deum pœnas infligere reprobis, ac electis præmia tribuere; atque his regnum, ut illis gehennam parasse; inde de malorum angelorum lapsu, improbitate et imbecillitate disserit.

Pag. 287. *Hic et caminum.* Octo has voces ex veteri codice restituimus.

Extunc enim apostata. Cacodæmonum primum peccatum invidiam fuisse docet; et eosdem tum lapsos et reprobatos a Deo, nimirum, quantum ex Scripturis potest deprehendi, cum hominem seduxerunt. Prioris partis assertores secum habet Tertullianum lib. *De patientia*, Cyprianum serm. de zelo et de bono patientiæ, de tentatione Christi; Methodium serm. de Resurrectione apud Epiphanium; Prudentium in *Hamartigenia*; Chrysologum serm. 48. Posterioris vero Justinum martyrem in *Dialogo:* « Ruina magna, ait iste, diabolus collapsus est, eo quod Evam in serpente decepisset. »

Alii autem permulti, nec ii contemnendi quidem certe, auctores Græci et Latini tradunt fastu quodam et animi elatione lapsos etiam, antequam protoparentes circumvenissent. Cujus opinionis sunt Athanasius *De virginitate* et in *Quæstionibus sacræ Scripturæ*, quæst. 6; Gregor. Nazianz. orat. 1 de pace; Chrysostomus hom. 15 in Joannem, et hom. de Adam et Eva; Ambrosius epist. 84; Hieronymus epist. ad Antonium; Augustinus tractatu 49 in Joannem; Leo Magnus serm. 4 de collectis eleemosynis; Prosper lib. III *De vita contemplativa*, cap. 2; Primasius et Sedulius in 1 cap. ad Romanos; Fulgentius lib. 1 ad Monimum; Greg. Ro. in c. II et VII primi libri Regum.

Ipse tuum calcabit caput. Loci hujus Geneseos magis varia lectio quam sensus est apud Patres. Chrysostomi interpres hom. 17 in Genesim; Augustinus XII *De Gen.* cap. 36, et lib. II *De Genesi contra Manichæos*, cap. 18; Gregorius Roman. lib. 1 *Moralium*, cap. 58; Ambrosius lib. *De fuga sæculi*, cap. 7; Bernard. hom. 2 de laudibus Virginis Mariæ, et serm. 2 de verbis Apost. « Signum magnum, » etc.; Eucherius lib. II in Genes., cap. 29. Beda et Rabanus legunt « ipsa, » ut de beata Maria, quatenus nobis concepit et peperit Christum, intelligatur. Septuaginta reddiderunt αὐτός, id est « ipse, » non αὐτή· ne τὸ σπέρμα neutrius generis referat; sed τὸν σπόρον, quod masculinum est et ejusdem significationis; Christus significetur filius

Digitized by Google

Virginis, qui fortem armatum atrio dejecit, diaboli opera dissolvit, et Satanæ caput sub pedibus suorum conterit.

Hanc lectionem Irenæus sequitur et Cyprianus lib. II *Adversus Judæos*, cap. 9; probat in *quæstionibus Heb.* Hieronym.; imitatur Chrysologus serm. 173. Hebræi habent זה, relativum masculinum, quod יצר æque masculini generis nomen refert; quæ Jonatham Chaldæus paraphrastes ita expressit, Paulo Fagio interprete: « Inimicitiam ponam inter te et inter mulierem, inter filium quoque tuum et inter filium illius: ipse memor erit istius, quod fecisti ei olim, » etc. De hoc etiam supra diximus.

Ejusdem adnotationes in cap. 79.

Pag. 288. *Cum igitur.* Diaboli, et impii omnes qui eorum nuntii et filii sunt imitatione, non natura, sibimetipsis causa sunt discessionis a Deo ac æternæ perditionis. Cæterum, ut pii viri ratione officii aliquando in Scripturis angelorum nomina sortiuntur, Isa. IX, Malac. II, Matth. XI, ita et impii filii Belial et angeli Satanæ recte nuncupantur.

Quidam ante nos dixit. Mihi, fateor ingenue, non subit quis sit iste, cujus verba adducuntur; fortassis is est, cujus tam sæpe in superioribus meminit, quem sibi ignotum scripsit Eusebius. Sententiæ porro illius non valde dissimilem habet beatus Ignatius, *Epist. ad Magnesianos.* Nazianzenus in carmine de virginitate, multis post Irenæum sæculis, idem tradit his verbis:

Αὐτὰρ ἐμοὶ τοκέες μὲν ὅσοι καλὸν ἐξεδίδαξαν,
Παῖδες δ' οὓς ἐδίδαξα.

Id est:

Sed mihi patres sunt, quotquot virtutem me docuerunt:
Filii autem quos ipse docui.

Licet sit differentia inter natum et factum. Athanasius serm. 3 contra Arianos, genitum, sive natum esse, non extraneum quiddam a natura gignentis, qualia sunt opera, denotare docet, sed quiddam proprium, quod de substantia Patris emergit; ideoque Filium Dei natum seu genitum a Patre ubique in sacris Litteris prædicari. Factum esse, seu fieri et creari, illud dici, quod a natura facientis alienum est, et essendi exordium habet, quodque creatis omnibus et solis rebus convenit; et eam ob rem Scripturas dicere: « In principio fecit Deus cœlum et terram [32] » non « in principio genuit. » Neque: « Manus tuæ genuerunt me; » sed: « Manus tuæ fecerunt me [33], » etc.

Ejusdem adnotationes in cap. 80.

Pag. 288. *Quemadmodum enim.* Omnes quidem per naturæ conditionem filii Dei sunt, non autem per gratiam et obedientiam; quandoquidem plurimi etiam cum belluis, feris et serpentibus propter varias pravitates jure comparantur.

Ira eis. Codices excusi, « ejus, » quod expunximus auctor. vet. cod. Septuaginta, θυμὸς αὐτοῖς, « furor ipsis. »

Dixit progeniem viperarum. Homines propter multiplices cupiditates, quibus a recta ratione transversi aguntur, belluarum nominibus passim designari scripsit quoque Clem. Alexandr. in *Protreptico*, ut volucrum, eos qui sunt leves; serpentum, deceptores; leonum, qui cædes et minas continuo spirant; porcorum, qui in voluptatum cœno volutantur; et luporum, qui rapaces sunt. Cæterum de viperæ natura et affectibus, multa non injucunda scripserunt Plinius lib. X, cap. 62; Athanasius quæst. 56 ad Antiochum; Ambrosius lib. V *Hexaemeron*, cap. 7, quibus qui eguerit, inde petat, licet. Videat, si velit, Nicandrum, Galenum et Dioscoridem.

Similes enim. Vet. cod. « similem Sodomitis transgressionem, et eadem quæ illis fuerunt peccata. »

Pag. 286. *Præbebimus.* Ita vetus codex, excusi « præveniemus. »

VARIORUM NOTÆ

IN LIBRUM QUINTUM SANCTI IRENÆI.

Adnotationes Fr. Feuardentii in præfationem libri quinti.

Pag. 291. Hunc librum quintum sine ulla sectione in capita hactenus reliquerunt ii qui superiores primo distribuerunt. Vetus quoque codex noster nec signata capita habuit, nec signandis argumenta suppeditavit. Quamobrem visum est eum quoque instar superiorum dividere in præfationem et capita, hisque singulis singulas item summas affigere; id quod boni et æqui pii omnes, uti spero, consulent. Apparet profecto præfationem quamdam esse initium hujus libri, quod et ἀναχεφαλαίωσιν continet præcedentium, et sequentium ὑπόθεσιν.

Et ratione. Vetus codex « ex ratione. » Existimem Irenæum innuere velle se hæreses istas evertisse, partim Scripturis, partim rationibus ab ipsis hæresibus petitis; quando illas inter sese, et cum veritate prorsus pugnare in superioribus libris centies ostendit.

Quoniam et in administratione. Cum episcopus esset Galliarum primarius et cerneret Gnosticos graves et perniciosos lupos ovibus suis imminere, officii sui putavit esse illos erroris sui admonere et convincere, antidotumque adversus eos aliis subministrare; cujus diligentiam et sedulitatem utinam imitarentur successores.

Ab Ecclesia acceperunt. Docet fidem niti verbo Dei, quod sola Ecclesia catholica custodit, probat et intelligit; ideoque a Paulo dicitur columna et firmamentum veritatis. Consule cap. 4 lib. III, et 45 lib. IV.

Oportebit autem. Vetus codex, « oportebit et te, et omnes lectores, » etc.

184 *Ejusdem adnotationes in cap.* 1.

Pag. 292. *Non enim aliter.* Apparet hic novum argumentum tractari: quæ causa fuit, ut inde caput primum inciperemus, etiam repugnante rationis particula « enim. » Certum est autem auctorem superiores libros suos nequaquam partivisse: itaque eamdem mihi veniam hic dari postulo, quæ superioribus concessa est: qui dum primi saxum hoc volverent, forsitan oneri succubuerunt.

Non cum vi. His lucem afferent Augustini et Leonis verba; illius XIII *De Trinitat.*, cap. 15: « Placuit Deo propter eruendum hominem de diaboli potestate, non potentia, sed justitia diabolus vinceretur; atque ita et homines imitantes Christum, justitia quærerent diabolum vincere, non

[32] Gen. I, 1. [33] Job X, 8.

Digitized by Google

potentia. » Hic serm. de Nativit. magna æquitate Dominum nostrum cum sævissimo hoste nostro concertasse scribit, quod non in sua majestate, sed in nostra humilitate congressus sit.

Suo igitur sanguine. Theodoretus dialogo 3 hanc sententiam transcribit usque ad illud : « Et effundente Spiritum, » etc., docens Christum juxta deitatem impatibilem et immutabilem perpetuo mansisse.

Vani enim sunt. Hunc quoque locum usque ad id: « Et reprobent plasmationem Dei, » idem Theodoretus habet dialogo 2, quo docet Christum sine ulla naturarum confusione Deum simul et hominem esse.

Abrahæ et reliqui prophetæ. His omnino similia sunt, quæ habet Eusebius lib. I *Demonst. evang.* cap. 5. Dei enim Verbum, quem Christum appellare consuevimus, Abrahæ, Jacobo, Jobo et aliis patriarchis, non minus cognitum fuisse quam nobis, sacrarum Litterarum testimoniis contendit, eosdemque vitam ac mores suos composuisse ad ejus pietatis normam, quam Christus per omnes gentes postea disseminavit; et ob id Christi appellationem illos nobiscum communem habere, juxta id quod de illis in Psalmo dicitur : « Nolite tangere christos meos [35]. » Subscribit ei Origenes hom. 5 et 8 in Gen., omnesque fere prisci scriptores ecclesiastici, ut in superioribus sæpe indicavimus.

Pag. 293. *Qui operatus est incarnationem ejus.* Docet solum quidem Filium Dei incarnatum esse, sed hanc incarnationem effectam etiam a Patre et Spiritu; quod et Augustinus apertioribus verbis istis exprimit: « Natus est ex Virgine non nisi Filius; et vox de nube : « Tu es Filius meus dilectus [36]; » ad solius personam pertinet Patris; et in specie corporali columbæ solus apparuit Spiritus sanctus; tamen et illam carnem solius Filii, et illam vocem solius Patris, et illam speciem solius Spiritus sancti, universa Trinitas operata est. » Libro *De Trinitate et unitate Dei*, cap. 9. Et idem rursum alibi: « Filius quidem non Pater, natus est de Maria Virgine; sed ipsam nativitatem Filii et Pater et Filius operatus est. » Serm. 65 de verbis Dom., et lib. L Homiliarum, hom. 32 et 43.

Inspiratio vitæ. Vetus cod. « aspiratio; » sic enim vocat animam rationalem, quam Deus in faciem corporis humani spirando creavit et infudit.

Effecit hominem. Expunximus « effecit » vet. cod. auct.

Ex Joan. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 1.

Pag. 292. Δόντος τὴν ψυχήν, etc. Adde ex Latino τὴν ἑαυτοῦ, sicuti mox subjungit σάρκα τὴν ἑαυτοῦ. Cæterum et Hilarius diaconus Romanus in I Cor. XI, apud Ambros. « Caro, inquit, Salvatoris pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra effusus est, sicut prius præfiguratum fuerat a Moyse. Sic enim ait: Caro pro corpore vestro offertur; sanguis vero pro anima : ideoque non manducandum sanguinem. » Quæ citantur quoque a Petro Lombardo, lib. IV *Sentent.*, dist. 11, lit. F.

Pag. 293. *Reprobant itaque hi commistionem vini cœlestis, et sola aqua*, etc. Alludit ad abusum Ebionæorum, sola aqua in eucharistico calice utentium, teste Epiphanio hæres. 30, § 16, cujus verba si evolvere placeat, confer simul quæ de eorum versione notavi ad *Spicileg. Patrum* sæc. I, pag. 544.

Manus Dei. Hic et alibi Filium et Spiritum Dei Patris « manus » vocat Irenæus, ratione scilicet creationis mundi ac præcipue hominis. Quemadmodum enim nos ope manuum nostra opera perficimus, ita et Pater per Filium et Spiritum sanctum sibi consubstantiales machinam hujus universi condidit, ac hominem in ea perfectum creavit.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 2.

Pag. 294. *Vani autem et qui in aliena.* Marcionitæ hunc mundum ab alio Deo quam a Patre Domini nostri Jesu Christi factum dicebant; Valentiniani a Demiurgo; alii vero Gnostici ab angelis; proindeque Dominum nostrum non in sua, sed in aliena venisse. Hæc copiosius lib. III, c. 11.

Nihil enim ante dedimus. Vult nullis præcedentibus hominum meritis, sed sola gratuita Dei misericordia effectum esse, ut Filius Dei homo factus corpus in ara crucis obtulerit, et sanguinem fuderit pro expiatione peccatorum totius mundi. Idem aperte Paulus : « Cum adhuc inimici essemus, ait, reconciliati sumus Deo per Christum [37]. » Et alibi negat idem ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, tantum beneficium contigisse. Zacharias quoque visceribus divinæ misericordiæ imputat quod nos visitarit Oriens ex alto. Acute et diffuse hæc pertractat Augustinus lib. XIII *De Trinitate*, cap. 16 et 19, et in *Enchiridio*, cap. 36.

In sinum. Ita vetus codex; excusi, « in sinu. »

Dicentes non eam capacem esse incorruptibilitatis. Variæ pridem sectæ in hujus opinionis cœno volutatæ sunt; nam inter Judæos Sadducæi negarunt carnis resurrectionem. Illam jam factam fuisse, nec ultra exspectandam, dixerunt Hymenæus et Philetus. Simoni Mago, Valentino, Apelli, Cerdoni, Cajanis, Severianis, Archonticis et Proclianitis hunc errorem Augustinus impingit; sicuti Basilidi, Marcioni et Ophitis Tertull. Consentit ei de Marcione Irenæus lib. I, cap. 24. Si quem autem delectat præter hos Irenæi locos evidentissimis Scripturis probatam legere fidem nostram de resurrectione, Tertulliani consulat lib. *De resur.*, Athenagoram *De resurrectione*, Ambrosium lib. *De fide re urrectionis.*

Sic autem secundum hæc videlicet. Vet. cod., « Si autem non salvetur hæc, » etc. Quia totum hunc Irenæi locum ab Œcolampadianis corruptionibus vindicat et dilucide explicat doctus et sanctus vir episcopus Roffensis, lib. IV *De eucharistia*, cap. 23, 24, 25, verba illius singulis sententiis addere commodum est. « Eos incessit Irenæus, inquit ille, qui resurrectionem futuram non credunt, quandoquidem sciunt et Christum suo sanguine nos redemisse, et eumdem sanguinem in eucharistia nobis communicasse, pariter et suum ipsius corpus; ex quibus apertissimum est, nos aliquando resurrecturos, quemadmodum et ipse resurrexit. » Et aliquanto post : « Qui negant salutem carnis, hoc est resurrectionem carnis ad futuram incorruptibilitatem, et hi regenerationem ejusdem spernunt, universam dispositionem Dei contemnunt. Et vani sunt omnimodo; quoniam ita nec Dominus sanguine suo redemit, neque calix eucharistiæ communicatio sanguinis ejus est, neque panis quem frangimus communicatio corporis ejus est. Quare cum verus sit sanguis, quem pro nobis effundit, nos eodem vero sanguine, veraque carne sua pascat; consequitur, ut qui sic redempti sumus, regenitique et pasti, vere tandem simus ad immortalitatem resurrecturi. Hanc collectionem istis verbis facit Irenæus. »

Sanguis enim. Roffensis : « Docet non esse figuratum sanguinem, sed verum, qualis in ipsis venis (quæ et vasa sanguinis dicuntur) continetur. »

Qua vere factum Verbum Dei. Vetus cod., « qua vere factum est Verbum Dei. »

Et quoniam membra sumus. Roffensis : « Diligentius attende quæ dicat Irenæus. Quoniam, inquit, ejus membra sumus, idcirco nolunt sanguinis sui esse expertia; sed sicut solem et pluviam nobis impertit, ita verum ipsius sanguinem in calice, et verum corpus in specie panis se dedisse testatus est. »

Suum sanguinem qui effusus est. Decem et septem has voces, quas hactenus desideraverant omnes excusi codices, ex veteri restituimus. Quia vero hic nihil omnino de signo, figura, metonymiave carnis

[35] Psal. CIV, 15. [36] Matth. III, 17; Marc. I, 11; Luc. III, 22. [37] Rom. V, 10.

Digitized by Google

et sanguinis meminit Irenæus; idcirco cuivis perspicuum est nullum tropum, nullam metonymiam in his illum agnoscere.

Cæterum pie sancteque dicit sanguinem nostrum ex Christi sanguine, et corpora nostra ex corpore Christi adaugeri, quoniam ejus reali perceptione et communicatione non solum e sepulcris pulveribusque suscitabuntur, sed et præstantissimis immortalitatis, agilitatis, claritatis subtilitatisque dotibus augebuntur, immortalisque gloriæ tantam accessionem capient, ut in vitam plane cœlestem et sempiternam cum Christi capite suo subleventur. « Oportet enim, ait Apostolus, mortale hoc induere immortalitatem et corruptibile hoc induere incorruptibilitatem [58]. » Et iterum: « Christus reformabit corpus mortalitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ [59]. » Quid ita? Respondet idem Christus: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo: et ego resuscitabo eum in novissimo die. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Qui manducat me, vivet propter me [60]. » Alium testem exoptas? En **185** Augustinum ad suos et posteros testificantem, « eos a quibus hic cibus sumitur, immortales et incorruptibiles facit in societate sanctorum, ubi pax erit, et unitas plena atque perfecta [61]. »

Ex his insuper observandum relinquit Irenæus, illos male semper de vera corporum nostrorum resurrectione sensuros et credituros, qui veram vivificatricis carnis Christi in eucharistia præsentiam et participationem abnegabunt et oppugnabunt: quod jam Farellus, Genevanæ apostasiæ primus auctor et Calvini in illa cathedra pestilentiæ antecessor, plus satis ostendit eamdem resurrectionem impossibilem esse, cum ethnicis, Simonianis et Marcionitis clamitans. Hoc enim Calvinus indicat, quando ad illum ita scribit: « Quod res tibi incredibilis videtur, hujus carnis resurrectio, nihil mirum, » etc. Ecce quam semper in pejus mali homines proficiunt, etc. De his quoque scripsimus in caput 34 lib. IV, nota 22.

Quando ergo et mistus calix. Roffen. ita Œcolampadium convenit: « Finge, si potes, quibus verbis Irenæus potuit rem pro nobis aperuisse dilucidius. Quando, inquit, mistus calix, et fractus panis percipit verbum Dei, fit eucharistia corporis et sanguinis Christi: hoc est, prolatis super pane et vino Christi verbis, protinus fit ex eis corpus et sanguis Christi. »

Fractus panis. Ita legunt Roffensis et Œcolampadius lib. IV *De eucharistia*, cap. 23, quos secuti sunt codices Lausanæ et Basileæ 1571 excusi, apud Episcopios; alii omnes, « factus panis, » quibus consentit noster vet. cod. Cæterum consecrationis verba, quæ super panem et calicem mistum proferuntur, penitus necessaria esse ad eucharistiæ perfectionem istis verbis agnoscit Irenæus; indeque sequitur, Gnosticis posterioribus nullum omnino ejus sacramenti usum exsistere; quandoquidem solius prædicationis verbum, consecrationis contra nunquam admittant. De his copiosius disseruimus in 34 cap. lib. IV.

Ex quibus augetur. Roffensis: « Porro quod dicit ex his augeri corpora nostra, isthuc, opinor, spectat, ut sicut tritici granum post mortificationem ejus auctius et multiplicius ex terra surgit, ita et corpora nostra, postequam ad exinanitionem cinerum per mortem redacta sunt, virtute tamen carnis ipsius vivificatricis, qua pasti sumus et unum effecti cum illo capitali grano, tandem ad cumulatiorem resurgemus gloriam. »

Quomodo carnem negant. Tam constans et gravis interrogatio plus majestatis et ponderis habere videtur, quam si absoluta et simplici affirmatione usus esset. Docet autem carnem nostram ideo capacem esse vitæ cœlestis ac æternæ, quod revera corpore et sanguine Christi foveatur. Ergo eucharistiæ perceptione, non tantum animi cogitatione, aut fidei illa de cœlo apprehendentis ore, quemadmodum comminiscuntur Calviniani; sed reipsa et corporis ore substantialiter præsentia suscipiuntur et comeduntur, juxta Christi præcepta: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis [62], etc.; accipite et comedite, hoc est corpus meum [63]. » Hoc ipsum quoque docet Tertull. scribens: « Caro nostra corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur [64]. » Hinc Chrysostomus exclamat: « O miraculum! O Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, in illo temporis articulo omnium manibus pertractatur [65]. » Et rursum: « Hic plenus exsistens, et illic plenus; unum corpus, » etc. Hom. 17 in Epist. ad Heb. Et Basilius Magnus in Liturgia: « Qui sursum Patri consides, et hic nobis invisibiliter coexsistis. » Nyssenus denique oratione de Paschate: « Innumerabilibus locis consecratur, et tamen unum corpus est. » Videatur idem orat. catech., cap. 37, et Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 4, mystagogica, etc. Ex his autem constat et eamdem Christi carnem in eucharistia reipsa præsentem adesse, tametsi in plurimis locis conficiatur et distribuatur; et corporis ore vere percipi et sumi, et hujus participatione jus et arrham resurrectionis, adeoque ipsam immortalitatem ex ipsa et per ipsam corpora nostra vere sumere. Hinc pius doctusque Roffensis: « Non jam disquirimus an vere corpus et sanguis Christi sint in eucharistia, quemadmodum omnes orthodoxi sentiunt, an figurate solum, ut hæretica impietas arbitratur. Quod sequitur in Irenæo, nostram sententiam apertissime comprobat. Quomodo, inquit, hæretici negant carnem esse capacem donationis Dei, hoc est, æternæ vitæ, quandoquidem Christi corpore sanguineque nutritur, et fit ipsius membrum? Quid, precor, dilucidius pro nobis dici queat? »

Corpore Christi nutritur. Absurdam esse hanc Irenæi locutionem garrienti Œcolampadio ita occurrit Roffensis lib. IV, cap. 20: « Alere multa dici possunt, quæ minime tamen in carnem vertuntur, quam fovent. Aurum enim et margaritæ, gemmæque pretiosæ cum in medicaminibus teruntur, multam asserunt a medicis virtutem et fomentum præbere corpori, nec tamen ipsa vertuntur in substantiam corporis. Et pari modo, quid prohibet vivificatricem Christi carnem, illis a quibus pie sumitur, potentissima quadam et ineffabili sua virtute præstare fomentum et modo quodam alere?

Quemadmodum et beatus Apostolus ait. Roffensis: « Confirmat sententiam suam Irenæus verbis Apostoli. Non hic disputo quam recte sensum attingat apostolicum: sed hoc interim affirmo neminem apertius docere corpus et sanguinem Christi contineri in eucharistia, quam hic faciat Irenæus; usque adeo ut fateatur etiam nos, qui Christi carne vescimur, et bibimus ejus sanguinem, non hominis alicujus imaginarii et spiritualis carnem edere sanguinemque bibere; sed ejus qui vere naturam habet hominis, carnibus nervisque constantis, propterea non imaginario sanguine, neque carne imaginaria, sed vero sanguine veraque carne Christi nos asseri nutriri. »

Et quemadmodum lignum vitis. Roffensis: « Carnem Christi tantas vires nostræ carni præbere, ut postquam hæc incinerata fuerit tandem reviviscat, hoc exemplo apertissime demonstrat. Ecce liguum vitis, tametsi mortuum videatur, depositum nihilominus in terra suo tempore fructificat. Similiter et

[58] 1 Cor. XV, 53. [59] Philip. III, 21. [60] Joan. VI, 55, 57. [61] Tractat. 26 in Joan. [62] Joan. VI, 54. [63] Matth. XXVI, 26; Marc. XIV, 22; Luc. XXII, 19. [64] Lib. De resur. carnis, c. 8. [65] Lib. III De sacerdotio.

Digitized by Google

granum tritici, quanquam seminatum in terra mox corrumpitur, tamen postea cum ampliori fenore resurgit ; et hæc per naturam fieri conspicimus. Quid ergo mirum si corpora nostra carne et sanguine Christi nutrita, postquam redacta sunt in cineres ; per hujus tamen escæ vires et efficaciam, operante Spiritu, Verboque Dei, resurgant ad immortalitatis gloriam? » De reliquis doctissimis et pulcherrimis hujus auctoris verbis supersedeo ; quæ quisquis accurate expenderit pieque vixerit, mirabor si sibi non persuadeat meram et puram corporis et sanguinis veritatem in eucharistia.

Depositum in terra. Vetus codex, « dispositum in terram ; » nihil muto, quod sensus idem sit.

Et percipientia verbum Dei. Novem has voces, quas manifeste desiderabant omnes excusi codices, ex veteri restituimus.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 2.

Pag. 239. *Universam dispositionem.* Græce οἰκονομίαν, id est, nativitatem, passionem et mortem Salvatoris ; hæc enim omnia voce οἰκονομίας in S. Patrum monumentis denotari constat.

Secundum hæc videlicet, nec Dominus sanguine suo redemit nos, etc. Id est, si Christus non est incarnatus, ergo non redemit nos sanguine suo, quia sanguis non est nisi a carne et venis ; ergo in eucharistia non communicat nobis suum sanguinem, siquidem nullum habuit, si non fuit incarnatus ; neque item corpus suum ; nec enim potuit panem in corpus suum vertere et nobis illud dare, si nullum corpus habuit. Atqui vere nos redemit sanguine suo, teste Apostolo, et vere nobis dedit seu communicavit in eucharistia corpus et sanguinem suum, ergo vere est incarnatus. Halloix, in *Vita Irenæi*, cap. 29, pag. 553, *sic a Grabio citatus.*

Neque calix eucharistiæ communicatio sanguinis ejus est, neque panis quem frangimus, etc. Eodem argumento usus est Tertullianus lib. IV *Contra Marcionem*, cap. 40 : « Acceptum panem et distributum discipulis suis corpus suum illum fecit ; Hoc est corpus meum, dicendo, id est, figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Cæterum vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset... Sic et in calicis mentione testamentum constituens sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmavit. Nullius enim corporis sanguis potest esse, nisi carnis. Nam et si qua corporis qualitas non carnea opponetur nobis, certe sanguinem nisi carnea non habebit. Ita consistit probatio corporis de testimonio carnis, probatio carnis de testimonio sanguinis. »

Pag. 294. *Τὸ κεκραμένον ποτήριον.* Sicuti supra p. 57, lin. 1 (p. 60, lin. 15), Marcum hæreticum ποτήρια κεκραμένα οἴνῳ consecrasse refert ; ita hoc loco catholicis quoque crama istud in usu fuisse insinuat ; quod et ex Justini martyris *Apologia* ad Antoninum, pag. 125 nostræ editionis, lin. 12, pag. 128, lin. 1, ac pag. 131, lin. 23, aliisque scriptoribus constat. Fecerunt id exemplo ipsius Servatoris nostri, qui in prima sacra cœna « temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit, » ut Irenæus supra pag. 357, col. 2, lin. 1 (pag. 270, col. 2, lin. 39), scribit, et « mistionem calicis novam in regno cum **186** discipulis habiturum se pollicitus » est, prout inferius cap. ultimo in fine loquitur. Neque hac de re dubitabit, qui istum ritum inter Judæos adeo receptum fuisse consideraverit, ut paschale epulum haud rite mero vino sine aqua se celebrare putaverint, sicut ex Maimonide *De solemnitate paschali*, cap. 7, § 9 probavit auctor egregii plane, licet anonymi tractatus Anglice scripti, « De jejunio quadragesimali, honoris causa a me nominandus, D. Georgius Hooperus, decanus Cantuariensis. Atqui hæc Judæorum ante Christum, et Christianorum post eum continua praxis ac doctrina, sicut Idem ab ipso Christo factum indicat, ita et omnibus faciendum injungit. Nam, uti S. Cyprianus epist. 63 scribit : « Si in sacrificio, quod Christus obtulerit, non nisi Christus sequendus est, utique id nos obaudire et facere oportet, quod Christus fecit, et quod faciendum esse mandavit (dicens : Hoc facite in mei commemorationem [46]), quando ipse in Evangelio dicat : « Si feceritis quod mando « vobis, jam non dico vos servos, sed amicos [47]. » Integra scilicet epistola ista opposita erat iis, qui solam aquam in eucharistico poculo offerebant, exemplo Ebionitarum, de quibus vide præced. pag. 394, col. 1, lin. 30 seqq. ac ibidem not. 7. Contra illos itaque inter alia argumenta ipsum factum Christi, in institutione sacramenti mistum calicem offerentis, valde urget ; quodque adversarii majorum suorum consuetudinem opponerent, modo citatis post pauca subjungit : « Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid alius ante nos faciendum putaverit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem ; cum per Isaiam prophetam Deus loquatur et dicat : « Sine « causa autem colunt me, mandata et doctrinas « hominum docentes [48] ; » et iterum Dominus in Evangelio hoc idem repetat, dicens : « Rejicitis « mandatum Dei, ut traditionem vestram statua« tis [49], » etc. Quæ idcirco profero, ut ea considerent qui contra in eucharistico calice solum vinum sine aqua sacræ mensæ apponunt ; perinde, ut in Oriente faciunt Armenii, ideo rejecti canone 32 synodi Trullanæ, privatos scriptores, veluti Theophylactum in cap. XIX Joannis, aliosque ut præteream. Sane S. martyr Cyprianus alterutrius, sive vini, sive aquæ defectum reprehendit, inter alia scribens : « In sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis (quos per aquam vino mistam in calice designari ante hæc probaverat) ; si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo : quando autem utrumque miscetur et adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc sacramentum spirituale et cœleste perficitur. » Cæterum iisdem, quibus laudatus martyr epistolam suam clausit verbis, hujus adnotationis finem facio : « Religioni igitur nostræ congruit, et timori, et ipsi loco atque officio sacerdotii nostri... in Dominico calice miscendo et offerendo custodire traditionis Dominicæ veritatem, et quod prius apud quosdam videtur erratum, Domino monente corrigere ; ut cum in claritate sua et majestate cœlesti venire cœperit, inveniat nos tenere quod monuit, observare quod docuit, facere quod fecit. »

Ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ. Hæc cum utraque citatio et vetus etiam versio Irenæi agnoscat, plurimum inde confirmantur, ideoque merito rejicitur adnotatio Grotii ad Ephes. v, 30, suspicantis verba ista, quod in ms. Alexandrino haud exstent, a quopiam ad marginem ascripta, in textum apostolicum irrepsisse. Imo potius in dicto codice et versione Æthiopica, occasione recurrentis ultimæ vocis αὐτοῦ, omissa videntur.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 3.

Pag. 295. *Ut veritatem simul.* Vetus codex, « ut nec veritatem simul et dilectionem auferret ab eo, et eam quæ est ad eum, qui fecit eum. Utrorumque enim experientia vera, » etc. Quia meliorem excusorum codicum lectionem judicavimus, hæc tantum indicamus.

Quoniam sumpsit Deus. Eodem pacto Tertullianus lib. *De resurrect. carn.* : « Idoneus est, scribit, reficere carnem qui fecit' : quanto plus et fecisse, quam refecisse, initium dedisse, quam reddidisse? Ita restitutionem carnis faciliorem credas institutione. » Similia rursus idem tradit cap. 45 *Apolog.*,

[46] Luc. XXII, 19. [47] Joan. XV, 14, 15. [48] Isa. XXIX, 13. [49] Marc. VII, 8.

Digitized by Google

quibus astipulatur Athenagoras libello *De resurrect. carnis;* ornate et copiose præ cæteris Clemens Roman. lib. v *Constit. apostol.*, cap. 8, et Cyrillus Jeros. catech. 18.

Pag. 296. *Nondum factus.* Octo istas dictiones ex veteri codice restituimus.

Quæ autem sapientia. Vetus cod., « quæ autem sapientiam participant Domini. »

Quæ jam meditata et assueta sit. Id est, quæ se in eo exercuerit et assuefecerit. Nam μελετῆσαι, est meditari et exerceri, sive præparari ad aliquid; unde μελέτας declamationes et exercitationes rhetorum appellant. Fortasse scripsit Irenæus μεμελετημένη καὶ εἰθισμένη, exercitata et assuefacta. Expunximus « assuescit, » et ex vet. cod. reposuimus « assueta sit. »

Quoniam autem participatrix vitæ. Quædam hoc loco adjicit vet. cod. quæ textui inserere noluimus, quoniam plenum sensum non reddant, sed alia desiderare videantur, et ea sunt : « Quoniam autem participatrix vitæ sit caro, ex hoc quod juvat ostenditur, rei vitam manifestum est; illo enim præstante vitam nobis vivimus, » etc.

Ejusdem adnotationes in cap. 4.

Pag 197. *Præter Demiurgum.* Tres has voces codices omnes excusi hactenus desiderarant. Porro lib. I, cap. 1, 13, 16, 19, 25, 33, satis superque illos dinumeravit, qui alium Deum a mundi conditore constituerunt.

Per prophetas. Notissimæ et certissimæ sunt prophetiæ de carnis resurrectione in libro Job, cap. XIX, 25 et 27. Item Ezechielis XXXVII, 3, 4, etc.; Danielis XII, 2; Isaiæ XXVI, 19; ex quibus Tertullianus, Ambrosius, Cyrillus et alii, post Irenæum futuram generalemque nostrum omnium resurrectionem adversus hostes ejus confirmant.

Quibus a sua. Novem has dictiones ex veteri cod. adjecimus, et non ita multo post, tres alias.

Ejusdem adnotationes in cap. 5.

Pag. 298. *Legant Scripturas.* Genesis v capite Adam 930, Seth 912, Enos 905, Cainan 910, Malaleel 895, Mathusala 969 annis vixisse referuntur. Augustinus XV *De civitate*, cap. 12, nullo modo audiendos censet, qui putant aliter annos illos illis temporibus computatos, i. e. tantæ brevitatis, ut unus annus noster decem illorum habuisse credatur. Irenæus quoque idem pro certo habet, alias nullum inde traheret argumentum.

Verum quia multi hoc tam breve vivere nostrum secum reputantes, et Scripturæ auctoritatem convellere non audentes, annos illos non solis circuitu, sed lunæ senio confici putarunt, ut pro annis menses habeantur; Varronem quoque Romanorum doctissimum, atque Plinium, incertum, fabulosum, aut id etiam impossibile existimasse, quod fertur de tanta priscorum vivacitate, totque annorum sæculis compertum habeam; idcirco rem istam paulo accuratius excutere non erit injucundum. Ac inprimis non video, cur primigeniorum hominum vitam tantopere miremur, cum nostra diuturnior sit, si lunæ menstruis et non solis periodo annos illorum metiamur; quandoquidem si qui nostrum ad centesimum pervenit annum, tum ille 1200 lunares annos vivere certum est, quod nulli unquam veterum datum fuit. Ad hæc, Josephus lib. I *Antiq.* rationes non contemnendas reddit, cur illi in tot sæcula vitæ suæ tempora prorogare potuerint. Illi nimirum Deo amici, et ab ipso prorsus producti, et integriore utentes alimento; præterea etiam virtutis gratia, ut et res posteris perutiles invenirent et traderent, ob id non injuria multis annorum chiliadibus vixisse putandi sunt.

At ut ethnicis os obstruamus, qui hac in re Scripturis divinis fidem non habent; ex illorum auctoribus producamus nonnullos, quos longissimam vitam vixisse negare non poterunt. Plinius ipse Valerio Corvino et Metello 100 annos tribuit [80]; Terentiæ Ciceronis 117; Arganthonio regi 150; Cyniræ 160; Ægimio 200; Pictoreo 300; Dandoni 500; alteri ex Xenophontis auctoritate 800. Lucianus libello, cui titulus est, *Περὶ μακροβίων*, i. e. *De iis qui ad longævam ætatem pervenerunt*, Tiresiam vatem ad sex usque ætates, Nestorem ad tres vitam produxisse scribit; Numam Pampilium et Servium Tullium 80; Tarquinium 90; Agathoclem et Hieronem 92; Cyrum 100; Mnascirem 69; Manonem, 115; Democritum, 104. Xenophilum 105; Solonem, Thaletem, Pittachum, 100; Ctesibium, 124 annos vel attigisse vel superasse, et quamplurimos alios macrobios asseverat et dinumerat, Homero, Herodoto, Anacreonte et multis aliis laudatis auctoribus. Valerius Maximus Æthiopes Indosque 150 annos transgredi, Epirotas quosdam 200 explere, et Litorium quemdam trecentesimum cumulasse testis est. Quid igitur de nostris garriunt, quos e Scripturis nongentos attigisse docemus? Concedant saltem homini, cui uni, ut scribit Plinius [81], immensa vivendi cupido, quod cornicibus et cervis non denegant. Cornices novem sæcula vivere posse concedunt 187 Hesiodus, Virgilius, Ovidius, Martialis. Hesiodi versiculum de cervis Virgilius interpretatur :

Et quater egreditur cornicis sæcula cervus.

Satyricus etiam poeta :

Jam juvenem torquet longa et cervina senectus [82].

Sed de his pro occasione satis.

Enoch placens Deo. Hunc Irenæi locum sic exprimit Tertullianus : « Quod hodie Enoch et Elias nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi, qua tantum de orbe translati, et hoc ipso jam æternitatis candidati ab omni vitio, et ab omni damno, et ab omni injuria et contumelia immunitatem carnis ediscunt; cujuam fidei testimonium signant, nisi quia credi oportet hæc futuræ integritatis esse documenta [83] ? » Epiphanius quoque, in *Anchorato*, vocat Enochum et Eliam duos primogenitos nostræ resurrectionis : et illum quidem in præputio et conjugali contumelia, hunc autem in circumcisione et virginitate, quibus subscribit Augustinus XV *De civit. Dei*, cap. 19. Clementis Romani verba sunt, lib. v *Constit.*, cap. 8 : « Si voluisset Deus homines immortales manere, quod hoc facere potuit ostendit in Enoch et Elia, quos mortem experiri non permisit.

Illuc translatos esse. Disputationem de loco in quem Deus transtulerit, et hucusque viventes conservarit Enochum et Eliam, Augustinus judicavit ad fidem non pertinere, lib. II *De peccato originali*, cap. 23. At cum hic Irenæus doceat apostolorum discipulos et auditores, illos in paradisum terrestrem, ubicunque ille sit, translatos fuisse, indeque qui adversus Antichristum prælientur, venturos; cui sententiæ omnes fere Græci et Latini Patres astipulantur; mihi parum tutum videtur aliter nunc sentire. Patrum nomina locosque in quibus id legimus, præter eos quos in cap. 30 libri quarti adduximus, hic signare in gratiam studiosorum e re est. Nicodemus *Histor. de resurrectione Domini*; Isidorus *De vita et obitu sanctorum*; Hippolytus martyr orat. *De Antichristo*, Ambrosius in cap. IV Roman.; Athanasius lib. *Quod Nicæna synodus*, etc., Gregorius in XVIII, cap. Job et hom. 12 in Ezechiel; Hieronymus epist. ad Pammachium adversus errores Joan. Jeros. Damascenus lib. IV cap. 28, Justinus martyr quæst. 85 ad orthod., Aretas Cappadox in XI cap. Apocal., Procopius Gazæus in IV Genes. Plures alios legendo notes licet.

[80] Lib. VII, cap. 48, Valerius lib. VIII, cap. 14. [81] Lib. VIII, cap. 14. [82] Juven. sat. XIV, v. 251. [83] Lib. De resur. carn.

Digitized by Google

Conuspicantes. Ita codex vetus; excusi, « conspicantes. »

Ananias etiam. Eadem habet Tertullianus hisce verbis : « Corporum a resurrectione futuræ integritatis documenta fuerunt vestimenta et calciamenta filiorum Israelis indetrita quadraginta annis ; et quod Babylonii ignes trium fratrum nec thiaras, nec sarabara læserunt, quod Jonas incolumis exspuitur [54]. » Et Clemens Rom. lib. v *Constit.*, cap. 8 : « Qui Jonam post tertium diem vivum incolumemque de ventre ceti eduxit, et tres pueros Babylonico camino eripuit, is quoque nos poterit a morte excitare.

Et inopinata et impossibilia naturæ. Admodum recte sancteque pronuntiat de immensa et incomprehensibili Dei potentia, qua res non solum omnem vim creatam exsuperantes, sed et humano judicio incomprehensibiles et impossibiles nullo labore perficiat : ut camini Babylonici diligenter expensa historia palam manifestat. Nam idem ignis simul et semel summo ardore ferrea vincula sanctorum liquefecit, Chaldæosque satellites absumpsit ; sanctos vero ipsos instar roris et venti suaviter flantis refrigeravit, nec vestis aut capitis pilum levissimum attigit. Potuisset addere ferrum securis simul levitate innatans et ferri gravitatem retinens. Item aquas maris Rubri simul instar muri assurgentes et rigentes, cum tamen simul natura graves essent et liquidæ. Sed ad alia properans tantum subjicit : Deum eorum quæ fecit legibus non esse subjectum, sed e contrario, cunctas res conditas una cum legibus suis subditas esse voluntati ejus. Denique hoc manifestissimo et certissimo a Filio Dei nobis dato primo principio : « Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum [55], » contentus, propositam de resurrectione disputationem persequitur.

Hanc autem viri apostolici « de omnipotentia Dei » doctrinam observare vixum est in Sacramentariorum diabolicam plane blasphemiam, qua dicunt « Deum nec intelligere, nec velle, nec unquam efficere posse, ut idem numero corpus Christi Filii sui simul sit in plurimis locis. » Et ne quærantur hoc illis perperam a nobis objici, ecce Bezæ verba : « Quædam ita in rebus insita sunt ut si mutentur, rerum ipsarum interitum necessario secum trahant ; quo fit ut, salvis rebus, Deus illa mutare nec velit, nec possit [56]. » Et rursus in libro *Contra Selneccerum* ait : « Concludimus ergo Christum non modo nolle, verum etiam non posse velle corpus suum multis simul in locis sistere. » Et ne solus Beza in tam tetro errore versari putetur, Carolstadius dialogo *De cœna*, Œcolampadius libro *De verbis Domini*, Zoinglius lib. *Contra Lutheri Confessionem*, Petrus Vermilius lib. *Contra Bruentium*, Simonius *Contra Schegkium*, Abdias Liberinus in *Syntagmate*, Smlerus *Contra Jacobum Andream*, Thalmannus in *Assertionibus*, Danæus libris *Contra Selneccerum et Chemnitium*; et ut contraham, Sacramentarii omnes hac eadem adversus infinitam Dei potestatem impietate et blasphemia sunt commaculati. Hanc superiore anno refutavimus in dialogis. Hic solum hæc sanctissima Augustini verba subjicio : « Sicut non fuit impossibile Deo, quas voluit instituere ; sic ei non est impossibile, in quidquid voluerit, quas instituit, mutare naturas [57]. »

Ejusdem annotationes in cap. 6.

Id est, per Filium et Spiritum sanctum. Quando sic Spiritum sanctum connectit Patri et Filio in hominis creatione, uti et paulo superius docuit ad illum quoque pertinere hæc verba : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram [58] ; » clarum et certum est, quod et ipsum natura Deum, Patri et Filio cœternum et consubstantialem pronuntiat, ut et alibi adversus Centuriatorum sycophantias signavimus.

Admista ei carni. Ita vetus codex ; excusi omnes, « admistæ in carne. »

Quæ est plasmata secundum imaginem Dei. Videtur imaginem Dei in carne constituere ; quod Augustinus improbat, lib. XII *De Trinit.*, cap. 7, et lib. VI *De Genes. ad litteram*, cap. 12. Idem rursus lib. *De hæresibus*, post Philastrium, eam opinionem inter hæreses annumerat. Cassianus quoque, collatione 10, Anthropomorphitas Deum ideo corporeum dixisse scribit, quod juxta corpus hominem ad imaginem suam fecisset.

Absit autem ut hæc Irenæi verba ullum errorem continere dicamus ; quandoquidem imaginis nomine formam in cœlum erectam, vitam immortalem, aliaque non exigua dona corpori ipsi a Deo collata intelligit ; quibus animi facultates internæ indicabantur, et Creatoris potentia, sapientia bonitasque referebantur ; quæ etiam Augustinus ipse nunc similitudinem Dei, nunc vestigia nominat, lib. I *De Genes.*, cap. 16, et lib. VI, cap. 12.

Quemadmodum multos audivimus fratres. Hæc Irenæi verba recitat Eusebius, usque ad illud, « quos et spirituales Apostolus vocat, lib. V *Historiæ*, cap. 7. Similia istis videre etiam licebit supra lib. II, cap. 57, quo loco quædam adnotavimus.

Propter effusionem Spiritus. His agnoscit primum hominem conditum fuisse cum excellenti et copiosa donorum Spiritus sancti effusione, utpote justitia originali, rerum omnium scientia, summa animi rectitudine, posse non peccare et non mori, aliisque divinis charismatibus et virtutibus, in quibus maxime consistebat illa similitudo Dei, quæ peccato amissa est. Non autem imago, quæ ad naturæ facultates attinet, quemadmodum contestantur Basilius hom. 10 *Hexaem.*, Hieronymus in cap. 28 Ezechielis, Chrysostomus homilia 9 in Genes. Damnatur vero crassissimus Lutheri error in cap. 3 Genes. scribentis : « Justitiam originalem non fuisse gratuitum ac cœleste donum, sed naturale, qualo lumen oculis. »

Et hic est qui secundum. Hic manifeste constitutam esse agnoscit imaginem Dei in spiritu hominis, non in carne ; quapropter ex ista sententia, illa prior quam observabamus emollienda et interpretanda est.

Imaginem quidem habens. Aperte distinguit inter imaginem et similitudinem Dei ; quemadmodum et scholastici recte definiunt illam consistere in naturalibus, id est tribus animæ facultatibus ; istam vero in donis gratuitis et supernaturalibus. Origenes lib. III *De principiis*, sapienter imaginem Dei appellat « dignitatem primæ conditionis ; » similitudinem vero « perfectionem et consummationem servatam. »

Sed aut partem. Codices excusi, « sed et partem. »

Commistio autem et unio. Eodem pacto Justinus martyr, initio lib. *De Trinitate*, et Athenagoras, lib. *De resurr.*, describunt hominem ; sed apertiora sunt Tertulliani verba : « Vocabulum homo consertarum duarum substantiarum quodammodo fibula est, sub quo non possunt esse nisi cohærentes lib. *De resurrect. carn.*

Pag. 300. *Templum igitur Dei.* Hæc Irenæi pro asserenda corporum nostrorum resurrectione argumenta aliquanto fusius **188** et clarius pertractat Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 4, usumque illorum his verbis tandem ostendit : « Parce itaque corpori, tanquam templo Spiritus sancti. Non locides in fornicationibus carnem, ne polluas stolam pulcherrimam ; quod si polluisti, ablue per pœnitentiam, etc. Custodi corpus Domino mundum, ut et Dominus respicial corpus, etc. Modeste tractes

[54] Lib. De resur. carn. [55] Luc. XVIII, 27. [56] In Crcophagia, et tom. I Oper. fol. 152. [57] Lib. XXI De civitate Dei. [58] Gen. I, 26.

Digitized by Google

corpus, hoc te moneo, et cognosce quod cum corpore resurges ad judicium, » etc.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 6.

Pag. 299. *Neque enim plasmatio carnis ipsa secundum se homo perfectus est... neque enim et anima ipsa secundum se homo.* Gemina prorsus sunt Justini martyris verba lib. *De resurrectione*, tom. I *Spicilegii Patrum* sæculi II, pag 188 : Μὴ οὖν καθ' ἑαυτὴν ψυχὴ ἄνθρωπος; οὐκ, ἀλλ' ἀνθρώπου ψυχή· μὴ οὖν καλεῖτο σῶμα ἄνθρωπος; Οὐκ, ἀλλ' ἀνθρώπου σῶμα καλεῖται.

Pag. 300. *Trium, et unam et eamdem ipsorum sciebat salutem.* Ita et Justinus martyr lib *De resurr.*, tom. I *Spicilegii Patrum* sæculi II, pag. 192 : Τὰ τρία ταῦτα τοῖς ἐλπίδα εἰλικρινῆ καὶ πίστιν ἀδιάκριτον ἐν τῷ Θεῷ ἔχουσι σωθήσεται. « Tria hæc in iis qui spem sinceram et fidem firmam in Deo habuerint, salvabuntur. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 7.

Pag. 300. *Quomodo igitur Christus.* Iisdem istis argumentis in ejusdem rei confirmationem utuntur, Ignatius in epistolis passim, Tertullianus lib. *De resurrect. carnis*, Hieronymus adversus errores Joan. Jerosolymitani.

A mortuis. Septem has voces ex vet. cod. restituimus.

Sed incorruptibiles animæ. Aliquot valentissimis argumentis confirmat animas humanas prorsus immortales et incorruptibiles esse. Primo, quod non sint ex terra formatæ ut corpora, sed divino flatu et inspiratione conditæ et infusæ. Secundo, quod sint incorporales, corpora vero tantum morti subjiciantur. Tertio, quod dicantur flatus vitæ, eamque impertiant corporibus mortalibus; maneant autem ipsæ immortales substantiæ, propheta regio idipsum affirmante. Quarto, sunt incompositi et simplices spiritus; igitur nullaque morte resolvi, nullaque corruptione dissolvi possunt. Postremo, quæcunque Litteris sacris prædicantur de vera morte, corruptione et resurrectione, ea ad corpora nostra attinere, non ad animas. Igitur illæ nec sunt mortales, nec in ultimo die de pulvere terræ suscitandæ. His porro confirmandæ sunt piorum animæ adversus veteres et novos animicidas et atheos, de quibus diximus in cap. 63 lib. II.

Flatum vitæ existentem. Sexdecim istas dictiones ex vet. cod. adjecimus; unicam delevimus, nempe « flatu. »

Caro, de qua. Vetus cod. paululum ita deflectit : « Caro, de qua sermo est, quoniam vivificavit eam Deus. »

Superest igitur. Ita et Tertull. lib. *De resurrect. carn.* : « Cum audio resurrectionem homini imminere, quæram necesse quid ejus cadere sortitum sit. Siquidem nihil resurgere exspectabit, nisi quod ante succiderit, » etc.

Pag. 301. *Diligitis.* Delevimus « diligite, » ex codicibus excusis; et mox ex veteri codice addidimus, « creditis. »

Facies nostra videbit faciem Dei. Quo pacto id fieri poterit, declarat Augustinus XXII *De civit. Dei*, cap. 29, probibens inprimis, ne quis in Deo faciem aliquam corpoream imaginetur; aut nos per faciem corporis, ubi sunt oculi corporales, Deum visuros putet; quoniam sicut angeli vident, ita et nos Deum visuri simus; quæ visio nobis ut præmium fidei servatur.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 7.

Pag. 300. *Quomodo igitur Christus.* Iisdem istis argumentis in ejusdem rei confirmationem utitur Justinus martyr lib. *De resurrect. carnis*, tom. I. *Spicileg. Patrum* sæc. II, pag. 191, ita scribens : Τίνος οὖν ἕνεκεν ἐν τῇ σαρκὶ τῇ παθούσῃ ἀνέστη, εἰ μὴ ἵνα δείξῃ τὴν σαρκικὴν ἀνάστασιν; Καὶ τοῦτο βουλόμενος πιστῶσαι τῶν μαθητῶν αὐτοῦ μὴ πιστευόντων, εἰ ἀληθῶς σῶματι ἀνέστη, βλεπόντων αὐτῶν καὶ διστα,όντων, εἶπεν αὐτοῖς· Οὕτω ἔχετε πίστιν, φησίν; Ἴδετε, ὅτι ἐγώ εἰμι. Καὶ ψηλαφᾶν αὐτὸν ἐπέτρεπεν αὐτοῖς, καὶ τοὺς τόπους τῶν ἥλων ἐν ταῖς χερσὶν ἐπεδείκνυε. « Qua igitur de causa in carne, quæ passa erat, resurrexit? nisi ut carnis resurrectionem demonstraret? Nam volens ipse a discipulis suis non credentibus probari, quod revera corpore resurrexisset ipsis videntibus ac dubitantibus dixit : Nondum, inquit, creditis? Videte, quia ego sum. Et se palpandum ipsis obtulit, et loca clavorum in manibus suis ostendit. »

Superest igitur. Ita et Justinus martyr loco jam citato : Ἀνάστασίς ἐστι τοῦ πεπτωκότος σαρκίου· πνεῦμα γὰρ οὐ πίπτει· ψυχὴ ἐν σώματί ἐστιν. οὐ ζῇ δὲ ἄψυχον· σῶμα ψυχῆς ἀπολειπούσης οὐκ ἔστιν. « Resurrectio est carnis, quæ cecidit; spiritus enim calere non potest. Anima in corpore est, non vivit autem sine anima corpus, deserente anima non existit. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 8.

Pag. 301. *Nunc autem partem Spiritus sumimus.* Non de essentia illa Spiritus sancti, quæ ipsi cum Patre et Filio eadem est, loquitur Irenæus; sed de donis illis et charismatibus internis et externis, quæ initio nascentis Ecclesiæ passim conferebantur. Nam plerumque Spiritus ponitur pro gratia spiritali, ut docet Ambros. lib. III *De Spiritu sancto*, cap. 12.

Quod et pignus. Pignus est Hieronymo, id quod dari solet creditoribus, donec solvatur debita pecunia : ἀῤῥαβῶνα, quod hic usurpat Apostolus, signum et obligamentum futuræ possessionis, ac quasi pars et portio quædam, ut vult Irenæus.

Quando omnia membra. Censuerunt multi pii et docti viri, sanctos in suprema beatitudine resumptis corporibus suis, non solum mente et animo, sed etiam lingua, arteriis et vocibus articulatis Deo laudes decantaturos, quod hic non obscure significat Irenæus. Et paulo post : « Caro viva, inquit, et incorrupta perseverabit, hymnum dicens Deo. » Verba Augustini sunt lib. XXII *De civit. Dei*, cap. 30 · « Omnia membra et viscera corporis proficient in laudibus Dei. » Quod rursus confirmat *Commentariis* in psalmum CXLIX, et homilia 17 in Apocalypsim, si ejus tamen sit opus illud, non Ticonii. Consentiunt Cassiodorus et Lyranus in psal. CXLIX, et ex scholasticis Thomas in II *Sententiarum* dist. 2, et in IV, dist. quæst. 2; Richardus, Bonaventura, Okam, F. Franciscus Venetus tom. 8 Cantici 3 *Harmoniæ mundi.*

Cum similes. Sex voces adjecimus, et periodum sententiæ immutavimus auct. vet. cod., sensu tamen eodem, sed clariore manente.

Eos autem qui objiciunt. Hanc Irenæi sententiam nominatim transcripsit Basilius Magnus, lib. *De Spiritu sancto*, cap. 29, et ex utroque repetit Euthymius *Panopliæ* suæ parte secunda, capite 29, inter alias multorum superiorum Patrum, quibus constanter probat Spiritum sanctum Deum esse. Eant igitur Magdeburgenses et obganniant Ireæum nullibi Spiritum sanctum Deum asserere.

Pag. 302. *Munda enuntians.* Ita vetus codex; excusi vero, « mundum nuntians. »

Hæc est autem omnium. Hanc allegoriam sequuntur et suis calculis comprobant Origenes homilia 7 in Leviticum, et Gregorius, expositione in VII cap. Canticorum, utrique in excogitandis allegoriis viri mirabiles; Isychius presbyter in XI cap. Levitici, Rabanus, Beda, et alii.

Vivificans verbum. Vetus codex, « vivificantes verbum; » existimarem legendum, » ejiciunt a se vivificans verbum. »

Ejusdem adnotationes in cap. 9.

Hæreditare. Ad verbum Græcam dictionem κληρονομῆσαι reddidit; vulgata editio, « possidere. »

Ex quo et nos retardare. Septem hasce voces non habent codices omnes excusi, e quibus expunximus « et quæ. » Porro sensum Apostoli hoc pacto exprimit Tertullianus lib. *De resur. carnis.* Non enim

Digitized by Google

substantiam, sed opera volens arceri a regno Dei; vel carnem et sanguinem, si sola, videlicet sine spiritu, ut hinc quoque animorum salutem colligat.

Carne, anima et spiritu. Tria quasi diversa ad hominis compositionem constituere videtur, animam, spiritum et corpus: in quam opinionem venisse Plotinum et Apollinarium, qui in Patribus nomen magnum habuerunt, scriptis mandavit Nemesius Emesæ episcopus lib. *De natura hominis*, cap. 1. Ac quid sint corpus et anima pervium est; quid vero spiritus nomine velint, non ita. Gregorius spiritum hominis aliquando animam ipsam, aliquando effectum ejus spiritalem, in sacris eloquiis significare probat [59]. Augustinus reprehendit Didymum, eo quod spiritum tertium quidpiam in hominis substantia esse vellet, cum ipsa anima sit eo nomine appellata, pro spiritali natura; vel pro eo quod spiret in corpore [60]. Tertullianus ἡγεμονικόν, id est principem aliquem et summum vitæ gradum in anima quidem admittit: sed constanter negat animam et spiritum duo esse, quæ vel separari possint, vel etiam concreta exsistant [61]. Hieronymus, in XXVII caput Matthæi, ex Scripturis declarat spiritum cum anima eumdem esse; atque eorum, qui contra sentiunt, opinionem sibi non placere satis indicat, **189** quæst. 12 ad Hedibiam, et *Commentariis* in III c. Danielis. Existimo igitur Irenæum hic spiritus nomine nihil aliud velle intelligere, quam eam vim animæ, quæ æterna spiritalisque bona meditatur, eaque summopere desiderat, et siti flagrat incredibili quam in scholis superiorem portionem nominamus.

Hæreditate possidet. Veteris codicis auctoritate delevimus « possedit. »

Pag. 302. *Conservare Spiritum Dei.* Delevimus « conservari. » Porro sententia ista Irenæi nominatim utitur Basilius Magnus libro *De Spiritu sancto*, ad illius confirmandam deitatem.

Quæ sunt autem. Vetus codex. « Qui sunt autem, qui sunt mortui? » Cæterum Hieronymus in V caput Matthæi, et auctor Operis imperfecti apud Chrysostomum homilia nona, pari expositione hanc B. Irenæi approbant, qua per terram, quam Dominus noster mitibus possidendam pollicetur, corpus eorum intelligatur liberatum a corruptione, et configuratum corpori claritatis suæ. Chromatii episcopi sententiam adjiciam. « Hos mites; » scribit ille in V cap. Matth., « Dominus beatos ostendit, qui lenitatem Dominicæ mansuetudinis sequentes, beatæ illius terræ hæreditate perpetua possessione fruentur. Maxime tamen de terra corporis nostri loquitur, in qua sancti transfigurati in gloriam, secundum Apostolum æterna felicitate regnabunt. »

Ex adnotationibus J. Ern. Grabii in cap. 9.

Pag 303 *Portemus.* Dicerem Irenæum hic et infra cap. 11 non scripsisse φορέσωμεν, sed Latinum interpretem ex antiqua Italica versione posuisse «portemus» pro «portabimus»; nisi ex consequentibus utroque loco verbis sole clarius eluceret ipsummet in suo apostolico codice ita legisse, indeque verba Apostoli tanquam hortatoria ad sanctitatem vitæ accepisse; sicut et odienum in pluribus mss. Græcis ipsoque vetusto Alexandrino codice exstat φορέσωμεν. Nihilominus φορέσομεν, uti Vulgata Græca habent, genuinam esse lectionem nullum est dubium et bene probatum a doctissimo D. Millio ad hunc locum.

Ἐν τῷ αἵματι. Vetus interpres τῷ αἵματι legisse videtur. Intellige autem per carnem solam in, vel cum sanguine, carnem animatam quidem, sed Spiritu haud sanctificatam; quam Apostolus, I Cor. XV, vocat corpus animale, ei opponens corpus spirituale.

Κληρονομῆσαι οὐ δύναται, κληρονομηθῆναι δὲ ..... *δύναται.* Hæc Irenæus ex Justini M. libro *De resurrectione* petisse videtur, cujus sententiam a Methodio citatam ac approbatam dedi tom. I *Spicilegii Patrum* sæculi II, pag. 193, et quid de ea sentiam, salvo S. Patrum et martyrum honore, intimavi sequenti pag. 194.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 10.

Pag. 304. *Et in ignem mittitur.* Quatuor voces istas ex veter. cod. addidimus. Hic autem non obscure docet opera bona fidei jungenda esse, eaque tamen nonnisi divino Spiritus sancti auxilio perfici posse; Pelagianorum opinionem simul et Simonis Magi, ac posteriorum Gnosticorum errores evertens.

Regnum Dei. Vetus codex, « exsistens, regnum Dei hæreditate possidere non potest. »

Immortalitatem. Quinque istas voces, quas etiam habet Apostolus, ex veteri codice inseruimus.

Spiritus autem vita. Communis editio, « spiritus vivit; » at Græcam Pauli lectionem sequitur Irenæus. Habet enim ζωή, et non ζῇ, atque ex Latinis sic legunt Augustinus in psalm. LXXV, lib. XXIV *Contra Faustum*, cap. 2, Ambrosius in *Commentariis*, Hilarius lib. VIII *De Trinitate*; ex Græcis Athanasius libr. *Ad Serapionem*, Theophylactus in *Com.* ut loquatur Apostolus de Spiritu sancto, qui per sese vita est, eamque aliis elargitur.

Incipietis mori. Sic cum Irenæo legit Cyprianus libro *De zelo et livore.* Græce est μέλλετε ἀποθνήσκειν, quod alii vertunt, « futurum est ut moriamini. » Hervetus Theodoreti interpres: « Si secundum carnem vivitis, secundum carnem moriemini. »

Ejusdem adnotationes in cap. 11.

Pag. 305. *Adulteria, fornicationes.* Quinque priores dictiones singulari numero legit vulgata editio, cui consentiunt Græci codices. Irenæo conformis est Cyprianus libro *De oratione Dominica.*

Sed justificati estis. Tres istas voces cum veteri nostro codice agnoscit Pauli contextus, ideoque eas inseruimus.

Et Spiritum Dei nostri. Cum Spiritui æque ac Christo Domino efficientiam salutis nostræ tribuat, illius divinitatem agnoscit, credit et adorat; contradicant licet Magdeburgenses. Subsignant Irenæo Basilius et Ambrosius libris *De Spiritu sancto.*

Ejus qui de limo est. Ita periphrastice reddit vocem χοϊκοῦ: quem sequitur Cyprianus lib. *De habitu virg.*, libro *De zelo et liv.*, lib. II *Adversus Judæos* cap. 10, et lib. III, cap. 11. Tertullianus libro *De carne Christi* legit « de terræ limo, » alias frequenter vocem Græcam conservat.

Ejusdem adnotationes in cap. 12.

Pag. 306. *Vita possidens animam.* Vetus codex, « vitam possidens homo. »

Spiritus sempiternus. Æternum profitetur esse Spiritum, quapropter vere Deum, Patri et Filio æqualem et consubstantialem.

Deinde abit. Expunximus *obiit* auct. vet. cod.

Quapropter et primus Adam. Pauli editio Latina communis addit « homo, » quod hic non habet Irenæus, Ambrosius etiam in *Com.* non videtur legisse, Stapulensis admonuit superesse; Erasmus putavit adjectum ab interprete quopiam, Hebraicæ vocis Adam interpretandi gratia.

Pag. 317. *In agnitionem.* Vulgata Pauli editio Latina addit « Dei; » sed illud cum Irenæo desiderant Ambrosius et Græci codices.

Placuit Deo. Vulgata editio, « ei; » sed Irenæi litteræ consentiunt Græca exemplaria. Docet porro eumdem apostolum, qui veteris Adami, id est, communi hominum more in utero conceptus, indeque natus fuerat, ea prædicasse quæ ab hæreticis male intellecta objiciebantur; qui tamen veræ resurrectionis eximius fuit assertor. Igitur verba

[59] Lib. II Mor., cap. 3. [60] Lib. De eccles. dog. cap. 21. [61] Lib. De anima.

Digitized by Google

ex illo allegata contra eumdem nequaquam militabant.

Quemadmodum cæci. Ex miraculis super cæcorum, aridorum, aliorumque infirmorum corporibus a Domino factis, concludit ea Deo curæ esse ac proinde olim resurrectura.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 12.

Pag. 307. *Sed spoliationem pristinæ nostræ conversationis.* Similiter Clemens Alex. lib. III *Stromat.*, pag. 466, ubi citaverat verba Apostoli « : Iniuite novum hominem, qui secundum Deum » creatur [62], addit : Παλαιὸν δὲ οὐ πρὸς γένεσιν καὶ ἀναγένεσίν φησιν, ἀλλὰ πρὸς τὸν βίον τόν τε ἐν παραχοῇ, τόν τε ἐν ὑπαχοῇ. « Veterem autem dixit, non respiciens in generationem et regenerationem, sed ad vitam, quæ est in inobedientia et obedientia. »

Placuit Deo. Docet eumdem qui veteris Adami, id est communi hominum more in utero conceptus, indeque natus fuerat, factum esse apostolum ac Evangelium prædicasse, eumdemque istam carnem, quam in statu corrupto olim habuerat, in statu gratiæ retinuisse; unde et in statu gloriæ eam retenturum colligit.

Quam enim causam habebat, etc. Ita et Justinus M. lib. *De resurrectione*, tom. I *Spicileg. Patrum* sæculi II, pag. 190 : Εἰ εἰς μηδὲν ἔχρηζε τῆς σαρκὸς, τί καὶ ἐθεράπευσεν αὐτὴν ; « Si caro ad nihil utilis est, cur eam sanavit ? »

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 15.

Pag. 308. *Dicant enim nobis.* Tertullianus lib. *De resurr. carn.* hoc paucis ita perstringit : « Exempla mortuorum a Domino suscitatorum commendabant carnis et animæ resurrectionem, ne cui substantiæ negaretur hoc donum. » Hæc quoque Larviore manu Ambrosius lib. *De fide resurrect.*

Et Lazarus. Lazarum vocat Tertullianus præcipuum resurrectionis exemplum.

Hoc symbolum. Non solus hic apostolicorum temporum vir, sed et plurimi et doctissimi et sanctissimi postea Patres docuerunt istius Lazari symbolica, vera tamen alligatione et solutione, insinuatam fuisse eam peccatorum pœnitentium absolutionem, qua post delictorum confessionem ministerio sacerdotum absolvuntur in Ecclesia Christiana : quemadmodum ille sepulcralibus linteis involutus et ligatus, et manibus apostolorum solutus et liber evasit.

Perspiciens autem Calvinus per hoc divinum plane ac clarissimum exemplar, paradoxa sua de sola fide justificante sacramentorum ineffacitate, et clavium a Christo Ecclesiæ traditarum inanitate plane damnari et convelli ; sæviit inops animi, totumque incensus per orbem, in hujus interpretationis auctores bacchatus est [63], appellans eos « papistas, ter ridiculos, qui confessionem auricularem hinc eliciunt : » **190** insuper, « et mentiri eos qui affirmant Dominum discipulis jussisse, ut Lazarum fasciis solverent. »

Sed attendamus, quos viros hic novus apostolus suis conviciis et probris vexet; quos pro ministrali sua modestia, ter ridiculos et mendaces appellet. Hunc inprimis antiquissimum Petri, Joannis et Pauli discipulorum auditorem, fortissimum Christi martyrem et sapientissimum hæreseon expugnatorem; docentem Lazarum fuisse typum hominis colligati et a Christo traditi aliis ad solvendum. Quibus autem tradidit, nisi discipulis, qui præsto circumstabant, ad omne præceptum et obsequium ejus promptissimi?

Eximium deinde antistitem et theologum Augustinum, quem de his ita disserentem subjicimus [64] : « Dominus clamavit : « Lazare, veni foras [65]. » Cessit voci misericordiæ moles sepulturæ; cessit mors vitæ; cessit infernus superno. Elevatus est Lazarus, processit tumulo ; et ligatus erat, sicut sunt homines in confessione peccati agentes pœnitentiam. Jam processerunt a morte ; nam non confiterentur nisi procederent. Ipsum confiteri, ab occulto et tenebroso procedere est. Sed quid Dominus Ecclesiæ suæ inquit ? « Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo [66]. » Auditis, viri Calviniani, Lazarum symbolum fuisse hominis pœnitentiam agentis? Intelligitis confessionem, procul dubio auricularem, processione e tenebroso sepulcro designari? Ecclesiæ denique pastoribus ab ipso Filio mandatum esse, ut peccatis ligatos solvant? Attendite cætera. « Cum audis, inquit idem Augustinus, hominem pœnitere peccatorum, jam revixit; cum audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulcro eductus est, sed nondum solutus est. Quando, et a quibus solvitur? Quæ solveritis in terra, inquit Christus, erunt soluta et in cœlo [67]. »

Non vos pigeat, quæso, homines curiosos et sciendi avidos, eumdem insignem magistrum iterum de hac re dicentem audire : « Dominus Lazarum de monumento jam suscitatum obtulit discipulis solvendum, per hoc ostendens potestatem solvendi concessam sacerdotibus. Dixit enim : « Quodcumque solveritis super terram [68], » etc. Et ne levioris momenti existimetis hunc locum, alterum expendite, quo paucis contracta hujus suscitati Lazari narratione, quemlibet pœnitentem sic idem beatus Dei servus alloquitur : « Surge in corde tuo, procede de sepulcro tuo, id est, mala peccandi consuetudine qua gravaris, crede, et confitere. Qui enim credit, surrexit, qui confitetur, surrexit; quia antequam confiteretur, occultus erat. Et cum confessus fuerit, quid dicetur ministris? Quod dictum est ad funus Lazari : Solvite illum, et sinite abire; quomodo dictum est apostolis : Quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cœlo [69]. »

Ne vero illudant vobis cæci duces vestri prædicantes, garrientes ut solent, cum omni solida responsione sunt destituti, Augustinum varium in hac sententia non perstitisse; eumdem si saluti vestræ bene consultum velitis, rursum eadem asseverantem legite tractatu 49 in Joannem, libro *De utilitate pœnitentiæ*, cap. 3, sermone 8 et 44 de verbis Domini. Ac ut in ore duorum vel trium stet omne verbum, consulite sanctissimum pontificem Gregorium, homilia 26 in Evangelia et lib. XXII *Moralium*, cap. 13, item clarissimum præsulem beatum Ambrosium, lib. II *De pœnitentia*, cap. 7, et Calvinianæ impudentiæ ac maledicentiæ vos tandem pudeat atque pigeat.

Uti ejus. Ita vetus codex; excusi, « uti ei. »

Nolunt conspicere. Codices excusi, « intelligere ».

Secundum tragicum Œdipodem. Ita vetus codex ; excusi, « secundum tragicos ; » unde apparet ejusdem vet. codicis nostri hdes. Tangit enim illa, ut reor, quæ leguntur apud Sophoclem, *Œdipode tyranno*, his verbis :

Ἀποσπάσας γὰρ εἱμάτων χρυσηλάτους
Περόνας ἀπ' αὐτῆς, ἃσιν ἐξεστέλλετο,
Ἀρὰς ἔπαισεν ὄμμα τῶν αὑτῶν κύκλων,

Et deinceps, id est :

Nam cum avulsisset a vestibus aureas
Fibulas, quibus illa induta erat ;
Cœpit iis arreptis oculorum orbes fodere.
Sic dicens, se non amplius intueri illam (matrem)
posse,
Neque mala sua, nec scelera quæ perpetrasset ;
Sed tumine orbatum posthac, neque quos fas non
esset
Visurum esse, nec quibus indigeret agnituram.

Quibus et aliis multis locis apparet, pios istos Patres a lectione poetarum non abhorruisse, sed in

[62] Ephes. IV, 24. [63] Virg. Ænecid. IX, v. 299, 300. [64] Lib. L hom., hom. 27. [65] Joan. XI, 43. [66] Matth. XVIII, 18. [67] Conc. II in Psalm. CI. [68] Lib. de vera et falsa pœn., cap. 10. [69] Tract. XXII in Joan.

Digitized by Google

anam rem convertisse; quod postea monuerunt Clemens Alexand. in *Protreptico*, et Basilius oratione ad nepotes.

« Per illud quod detinent cadunt. Vetus codex, per illud quod detinetur cadent. »

Ait enim. Duas has voces addit vetus codex; deinde « dicens » habet, non « dicentem, » ut excusi.

Aculeus tuus. Cyprianus lib. III *Adversus Judæos*, cap. 58; Hieronymus *Comm.* in Oseæ cap. XIII « aculeum legunt cum frenæo; vulgata editio stimulus; Græce est τὸ κέντρον.

Qui transfigurabit. Græce est μετασχηματίσει, et in communi editione « transformabit, » futuro tempore; expunximus « transfiguravit. »

Pag. 309. *Perficit.* Ambrosius legit « perfecit. » Græce est κατεργασάμενος : communis editio « effecit. »

Hymnum dicens Deo. Quando caro et ipsa immortalis effecta gloriosaque surrexerit, una cum anima sua beata hymnis sempiternis Deum celebrabit, juxta quod a Davide de sanctis scriptum est : « Exsultationes Dei in gutture eorum, » etc.

Circumferentes. Novem has voces ex vet. cod. adjecimus, cum easdem habeat etiam Paul. littera; delevimus « manifestemus. »

Cum bestiis Ephesi pugnavi. Pugnam hanc Theophylactus et Œcumenius referunt ad tumultum, ab aurifice Demetrio excitatum, ob Ephesiam Dianam; quibus ex Latinis astipulatur Anselmus, sive Hervæus. Mihi vero est verisimilius, quod scribit Nicephorus lib. II *Hist.*, c. 15, leonibus, utpote ferocissimis, Hieronymo quodam præside jubente, Paulum objectum fuisse, qui ad pedes ejus mites consederunt. Et ante Nicephorum hæc attigerant Origenes lib. I *Periarchon*, Ambrosius et Theodoretus *Comment.* in I Cor. XV.

Ejusdem admotationes in cap. 14.

Pag. 310. *Quoniam autem.* Confirmat resurrectionem et salutem carnis, eo quod veram naturalemque Filius Dei sibi unierit, quemadmodum Paulus ubique agnoscit. Iisdem viribus præcipites agit et perditos prosternit Marcionem, Basilidem, Valentinum et Apellem Tertullianus [70], certus carnem summo præjudicio resurrectionis instructam esse, si jam a Christo assumpta in illo resurrexerit.

Quando vero Irenæus paulo post subjicit : « Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset, » etc., videtur in ea esse sententia, quod Filius Dei non venisset in carnem, si Adam lapsus non esset; quod et postea Athanasius serm. 3 contra Arianos, Augustinus serm. 8 de verbis Apostol., Leo papa serm. 3 de Pentecoste, denique beatus Thomas Aquinas atque sequaces ejus, si Catharinum, Viguerium et Naclantum exceperis, universi persuasissimum habuerunt.

Contrarium tamen Albertus Magnus B. Thomæ præceptor sensit, et docuit in tertio, dist. 10, art. 4, eidemque æqualis Alexander Hallensis, postmodum Joannes Scotus, et qui doctrinam ejus sunt usque in hanc diem amplexati : quam et scripturis et rationibus non aspernandis corroborat Petrus Galatinus libro III, cap. 4, et lib. VII, cap. 13. Nec desunt istis priscorum theologorum munita et firma testimonia, utpote Ruperti lib. III *De gloria et honore Filii hominis*, et lib. XIII *De gloria sanctiss. Trinitatis*, cap. 20 : cujus auctoritas, ne ut scriptoris recentioris contemnatur, adjungo Cyrillum Alexand. libr. V *Thesauri*, cap. 8, qui sic ratiocinatur : Christus Deus homo primus est et caput omnium prædestinatorum et electorum; adeoque omnium divinorum mysteriorum ac operum finis. At numerus ille nulla unquam ratione dissolvetur, nunquam mutilus erit; divinaque opera et consilia ab unius hunculi Adami delicto non pendent. Igitur etiam si hic non deliquisset, Verbum nihilominus verus homo fuisset. Ratiocinationem istam ex Augustin. lib. *De natura et gratia*, cap. 25, et lib. XIV *De civit.*, cap. 23, Rupertus sic confirmat. Si, teste Augustino, absurdum esset dicere, Adam non peccante, generationes hominum futuras non esse, ac si propterea homines nascerentur, quod peccatum præcessisset : multo magis de isto capite (Christo) et rege omnium electorum tam angelorum quam hominum sentire absonum erit. Et jure certe testis et approbator hujus sententiæ laudatur Augustinus, quandoquidem lib. *De nuptiis et concupiscentia*, cap. 21, docet matrimonium in statu innocentiæ etiam Christi cum Ecclesia futurum, idemque bonum habiturum, si status ille perdurasset. Ergo et verus homo, et ut sic, verum ac legitimum caput Ecclesiæ, et sponsæ lectissimus sponsus erat futurus, tametsi non essent lapsi primi parentes. Idemque rursus scribens : « Non fuisset caro Christi in similitudinem carnis peccati, nisi caro fuisset ista peccati [71]; » omnino præsupponit eamdem stante primo homine futuram; **191** tametsi non talem, id est nec patibilem, nec mortalem : quod ab illis et ab istis libenter admittitur. Cyrillus item lib. V *Thesauri*, cap. 3, non modo absurdum, sed et Arianicum furorem reputat dicere Filium Dei propter nos factum, et non propter seipsum. Deceret enim illum nobis peccantibus agere gratias, qui pro nobis esset Christus, alias non futurus. Omiseram pene beatum Anselmum [72] asserentem nullam in cœlo esse animam, quæ sibi persuadeat sine peccato alterius se non fuisse gloria fruituram. Ergo non peccante Adamo, et Christi futura, et beata futura erat in proprio corpore : sicque Filius Dei verus homo. Ad id etiam pertinere putatur, quod supra scripsit Irenæus [73], Deum futuram circa Filium suum humani generis dispositionem in semetipso disponentem, prædestinasse animalem hominem, id est Adamum, ut a spiritali, id est Christo, salvaretur, uti non vacuum esset salvans. Ergo Christus in primis destinatus est Salvator, homines deinde salvandi, ne frustra destinatus putaretur.

Ergo in tanti mysterii explicatione secum dissident veteres et recentes theologi? Minime gentium. Adamo etenim stante, non erat futurus Christus mortalis, esuriens, sitiens, lacrymans, obediens usque ad mortem crucis, ut prioris sententiæ affirmant Patres; futurus autem Ecclesiæ prædilectæ dilectissimus sponsus, caput pretiosissimum, et summus glorificator erat; quod sententiæ secundæ assertionibus ostenditur.

E limo factæ. Vetus codex, « facta est successio. » Legendum mihi videtur « factæ, est successio. » Et paulo post pro « ex altera substantiæ parte, » vetus codex legit « ex altera substantia partes operatus fuisset. »

Et inimici cogitationis ejus. Vetus codex, « cogitationi; Græce est τῇ διανοίᾳ, id est mente seu cogitatione. Hieronymus contra *Joan. Jeros.* legit, « inimici » seu « hostes sensus ejus. »

Custos et sine crimine. Græca Pauli, ἀμώμους, quod Tertullianus vertit « invituperabiles, » ἀνεγκλήτους incriminabiles, aut, ut communis habet editio, « irreprehensibiles. »

Quoniam illa quidem non peccavit. Eadem Tertullianus lib. *De carne Christi.* « Ut evacuatam non possumus dicere carnem Christi, ita nec peccatricem, nec evacuatam, in qua dolus non fuit. Defendimus autem non carnem peccati evacuatam esse in Christo, sed peccatum carnis; non substantiam, sed culpam. » Et lib. *De præscript.* « Soli Dei Filio servabatur sine delicto permanere. »

[70] Lib. De Resurrect. carn. [71] Libr. De peccat. mer. et remiss., c. 58. [72] Lib. I cur Deus homo, cap. 8. [73] Lib. III; c. 33.

Digitized by Google

Pag. 311. *Et sanguine ejus redhibitus.* Hanc vocem addimus ex vetere nostro codice. Est autem jureconsultis « redhibere, » facere ut rursus habeat venditor quod ante habuerat. Inde Festus : « Redhiberi id dicitur, quod redditum est. » Homo porro morti, dæmoni, inferisque seipsum vendiderat; at Christus sua passione et morte illum vitæ, Deo cœlisque restituit.

Ex toto autem hoc capite, et aliis plurimis locis, expendat pius lector, quam sancte, quam graviter, quam frequenter docteque urgeat iste vir apostolicus summam efficacitatem et utilitatem carnis patientis, et sanguinis Christi quondam pro nostra omniumque salute effusi. « Factus est, inquit, Verbum Dei caro et sanguis, ut salvaret in semetipso quod perierat in Adam. » Et : « Justa caro reconciliavit eam carnem, quæ in peccato detinebatur, et in amicitiam adduxit Deo. » Item : « Reconciliavit nos sibi per corpus carnis suæ, et sanguine suo redimens nos, ut Apostolus ait. » Itemque : « In omni epistola testatur Apostolus quoniam per carnem Domini nostri et sanguinem ejus nos salvati sumus, » etc.

Hæc enim coarguunt, damnantque manifestissime horrendas Calvinianorum blasphemias dicentium [76] : « Nihil humanæ salutis actum fuisse, si corporea tantum morte defunctus esset Christus. In corporea morte Christi nihil reperiri, quo fides nostra se erigat vel sustentet. In illius spectaculo nihil esse, quam extremæ desperationis materiam. » Rursum totum pretium redemptionis humanæ pedibus iidem conculcantes, vociferationibus suis ad misellum populum prædicant, et scriptis publicis consignant : « Sanguinem Christi pro nobis fusum, dudum dissipatum esse, nec jam Verbo inseparabiliter unitum. Sanguinem Jesu Christi pro nostris peccatis effusum in terram ante annos 1500 computruisse, nec amplius esse in rerum natura. » Hæc enim sunt verba Joan. Curæi et Thomæ Erasti, Calvini discipulorum : hujus in *Fundamentali* sua *declaratione de cœna*, pag. 29, illius in *Spongia*, folio 229. Hoc idem ex Borrussia quoque nunc scribunt, et pro viribus spargunt et amplificant, Fridericus Aulakius in sua *Confessione*, pag. 42; Andreas Osiander libel. *Adversus Morlinum;* et alii passim Calvinianæ impietatis sectatores, ut patet ex II *Indice errorum*, quos fingunt, Gregorii de Valentia, Genevæ excuso. Et miramur multos horum prodita abjectaque tandem omni Christiana religione, Alcoranum Mahometis profiteri? Cum Sylvano et Neussero Calvinianis ministris ad Turcas deficere? Horum satellites et legatos immanes copias Turcarum et Tartarorum ad devastandas Christianismi reliquias sollicitare, incitare, perducere?

At enim si Christi sanguis jam computruit, « inanis est fides nostra [78], » inanis est prædicatio apostolorum, inveniuntur falsi testes Dei, quoniam testimonium dixerunt adversus Deum, « quod non daret Sanctum suum videre corruptionem [79]; quod non corruptibilibus redempti sumus de vana nostra conversatione, sed pretioso sanguine agni immaculati et incontaminati Christi [77]; quod Christus lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo [78]; quod sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato [79]; emundat conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi [80]; qui eramus longe, facti sumus prope in sanguine ejus [81]; justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum [82]; quod denique vere resurrexit a mortuis, jam non moriturus [83]; et quod semper vivat ad interpellandum pro nobis [84] : « quandoquidem sanguinem effusum in terram, qui ad integritatem veri corporis humani omnino pertinet, non resumpserit : sed ita dissipari ac computrescere siverit, ut amplius non sit in rerum natura. Increpet in his organis suis Satanam loquentem Dominus; et increpet Dominus in eos, qui elegit sponsam suam Ecclesiam, « quam lavit in sanguine suo, » etc. De his alibi patebit amplior dicendi locus.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 14.

Pag. 310. *Qui effundet*, etc. Ita quoque hic locus allegatus legitur lib. II *Constitut. apostol.*, cap. 42 : Ὁ ἐκχέων αἷμα ἀνθρώπου, ἀντὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ ἐκχυθήσεται. Atque sic etiam nostræ edit. LXX interpretum habent, excepta Complutensi, quæ ita sonat : Ἀντὶ τοῦ αἵματος ἀνθρώπου τὸ αὐτοῦ ἐκχυθήσεται. Plura de varia hujus loci lectione congessit Cotelerius in not. ad lib. II *Constit. apostol.*, cap. 42, ubi cum Irenæum allegat, vulgatas sequitur editiones, a quibus auctoritate cod. Voss. discessi.

Pag. 310. *Si autem ob alteram quamdam dispositionem Dominus incarnatus est.* Id est, si ob aliam dispensationem vel expeditionem, Græce οἰκονομίαν, Filius Dei carnem induisset.

Omnis dispositio adventus Domini. Πᾶσα οἰκονομία τῆς παρουσίας τοῦ Κυρίου, id est omne quidquid Christus in terra gessit ad procurandam generis humani salutem. Errant enim qui οἰκονομίαν ad solam incarnationem Domini restringunt, cum de omnis ejus vita ipsaque passione et morte usurpetur. Sic Justinus martyr, in *Dial. cum Tryphone*, pag. 217, τῇ τοῦ γενομένου πάθους αὐτοῦ οἰκονομίᾳ. Videatur ipse Irenæus supra pag. 68, lin. 9 seq. (pag. 71, l. 33 seq.).

Inimici cogitationi ejus. Vocem « ejus » scriba quispiam hic addidisse videtur ex Italica Novi Testam. versione, in qua eam saltem sæculo IV exstitisse haud dubitare nos sinunt auctor *Comment.* in Coloss. I apud Ambrosium, et Hieronymus in epistola adversus Joannem Jerosolymitanum. Atqui uterque διάνοιαν Dei hic accipit, cum Colossensium irregenitorum degravata mens potius sit intelligenda.

Pag. 311. *Ad obediendum ei.* « In concupiscentiis ejus » omisit forte interpres vel scriba, quia ista aberant ad Italica versione, prout ex Tertulliano *De resurrect.*, cap. 47, colligitur.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 15.

Pag. 311. *Ros enim.* Ex veteri codice pro « quod » reposuimus « qui ; » et pro « ejus, eis. » Sententiam prophetæ ita legunt Septuaginta : Ἡ γὰρ δρόσος, ἡ παρὰ σοῦ, ἴαμα αὐτοῖς ἐστίν : « Ros qui a te, sanitas ipsis est. » Communis editio. « Ros lucis, ros tuus. »

Et Ezechiel. Ex hac Ezechielis visione resurrectionem mortuorum confirmant quoque cum Irenæo Clemens Rom. lib. V *Constit.*, cap. 8; Tertull., lib. *De resurrectione carnis.*

In circuitum in gyro. Ita vetus codex, cui conformis est lectio Septuaginta, κυκλόθεν κύκλῳ.

Nervos. Undecim has voces ex vet. cod. restituimus, consentiente textu Bibliorum.

Veni, et insuffla. Ita vetus codex; excusi, « veniet insufflatio. » Septuaginta, ἐλθὲ καὶ ἐμφύσησον.

Ostendit se et Patrem quidem. Vetus codex, « ostendit se esse Patrem, qui et discipulis, » etc.

Pag. 311. *In veteri plasmate.* Vetus codex, « in ventre plasmare ; » ut de cæco quem jam ex utero matris oculis privaverat Deus, fiat sermo.

192 *In transgressione factus est.* Vetus codex verbum « est » ignorat. Cæterum ablutionem cæci in Siloa, sacrum baptisma adumbrasse cum Irenæo sentiunt Tertullianus lib. *De baptismo ;* Gregorius Nyssenus lib. *De baptismo* ; Ambrosius lib. I *De sacramentis*, cap. 2; Augustinus tractatu 44 in Joan., et

[76] Calv. Instit. l. II, cap. 16, § 10; idem in cap. VI et XXVII Matth. et in c. XIV Joan. [77] I Cor. XV, 14. [78] Act. II, 27; Psal. XV, 10; Act. XIII, 35. [77] I Pet. I, 18, 19. [78] Apoc. I, 5. [79] I Joan. I, 7. [80] Hebr. IX, 14. [81] Ephes. II, 13. [82] Rom. V, 9. [83] Rom. VI, 9. [84] Hebr. VII, 25.

Digitized by Google

alii Patres. Versus aliquot non inelegantes hac de re Sedulii presbyteri addam :

Cæca sumus proles miseræ de fœtibus Evæ,
Portantes longo natas errore tenebras.
Sed dignante Deo mortalem sumere formam,
Tegminis humani facta est de Virgine nobis
Terra salutaris, quæ fontibus ablata sacris,
Clara renascentis reserat spiramina lucis [86].

Et evocasse eum. Tres has voces ex veteri codice restituimus, ut mox vocem alteram « ei. »

Idipsum. Codices excus., « ad ipsum. »

Quemadmodum etenim. Quatuor voculas addidimus ex veteri codice. Cæterum beatus Gregorius lib. XXVIII *Moralium*, cap. 2, observans cum Irenæo Deum venisse post meridiem ad Adamum, docet hoc etiam adumbrasse, quod lux ferventior veritatis abcesserat, et peccatricem animam culpæ frigora constringebant; et per declinationem solis cognoscere debuisse hominem quod ad tenebras propinquaret. Eadem rursum perstringit lib. XXXIII *Moral.*, cap. 3.

Quinetiam illo vespere, id est eadem die qua conditus fuerat et peccaverat, ejectum fuisse de felicitate paradisi in hanc lacrymarum vallem, inter Græcos Cyrillus, Epiphanius, et Diodorus Tarsensis. Bar-Cepha lib. *De paradiso* citat Philoxenum, Ephrem, Jacobum Sabugensem, et alios Syros, qui in eadem quoque secum opinione fuerint, tametsi alii non pauci contrarium doceant.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 15.

P. 311. *Plenus ossibus.* Ex hac Irenæi et Tertulliani lib. *De resurrectione carnis*, cap. 29, allegatione patet, vocem ἀνθρωπίνων, quæ in vulgata LXX interpretum edit. exstat, a recenti manu accessisse. Neque Hebræus textus hanc vocem agnoscit.

Domine, tu scis, qui fecisti hæc. In LXX modo legimus : Κύριε, Κύριε, σὺ ἐπίστῃ ταῦτα. Atque ita etiam Tertullianus loco citato : « Adonai, Domine, tu scis. » Unde liquet hic vocem « Domine » semel omissam; contra addita esse, ab ipso forte Irenæo, explicationis gratia, « qui fecisti hæc. »

Præcepit mihi Dominus. « Dominus » tam hoc loco, quam paulo post, deest in LXX interp. et Tertull., loco cit.

Ad spiritum propheta. « Propheta ad spiritum, propheta, » habet Tertullianus, et LXX.

Demiurgo itaque et hic vivificante. Jesus enim homo, quem Demiurgi sive Creatoris filium dicebant hæretici, mortuos suscitavit.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 16.

Pag. 312. *Dixisse Deum ei : In sudore.* Ita vet. cod. Excusi, « dixisse Deum : Et in sudore. »

Suam Dei. Vocem « suam » vet. cod. non habet.

Pag. 313. *In præteritis enim temporibus.* Hanc sententiam ex Irenæo nominatim laudat in *Parallelis* Damascenus; cujus Græca verba cum assequi non potuerimus ab his apud quos detineri credebamus, Latina ex interp. D. Jacobi Billii subjiciemus : « Superioribus temporibus dicebamus hominem factum esse ad imaginem Dei, sed non demonstrabatur. Si enim invisibile erat Verbum, cujus secundum imaginem homo exsistebat, ob id certe et similitudinem facile abjecit. » Hactenus ille.

Per eamquæ in ligno. Septem has voces ex vet. cod. addidimus. Quæ hic tradit Irenæus, Sedulius presbyter his versibus canit :

Aspera mors populis ligno deducta cucurrit,
Aufertur ligno aspera mors populis [86].

Non obedivimus Deo. Vet. cod., « audivimus Deum. »

Quem in primo quidem. Hæc rursum ex Irenæo suis inserit *Parallelis* Damascenus, his ex interprete verbis : « In primo enim Adam offendimus, cum non fecimus ejus (Dei) præceptum; in secundo autem Adam reconciliati sumus. »

Ejusdem adnotationes in cap. 17.

Pag. 313. *Est autem hic Demiurgus.* Demonstrat eumdem Deum esse hujus mundi Creatorem ac Dominum, qui præcepta dedit, et peccata per Christi Filii sui adventum condonavit; qui et ipse natura se Deum omnipotentem esse manifestavit, peccata excellenti potestate remittendo; et verum hominem, per crucis suæ mysterium hunc mundum servando.

Cæterum hoc capite multa sunt quæ catholicam de peccato originali doctrinam adversus Pelagianos, in Hugnosticis hodie renascentes, comprobant. Scribens enim vir apostolicus, « nos primi illius præcepti transgressione inimicos Dei factos esse; Christum sua obedientia nostram inobedientiam solvisse, ut quemadmodum per lignum debitores facti fueramus, per lignum debitorum accipiemus remissionem; et id quod per lignum amisimus, nos recepisse per ligni dispositionem, » etc., satis dilucide et constanter asseverat, nos omnes in Adamo peccavisse, nec nisi gratia Christi singulari per baptismum hac labe mundari atque salvari. Ubi ergo sanctificatio parvulorum ex uteris matrum, quam tantopere jactant Calvinus, Beza, Marloratus [87]? Qua fronte audet Beza in *Creophagia* scribere « fidelium pueros ex fœderis formula, ab utero coram Deo, sanctos esse? » Et ibidem iterum : « Infantes natos ex fidelibus parentibus, vel etiam ex altero dentaxat fideli parente, esse sanctificatos, etiam ante usum baptismi? » Item *Contra Heshusium* : « Parvulos fidelium ad Christum pertinere, priusquam baptizentur, neque gratiam adoptionis a baptismo inchoari, sed tantum obsignari? »

Enimvero ex divinis litteris constat Davidem fideli viro natum, in iniquitatibus tamen et peccatis conceptum [88]; Paulum quoque natura filium iræ fuisse, sicut et cæteri, qui etiam per baptismum jubetur abluere peccata sua [89]. Is quoque postea confidenter docuit nos in Christo Jesu baptizari [90]; nos in baptismo Christum induere [91]; baptismum esse lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti [92]; Christum mundare et sanctificare Ecclesiam suam (id est et parentes et liberos fidelium) lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhibeant eam sibi sine macula aut ruga [93]. Prorsus ergo certum ac indubitatum est, universos Adæ filios natura ex uteris matrum coram Deo reos et maculatos esse, non sanctos, donec sacro lavacro tincti et purgati fuerint. Tutius igitur sanctissimo antistiti Augustino dicenti : « Nec parvuli de quibuslibet sanctis justisque procreati, originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptizati [94] ; » et hanc doctrinam superioribus divinis verbis asserenti [95] credendum et adhærendum, quam impurissimo ganeoni Bezæ contraria blateranti.

Restituit. Codices excusi, « constituit. »

Per suam obedientiam. Tres istas voces ex veteri cod. restituimus.

Remitte. Græce ἄφες · Cyprianus sermone de Nativitate Domini, et lib. III *Ad Quirinum*, cap. 22, et Chromatius in cap. VI Matth., post Irenæum « remitte » converterunt.

Et nulli nunquam. Græcorum more duplicem negationem, ut magis inficietur, adhibet; forte est οὐδενὶ οὐδένα, etc.

In totum. Vetus codex, « initio tamen; » quod non video qui conveniat, nisi aliqua alia adhuc desint, quæ ex veteri codice restituere non potuimus.

[86] Sedul. Carmen pasch., lib. IV, v. 265-270. [86] Sedul. eleg., v. 61, 62. [87] Com. in I ep. Cor. c. VII, et in Catechis. [88] Psal. L, 7. [89] Ephes. II, 3; Act. XXII, 16. [90] Rom. VI, 3. [91] Galat. III, 27. [92] Tit. III, 5. [93] Ephes. V, 26 et 27. [94] Lib. II de peccat. mer. et remiss., c. 12. [95] Epist. 89, etc.

Digitized by Google

In lege a prophetis. Vet. cod., « a lege et a prophetis. »

Pag. 314. *Ab eo qui est, a quo.* Vet. cod., « a quo » non habet, sed « qui est : » utrumque servavimus.

Fiebat remissioni. Sic habet vetus codex ; excusi, « fiat remissionem. »

Et quomodo Deus. Vet. cod., « quoniam Deus, » id est in quantum. Eadem quæ hic scribit Irenæus, graviter pertractat Tert., lib. IV *Contra Marc.*, num. 13 et 14.

Debita nostra. Vet. cod., « debiti nostri. » Græcus Pauli contextus τοῖς δόγμασιν, quod Augustin., epist. 59, « in decretis ; » Hilar., lib. IX *De Trin.*, « in sententiis » reddidit.

Per operationem ostendente propheta. Paulo apertius Tert. lib. *Contra Jud.* : « Eliseus, accepto ligno, et misso in eum locum ubi submersum fuerat ferrum, statim superuatavit. Quid manifestius hujus ligni sacro, quod duritia hujus sæculi mersa in profundo erroris, et a ligno Christi, id est passionis ejus in baptismo liberatur : ut quod perierat olim per lignum in Adam, id restitueretur per lignum Christi? » Hunc imitantur August., serm. 210 de tempore, et Eucherius Lugdunensis in IV lib. Reg.

Bipennis. Vox Hebræa apud Jerem. significat « malleum, » atque ita cum vulgata editione vertit Sanctes ; Septuaginta, quos sequitur Irenæus, habent πέλυξ, quod securim sive bipennem significat.

Hoc ergo verbum. Vet. cod., « hic erit verbum. » Deinde non habet « per lignum, » nec enim necesse videtur. Paulo post ex vet. cod. quinque voces adjecimus.

Et quemadmodum dixit. Elegans et pia admodum est hæc mystica figuræ Dominicæ crucis explicatio, quam a seniore, **193** Polycarpum puto, vel Papiam, accepit. Qui pluribus animum oblectare concupierit et similibus, consulat Justini martyris *Apologiam* posteriorem, Lactantii lib. IV, cap. 26 et 27 ; Rufinum in *Expos. Symboli* ; Ambros., serm. 55 ; Athanasium lib. *De incarnatione Verbi* ; Nazianzenum prima orat. apolog. ; Chrysostomum tribus homil. de cruce ; Sedulium lib. V *Carminum* ; Damascenum lib. IV, cap. 12, etc.

Ejusdem adnotationes in cap. 18.

Pag. 315. *Conditiones*, id est, creaturas a seipso propriaque virtute productas, quæ nutibus Creatoris perpetuo subserviunt ; eo enim sensu hanc vocem frequenter usurpat Aug. lib. II, *De Trin.*, c. 6, 11, 15, et lib. III, c. 10, ubi de his conquisitis rationibus et Scripturis, et subtiliter et large disserit.

Neque enim iniquus. Tertull. procul dubio ad hunc Irenæi locum alludit lib. I *Contra Marc.* : « Ille, » ait, loquens de Deo conflicto a Marcione, « usquenunc, nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit ; nec oleum, quo suos ungit ; nec lactis et mellis societatem, qua suos infantat, » etc. Rursus lib. IV contra eumdem.

Si ignorantiæ et labis. Vet. cod. : « Si quod ignorantiæ et labis erat, emisit. »

Portavit Ecclesiam. Ita reposuimus ex vet. cod. ; excusi, « eum ; » mox quoque pro « visibile » restituimus « visibilitatem. » Puto ex vet. cod. aliqua adhuc deesse, quæ non potuimus restituere.

Quod est conditionis. Tres has dictiones vetus codex desiderat.

In mundo erat. Vet. cod. « in hoc mundo erat. »

In sua propria. Ita frequenter legit August., ut alias observavimus.

Pag. 316. *Moyses hoc ipsum.* Ita vet. cod. Expunximus « uti universa ; » et paulo supra « venit » pro « ponit » restituimus. Hoc porro Moysis testimonio mysterium Dominicæ passionis et in crucem affixionis prædictum fuisse, quamvis admodum tecte et obscure, cum Irenæo pie ac docte contendunt Tertullianus lib. *Adversus Judæos*, cap. 2 ; Cyprianus libro II *Testimon.*, cap. 20 ; Lactantius libro IV, cap. 18 ; Augustinus libro XVI *Contra Faustum*, cap. 22, et alii, quorum meminimus in cap. 23 libri quarti.

Advocavit. Vetus codex per futurum legit « advocabit, » atque ita ex Hebræo transtulit Sanctes.

Ejusdem adnotationes in cap. 19.

Pag. 316. *Veniente Domino.* Omnes dictiones, quæ hic leguntur in ablativis absolutis, vet. cod. legit per accusativos casus, nimirum « venientem Dominum, hajulantem, facientem, et seductionem illam solutam. »

Et sicut illa seducta est. Vetus codex, « etsi eum obaudierat Deo, sed hæc a sua est obedire. »

Uti virginis ; Evæ Virgo Maria fieret advocata. Hinc evidentissimum est priscos Patres et martyres proxime ab ipsis apostolorum temporibus, Deiparam Virginem invocasse, cæterisque ut implorarent auctores fuisse ; qua in re profecto apostolos, quorum auditores fuerant, doctores habuerunt. Tam apertum hujus rei Irenæi testimonium cum non potuissent corrumpere Magdeburgenses, censuerunt incommodum dictum esse. Gallasius illis impudentior vociferatur magnam inde Christo conciliari et inferri injuriam. Fingit postea bonus ille vir se stupescere, et mente fere alienari, dum admiratur ad tantam Satanæ efficaciam, serpentisque paulatim subrepentis calliditatem.

At hic illustratur Christi gloria, Vigilantii satelles, et non obscuratur, qui sibiipsi fieri pronuntiavit quidquid membris suis fecerimus : qui non solum se sanctos suos, quos amicos, fratres, membra, cohæredes, sal terræ, lucem mundi vocat, sed et Patrem suum in cœlis honorare erudivit ; quando intercedentium et advocatorum partes sub Christo ipsis tribuimus, quos judicaturos tribus Israelis, imo et angelos ex sacris Litteris didicimus. Virginem itaque piissimus martyr et doctissimus hic antistes, decenter advocatam Evæ aliorumque proinde peccatorum rectissime nominat ; cui magno consensu subscripserunt quotquot de pietate Christiana ab ejus ætate sancte pureque senserunt ; quorum aliquot testimonia huc producenda sunt.

Atque ut præteream, quæ impense Virgini devoti suadent Bernardus, homiliis super « Missus est, » sermonibus in festo Assumptionis et Nativitatis ; et Anselmus libro *De excellentia Virginis* ; a Fulgentio, qui multis sæculis utrumque præcessit, incipiam. Is, eleganti sermone de laudibus Mariæ, ipsam vocat fenestram cœli, scalam cœlestem, restaurationem feminarum, ad eamque virgines, concipientes, parturientes, matres, lactantes, juvenculas, confugere cohortatur.

Narses, exercitus Romani imperator sub Justino, nunquam in aciem copias eduxit, nisi beata Maria Virgine, quam pie sancteque colebat et invocabat, prius revelante, sicuti docet Nicephorus lib. XVII *Hist.*, cap. 13.

Theodorum Heraclii imperatoris fratrem, barbarorum exercitum parva manu concidisse, Deo per intercessiones beatæ Mariæ Virginis opitulante, tradit Paulus Diaconus lib. XVIII *Hist.*

Qui his auctoritate et ætate superior fuit Augustinus, sermone 2 de Annuntiatione, ecclesiastica ista prece Virginem alloquitur sub finem concionis : « Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, » etc. Et quoniam hunc insignem theologum et Patrem præ cæteris mirari se atque doctrinam ejus suscipere aiunt sectarii, paulo copiosius in citandis ejus testimoniis inhæreamus. In postremis *Meditationibus* sic orationem unam claudit : « Pie et misericordissime Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam suscipe preces servi tui, et da mihi effectum petitionis meæ, intercedente, et orante, et impetrante gloriosa Virgine genitrice

Digitized by Google

tua Maria, domina mea, cum omnibus sanctis tuis. Amen [96]. » Sequentem quoque orationem his verbis terminat : « Suscipe, Domine, preces servi tui, et da mihi effectum petitionis meæ et desiderii mei, precibus et meritis gloriosæ Virginis Mariæ dominæ meæ, et omnium sanctorum. Amen [97]. » Ad eadem postea supplicationem istam dirigit : « Sancta et immaculata Virgo Dei genitrix Maria et mater Domini nostri Jesu Christi, intervenire pro me digneris apud illum, cujus meruisti effici templum [98], » etc. Reliquos beatissimæ Virgini addictos persequamur.

Eximius Dei servus Hieronymus, epistola ad Paulam et Eustochium, illam suis nos juvare meritis et precibus auxiliari firmiter credit.

Chrysostomus, in Liturgia, se suosque obsecrationibus sanctissimæ Deiparæ servari, atque sine condemnatione immaculatum Christi corpus accipere, magna animi affectione quærit.

Basilius Magnus, sanctæ et intemeratæ benedictæ dominatricis nostræ, Dei genitricis et semper virginis Mariæ, postulationibus a Deo visitari rogat.

Nazianzenus, cognomento Theologus, Justinam Virginem Satanæ tentationes et magorum artes B. Mariæ intercessionibus vicisse recitat, orat. in D. Cyprianum.

Istis omnibus omnino par et æqualis Ephrem Syrus ipsam appellat spem desperantium, peccantium adjutricem, portum procella vexatorum, solatium mundi, orphanorum susceptricem, spem mundanorum, virginum decus, Patrum præconium, piorum gloriam, martyrum pulchritudinem, solitariorum hymnum, angelorum ornamentum, orbis terræ miraculum, vallum fidelium, refugium peccatorum, ad frugem redeuntium refugium, virorum mulierumque reginam et tutelam, mundi mediatricem, portam cœlorum. Hanc sibi auxiliatricem in supremo vitæ articulo, abigentemque tenebrosos dæmonum aspectus exoptat; hanc conciliatricem C et advocatam in hora judicii supplex implorat. Orat. de laudibus Mariæ, et in *Threno*.

Superiore ætate, nec doctrina inferior, Athanasius ad eam ita exclamat : « Recordare nostri, sanctissima Virgo, intercedere, hera, et domina, et regina, et Mater Dei, pro nobis [99]. »

Et qui hos omnes Irenæumque annis superat, Jacobus frater Domini, ab apostolis Jerosolymorum episcopus creatus, in Liturgia commemorationem jubet fieri sanctissimæ, immaculatæ, gloriosissimæ, benedictæ dominæ nostræ Matris Dei et semper Virginis Mariæ, ac omnium sanctorum; ut supplicationibus ac intercessionibus eorum omnes misericordiam consequamur.

Quis non tantorum virorum vestigiis inhærere potius eliget, si salutis suæ cura tangatur, quam Manichæi, Vigilantii, Eunomii, Aerii, Lutheri et Calvini; quos totus orbis Christianus justo anathemate afflixit et diris merito devovit? Sed hæc sufficiant ad compescendos Gallasii clamores; ampliora adnotavimus in cap. 33 libri III.

Et quemadmodum astrictum est morti. Hunc locum usque ad id, « indocti omnes hæretici, » etc., August. lib. I *Contra Jul. Pel.* ex Irenæo adducit, quem antiquum hominem Dei vocat, qui non longe a temporibus apostolorum fuerit.

Solvatur. Vet. cod., « salvatur; » Aug. « solvatur » legit.

194 *Inobedientia.* Ita vet. cod., cui consentit Aug. Excusi, « inobedientiæ. »

Peccatum. August. « peccato. »

Accipiens. August. « accipiente. »

Et serpentis. « Et » non habet August.

In columbæ simplicitate. August., « per simplicitatem columbæ. »

Vinculis autem illis resolutis. August., « vinculis illis resoluti sumus. » A

Et longe separatum. Veteris codicis lectio, quam meliorem existimo, diversa est, hoc pacto : « Longe separatam ab eo qui est secundum ipsos Patre, a semetipsa floruisse, et esse ex se natam. »

Animam suam. Vocem « suam » non habet vetus codex.

Ex J. Ern. Grab. adnotationibus in cap. 19.

Pag. 316. *Virgo Eva... evangelizata est bene ab angelo jam sub viro Virgo Maria. Quemadmodum enim illa per angelicum sermonem*, etc. Hic Irenæus videtur imitatus Justinum martyrem, cujus hæc gemina plane in *Dialogo cum Tryphone*, pag. 327, sunt verba : Καὶ διὰ τῆς παρθένου ἄνθρωπος (mallem obsequentem infinitivum γενονέναι, legere ἄνθρωπον, et hoc comma ad præcedens verbum νενοήκαμεν referre) γεγονέναι, ἵνα καὶ δι' ἧς ὁδοῦ ἡ ἀπὸ τοῦ ὄφεως παραχοὴ τὴν ἀρχὴν ἔλαβε, διὰ ταύτης τῆς B ὁδοῦ καὶ κατάλυσιν λάβῃ. Παρθένος γὰρ οὖσα Εὔα καὶ ἄφθορος, τὸν λόγον, τὸν ἀπὸ τοῦ ὄφεως συλλαβοῦσα, παραχοὴν καὶ θάνατον ἔτεκε· πίστιν δὲ καὶ χαρὰν λαβοῦσα Μαρία ἡ Παρθένος, εὐαγγελιζομένου αὐτῇ Γαβριὴλ ἀγγέλου... ἀπεκρίνατο· Γένοιτό μοι κατὰ τὸ ῥῆμά σου. Confer supra lib. III, cap. 32.

Per veritatem. Duas has voces ad « seductionem illam solutam » potius referre, quam cum sequenti « evangelizata est » jungere placuit.

Alii quidem alterum. Valentiniani et Marcionitæ, de quibus lib. I, cap. 1 et 29, et lib. II, cap. 1.

Alii autem ab angelis, Menander, Saturninus, Basilides, Carpocrates, de quibus lib. I, cap. 21-24.

Alii quidem porro et longe separatam... a semetipsa floruisse. Quosnam hæreticos his verbis indigitaverit Irenæus, dictu haud ita facile est; neque enim in præcedentibus libris talium disertam fecit mentionem. De Cerintho tamen lib. I, cap. 25, scribit : « Non a primo Deo factum esse mundum docuit, sed a virtute quadam valde separata et C distante ab ea principalitate, quæ est super universa. » Atqui si hanc virtutem ex semetipsa mundum produxisse statuit Cerinthus, eum omnino hoc loco Irenæus respexisse dicendus est.

Alii autem in his quæ continentur a Patre, etc. Valentinianos intellige, deque his vide lib. I, cap. 1, § 7, et lib. II, cap. 2 et 5.

Alii autem manifestum... non recipientes. Vel iterum Valentinianos indigitavit Irenæus, de quibus lege lib. I, cap. 1, § 13, vel Saturninum et Basilidem, quorum dogmata recensuit lib. I, cap. 22 et 23.

Alii autem... ex Joseph dicunt eum generatum. Nempe Carpocrates, Cerinthus, Ebionæi, juxta lib. I, cap. 24, 25 et 26.

Et quidam quidem neque animam, etc. Valentiniani scilicet lib. I, cap. 1, § 11 et 12.

Alii autem... non participari corpus, etc. Marcionitæ, juxta lib. I, cap. 29. D

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 20.

Pag. 317. *Omnes enim valde.* Valentinus, Marcus, Carpocrates, Marcion, et similes hæresiarchæ multis annis ætatem apostolorum sunt secuti; ergo veræ fidei doctrina prius per orbem longe lateque prædicata et admissa fuerat; et Ecclesiæ catholicæ forma recte ab illis et discipulis eorum constituta et servata. Et cum in hac sola veræ ac integræ servarentur apostolicæ traditiones et institutiones, nihil mirum si desertores ejus et transfugæ per varia diversaque errorum præcipitia velut amentes ferrentur atque perirent.

Necessitatem. Vetus codex, « necesse ergo habent. »

Omnibus unum et eumdem Deum Patrem recipientibus. Vet. codex, « præcipientibus. » Deinde ad-

[96] Tomo nono, lib. Medit., cap. 35. [97] Cap. 36. [98] Cap. 40. [99] In Evang. de Deipara.

Digitized by Google

dit septem dictiones virgulis inclusas. Eleganter autem juxta ac pie disserit de unitate catholicæ Ecclesiæ, quam variis hæresewn dissectionibus opponit; quandoquidem bellum hæreticorum, ut ait Hilarius [1], sit pax Ecclesiæ, cujus fidem, dum sibi adversantur, confirmant. Cum enim alterni novis rebus student, et inter se conflictantur, instar maritimorum fluctuum, alii in alios surgentes, addit Nicephorus [2], subinde atque decidentes, in varias abeunt formas, et postremo evanescunt. Contra, veritatis ipsius causa incrementa capit, magnisque in dies integrascit, et accessionem quamdam et robur certum ex hæreticorum insultu sibi comparat.

Per quem salvat. Vocem « omnes » ex vet. cod. adjecimus. Alludit autem ad caput primum Proverbiorum, quo Sapientia dicitur clamare in plateis, etc. Ex quibus duo licet colligere. Primum, universos, qui in unitate Ecclesiæ catholicæ ad finem usque permanserint, tandem aliquando pro certo salvandos esse. Secundum, hanc Ecclesiam semper fuisse visibilem cœtum et aspectabilem hominum credentium in terris congregationem, velut est splendor lucernæ super candelabrum positæ, atque civitas super montem ædificata, Matth. v.

Et hæc est ἑπτάμυχος. Alludit ad candelabrum tabernaculi Mosaici, quod lucernas septem habebat, unam in summitate hastilis, et sex in summitatibus calamorum, quibus accensis collustrabatur tabernaculum, Exod. xxv. Illud vero Ecclesiam, quæ fidei et veritatis evangelicæ lumen universo orbi profundit, adumbrasse contendit; quod probant Gregorius, homil. 6 in Ezechielem; Rupertus et Beda in Exodum, atque Thomas 1-2, quæst. 102, art. 4, ad 6. Dicitur autem ἑπτάμυχος, quod septem ellychnia ferret.

Martialis :

Illustrem cum tota meis convivia flammis,
Totque geram myxos, una lucerna vocor [3].

Non contemplantes. Eadem dixit lib. II, cap. 45; vide locum.

Et multiforme. Delevimus « multiformiter » auct. vet. cod. Vult autem veterum hæreticorum viam esse variam, multiplicem, ac proinde periculosam et exitialem, propter pugnantia secum dogmata. Novorum vero quam diversa, quam adverse, quam perversa, quam absurda, quam secum et a veritate dissidentia sint etiam in summis fidei Christianæ capitibus proposita, nec utriusque exercitus eorum antesignani diffitentur. Nam Conradus Schlusselburgius, diœcesis Raccburgensis superintendens et Megapolensium ecclesiarum generalis inspector Lutheranus scribit : « Nos certamus cum blasphemis et incredulis Calvinistis, de veritate verborum Christi, de omnipotentia æterni Dei, de veritate humanæ naturæ in Christo, de majestate carnis Jesu Christi, de testamento condito a Filio Dei, de ascensione Christi in cœlum, de præsentia Jesu Christi in Ecclesia, et sacra synaxi, de sessione Christi ad dexteram Patris [4]. » Hæ certe controversiæ non sunt parvi momenti; imo ipsimet Sacramentarii, vertiginis et cæcitatis spiritu percussi, interdum fateri coguntur hanc disputationem pertinere ad fundamentum. Sic enim Curæus, in *Exegesi sacramentaria*, pagina nonagesima prima scribit : « Vere controversia est de fundamento, videlicet de duobus articulis fidei : primo de articulo qui docet in Christo unitas esse duas naturas; secundo de articulo : Ascendit in cœlum. » Hactenus ille; cui Joannes Pappus his verbis succinit : « Agitur inter nos et Calvinistas de omnipotentia Dei, de unione personali duarum naturarum in Christo, de communicatione idiomatum, de corpore Christi glorioso, de discrimine sacramentorum veteris et novi testamenti, de vi et efficacia baptismi, de prærogativa infantium natorum ex fidelibus parentibus, de cœna Domini, de prædestinatione [5], » etc. Quinetiam supra nominatus Schlusselburgius scribit in uno, quod edidit de theologia Calvinistarum opere, « se ex ipsorum libris bis centum et viginti ipsorum blasphemias, errores, mendacia, antilogias, et calumnias transcribere et refutare; » præfationis pro defensione libri *Concordiæ* folio undecimo, pagina prima.

Quid ad hæc Sacramentarii? Num et ipsi fatentur se cum Lutheranis de præcipuis plurimisque fidei Christianæ capitibus pugnare? Id certe paulo supra confitentem Curæum audivimus. Tigurini profecto id palam agnoscunt, his in præfatione apologetica *Orthodoxi consensus*, ad reformatas ecclesias Germanicas, verbis : « Nec de sola Domini cœna, sed de Christi Servatoris nostri persona, de divinæ et humanæ naturæ unione et distinctione, de corporis ejus omni præsentia, et ejusdem corporali ore tam piis quam impiis communi manducatione, et ejus in cœlos ascensione, et sessione ad dexteram Patris, tanto disputationis fervore (inter Sacram. et Lutheran.) contenditur, ut non paucæ veterum hæreses, quæ olim damnatæ et exstinctæ fuerunt, quasi ex inferis revocatæ, caput prorsus attollant [6]. » Sed et Jezlerus in libro *Belli eucharistici* recitat quinque gravissima bella, quibus non a gregariis et levis armaturæ militibus, sed ab antesignanis 195 et ducibus, inquit, præstantissimis inter suos et Lutheranos acerrime pugnatum est. Beza lib. *Contra Brentium*, fol. 622, tantum ait inter eos esse dissidium, ut, eo durante, ecclesiæ quæ tam diversa sentiunt, simul stare non possint. Anno denique 1592, prodiit anonymi cujusdam Calviniani sub hoc nomine libellus : *Conquestio seria ac pia delata ad justissimum judicem Christum super controversia de sacrosancta cœna Domini*; quo satis significant, ut etiam Schlusselburgius et Sturmius diserte confitentur, se in concordiam nunquam redituros; sed eadem contentione dogmatum et animorum seipsos vexaturos, laceraturos et perdituros, donec magnus Domini dies advenerit, etc. Et adhuc tamen non pudet Bezam, Witakerum, Genevenses in sua *Harmonia*, Tigurinos præfatione in *Orthodoxum consensum*, Polonos præfatione in *Sendomiriensem consensum*, Anglos Calvinianos in sua *Apologia* scribere, et ut miseræ imponant plebeculæ, magno impudentique mendacio coram toto mundo profiteri « Zuinglianos et Lutheranos inter se amicos et fratres esse, et non de principiis aut fundamentis religionis nostræ dissidere? » Quid dabitur aut apponetur ad linguas tam dolosas? Sed ad Irenæum nostrum jam redeundum.

Uti ne vexemur. Ita vetus codex; excusi habebant « ne conjurgemur. »

Plantata est enim Ecclesiæ. Vetus codex, « Ecclesia; » sensus idem. Vult enim Ecclesiam designari per paradisum illum plantatum ab initio, quod Ambrosius epist. 42, et lib. *De paradiso*; August. lib. XIII *De civit.*, cap. 21, et lib. XI *De Genes.*, cap. 25, et lib. XII, cap. 28 et 34, et lib. IV *De baptismo*, cap. 1, et Cyprian., epist. ad Jubaianum, simili allegoria amplexantur et tuentur.

Ab omni ergo ligno. Hinc post Irenæum colligit D. Thomas 1 p., q. 97, art. 3, et opusc. 3, cap. 188, ita præceptum fuisse Adamo, ut accedente esurie de cunctis fructibus paradisi comederet; sicut e contrario prohibitum eidem, ne de fructu ligni scientiæ boni et mali ullo modo vesceretur; tametsi alii quidam illud ad indulgentiam tantum referant.

[1] Lib. VII de Trinit. [2] Lib. IV Hist., cap. 5. [3] Epigr. lib. XIV, ep. 41. [4] Præfat. in lib. de Theologia Calvinistica. [5] Contra Sturmium, fol. 72, 159, 160. [6] Pag. 1 et 25.

Digitized by Google

Ipsi enim confitentur. Gnosticos serpenti comparat, quippe qui omnem boni et mali scientiam sibi arrogantes, et aliis repromittentes, omnem cæcitatem inducunt. De hoc et præfat. in lib. IV.

Quam oportet sapere. Ita ex vet. cod. restituimus; excusi, « quam oporteat. » Quod autem mox vertit « ad prudentiam, » Græce est, εἰς τὸ σωφρονεῖν. Hieronymus lib. I *Contra Jovinian.* reddidit « ad pudicitiam; » Origenis interpres, « temperantiam; » Ambrosius cum vulgata editione, « ad sobrietatem, » omnes ad unguem exquirenti, probe.

Ejusdem adnotationes in cap. 21.

Pag. 318. *Recapitulans.* Alludit ad illud Pauli, quo docet Patrem per Filium omnia ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est instaurare, ut communis habet editio una cum Ambrosio et Primasio; vel recapitulare, ut Irenæo et Hieronymo placet, id est Christum unum caput angelorum et hominum constituere, hominumque naturam incorruptione beata donare, omni sublato mortis aculeo. Docet autem hic Irenæus Christum B. Mariæ Virginis et Demiurgi, id est Dei hujus mundi Creatoris filium, caput serpentis ideo contrivisse, ut et hominis antea victi juste censeretur victoria et mundi rector agnosceretur.

Observabit caput. Septuaginta, τηρήσει κεφαλήν, quorum lectionem cum Irenæo sequuntur Cyprianus lib. II *Adversus Jud.*, cap. 9; Ambrosius lib. *De fuga sæculi*, cap. 7; August. lib. II *De Genes. contra Manichæos*, cap. 18.

Secundum similitudinem. Ita vet. cod. Excusi, « secundum multitudinem. »

Uti quemadmodum. Et hoc etiam loco multis descriptum habes peccatum originale, quo omnes in utero inficimur; quandoquidem per illud præsertim victum in mortem descendit omne genus humanum. De eodem quoque supra scripsit, nos per priorem generationem mortem hæreditasse; et per animalem hominem nos omnes mortuos esse, C etc. Tantum abest ab eorum deliratione, qui parvulos fidelium ex uteris sanctificatos sine baptismo servari dicunt.

Deinde autem ut haberet. Istis non dissimilia copiose et eleganter tractat Ignatius martyr, *Epistola ad Philippenses.*

Non in pane tantum vivet. Vet. cod., « vivit, » sicut editio vulgata; sed tam Græce quam Hebraice, per futurum tempus legitur « vivet, » ut habent Irenæi codices excusi.

Excæcavit autem eum hominis confessione. Quinque has voces non habet vetus codex, sed « usus est hac quæ excæcavit eum per hominis confessionem; » deinde ubi excusi codices « per paternam ditionem, » vetus habet « per paternam dictionem. »

Mendacium abscondens per Scripturam. Apposite hæreticorum dolos cum Satanæ astutia comparat. Nam omnis hæreticus in eo quod Deum defendere nititur, veritati ejus adversatur, veluti scribit Gregorius, præfatione in librum *Moralium.*

Pag. 319. *Satanu enim verbum Hebraicum.* שטן proprie Hebræis significat « adversari, detrahere, calumniari; » unde διάβολον Græci ipsum vocarunt. Quod si magis Irenæi interpretatio arrideat, deducendum erit a שמה, quod « deficere et divertere » significat. Justinus in *Dialogo* : « Satan, Judæorum Syrorumque lingua, desertorem significat; hæc autem vox *nas*, serpentem, et ita ex utroque unum vocabulum componitur Satanas. »

Illa vincula relinquens, per quæ. Vet. cod., « illi vincula relinquens, per quem, » etc., ut de dæmone sermo habeatur.

Jam per verbum. Vetus codex, « postea jam verbum. »

Ex Jo. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 21.

Pag. 318. *Repletio hominis per duplicem gustationem.* Ita vocat excessum in edendo, quem primi A parentes commisere, dum non solum a Deo concessa, sed et vetitæ arboris, quæ erat cognitionis boni et mali, fructum degustarunt.

Legaliter.... legitime. Id est, allegato legis vel Scripturæ sacræ dicto.

Quantum autem ad illum, etc. In hoc colo paulo obscuriori per « illum » designatum puto « diabolum, » deque eo dictum, quod Dominum Deum suum in humana carne latentem non tentare debuerit. Verbum enim « debet » ex præcedenti colo omnino repetendum est, si infinitivus « tentare » legatur.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 22.

Pag. 319. *Sic igitur.* Legis veteris ac Evangelii auctor unus est verus Deus ac Dominus, supra quem alius non quærendus; et is per Filium suum omnipotentem vicit hostem nostrum, et ab ejus tyrannide liberos nos fecit. Ideoque cum omni demissione et sui mundique contemptu eum adorare et invocare decet; nihil autem a Satana mendacii parente exqui- B rendum aut sperandum.

Hunc Spiritus ostendit Patrem. Vocem « Spiritus » ignorat vetus codex, ut de Christo vel lege mentio fiat, non de Spiritu sancto.

Diabolicam ignorantiam absolvere. Vetus codex, « diabolica ignorantia solvere. »

Pag. 320. *Charismatis.* Delevimus « chrismatis. » Est autem χάρισμα, donum aliquod gratuitum, sive in gratiam propriam, sive aliorum ab illo cui confertur, quale est prophetiæ, miraculorum aut linguarum donum.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 22.

Pag. 320. *In sublimitate autem positos universi charismatis...., nequaquam extolli.* Ita et S. Clemens in *Epist. ad Corinthios*, § 23 : Μὴ δεψυχώμεν, μηδὲ ἐνδαλλέσθω ἡ ψυχὴ ἡμῶν ἐπὶ ταῖς ὑπερβαλλούσαις καὶ ἐνδόξοις δωρεαῖς αὐτοῦ.

Deinde quoniam.... et ei ipsi Deus. Hæc secunda C ratio est, qua probat auctor haud in diaboli potestate esse, ut ea præstet quæ Christo in tentatione pollicebatur.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 23.

Pag. 320. *Assuetus enim erat.* De pravis diaboli suggestionibus, quidque per eas primis parentibus nostris contigerit, de Adami lapsu, morte et reparatione.

Non manducabitis. Vetus codex addit « ab eo, » mox quoque « qua hora manducaveritis ab eo, » quæ particulæ ex Septuaginta sumptæ sunt; eas etiam conservant Cyrillus et Procopius sacram Genesim explicantes.

Et cum illa traduxisset mendacium. Primo mentita est dicens Deum prohibuisse ne tangerent lignum illud; prohibitio vero tantum facta fuerat de esu, non de tactu. Hoc ergo addidit exaggerans prohibitionem velut nimis gravem et morosam. Inde Ambrosius lib. *De paradiso*, cap. 12, ait : « Mulier B addidit : Ne tangeremus ex eo. Lapsus incipit esse initium. Secundo, mentiendo invertit, imminuitque divinam comminationem, addens de suo : Ne forte moriamur. Deus enim magna asseveratione dixerat : Morte morieris; mulier autem sub dubitatione refert : Ne forte, etc. Tertio, mentita est dicens : Ex ligno, quod est in medio paradisi, etc. Nam et lignum vitæ erat in medio paradisi, quod Dominus non interdixerat. » Sicque tribus modis, ut post Irenæum observat Rupertus, Eva mentiendo peccavit, divinis verbis **196** addendo, eademque imminuendo et immutando.

Disputabat. Vet. cod. auct. expunximus « disputat, » ut postea « asciverunt » pro « ascierunt » reposuimus.

Magnitudinem enim ignorabat Dei. Crassam ignorantiam tribuit cacodæmoni, videlicet quod nescierit Deum sua immensitate ubique præsentem. Et revera non est ambigendum diabolos peccato suo

Digitized by Google

in horrendas mentis tenebras incidisse; quandoquidem et divinitus sibi ante lapsum infusam fidem, una cum propriæ salutis spe funditus amiserunt; et divinis mysteriis, quibus collustrantur jugiter beati angeli, omnino frustrantur. De his copiose disputat Augustinus lib. IX *De civit.*, cap. 21.

Tertio mendacium loquens. Plurima non solum mendacia, sed et in Deum impia et blasphema in serpentis oratione comprehenduntur. Primum, Deum esse mendacem: Non est verum, ait, quod dixit vobis: « Morte moriemini; » ac proinde non est ei credendum. Secundum, Deum esse invidum, quod noluisset eos esse sicut dii, sapientes, quod tamen facili negotio poterant fieri. Tertium, illi arbori tantam vim insitam, ut eos immortales, et summa æqualique cum Deo sapientia præditos efficere posset. Quartum, deorum pluritatem esse in rerum natura possibilem. Quintum, hominem de vilissimo terræ limo fictum, posse industria propria ad summi Dei æqualitatem pertingere, etc. Oportet ergo, ut recte notat Augustinus, lib. XI *De Genes. ad lit.*, cap. 30, menti Evæ jam infuisse quemdam propriæ excellentiæ et ambitus amorem, et superbam de se præsumptionem, quando tam facile leviterque serpenti fidem dedit.

In ipsa itaque die mortui sunt. Quomodo in illa ipsa die, cum Adam postea nongentis et triginta annis, Eva nongentis et quadraginta dicantur vixisse? Respondeo primo, mortui sunt morte spirituali, quando amissa justitia originali et gratia, per quam homo vivit Deo, mortui sunt. Secundo, mortui sunt, quando tunc inevitabilem mortis corporeæ necessitatem incurrerunt, cum antea possent non mori. « Cum enim primum, » inquit Theodoretus, « Dei sententia obnoxii fuerunt supplicio mortis, in singulos dies et horas velut rei mortis ipsam mortem exspectabant[7]. » Consentit Augustinus his verbis: « Eo quippe die mutata in deterius vitiataque natura; mortis etiam corporalis in eis necessitas facta est, cum qua nos necessitate nati sumus. Propter quod Apostolus non ait: Corpus quidem moriturum est propter peccatum, sed ait: Corpus mortuum est; mortuum appellans, quia jam moriendi necessitate constrictum est[8]. » Tertio denique, Justini martyris in *Dialogo*, et Irenæi præsenti sententia, mortui sunt primi parentes illa ipsa die qua peccaverunt, si dies computetur more Dei, apud quem mille anni tanquam dies una quæ præteriit, ut David et Petrus connumerant[9]; non autem illa ipsa die, quæ more humano viginti et quatuor horis conficitur. Nam uterque illorum infra millesimum annum vitam istam cum morte commutavit.

In illa die. Gaudentius Brixianus tractatu in Exodum: « Sexta feria qua hominem Deus fecerat, pro eodem passus est; et die Dominica, in qua sumpserat mundus exordium, resurrexit, » etc.

Pag. 321. *Eam quæ est a morte.* Vet. cod., « et eam quæ est ad mortem. »

Ejusdem adnotationes in cap. 24.

Pag. 321. *Hæc omnia.* Decem has voces, quæ aperte desiderabantur, ex vet. cod. restituimus.

Per me principes. Vet cod.: « Per me principes exciiabuntur, et tyranni per me regnant terram. »

Omnibus potestatibus sublimioribus subjecti estote. Ita locum hunc Apostoli exprimit in *Commentariis* Ambrosius; communis editio, « omnis anima potestatibus. »

Hoc autem et Dominus confirmavit. Principibus sæculi obedientiam tributaque præstanda Christus approbavit, natus tempore census, solvens didrachma, jubens reddere Cæsari quæ sunt Cæsaris, et Pilato potestatem desuper datam agnoscens. Unde et Paulus: « Cui tributum » debetur, « tributum » solvatur[10]. Et Justinus martyr in *Apologia* refert, ad illa Cæsaribus præstanda, Christianos sua tempestate omnium primos et promptissimos fuisse. De his nuper latius egimus, *Comm.* nostris in Esther.

Cujus enim jussu. Hinc liquet quanta pietate, veneratione, fide et obedientia imperatores, reges et magistratus politicos exceperint primarii religionis nostræ Christianæ antistites, etiamsi illius pietatis illi ignari essent; imo et acerrimos oppugnatores eos haberent; quos utinam vel in hac saltem parte imitarentur nostræ ætatis Gnostici. Porro qualis illorum disciplina de magistratu civili fuerit, cum Irenæo pluribus enarrant Justinus, Athenagoras, Tertullianus in *Apologiis*, Theophilus Antiochenus lib. I et II *Ad Autolycum*, Origenes homil. 4 in Judic.

Pag. 322. *Obcæcare corda eorum qui conarentur.* Ita restituimus ex vetere codice; excusi omnes, « obserare corda eorum conatur, » etc.

Invidens homini. Basilius invidia ad bellum internecivum adversus hominem impulsum dæmonem scribit, quippe qui doleat ob præclara dona a Deo homini concessa. Idem quoque, hom. in aliquot Scripturæ locos, diffuse et ornate ostendit ipsum et proprium diaboli vitium esse; ea de re illum μισάνθρωπον appellat.

Ejusdem adnotationes in cap. 25.

Pag. 322. *Per ea quæ dicta sunt.* Multa et notatu digna disserit hoc loco et infra de Antichristo Irenæus: ex quibus hoc inprimis observandum occurrit, quod verum et singularem hominem fore illum docet, cum tribum ex qua nascetur, nomina quibus fortassis appellabitur, tempus durationis regni ejus, tyrannidem, astutiam dolosque tam diligenter et sigillatim testimonio et auctoritate sacræ paginæ persequitur; inficientur licet Magdeburgenses et quotquot fere hoc sæculo ab Ecclesia Romana defecerunt. Horum hæresim quia satis superque ex sacris Litteris et Patrum interpretationibus refellit vir perdoctus Nicolaus Sanderus lib. VIII *De visibili monarchia Ecclesiæ*, objectionibusque contradicentium satisfacit, ob id huic negotio supersedemus, ne actum agere videamur.

Omnem suscipiens diaboli virtutem. Cave ne diabolum ipsum phantastico et larvato corpore humano contectum, Antichristum ipsum cum Hippolyto martyre interpreteris; quandoquidem Apostolus nominet illum hominem peccati, spiritu oris Christi interficiendum. Ea autem ratione omnem diaboli virtutem suscipere dicitur, quod omnino ad voluntatem Satanæ se suasque vires et artes accommodaturus sit. Quin et in conceptione ipsius, ait auctor tractatus *De Antichrist.* apud Augustin.: « Diabolus simul in matris ejus uterum intrabit, et ipsam replebit, circumdabit, obumbrabit, interius exteriusque possidebit. » Contra opinionem Hippolyti disputant Hieronymus in VII cap. Danielis; Damascenus lib. IV, cap. 28; Theophylactus et Œcumenius in cap. II II ad Thessalonic.

Idola quidem seponens. Hippolytus martyr post Irenæum, oratione de consummatione sæculi: « In primordiis suis clemens erit, factus ad dilectionem, quietus, religiosus, pacificus, qui odio prosequatur injustitiam, detestetur munera, idola non admittat, amet Scripturas, » etc. Quorum in sententiam conveniunt Cyrillus Jerosolymitanus catech. 15; Ephrem. serm. de Antichristo; Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus in c. II II ad Thess.; Hier. quæst. 11 ad Algasiam; Damascenus lib. IV, c. 28, qui arbitrantur omnes id confirmari ex Danielis cap. VIII et XI, II ad Thessalon. II: « Istud vero faciet fraudulento et simulato consilio, » infit Hippolytus, « ut circumveniat omnes, ut se regem credant, quod facile obtinebit a Judæis. »

[7] Quæstio 38. [8] Lib XIII De civ., c. 23 et lib. II de Gen. ad lit., cap. 32; Rom. VIII, 10. [9] Psal. LXXXIX, 4; II Petr. III, 8. [10] Rom. XIII, 7.

Digitized by Google

Abominationes. Ita ex veteri codice repositimus; A excusi, « dominationes. »

Et quoniam ipse se tyrannico more. Hippolytus martyr : « Elatus corde incipiet exaltare seipsum et glorificare tanquam Deum, persecutione sanctos et blasphemia Christum incessens. Dicet autem : Quis princeps tam potens atque ego? quis Deus magnus præter me? » etc. Diabolicam hanc elationem Antichristo quoque tribuunt Theodoretus initio Hieronymus in VII cap. Danielis, auctor tractatus *De Antichristo*, Damascenus lib. IV, cap. 28. Hugonis Ætheriani verba subjiciam : « Idolis nullum obsequium præstabit : non enim idololatra erit, sed Deo nostro per omnia contrarius, omnes deos gentium ut muta simulacra confringet, nullius penitus imagini cultum exhibebit, quia se solum pro Deo jubebit adorari, » etc. : lib. *De regressu animarum*, cap. 23.

In quo adversarius sedebit. Apostolus II ad Thessal. II, docet filium perditionis in templo Dei sessurum esse, quod de Jerosolymitano illo olim exstructo a Salomone, toties solo æquato et instaurato, intelligi voluit Hieronymus quæstione 11 ad Algasiam ; Augustinus XX *De civit. Dei*, et tractatu *De Antichristo ;* Chrysostomus in II ad Thess. II. Hippolytus martyr Irenæo consentiens ait : « Christus ostendit carnem suam tanquam templum, ac suscitavit tertia die ; sic iste Jerosolymis suscitabit templum lapideum. » Et postea : **197** « Templum construet Jerosolymis, quod confestim excitatum tradet Judæis. » Consentiunt Damascenus lib. IV, cap. 28 ; Methodius in *Revelationibus ;* Anselmus in II Thess. II ; Ambrosius in XXI Lucæ. Alii templi nomine ecclesias cœtusque omnes credentium designari conjiciunt, quibus variis artibus illudens imperabit.

Christum ostenderc. Vetus codex vocem « Christum » non habet. Cæterum impietatem filii perditionis Antichristi recitat, qua loco et nomine Christi Salvatoris seipsum tentabit supponere et venditare, dicens : « Ego sum Christus. » Judæos autem præcipue mente jam alienatos seducet, Christo prænonente : « Si alius venerit, illum recipietis [11]. » Horrendum hoc facinus Hippolytus latius explicans, novem articulos enumerat in quibus seductor ille Christum imitari conabitur. Augustinus : « Filium Dei omnipotentis se esse mentietur. Et postea Jerosolymam veniens circumcidet se dicens : Ego sum Christus vobis repromissus, qui ad salutem vestram veni. » Ambrosius in XXI Lucæ : « Antichristus ex Scripturis disputabit se esse Christum. » Theodoretus in II ad Thess. c. II : « Seipsum Christum nominabit. » Cyrillus Jerosolym. catech. 15 : « Satanas inducet quemdam hominem falso seipsum Christum appellantem, ac per hanc appellationem Judæos decipientem, » etc. Cum itaque tam ex divinis Scripturis quam Patribus manifestum sit Antichristum pro Messia et Salvatore mundi se venditaturum, istudque nullus unquam pontificum Romanorum de seipso prædicaverit, toto cœlo aberrant hujus temporis hæretici, cum hoc probrum apostolicæ sedi tribuunt.

Per Danielem. Sic Græcus Matthæi contextus, διὰ Δανιήλ· communis editio, « a Daniele ; » sed idem.

Eradicari. Delevimus « eradicare » auct. vet. cod.

Dedit sanctis. Codices excusi, « dedit sanctus. »

Tempus prævenit. Ita legunt codices excusi, quibus concors est Græca Danielis lectio, καὶ ὁ καιρὸς ἔφθασε. Hieronymus, « tempus advenit. » Vetus codex, « pervenit ; » quod communi editioni melius quadrat.

De decem cornibus. Vetus codex, « et decem cornua. » Consentiunt Hebraica et Græca lectio, communisque Latina editio.

Superabit alios. Septuaginta, ὃς ὑπερβαλεῖ κακοὺς πάντας, « qui superabit malos omnes. » Sanctes, « et ipse major erit prioribus. » Vatablus, « differens a prioribus. » Communis editio, « potentior prioribus. » Vetus codex « subruet malos » legit, non male. Alioqui omnibus malis præstabit, superior erit.

Deinorabit. vetus codex, « dehonorabit. » Septuaginta, ταπειτώσει. Sanctes et communis editio, « humiliabit. » Vatablus, « opprimet. »

Pag. 325. *Demutare.* Vetus codex, « se mutare. »

Cum autem alius venerit. Ex hoc testimonio veteres recte colligunt novissimum Antichristum singularem fore hominem, qui sic Christo directe opponitur. Deinde Judæos initio contentioso studio eidem adhæsuros, tanquam suo totque sæculis desiderato Messiæ. Atque hoc post Irenæum ita colligunt Hieronymus, quæst. 11 ad Algasiam ; Augustinus tractatu 29 in Joannem ; Ambrosius, in cap. II secundæ ad Thessal. ; Theodoretus *Epitome divinorum decretorum.* Non est aut erit itaque novissimus Antichristus aliquod regnum, aut imperium, non ecclesia aliqua, non successio longa pontificum ; ut imperite juxta ac impie contendunt novissimi hæretici.

Transferet regnum in eam. Metropolim ac sedem ipsam regni Antichristi Jerusalem fore cum Irenæo sentit Hippolytus, quando regnum templumque Judæorum suscitaturum et gentem eam præ cæteris charam habiturum esse tradit. Auctor tractatus *De Antichristo :* « Jerosolymam veniens suam sedem in templo sancto ponet. »

Et datum est in sacrificium peccatum. Vetus codex, « peccantium. » Septuaginta, ἐδόθη ἐπὶ τὴν θυσίαν ἁμαρτίᾳ, « datum est adversus hostiam peccatum. » Sanctes, « tempus dabitur contra Jage sacrificium, propter prævaricationem. »

Et corrumpet. Ita vetus codex ; excusi, « et corrumpit et dirigit. »

Et quomodo una manu. Vetus codex, « ova manuum. » Septuaginta, καὶ ὡς ὠὰ ἐν χειρὶ συντρίψει, « quasi ova manu conteret. » Sanctes, Vatablus et communis editio, « sine manibus conteretur. »

Qui purum sacrificium. Hippolytus martyr et Ephrem Syrus [12] hoc ipsum de sanctissimo eucharistiæ sacrificio interpretantur ; quod tum Antichristi et ministrorum ejus tyrannide, vel penitus intermittetur, vel in abditis et occultis locis duntaxat celebrabitur. Viderint ergo Lutherani, Calviniani, Anabaptistæ, et alii hujus ævi sectarii, quam latam ei viam parent et communiant.

Et libatio. Ita vetus codex. Septuaginta, σπονδή, id est « libamen. » Sanctes et Vatablus, « oblatio. » Communis editio, « sacrificium. » Itaque delevimus « levatio. »

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 25.

Pag. 323. *Hoc est triennium et sex menses.* Hujus interpretationis ipse S. Joannes auctor est, Apocalypseos cap. XII, ubi V. 16 mulier dicitur « volare in desertum, in locum suum, ubi alitur per tempus, et tempora, et dimidium temporis. » Et vers. 6 : « Mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta, » qui ipsius S. Joannis et totius S. Scripturæ stylo, quo triginta solum dies singulis mensibus tribuuntur, exacte tres annos et sex menses complent. Unde cap. XI ejusdem divinæ Apocalypseos, « menses quadraginta duo, » quorum vers. 2 fit mentio, continuo vers. 3 in « dies mille ducentos sexaginta » resolvuntur.

In novissimo regni ipsorum. Irenæus haud legisse videtur πληρουμένων τῶν ἁμαρτιῶν, uti nunc LXX edit. una cum Hebraico textu habet.

Et admirabilis. Irenæus vel interpres ejus non

[11] Joan. V, 43. [12] Orat. de Antichrist.

Digitized by Google

θαυμαστά, sed θαυμαστή, aut θαυμαστός legit, ac inter hoc et verbum διαφθερεῖ comma posuit.

Diriget. Græce, κατευθυνεῖ, « prosperabitur. »

Ejus. Dirigetur. In editt. τῶν Ο' verbum, κατευθυνεῖ, « dirigetur, » cum præcedentibus, καὶ ζυγὸς τοῦ χλοιοῦ αὐτοῦ, jungitur.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 26.

Pag. 323. *Decem reges sunt.* Dissipationem unius imperii Romani in decem regna, per decem articulos pedum statuæ decemque cornua bestiæ significata, adventum Christi præventuram, post Irenæum, ex Daniele et Apocalypsi colligit Theodoretus; et ut Hieronymus fatetur [13], omnes scriptores ecclesiastici. Quæ sint autem illa, haud difficile deprehendent, qui historias Romanorum a temporibus Arcadii, Honorii et Theodosii ad hanc usque ætatem percurrerint. Ab illis enim sæculis comperient in Europa Hispanos, Gallos, Anglos et Germanos; in Africa, Carthaginenses, Numidas, Ægyptios; in Asia Syros, Armenos, aliosque multos, variis licet modis, Romani imperii jugum excussisse. Atque etiam nunc in sola Europa conspicimus Poloniam, Suetiam, Norwegiam, Daciam, Britanniam, Galliam, Hispaniam, Italiam, Siciliam, Hungariam, decem clarissima et potentissima regna ab imperii Romani obedientia ita sese subduxisse, imo et illud attrivisse, ut vix quoddam illius inane supersit simulacrum.

Tres interficiet ille qui venturus est. Hippolytus tria cornua, quæ ab eo radicitus evellentur, tres reges putat, Ægypti, Libyæ, Æthiopum, quos deleturus est conserta manu [14]. Hieronymus et Theodoretus in VII et XI Danielis consentiunt, cum aperte præsagiat propheta : « Mittet manum suam in terras, et terra Ægypti non effugiet. Per Libyas quoque et Æthiopias transibit [15]; » et adversus cavillos Porphyrii confirmant hæc de solo Antichristo, non autem de Antiocho posse intelligi.

Reliqui subjicientur ei. Qui Mahometicam impietatem et Turcicam tyrannidem Antichristi nomine intelligunt, manifeste percipiunt eam nunc Ægyptiis, Arabibus, Libyis et Æthiopibus longe lateque imperare; sciunt etiam alia reliqua regna, id est Syriam, Armeniam, Asiam Minorem, Thraciam, Bulgariam, Macedoniam, Achaiam, Peloponesum bestiis illis in ditionem venisse. Et nostro hoc sæculo cœlestem iram provocantibus, et adversum nos dimicantibus peccatis nostris, accepimus Georgiam, Mesopotamiam, Mediam; et in Europa Hungariam, Negropontem, Rhodum, Cyprumque belluis istis manus dedisse. Legimus præterea inter Germanos Lutherum suis concionibus et scriptis, tanquam classico, Antichristum evocasse his verbis : « Turcis non esse resistendum; nec tributa pendenda, nec collectas faciendas ad inferendum Turcis bellum; præliari adversus Turcas est repugnare Deo. » Vidimus et legimus Gnosticos et ejusmodi apostatas, tyrannum illum et ejus emissarios atque satellites Tartaros, Scythas, Mauros, Numidasque, ut provinciis Christianorum bellum inferrent, concitasse. Amon hoc est reliquos reges, de quibus hic Irenæus, Antichristo subjicere?

Pag. 324. *Comminuit.* Sic vetus codex reponendum docuit pro « comminuet; » ut postea « dividetur » pro dividitur; sic ergo, » pro « si ergo; » et « inducet » pro « inducit. »

198 *Bene Justinus dicit.* Hunc locum ex utroque citat Eusebius libro quarto *Hist.*, cap. 17, inde eliciens quam magno æstimata fuerint a veteribus, quamque probata Justini martyris scripta. Porro sententiam istam quamvis singularem esse lubens agnoscam, damnatam tamen vel a concilio, vel a quoquam veterum me legisse non memini. Quin potius illam nominatam citat et probat Œcumenius explanans ultimum caput prioris canonicæ B. Petri. Neque parum roboris ei afferunt verba B. Andreæ apostoli, quibus dæmones relegat in loca arida et infructuosa, donec accipiant debitum sibi ignis æterni supplicium, referente Abdia Babylonio, libro tertio; quasi necdum plane accepissent. Quinetiam eximius omnium errorum investigator et expugnator Epiphanius, eamdem sententiam confirmans, ait : « Ante Christi adventum nusquam ausus est (diabolus) in Dominum suum blasphemum aliquod verbum loqui, aut contra elationem cogitare. Exspectavit enim Christi adventum, audiens semper prophetas eum annuntiantes Redemptorem futurum eorum, qui peccaverunt, et per Christum pœnitentiam agunt, putavitque se misericordiam aliquam assecuturum esse [16], » etc. Sed et longe ante Epiphanium Clemens Alexand. scripserat diabolum posse duci pœnitentia, quia liberum habeat arbitrium [17]. Quam veluti præceptoris doctrinam non modo secutus est, verum etiam usque ad fanaticas opiniones amplificavit Origenes, libro primo et tertio Περὶ ἀρχῶν. De hac sententia nihil adversus tot Patres audemus pronuntiare; quæ vero nobis de lapsu dæmonum videntur, latissime prosequimur *Comm.* in Epistolam beati Judæ apostoli.

Imporiat quasi jam. Ita vetus codex; excusi, « importet, qua sententia. »

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 26.

Pag. 323. *Ipse octavus in eis.* Existimavit quippe Irenæus Antichristum tres e numero decem regum prorsus e medio sublaturum, sive « interfecturum, » uti modo dicebat. Sed Daniel cap. VII, vers. 24, solum ait, ταπεινώσει, « humiliabit eos, » id est subjiciet tanquam vassallos. Confer Apoc. XVII, 13 seqq.

Pag. 324. *Quoadusque abscissus est.* Ἐθεώρεις ἕως ἀπεσχίσθη in LXX legimus.

Post autem adventum Domini. Hæc adhuc Justini M. verba esse, non modo ex loco citato Œcumenii, sed et Andreæ Cæsariensis in S. Joannis Apocalypsim *Commentario*, cap. 34, colligo, ubi hæc habet : Λέλεκται δὲ τῷ μακαρίῳ Ἰουστίνῳ τῷ φιλοσόφῳ καὶ μάρτυρι, μετὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν καὶ τὴν κατ' αὐτοῦ ἐν γεέννῃ ἀπόφασιν, βλάσφημον μάλιστα γεγονέναι τὸν διάβολον· καίπερ μὴ πρότερον οὕτως ἀναιδῶς τὸν Θεὸν βλασφημήσαντα. Et cap. 60 : Ὁ μέγας δὲ Ἰουστῖνός φησιν, ἐν τῇ τοῦ Χριστοῦ παρουσίᾳ πρώτως γνῶναι τὸν διάβολον, ὅτι καταδέδικαστται εἰς τὴν ἄβυσσον καὶ εἰς τὴν τοῦ πυρὸς γέενναν.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 27.

Pag. 325. *Et duabus.* Istas decem voces ex veteri codice addidimus.

Inobedientes. Codices excusi, « indicto audientes. »

Et sensum liberum. Codices excusi, « sensum similiter. » Vult autem homines impios propria libertate a Deo deficere, sicut et pridem dæmones, quod abundantius ostendit lib. IV, etc. Paulo post idem etiam declarat assumpto simili ex iis, qui sibipsis oculos eruunt in corusco fumine.

Iis eam quæ electa est. Vetus codex, « his autem quæ lecta est. »

Voluntaria sententia. Discessionis a Deo, excæcationis mentis, damnationis quoque impiorum causam libertati propriæ, non autem bontati divinæ ascribit, ringantur licet veteres recentioresque Gnostici.

Ejusdem adnotationes in cap. 28.

Ut participetur eis calamitus. Vetus cod., « ut participentur eas calamitates quæ in eis sunt. »

Pro eo quod dilectionem Dei. Græca Pauli ha-

[13] Comment. in Danielem. [14] Orat. de consum. sæculi. [15] Dan. XI, 42, 43. [16] Contra hæres. 39. [17] Lib. I Strom.

Digitized by Google

bent, τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας, « dilectionem veritatis, » atque ita legit Ambrosius. Quibus verbis Theophylactus Christum Dominum et Deum nostrum significari arbitratur, qui charitas et veritas est. Cyprianus epist. ad Cornelium, et lib. *De lapsis* legit. « dilectum veritatis. »

Mittet eis. Vetus codex : « Mittet eos Deus in operationem erroris. » Cyrillus Jeros. catech. 15 : « Mittet autem dicit, pro permittet fieri. Non ut excusentur, sed ut condemnentur. »

Illo enim veniente. Sermonem institutum de Antichristo repetit, edocetque illum libera spontaneaque voluntate operaturum mala; refragentur servi arbitrii defensores.

Cujus adventum Joannes in Apoc. Antichristum illum insignem, sive Turcicum regnum, sive aliud quidpiam nobis adhuc ignotum, hac bestia significari, cum Irenæo æstimarunt Hippolytus orat. de cons. sæculi, Gregorius XXXIII *Moralium*, cap. 26, Primasius, Haymo, et Rupertus in *Comm.* Unius tantum B. Ambrosii verba, quibus singulæ visionis partes exponuntur, addere visum est : « Per pardum, ait, qui fertur diversos colores habere, hypocrisis Antichristi designatur. Virtutem vero suam diabolus Antichristo dabit, quia in illo habitabit, et per eum quidquid nequitia diaboli excogitare potest, operabitur, » etc.

Et unum ex capitibus quasi occisum. Ambrosius per hoc caput quasi occisum intelligit hæreses, quibus primis temporibus fanatici homines Ecclesiæ fidem labefactare conati sunt; quas sancti Patres scriptis, sermonibus et disputationibus exstirparunt. Hoc caput ad tempus quasi occisum, per Antichristum resuscitabitur; qui omnes blasphematores suis blasphemiis antecedet.

Et eos qui in cœlo habitant. Ambrosius : « Blasphemabit nomen Dei, dicens Christum non esse Deum; blasphemabit et eos, qui in cœlo habitant, id est martyres, et cæteros sanctos, dicens nihil C prodesse eos posse cuiquam, falsumque esse quidquid de eis a fidelibus asseritur. »

Id attendant, obsecro, posteriores Gnostici, quibus post Calvinum sanctissimus pater fidei nostræ Abraham « est idololatra; » beatiss. Sara, « viri sui lena, domum suam lupanar constituens; » servus Dei Jacob, « incestus, tertioque adulter; » Rebecca, « fraudulenta; » Samson, « scortator et sanguinarius; » Moyses et Aaron, « arrogantes, superbi et impii in Deum; » Elias, « nimis sævus et crudelis; » Machabæus, « superstitiosus et legis prævaricator; » omnes prophetæ, « gravissimi peccatores [18]. » Quid ultra? Nec a tetris calumniis et probris in sanctissimos quondam fratres et amicos Christi Domini nostri, nunc in cœlis consortes et conregnantes, isti Antichristi præcursores abstinent. Apostolos intelligo, quando illorum judicio, Petrus est « schismaticus et libertatis Christianæ oppressor; » Joannes, « idololatra et apostata; » Paulus, « Dei contemptor ac Epicureus [19], » etc. Horret animus reliqua eorum in omnes sanctos cœli cives et divini tabernaculi habitatores convicia, et antichristianas blasphemias persequi. Et adeo excæcatus est mundus, ut hos tanquam evangelicæ veritatis præcones suspiciat, et instauratæ nefæcatæque religionis auctores admittat et faveat? Superi meliora velint.

Post deinde et de armigero ejus. Ambrosius : « Hæc bestia aut unum ex discipulis Antichristi designat deteriorem cæteris, aut multos qui eum prædicaturi sunt. » Augustinus homilia 11 in Apocal. : « Hæc est hæretica Ecclesia, quæ sub nomine Christiano agnum præfert, ut draconis venena latenter infundat. »

Ut faciat signa. Vetus codex, « et faciet; » Græce, καὶ ποιεῖ; vulgata editio, Ambrosius, Primasius, « et fecit. » Addit Ambrosius : « Quod in libro Job legimus diabolum ex permissione Dei ignem fecisse de cœlo descendere per semetipsum, hoc per Antichristum et sequaces ejus extremo tempore faciet. A

Hoc ne quis eum. Consentit Irenæo Andreas Cappadox his verbis : « Intuentium oculos fascinando hæc faciet Antichristi præcursor, ut existimetur Antichristus esse Christus, ut qui a tali miraculorum patratore testimonium accipiat. »

Sed et Paulus verbis nequaquam ambiguis scribit adventum Antichristi futurum « secundum operationem Satanæ in signis et prodigiis mendacibus; » quibus omnem miraculorum veram efficacitatem et rationem illi adimit. Enimvero mendacia erunt signa illius omni ex parte. Primo, ratione finis; quoniam, juxta Ambrosium et Chrysostomum, ad mendacium inducent, nimirum ut impostor ille probet se Deum et Christum esse, sicut Christus noster veris miraculis divinitatem suam patefecit [20]. Secundo, ratione efficientis, nempe Satanæ patris mendacii, qui in eo, per eum perque ministros ejus sic operabitur, ut etiam (doctore B. Gregorio [21]) tortores sanctorum martyrum tunc signa et prodigia istiusmodi sint facturi. Tertio, mendacia erunt ratione subjecti seu materiæ, quandoquidem duntaxat illusiones ac præstigiæ humanos sensus perstringentes, non reipsa erunt miracula. Magnifice quidem videbitur mortuos suscitare, ait Cyril. Jer. [22], cæcos illuminare et claudos sanare; eum tamen revera non fiat sanatio. Quarto denique mendacia erunt ratione formæ, quoniam non in nomine Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti edent illa, sed in **199** nomine impostoris illius, qui ut venturus est in nomine suo, ita et signa illa patraturus [23], etc.

Et imaginem. Augustinus, seu Ficonius, per simulacrum bestiæ intelligit diaboli inventionem, quam instar Dei suscipient fascinati homines; aut simulationes eorum, qui non veraci effigie, sed fallaci imagine Christiani judicantur. Rupertus, simulacrum quoddam, quale fecisse Nabuchodonosor legimus [24], quod ut in eo adoretur filius perditionis, constituet in locis sacris, de quibus signum crucis Christi dejiciet.

Et characterem. Ambrosius : « Potest fieri ut sicut nos habemus characterem Christi, id est crucem qua signamur, ita habeat Antichristus proprium characterem, quo signentur ii qui in eum crediderint. » In eadem quoque est sententia Hippolytus martyr scribens characterem illius bestiæ futurum, non uti signo crucis, sed illud potius exsecrari et abolere [25], etc. Qua in re viam ei quantum possunt diligenter parant atque muniunt Hugnostici, cum suo Beza proclamantes « se omnem D crucis atque imaginis Crucifixi memoriam adeo detestari, ut eam ferre non possint; » *Colloq. Mompelgart.*, pag. 418. Cæterum pro « aut » reposuimus « ait, » ex vetere codice.

Pag. 327. *Quotquot enim diebus.* Hæc Irenæi sententia de mundi permansione tot tantosque habet vindices et confirmatores, ac plausibiles persuasiones, modo divinæ potestati nihil temere præscribatur, ut in eam lubens descenderem. Primo enim ethnicorum omnium clarissimos et antiquissimos scriptores Hydaspen Medorum regem, Mercurium Trismegistum, ac Sibyllas hoc præcinuisse et firmasse testis est Lactantius [26].

Hebræos idem sequi, testimonio est oraculum quod Eliæ nomine circumferunt Talmudistæ, libro *Sanhedrin*, capite *Helec;* et libro *Havoda Zara*,

[18] Com. in Gen. et lib. Moysis. [19] Marlorat. in Acta epist. et Apoc. [20] Com. in II Thess. II. [21] Lib. II Mor., cap. 12. [22] Catech. 15. [23] Joan. V. [24] Dan. III, 1. [25] Orat. de consumm. sæculi et Antich. [26] Lib. VII, cap. 14, 15 et 18.

Digitized by Google

cap. *Liphne edehen;* cujus verba recitantur, nec refelluntur a doctis et catholicis auctoribus Galatino lib. IV, cap. 20; Pico Mirandulano lib. VII; Heptapli cap. 4, et Francisco Veneto libro *De harmonia mundi*, cant. 3, tono 7, cap. 7. Oraculum hoc declarant ac conjecturis multis et non spernendis confirmant insignes rabbini Selomo et Isaac.

Ex Latinis ecclesiasticis Patribus, sententiam hanc amplectuntur et tuentur Lactantius lib. VII, cap. 14; Hilarius in cap. XVII Matth.; Hieronymus epistola ad Cyprianum, et *Comment.* in cap. IV Michææ; Gaudentius Brixianus tractatu 10 de lectione evangelica. Refert eamdem et Augustinus lib. XX *De civit. Dei*, cap. 7, ut verisimilem, licet alibi illam impugnaverit. Glossa etiam, quæ ordinaria vocatur, idem constanter affirmat, in V cap. Genes. Inter Græcos vero placuit hæc opinio Justino martyri, seu cuivis alteri auctori *Quæstionum ad orthod.*, quæst. 71. Sex istis millibus, quingentos annos addere visum est Hippolyto, Cyrillo et Chrysostomo, ut auctor est Germanus Constantinopolitanus, libro *De theoria rerum eccles.*

Perspectum mihi est hanc sententiam oppugnari ab Augustino, *Com.* in Psal. VI et LXXXIX, atque epist. 89, insuper a Beda in Psal. LXXXIX; an vero illam expugnent, viderint docti et acuti eorum lectores. Hæc autem, ni fallor, aliquod emolumentum afferent ad eorum reprimendos clamores, qui temere nullaque ratione B. martyri hac de re vehementius insultant, et lapsus quos putant Patrum, aliquanto contumeliosius insectantur.

Prophetia est. Si enim. Conjunctionem « si » adjecimus, et sententiæ periodum immutavimus, auct. vet. cod.

Fit secundum imaginem. Expunximus « scil. »

Quemadmodum quidam de nostris. Euseb. lib. III *Histor.*, cap. 30, hanc sententiam B. Ignatii Antiocheni ep. et martyris ad verbum ex Irenæo transcribit, inde demonstrans illius epistolas et martyrium priscos magni existimasse. Verba enim Ignatii sunt in *Epistola ad Romanos.*

Porro cum alii etiam Ignatii epistolarum frequenter meminerint magni nominis proceres, ut Dionysius Areopag. cap. 4 libri *De divinis nom.*; Athanasius lib. *De synodis;* Theodoretus in tribus dialogis; Nicephorus lib. II *Historiæ*, cap. 39, et lib. III, cap. 19; Antonius Melissa lib. I, ser. 14, et lib. II, ser. 19, 23, 43, 67, 84 et 89; Maximus abbas et martyr sermone 45; Hieronymus *Contra Elvidium*, et in *Catalogo;* Gelasius *Adversus Eutychen*, et complures alii: oportet Calvinum et Magdeburgenses omnium profligatissimos et perditissimos esse, qui illas subsannant, lacerant et rejiciunt.

Ejusdem adnotationes in cap. 29.

Pag. 327. *Illud quod est sui arbitrii.* Confirmat rursus libertatem arbitrii humani; quapropter Magdeburgenses rubore suffundi deberent, qui Patres antiquos hac in re sibi non constare scripserunt: nisi homines essent, quos infamiæ suæ neque pudeat, neque pigeat.

Conditio insumitur homini. Id est, universa ad usum hominis condita fuerunt; id quod latius tractant et interpretantur Philo, lib. *De opificio mundi*, Basilius et Ambrosius in *Hexaem.*

In profundo insipientiæ, juste. Sic legit vetus codex; excusi, « insipientia ejus te, » etc.

Et palea. Auctoritate vet. cod. expunximus « paleas; » et mox pro « assumitur, assumetur » reposuimus.

Quæ facta est ex angelica apostasia. Certum est apostatas et prævaricatores angelos non solum horrenda ea omnia flagitia, in quibus ante diluvium omnis caro luxuriose perditeque degerat, sed et futura quæque hominibus persuasisse. Origenes enim ea verba exponens, quibus Satanam Dominus convenit apud Job: « Unde venis [27]? » scribit: « Unde venis? Ab homicidiis, a sanguinibus, ab adulteriis, a furtis, a mendaciis, horum auctor et inventor exsistens super terram. Unde venis tu? Ab internecione Abel, a gigantum impudicitia, a turre contumaciæ, ab Esau aviditate, a Pharaonis pertinacia, » etc.

Pag. 328. *Propter nequissimam generationem.* Præter ea, quæ sacra Genesis commemorat de sceleribus hominum, Berosus Annianus addit impietatem gigantum eo pervenisse, ut abortus procurarent, quos in edulia sibi pararent: matribus, sororibus, filiabus, masculis et brutis commiscerentur, nihilque sceleris esse quod non commiserint, cœlestium ita et ultione illos perurgente pro impietate atque sceleribus.

Qui fuit a diluvio. Idololatriæ ortum, progressum et incrementa ab aquarum inundatione accepisse, ante Irenæum scripto reliquit Clemens Rom. lib. I *Recog.*, nempe a scelerata Cham progenie. Justinus in *Oratione ad Græcos*, et Athenagoras in *Legatione*, Orphæum florentem tempore Gedeonis Hebræi, uti refert Eusebius, πολυθεοκτίστην, id est multiplicium deorum falsorum conditorem atque magistrum appellant. Epiphanius, initio *Panarii* et ejusdem *Anacephalæosi*, ætate Saruch abavi patriarchæ Abrahæ profectam idololatriam dicit; cui subscribunt August. XVIII *De civit.*, cap. 12, et Cyrillus Alex. I et III *Contra Julianum.* Isidorus suspicatur Prometheum, quem temporibus Josephi patriarchæ vixisse scribit Eusebius [28], primum omnium simulacra hominum de luto finxisse. Galatinus lib. IV, cap. 20, idolorum cultum ad Nembrothum Assyriorum tyrannum refert, quippe qui homines igni sacra facere et colere coegerit.

Hæc autem de crassa illa et externa idolorum inventione cultuque per cruentas sive hominum sive brutorum victimas, intelligenda modo censerem; quandoquidem peccatum angelorum et primorum parentum idololatriam spiritualem et internam nominant Ambrosius in VI cap. ad Rom. et Augustin. quæst. 83 ex Novo Testamento. Quin etiam Justinus martyr primos parentes nostros paradiso ejectos dicit, quod deos crederet qui non essent, deorumque nomen posteris tradidisse. Ambrosius lib. *De paradiso*, cap. 13, serpentem vocat originem idololatriæ. Observant quoque Clemens II *Recognit.*, Theophilus Antiochenus II *Ad Autol.* et Justinus *Orat. paræn.*, serpentem primum omnium deos multitudinis numero nominasse, ut tetrum errorem sensim inter homines introduceret. Opinantur in magna Genesi Hebræi Caini improbam progeniem invaluisse, Deumque et ejus de Messia promissiones nihili duxisse; Henochum vero veri Dei invocationem renovasse, cæteris ad idololatriam proclivioribus; quorum judicium approbat et laudat Oleaster Lusitanus *Comment. in Genes.*

Propter quæ et diluvium superveniet ignis. Ignem postremæ mundi conflagrationis intelligit, qui theologorum sententia, et mediam et infimam aeris regionem, adeoque universam terram, et ipsum etiam mare ardoribus suis corripiet atque perpurgabit. De hoc a Propheta dictum volunt: « Ignis in conspectu ejus exardescet [29], etc.; Ignis ante ipsum præcedet [30], » etc. Et a B. Petro: « Elementa calore solventur, terra autem et quæ in ipsa sunt opera exurentur, » I Pet. III, 10. Vide sermones tractatusque B. Ephrem Syri de resurrectione et futuro judicio, et Patres scholasticos ad finem lib. IV *Sent.*

200 *Ejusdem adnotationes in cap.* 30.

Pag. 328. *His autem sic se habentibus.* Eusebius

[27] Job I, 7. [28] In Chronico. [29] Psal. XLIX, 3. [30] Psal. XCIV, 3

Digitized by Google

lib. v *Hist.*, cap. 8, hunc locum citat nominatim, usque ad illud : « Hoc est, decadas æquales ; » ex quo et vetere codice, pro « facie ad faciem Joannem viderunt, » reposuimus « faciem Joannis viderunt, » et pro « docentibus » restituimus « docente nos. »

Qui faciem Joannis viderunt. Hi erant Polycrates, Ignatius, Polycarpus, Aristion, Joannes junior Ephesinus, Clemens, Dionysius, quos Irenæus partim præceptores habuerat, partim cum eis sacris de rebus colloquiis convenire potuerat. Enimvero cum ille ad secundum usque annum imperii Trajani, Christi autem centesimum primum, in Asia constituens ac regens ecclesias permanserit ; Polycarpus autem, cujus auditor fuit Irenæus, jam fere nonagenarius, anno septimo Marci Aurelii, Christi vero 169, martyrio affectus fuerit ; dubium esse non potest, quin superiores et alios plurimos beati Joannis discipulos Irenæus coram audire et videre potuerit.

Hexacontasin. « Hexacontasin » et « monasin » dativi sunt Græcorum, pro eo quod Latine diceretur sexcentis et unitatibus, vel hexacontadibus et monadibus. Significat autem pares notas in centenariis, denariis et unitatibus significandis adhiberi, nempe senarii numeri, qui ter repetitus efficit 666. Cæterum paulo post « digitus » reposuimus pro « digitos, » auctor. vet. cod.

Quæ sexagesimum enuntiat. Sic ex vet. cod. legimus pro « sexaginta nuntiat. » Littera porro, Græcorum supputatione, hunc numerum designans est ξ, quam ex ι, decimum faciente, scriptorum vitio extendi potuisse scribit Irenæus.

Pag. 329. *Quotquot autem secundum inanem gloriam.* Temeritatem illorum impugnat et juste damnat, qui non minus audacter quam indocte proprium Antichristi nomen sese invenisse et in medium protulisse videri cupiebant, et in Apocalypsim inferebant, evellentes quod insitum erat.

Subsequetur autem. Vetus codex, « subsequitur et aliud. »

Et munitio. Græce, ἀσφάλεια, id est cum res tuta, et nihil imminet periculi. Œcumenii interpres, « pax et tuta omnia ; » Ambrosius vertit « firmitas ; » communis editio, « securitas. »

Sed et tribum, ex qua veniet. Ex tribu Dan nasciturum illum insignem filium perditionis persuasissimum fuisse Irenæo hinc patet. Consentiunt ei ex Græcis scriptoribus Hippolytus martyr lib. *De consummatione sæculi*, Sibylla Tiburtina, Theodoretus quæst. 109 in Genesim ; ex Latinis, Gregor. xxxi *Mor.*, cap. 18 ; August. tract. *De Antichristo* ; Ambrosius lib. *De benedictionibus patriarcharum*, c. 7 ; Prosper, Haymo, Rupertus, et recentiores.

Ex Dan audiemus. Ita vetus codex, cui convenit lectio LXX, ἀκουσόμεθα. Codices excusi, « audivimus. »

Quoniam autem non propter inopiam nominum. Cum omnia quæ dicuntur in Apocalypsi de adventu, nomine, numero nominis et charactere Antichristi prophetica sint, non mirum si, juxta canonem Irenæi, ante eventum, exploratam et certam non consecuta declarationem, ænigmatica et ambigua maneant adhuc hominibus. Præstat ergo, quod ad præsentem locum attinet, ejusdem Irenæi amplecti consilium [31] ut certius et sine periculo sequi ; complementum prophetiæ hujus sustinendo, quam inconsulte ac temere aliquid asserere. Verum quæ exempli et exercitii gratia, Irenæum imitati reliqui scriptores ex numeris istis 666 nomina collegerunt, illa hoc loco proponere non intempestivum fortasse fuerit. Primum nomen quod hic ab Irenæo ponitur, est ΕΥΑΝ in excusis codicibus ; at A numerus 666 deficiens et vetus codex palam arguunt mendum subesse. Ideoque ex fide veteris codicis, et Græcis characteribus restituimus ΕΥΑΝΘΑΣ, cujus elementa sigillatim sumpta numerum ab Irenæo quæsitum faciunt (ε = 5, υ = 400, α = 1, ν = 50, θ = 9, α = 1, σ = 200). Secundum, quod cum Irenæo agnoscit et Aretas Cappadox, est ΛΑΤΕΙΝΟΣ, siquidem λ 30, α 1, τ 300, ε 5, ι 10, ν 50, ο 70, σ 200 ; collatis numerose litteris efficiunt 666. Tertium Aretæ Cappadoci [32] sicut Irenæo placet, nempe TEITAN. Nam τ 300, ε 5, ι 10, τ 300, α 1, ν 50, eadem enumeratione reddunt summam 666. Quartum constituit post Hippolytum martyrem Primasius, ΑΡΝΟΥΜΕ, « nego ; » siquidem α 1, ρ 100, ν 50, ο 70, υ 400, μ 40, ε 5, summa 666. Quintum tradit Aretas Cappadox, ΛΑΜΙΕΤΙΣ : λ etenim 30, α 1, μ 40, π 80, ε 5, τ 300, ι 10, σ 200, reddunt summam 666. Sextum, eodem Aretæ auctore, esse poterit Ο ΝΙΚΗΤΗΣ, id est « victor ; » quandoquidem, ο 70, ν 50, ι 10, κ 20, η 8, τ 300, η 8, σ 200, summa 666. Septimum apud eumdem Aretam est ΚΑΚΟΣ ΟΔΗΓΟΣ, « malus dux. » Nam κ 20, α 1, κ 20, ο 70, σ 200, ο 70, δ 4, η 8, γ 3, ο 70, σ 200, summa 666. Octavum, eodem auctore, ΑΛΗΘΗΣ ΒΛΑΒΕΡΟΣ, « vere nocens ; » equidem α 1, λ 30, η 8, θ 9, η 8, σ 200, β 2, λ 30, ς 1, β 2, ε 5, ρ 100, ο 70, σ 200, complent summam 666. Nonum idem subjicit, ΗΔΗΔΙ ΒΑΣΚΑΝΟΣ, « jam olim invidus ; » nam π 80, α 1, λ 30, α 1, ι 10, β 2, α 1, σ 200, κ 20, α 1, ν 50, ο 70, σ 200, reddunt summam 666. Decimum postremo addit, ΑΜΝΟΣ ΑΔΙΚΟΣ, « agnus nocens ; » certe α 1, μ 40, ν 50, ο 70, σ 200, α 1, δ 4, ι 10, κ 20, ο 70, σ 200, faciunt summam 666. Undecimum habet Primasius ex Ticonio, ΑΝΤΕΜΟΣ, α 1, ν 50, τ 300, ε 5, μ 40, ο 70, σ 200, efficiunt 666. Duodecimum enumerat Rupertus ΓΕΝΣΗΡΙΚΟΣ, γ 3, ε 5, ν 50, σ 200, η 8, ρ 100, ι 10, κ 20, ο 70, σ 200.

B

C

Addo præterea, id quod docti quidam et acerrimi judicii nostræ ætatis homines [33] nequaquam omiserunt : funestas clades illatas omnibus Christianis multiplici et horrendo schismate, ortum ducente a Martino Luthero 1517, alta mente revolventes : item quam concinne sectis, quæ ex illo dimanarunt, conveniant omnes conditiones bestiæ illius Apocalypseos, quæ os suum aperuit in cœlum et habitantes in eo, cuique robur permittitur adversus æternum sacrificium, nomini nempe hæresiarchiæ illius adaptari posse hunc numerum 666. Nam initio vocabatur MARTIN LAUTER, cujus nominis litteras, si Pythagorice et ratione subducas, et more Hebræorum et Græcorum alphabeti Latini crescat numerus, primo monadum, deinde decadum, hinc centuriarum, numerum nominis bestiæ, id est 666, tandem perfectum comperies, hoc pacto : M, 50 ; A, 1 ; R, 80 ; T, 100 ; I, 9 ; N, 40 ; ., 20 ; A, 1 ; V, 200 ; T, 100 ; E, 5 ; R, 80. Certissimum est hæreticos omnes, qui adversus Christi Ecclesiam eriguntur, quales fuerunt priores Gnostici et eorum proles, antichristos vocari : proinde Lutherum nomen Antichristi effugere non posse. Verum hæc non impediant, quin alicui venturo insigniori filio perditionis, cui tanto studio viam muniunt, vaticinatum jam nomen quadret.

D

His omnibus interjectis, mihi sententia doctorum et catholicorum virorum Joannis Annii [34], Joannis Hentenii [35], Jodoci Clicthovei [36], ac D. Genebrardi theologi Parisiens. Hebraicarum litterarum professoris regii [37], valde grata est ; qui Mahometem impurum pseudoprophetam, una cum ejus profligatam ac perditam sectam acriter tuentibus, vel ipsum definite et vere Antichristum, vel illius regni saltem maximum et studiosissimum condito-

[31] Lib. iv, c. 48. [32] Comm. in xiii Apoc. [33] Jo. Oflusius, D. Lindanus dial. 3 Dubitant. [34] Quæst. in Apocal. [35] Præfat. in Aretam. Cappad. [36] Comm. in iv lib. Damasc. [37] In Chronogr.

Digitized by Google

rem esse existimarunt; quando omnes bestiæ hujus Apocalypseos conditiones, et singula quæ a priscis de Antichristo scripta stant, in illo vel majori ex parte jampridem completa, vel in dies compleri nullus est qui non videat. Conjecturas eorum measque subjicio.

Convenit inprimis illius appellationi numerus Græcarum litterarum nominis bestiæ, a Joanne designatus [38]: siquidem octo litteræ nominis hujus MAOMETIS, sive MOAMETIS, uti scribunt Euthymius [39], Zonaras [40] et Cedrenus, conficiunt numerum 666.

Signis et prodigiis mendacibus, qualia Paulus filio perditionis tribuit, instructus fuit Mahometes: nam et liber generationis suæ, et reliqui commentarii Saracenorum Chronicōn, genealogiam ipsius usque ad Seth et Adam monstrosis et blasphemis fabulis contexunt; dehinc, quod sine ullo matris dolore ex utero prodierit, et circumcisus et hilaris; in ejus natali omnia orbis idola corruerint; Lucifer arreptus ab angelis, immersus fuerit profundo maris Alcazum; venti et aves et nubes de educatione ejus decertarint; asina voce humana vocarit illum prophetarum sigillum; atra nubes cœlo quantumvis sereno, supra caput ipsius semper conspecta sit; lunam bipertito divisam conjunxerit et compegerit; a Gabriele sublatus in cœlum, ibi sua mysteria didicerit [41]. Paulus Diaconus [42] et Zonaras [43] referunt eum dum comitiali morbo, seu epilepsia tentaretur, excitatum, post aliis persuasisse sese tum cum archangelo Gabriele fabulari.

In Babylonia nasciturum Antichristum, et in Bethsaida, Capernaum ac Chorasin educari debere, Hieronymi [44], **201** Methodii martyris [45], Augustini [46], et glossæ in II ad Thessalonic., et plurium aliorum sententia fuit: quod eatenus Mahometi convenire judicavit Joannes Hentenius, quatenus sectam illius cum primis earum civitatum incolæ magno studio et animi fervore receperint, defenderint et propagare in hunc usque diem contenderint.

Ad hæc eum exoriturum ex gente Judæorum, atque de tribu Dan, omnes fere ecclesiastici litterarum monumentis reliquerunt. Mahometem Arabem esse nihil obstat, siquidem mater ejus Emina, alias Hennia, Judæa erat, et fortassis ex tribu Dan. Præterea Arabes, Agareni, et Ismaelitæ ex sancto patriarcha Abraham per Ismael et Esau, ut et Judæi, descenderant; atque tunc inter hos et illos nuptiarum fœdera sæpenumero sanciebantur. Quid item prohibet dicere matrem impurum scortum ex viro tribuli suo, hoc semen adulterinum susceppisse, maxime cum doceant Patres illum ex salacissima muliere proditurum; sicut e contrario Christum ex immaculatissima et beatissima Virgine? Locus Geneseos quem ad propositum confirmandum usurpant, forsan melius de Samsone quam de Antichristo exponeretur, quemadmodum nec diffiteretur Hippolytus, Procopius, Gazæus, pluresque alii [47]. Vel spiritali convenientius quam litterali sensu, de illa tribu venturus sic intelligeretur; quoniam sicut Dan non ex Rachele, nec Lia, liberis uxoribus, sed ex ancilla Bala natus est; sic Antichristus Mahometes, neque ex veris Judæis, neque ex Christianis, qui soli vera religionis pietate Deo devoti et consecrati fuerunt, ortus est, sed ex impuris Arabibus et Agarenis.

Judæos exceptores illum in suum regem et Messiam affirmant Augustinus, Hieron., Ephrem, Hippolytus, etc. Ad Mahometem initio Judæos catervatim confluxisse, eumque pro Christo et liberatore suo, ingenti gaudio, tectis ac sedibus suis recepisse scribit Paulus Diaconus [48]; qui et tributa atque vectigalia illi ultro polliciti solverunt, atque in perniciem Christianorum ad hoc tempus Mahometanis omnem operam et studium navant et elargiuntur, veluti fidem faciunt et recentes et veteres historiæ.

At Antichristus, ait Apostolus, efferet se supra id omne quod dicitur Deus aut colitur, ita ut sedem domicilumque suum in templo Dei sit collocaturus [49]. Mahometes, dicet aliquis, nunquam se Deum, sed perpetuo hominem, prophetam, et Dei nuntium prædicat in Alcorano: neque, quam nunquam obsedit, is Jerosolymam expugnavit; neque in templo illius pro Deo habitus fuit [50]. Is hoc responsum ferat: diis omnibus ethnicorum, patriarchis, Moysi, cæterisque prophetis, imo Christo Deo vere et Domino nostro, ac ejus sacro Evangelio, Mahometem se profanum suum Alcoranum, ex philosophorum, ethnicorum, Judæorum, Arianorum, Sabellianorum, et Manichæorum opinionibus, erroribus, fabulis, blasphemiis et furoribus, ut detestandum et monstruosum chaos conflatum ac compositum, tanquam e summo cœlo delapsum omnino præferendum statuisse, nec id solum, sed et sanxisse. Alcorani contemptoribus pœnas æternas minatur, Azoara 12, 13, 27, 41, 44, 70; omnis falsitatis expertem proponit, et obfirmate contendit, Azoara 20, 22, 42, veluti divinitus acceptum, Azoara 2 et 36; Christianos a Christo salutem nunquam obtenturos, nisi beneficio et deprecatore Mahomete, in Colloquio cum Judæis. Suis sectatoribus remissionem peccatorum et multiplicem paradisum audax pollicetur, Azoara 2 et 5. Mechæ ab omnibus suæ superstitionis amatoribus, quasi Deus nostro tempore colitur. Complures notarunt [51] manus et pedes Mahometis, in templo Jerosolymis ab Omar ædificato, a Mahometanis celebrari. Sedet etiam nunc, proh dolor! in templo Dei, quando insignes ecclesias Africæ, Syriæ, Arabiæ, Armeniæ, Persidis, Asiæ, Thraciæ, Achaiæ, Macedoniæ, etc., Christi fide et cultu privatas et spoliatas, perdita illius secta occupat, indeque juge ac Christianorum sacrificium, aris dejectis, disturbat et impedit.

Antichristus respuet idola, aiunt cum Daniele Patres orthodoxi. Et idololatras debellat Mahometes ratiocinationibus ex potentia et operibus Dei deceptis, Azoara 23, 56, 62. Unitatem Dei plerumque et eximie comprobat, Azoara 2, 3, 4, 5, 6, 12, 13, 14, 16, etc. Picturas et effigiatas rerum omnium imagines plurimum aversantur qui ejus superstitioni nomen dederunt.

Exprimuntur a Daniele Antichristi doli, fœrores, blasphemiæ, bella, per parvum cornu succrescens inter decem cornua quartæ bestiæ, et tria ex prioribus cornibus excidens, oculos habens hominis, os eloquens grandia, cuique datur bellum facere in sanctos, et eos ad tempus vincere [52]. Quis non videt in Mahomete et sectæ ejus propugnatoribus hæc compleri?

Collabebatur et misere dissipabatur imperium Romanum, quod decem aut plus eo regnis, uti Africa, Ægypto, Syria, Asia, Græcia, Germania, Italia, Gallia, Anglia, Hispania, etc., quasi fortissimis cornibus antea gloriabatur, cum puncto temporis parvum cornu, id est Mahometes, filius terræ, et initio vilissimus abjectissimusque nebulo, ex camelorum et asinorum pastore, qui nec scribere nec legere quidem noverat, inter Arabes concionatur Chosroen Persarum imperatorem, et familiam ejus juste deletam ob cultum idolorum [53]. Christianorum et Ju-

[38] Apoc. xiii, 17. [39] Par. II Pan., tit. 21. [40] Tom. III Annal. [41] Alcor. Azoara 67, 27, 63. [42] Lib. xviii Hist. [43] Tom. III Annal. [44] In cap. xi Dan. [45] In Revel. [46] Tract. de Antichr. [47] Hip. lib. de cons. mund.; Meth. in Revel.; Aug. tract. de Antichr. [48] Lib. xviii Hist. [49] II Thess. II, 3. [50] Petrus Cluniac. epist. ad D. Bernard. [51] Chron. Sarac. Ant. Floren. tit. 13, cap. 5; Æditius in Chron.; Joan. de Opp. Gygas; Sabel Eneade 8, lib. vi. [52] Dan. vii. [53] Azoara 17, 38, 46, 56 et 63.

Digitized by Google

dæorum religionem multis erroribus contaminatam, et sectis vicissim repugnantibus brevi conficiendam, et se divinæ voluntatis interpretem, atque veræ religionis auctorem et assertorem unicum hominibus datum fuisse. Arabes novis rebus studentes facile seducit; tandem contractis copiis, vi rem gerit; quos suis artibus non valet, minis et armis suæ legis jugum subire cogit. Postea collecto exercitu Saracenorum et Arabum, qui ob denegatum stipendium a Romanis defecerant, cum iis qui domi remanserant, furore commoti, Ægyptum adoriuntur et pervagantur, Phœniciam, Palæstinam, Syriam, Mesopotamiam, et omnia ad Euphratem usque populantur, diripiunt, cædunt, ad deditionem compellunt, Romanis cum his infeliciter pugnantibus. Hinc adversus Persas, quibus paulo ante servierant, irruunt; nec prius vastandi et diripiendi finem faciunt quam Saracenorum legem et imperium ferant. Christianorum ecclesias undique oppugnant, quas possunt dilacerant et evertunt; dogma contumeliosum in Filium Dei et prophetis apostolisque contrarium recipiendum obtrudunt, et nomen Christi summis viribus delere conantur. Christianos perinde atque oves magno cum agmine trucidant, sicuti tradunt Paulus Diaconus lib. XVIII *Hist.*; Simoneta lib. I, epist. 4; Sophronius, epist. ad Sergium, in synodo sexta Constantinop., actione 11; Vincentius Bellovacensis lib. XXIII; Zonaras, tomo tertio *Annalium*.

Verum nos Eliam et Henoch olim venturos exspectamus, qui Judæos ad Ecclesiam Christi convocabunt, et pietatem, ait B. Ephrem [54], humano generi deferent, veri Dei scientiam omnibus palam prædicabunt, admonebuntque mortales ne timoris causa credant et obtemperent falsitati; quin et Antichristum ipsum, quemadmodum auctor est Tertullianus [55], sanguine suo tandem exstinguent. Quid? si locus Apocalypseos de duobus testibus quandoque venturis, non de Elia et Henoch in propria persona, sed de Ecclesia universa, quæ duobus Testamentis, ceu duobus candelabris et luminaribus lulta et collustrata, contra Antichristi tenebras perpetuo dimicat; aut de duobus martyrii generibus, reipsa nimirum et habitu, cum Primasio [56] et Ticonio [57] intelligamus? Quid rursus si duos ordines piorum hominum, aut in universum sanctos pastores omnes, qui ob paucitatem binarium numerum quodammodo repræsentant, quique pietate et doctrina pro gloria Christi adversus Antichristum, ad extremum vitæ spiritum desudant atque laborant, significatos demum post Rupertum et Joachimum abb. [58] obfirmemus? Sed Henoch et Elias proprie intelligantur, qui profecto venient, et Mahometicam impietatem totum fere orbem jamjam obtinentem exsecrabuntur et damnabunt; in quos tamen sectatores Mahometis Antichristi organa supplicia edent, et miris modis excruciatos necabunt.

At tempus tyrannidis antichristianæ, quæ cum Gog et Magog [59] maximis et fortissimis exercitibus orbem terrebit, et civitatem sanctorum immani feritate vastabit, ad novissimos extremosque fines sæculorum extenditur; arceturque a Daniele ad tempus et tempora, et dimidium tempus, id est ut Joannes in Apocalypsi interpretatur, menses quadraginta duos, et postea magis articulate, dies mille ducentos sexaginta: quæ minus consona Mahometi apparent, præsertim cum abhinc nongentis annis conciderit, imperatoris officio functus spatio decem annorum. His satisfacit Joannes Hentenius dicens tempus illud non esse referendum ad personam Antichristi Mahometis; sed ad postremum illud teterrimum, tristissimum et funestissimum bellum quod Turcæ, Tartari, Scythæ, Persæ, Arabes, qui omnes Mahometis nomen et fidem profitentur, Christianorum fortunis, focis et aris inferent; in quo hostes Christiani nominis, sola virtute cœlesti, non autem armis humanis temporis momento delebuntur; idque per metaphoram affirmari de capite impiorum Antichristo, quod in sectatoribus et membris implebitur; quæ certe figura in sacris Litteris usitatissima est [60]. Ad hæc tempus omne quod **202** a morte Domini nostri ad adventum ejus usque interjicitur, in sacris novissimum, novissima hora, dies unus, finis sæculorum appellatur: in eo autem, id est anno Domini 632, juxta Sigebertum [61], Heraclii imperatoris 21, Severini septuagesimi papæ pontificatus 2, secundum Palmerium, ætatis suæ 63, aut, ut alii volunt 40, Mahometes scelus ipsum, manu Dei ultrice incidit in morbum epilepticum, mente privatus, jam interiore ventre intumescente (conjecturam quis capiat, hydropisi contracta), die a morbo quarta decima, miserrimam animam efflavit.

Vivit tamen adhuc, heu! pestifer ille, vivit vegetus, dum in dies regnum Turcarum, Maurorum, Persarum, Tartarorum, etc., in Christianos adaugetur: quod utinam atque utinam gloriosissimo Domini nostri adventu cito evertatur et e medio tollatur, atque sancta Ecclesiæ catholicæ civitas jamdudum ætatem et solatium continenter exposcens, cœlesti suo sponso sine ruga et macula tandem aliquando tradatur. Hæc quibus minus grata videbuntur, liberum stet judicium; nemini præscribimus, neque a nobis ita disputantur, quin meliorem sententiam semper probandam et sequendam omnibus assentiamur, dictaque confestim revocemus, si sanctæ matris Ecclesiæ, cui nos et nostra omnia sponte consecramus, visum fuerit.

Cum has porro duodecim conjecturas jam ante viginti annos, tanta animi moderatione et submissione edidimus, putabamus nunquam in alicujus viri docti et catholici reprehensionem propter illas incidere: sed spe nostra longe frustratos nos tandem comperimus, quando anno 1593, mense septembri, Lovanio transeuntes, illic ab amicis audivimus, et in dictatis opera quorumdam studiosorum ex ore publici lectoris, viri certe perdocti et quem nos multis nominibus et observamus et colimus, excerptis collectisque censuram istam legimus: «Hanc Feuardentii sententiam non modo falsam esse, sed et periculosam; et auctores quos citat, nihil unquam hujusmodi sensisse vel scripsisse.»

Bona venia tua, vir optime, dictum sit, immerito me in crimen falsi adducis, et velut auctorem falsæ et periculosæ opinionis injuria traducis. Nam ut a novissimo auctore, id est Genebrardo nostro, nunc Arelatensi archiepiscopo dignissimo exordiar, ille multo clarioribus verbis sententiam istam extulit, quam ego ausus fuerim, scribens in *Chronographia* de Mahomete: «Hunc facile crediderim esse Antichristum, aut regni saltem Antichristi conditorem. Nam Μαομέτις reddit numerum bestiæ 666, de quo Apocalypsis XIII, formæ, πάρις, πάριδος. Deinde martius, sanguinarius, legionarius rex, suam legem non prædicatione, sed vi et armis firmandam statuit [62].» Et commemoratis ejus adversus Deum, Trinitatem, Christum, Christianosque tetris facinoribus, hac vehementi affirmantique interrogatione concludit: «Quid contra Christum hostilius potest suscipi? Quid magis esse antichristianum, sive Christo magis contrarium?» Et ejusdem *Chronographiæ* pag. 490 et 491, ad annum Christi 657, superiora corroborans et novos Gnosticos refellens, quod antichristianum regnum Romanæ sedi impie affingant, tandem subjicit: «Numerus 666, in Apocalypsi notatus, numerus est Mahometis veri

[54] Serm. de Antichist. [55] Lib. De anima. [56] Lib. III in Apoc. [57] Hom. 8 in Apoc. [58] Com. in Apoc. [59] Ezech. XXXVIII et XXXIX; Apoc. XXI et XXII. [60] Chro. Sarac.; Præfat. in Apoc.; Aretæ comment. [61] In Chron. [62] Ad annum Christi 560, pag. ultim. editionis Paris.

Digitized by Google

Antichristi, vel certe regni ejus fundatoris, qui sic Græce scriptus, *Μαομέτις*, præfinite summam hanc absolvit. » Hæc ille vir divinarum et humanarum rerum callentissimus; quibus et Feuardentius crimine falsi absolvitur, et conjecturæ illius non parum roboris accipiunt.

Ad secundum testem a me laudatum accedo, nimirum Joannem Hentenium Mechliniensem, religiosissimum et peritissimum theologum Lovaniensem. In præfatione in *Commentarios* Aretæ super Apoc. a se Latio donatos scribit : « Non admodum videtur absurdum id quod sentit Joannes Annius Viterbiensis in *Quæstionibus super Apocalypsim*, quas nuper edidit ac dedicavit pontifici Sixto quarto regibusque Christianis; quod bestia, quam interpretantur communiter Antichristum, de qua Apoc. XIII, sit pseudopropheta Mahumetes. Qui quanquam ante plurimos annos mortuus sit, ejus tamen secta (heu!) vivit etiamnum, nimiumque grassatur adversus Dei populum. » Et aliquanto postea : « Signa ac prodigia, mendacia Antichristi in his qui pereunt, sunt variæ ac multiformes ejus technæ ad seducendos Dei servos. Cumque se ac suam sectam Christianismo cæterisque legibus omnibus præponat, annon se extollit supra omnem qui dicitur Deus? In prodigiis autem mendacibus venit, quia volens occultare morbum suum caducum, dicebat se cadere ex illustratione angeli de cœlo ad se descendentis. Dedit etiam spiritum imagini bestiæ, quando legem sectæ suæ omnibus magno cum horrore promulgavit, dicens se missum in gladio, jubens omnes trucidari, qui suam non susceperint sectam. Nec obstat quod vulgo dicuntur Henoch et Elias venturi, ut sese illi opponant, etc. Non enim oportet quod adversus ejus personam pugnent; sed satis est, quod adversus ejus sectam. » Cætera prolixiora sunt quam ut isto loco commode inseri possent. Mihi sat est, quod hic ita senserit et scripserit, ut ex eo citaveram, ut fidem faciat Annium (qui mihi nunc non est in promptu) ita docuisse, et scripta de his sua summo Ecclesiæ pontifici dicasse et obtulisse; denique nihil in ea re absurdum vel periculosum dixisse.

Tertio Jodoci Clicthovei in librum quartum Damasceni *Commentarios* signaveram, nec falso, quemadmodum ex his ejus verbis evinco [48] : « Nonnulli viri eruditissimi sentiunt Mahumetem illum spurcissimum et abominabilis exsecrandæque legis auctorem, esse verum in persona Antichristum, a sacris Litteris prænuntiatum : quia vident fere omnia, quæ Scripturæ de Antichristo prædicunt, in eo esse completa, ipsique potissimum rationem nominis Antichristi competere. Quis enim magis unquam Christo contrarius in lege et moribus? Christi siquidem lex repugnat carni et sanguini, monetque animam nostram odio habendam, ut in vitam æternam custodiamus eam, Mahumetes autem, ut propensum ad libidinem genus humanum hisce illecebris inescaret invitaretque ad suæ legis susceptionem, laxavit habenas voluptatibus et spurcitiis, uxorum pluralitatem admisit, earum repudium et pro arbitrio reconciliationem, et demum paradisum voluptatibus et deliciis mundi refertissimum suis cultoribus repromisit, cum Cerintho hæretico et sectatoribus ejus, etc. » Et post aliqua : « Mahumetes in suo Alcorano futilia multa, deliramenta, nænias, fabulas aniles et mendacia confingit, ut ex ipsa legis suæ nefariæ inspectione protinus innotescat aut eum esse Antichristum, aut præcipuum et proximum Antichristi præcursorem. Sed neque sine Scripturæ testimonio et auctoritate moventur isti ad idipsum de Mahumete asserendum, quod verus sit in persona Antichristus. Nam Apoc. cap. XIII describit bestiam ascendentem de terra et habentem duo cornua similia agni, venturam sub A septima tuba; per quam quidem bestiam omnium concordi sententia designatur Antichristus. Atqui per bestiam illam procul dubio ad litteram intelligitur Mahumetes, ob bestialem et fœdissimam vitam, legemque turpissimam, » etc.

Hactenus verba eorum fideliter retuli, ex quibus jam perspicis, vir ornatissime, me nequaquam falso illos citasse; deinde non solos eos, sed et alios viros eruditissimos fuisse in hac opinione, quæ etiam Scripturis, atque nec paucis nec infirmis rationibus innititur, et a summis pontificibus non damnatur, sed permittitur; tantum abest ut ab eis falsa vel periculosa hactenus judicata fuerit. Meas igitur conjecturas, et plurimas, et valde certe probabiles, tantorum virorum sententiis cum omni moderatione et submissione connectens, non debui profecto a te in publico celeberrimarum scholarum auditorio verbis et scriptis in hunc modum traduci, aut traductus huic justissimæ defen- B sioni ac expurgationi meæ aliquando deesse. Quod cum facio, non arbitreris, quæso, me aliquid perpetuæ observationis et dilectionis meæ erga te remisisse; tantum postulo ut ne dimissis communibus fidei adversariis, theologus alium theologum, catholicus catholicum a cætero vellicet aut mordeat; sed contra jungant scriptiones quos jungit sacerdotium, et nihil nunquam dividat quos Christi nectit amor.

Notissimum. Delevimus « verissimum, » auct. vet. cod. Docuerunt enim Patres imperium Romanum extremum atque ultimum orbis hujus regnorum fore, quo funditus everso ac de medio mundo sublato, mundus ipse penitus destruatur. Tertull., lib. *Ad Scapulam* et cap. 32 *Apolog.*, Danielem quartæ et postremæ bestiæ pugnantis nomine, item pedum, ferri, terræque statuæ illius similitudine, istud significare voluisse visum est plerisque omnibus doctis interpretibus.

Namque eorum quæ. Vetus codex, « neque eorum C qui; » ex quibus prima fortassis dictio fuisset reponenda.

Et ostentationem quamdam continet ultionis. Titan seu Titanem fuisse dicunt Saturni fratrem, ortum ex Titanibus, quos terra contra deos irata in suam contra eos ultionem creaverit. Unde et Titanes dicti sunt ἀπὸ τῆς τίσεως, id est ab ultione; ad quam ethnicorum narrationem hic alludit Irenæus.

Cum igitur tantum. Vet. cod., « cum igitur tacitam, » etc.

Nos tamen non periclitabimur. Euseb. lib. V *Hist.*, cap. 8, **203** hæc transcripsit, usque ad illud : « Hunc autem numerum. » Ad ea quoque respicit B. Andreas Cappadox, *Comment. in* XIII Apoc., cujus verba eo lubentius addam, quod præsentis loci usum commode aperiant. Ait enim : « Exactam numeri notitiam quemadmodum et cætera, quæ de Antichristo scripta sunt, tempus et experientia revelabunt iis qui vigilaverint. Nam si expediret, ut vo- D lunt nonnulli doctores, hujusmodi aperte cognosci nomen, is utique, qui ipsum vidit, revelasset; sed non placuit divinæ gratiæ ut nomen pestiferi hominis in divino libro referretur in ordinem, » etc.

Neque enim. Supra lib. IV, cap. 37, sacram Apocalypsim aperte tribuit Joanni discipulo Domini; quod et repetit ejusdem libri cap. 50, ac hujus libri cap. 28, infra denique cap. 34 et 35, eamdem ei ut vero auctori ascribit. Mirum ergo videtur quomodo Alogiani et Theodotiani veteres hæretici, de quibus scripserunt Epiphanius, Philastrius et Augustinus, ausi sunt hunc apostolico viro contradicere et librum illum Cerintho perditissimo nebuloni impudenter assignare. Sed longe magis obstupescendum, quod hoc novissimo sæculo Erasmus eidem auctori ac libro non timuerit pro viribus detrahe-

[48] In c. 27 et 28 noviss. editionis Paris. fol. 345.

Digitized by Google

re[64]; Lutherus priore in Novum Testamentum *Præfatione* scripserit se librum illum neque pro prophetico, neque pro apostolico recipere; Calvinus eum semper suspectum habuerit; Brentius et Chemnitius eumdem incertæ auctoritatis esse censuerint; denique Bodinus et Anabaptistæ propemodum eumdem ipsum e choro Christianorum exsibilent ac explodant.

Sed bene habet quod gravissimus theologus Tertullianus istorum errorem ante mille et trecentos annos damnaverit in Marcione et Cerdone, quorum impietatem hos non pudet ab Orco revocare; lib. *Præscript.*, cap. 51, et lib. IV *Adv. Marcionem*, cap. 5. Deinde, quod etiam Calviniani ac Lutherani non pauci librum hunc ut vere apostolicum fetum ac scriptum suis commentariis explicare conantur: ejusdemque potissimum auctoritate nitantur adversus sedem Ecclesiamque Romanam, id nunquam de apocrypho aut incertæ auctoritatis volumine facturi.

Verum firmioribus præsidiis illius auctoritatem communiamus. Sub ipsis apostolorum temporibus Dionysius Areopagit. hanc Scripturæ partem appellavit, « arcanam et mysticam omnino visionem dilecti discipuli, divinamque Domini Jesu et altissimam theologiam [65]. » Justinus martyr non admodum postea eam « Joanni apostolo ex duodecim uno nuncupavit, » et sua propemodum ætate ab illo scriptam esse docuit [66]; quinetiam luculentissima, aiunt Eusebius [67] et Hieronymus, expositione prosecutus est Theophilus Antiochenus; Melito Sardensis, Dionysius Alexandrinus, Dionysius Corinthius, eodem teste Eusebio, ejusdem testimoniis, ut divinis et apostolicis, fidei nostræ dogmata adversus hæreses comprobaverunt.

Tertullianus et ipse vir apostolicorum temporum, plusquam triginta locis eam laudat, ex quibus aliquot subjicimus: « Cerdon apostoli Pauli neque omnes, neque totas Epistolas sumit. Acta apostolorum et Apocalypsim quasi falsa rejicit [68]. » Ergo Cerdonianos et Marcionitas, id est hæreticos omnium deterrimos, habet hostes illius libri. Et ille rursum: « Nam et apostolus Joannes in Apocalypsi ensem describit ex ore Dei prodeuntem [69]. » Rursumque scribit: « Nam et si Apocalypsim Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensus in Joannem stabit auctorem [70]. » Et alio loco: « Joannes ut pro fratribus animas ponamus hortatur, negans timorem esse in dilectione. Quod si pro fratribus, quanto magis pro Domino docet, satis de Apocalypsi quoque sua instructus hæc suadere [71]? » Et ut compendio absolvam, idem lib. IV poematum adversus Marcionem, cap. 6, et libro *De fuga in persecutione*, cap. 10, eidem Joanni Christi discipulo Evangelium, Epistolam primam et Apocalypsim ascribens, iisdem pro Christiano dogmate adversus hostes illius dimicat.

Idem postea non segniter præstant Origenes hom. 7 in Josue, Clemens Alexandrinus lib. II *Pædagogi*, Athanasius in *Synopsi*, Epiphanius contra hæresim 51 et 76, Chrysostomus in Psal. XCI, et Damascenus lib. IV *De fide orthodoxa*.

Unius tantum Hieronymi, aliorum Latinorum Patrum vice, sententiam addo: « Quarto decimo anno, inquit, secundam post Neronem persecutionem movente Domitiano, Joannes in Pathmon relegatus, scripsit Apocalypsim, quam interpretantur Justinus martyr et Irenæus [72]. » Et in epist. ad Paulin.: « Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta, quot verba. Parum dixi: pro merito voluminis hæc omnis inferior est; in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ. » Nemo autem debitare potest quin loquatur de Joanne apostolo ac evangelista; haudquaquam vero de Cerintho impurissimo nebulone, aut alio aliquo obscuri nominis viro.

Neque huic catholicæ assertioni desunt antiquissimorum conciliorum firmissima decreta et judicia, quando Ancyranum, sub Diocletiano celebratum, Apocalypsis Joan. apostoli sententiis utitur ad dogmata sua comprobanda [73]. Concilium tertium Carthaginense, probatum a sexta synodo, canone 7; concilium Romanum sub Gelasio; Toletanum IV, can. 16; denique Florentinum, et Tridentinum, Joannis Apocalypsim ut divinæ et canonicæ auctoritatis librum proferunt, et contradicentes hæreticos anathematibus feriunt. Adversariorum objectiones adversus hanc sententiam primus, quod sciam, dissolvit noster Franc. Titelmannus secundo libro *De auctoritate Apocalypsis* ad Desiderium Erasmum; deinde noster quoque Michael Medina lib. *De recta in Deum fide*; tertio, Xistus Senensis Dominicanus lib. ultimo *Bibliothecæ*; denique Robertus Bellarminus e societate Jesu theologus acutissimus, lib. I *Controversiarum*.

Et ascendet ab abysso. Ita vetus codex. Vulgata quoque editio, « ascensura est de abysso. » Expunximus ergo, « ascendit abysso. »

Annis tribus et mensibus sex. Cum Irenæo sentiunt Hippolytus, Ephrem, Hieronymus, Augustinus, Cyrill. Jeros., Theodoretus, Aretas, Anslertus, Primasius, Rupertus. Oportet igitur Gallasium exhausto rubore, imo et sceleratum hominem esse, qui hic tam apertis verbis Danielis et Apocalypseos, atque tantorum virorum interpretationi sese opponere ausus sit.

Et sederit in templo Jerosolymis. Cum nasciturus sit ex tribu Dan et pro Messia recipiendus a Judæis, non ambigendum quin Jerosolymis et in ipsorum templo sessurus sit, ac civitatem illam primariam imperii sui constituturus. Accedit quod Joannes in Apocal. ait, duos testes divinos, nempe Henoch et Eliam, ab Antichristo necandos in ea civitate in qua Christus crucifixus est. His consentit Cyrill. Jeros. scribens: « In templo quod reliquum est Judæorum sedebit [74]. » Astipulantur Hilarius canone 25 in Matthæum, Sedulius in secundum caput II ad Thessal., Damascenus lib. IV *De fide*, cap. 28, et alii, quos supra signavimus, nota 6, in cap. 25. Ergo nec sedebit, nec unquam sedit Romæ, ut novi Gnostici garriunt.

Ejusdem adnotationes in cap. 31.

Pag. 330. *Dicunt se supergredi cœlos.* Impudentem istam veterum Gnosticorum jactantiam retulit libro I, cap. 9 et 18. Nec minor nunc est temeritas Ilugnosticorum, æternam in cœlis felicitatem, mox ut hinc emigrarint, tam certo et indubitate sibi repromittentium, ut omnino sit impossibille aliter fieri nefariumque putent de hoc ullo pacto ambigere. Sed hanc præsumptionem toties damnat Scriptura, quoties suadet ut timeamus Dominum, et ad terribilia ejusdem judicia trepidemus, qui potest corpus et animam mittere in gehennam. Damnat speciatim Paulus dicens: « Tu fide stas: noli altum sapere, sed time [75]. » Damnat et Petrus jubens, « ut per bona opera nostra certam vocationem et electionem nostram faciamus [76]. »

Nunc autem tribus diebus. Diserte docet, id quod firmiter credidit et catholice tradidit catholica Ecclesia de descensu Christi ad inferos, nempe animam ipsius sejunctam a corpore, non tantum operatione quadam, sed propria præsentia, ut in scholis loquimur, inferiores partes terræ penetrasse; et ad locum, quo sanctorum spiritus te-

[64] In adnot. [65] De eccl. hier. c. 3. [66] Dialog. cum Tryphone. [67] Euseb. Hist. lib. IV, c. 24 et 26, et lib. VII, cap. 23. [68] Præsc. c. 51. [69] Lib. III adv. Marc., c. 14. [70] Lib. IV adv. Marc., cap. 5. [71] In Scorpiaco adv. Gnost. cap. 12. [72] Catal. scrip. ecclesiast. [73] Can. ultimo. [74] Catech. 15. [75] Rom. XI, 20. [76] II Petr. I, 10.

Digitized by Google

nebantur, pervenisse; et cum ipsis ad momentum resurrectionis usque mansisse; unde una secum eduxit quotquot erant regno Dei apti et idonei; hoc vero dogma inter eos fidei articulos, de quibus ambigere nefas, annumeratum semper fuisse, ex scriptis utriusque Testamenti et Patrum universorum libris facile colligitur. Nam consimilibus Irenæi sententiis aliisque permultis idem profitentur quotquot de hac re scribunt auctores, tum Græci tum Latini. Atque ut scripta prophetarum et concliones apostolorum omittam, id docet unus Thaddæus ex LXX discipulis, apud Eus. lib. I *Hist.*, c. ult.; Dion Areop. lib. *De cæl. hier.*, cap. 4; Ignat. *Ep. ad Trallian.*; Abdias lib. IX; Nicodem. in Evang.; Clem. Alex. II et VI *Strom.*; Orig. in V cap. ad Rom.; Bas. in ps. XLVIII; Naz. orat. de Pasch.; Epiph. contra hær. 77 et 69, et in *Anchor.* Et ex Africanis Patribus, Tert. lib. *De anima*, et lib. IV *Contra Marc.*; Arnob. in psal. XV, LXXXVII et CXXXVII; Cypr. lib. II 204 *Adversus Jud.*, cap. 24 et 25, serm. de Cœna Dom., serm. de passione Christi; Lactant. carmine de Resurrectione; D. Augustinum, Fulgentium et Primasium omitto, sicut et Hieronymum, Ambros., Leonem et alios Latinos, qui idem eadem fide et pietate credunt et prædicant. His efficitur, ne mihi satis probetur Ruffinus, qui hunc articulum Ecclesiam Romanam sua ætate Symbolo additum non habuisse scribat, ac nec Orientis quidem Ecclesias [76]. Porro nunquam satis mirari possum Erasmi tantæ lectionis viri præposterum judicium, qui Symbolo apostolorum a D. Thoma Aquinate connexum fuisse hunc articulum quodammodo dubitet. Gnosticorum posteriorum impias interpretationes super hoc articulo missas facio.

Commemoratus est Dominus. Monuimus superius verba hæc in sacris Bibliis nunc non inveniri, quæ quondam sacrilegio Judæorum erasa fuisse in odium Christianorum impense dolet Justinus martyr.

Pag. 331. *Quemadmodum.* De veritate ac circumstantiis hujus prophetiæ copiose disseruimus *Commentariis* nostris in Jonam.

Et Mariæ, quæ se prima vidit. Magdalenam intelligit cui, quantum ex Scripturis videlicet expressis apparet, et de his quos ad publice de resurrectione Christi testificandum electi erant, idem Christus redivivus apparuit. Non inficiatur tamen Irenæus eumdem sanctissimæ matri suæ virgini Mariæ prius et privatim manifestum se fecisse, cum id ex veterum traditione sequentium sæculorum Patribus persuasissimum fuerit, ut et ante nos Hylaretus noster (cujus spiritus sit in sorte justorum) in concionibus paschalibus observavit. De hoc enim scripsit Ambrosius: « Vidit Maria (Virgo) resurrectionem Domini, et prima vidit, et credidit [77]. » Sedulius quoque versibus suis ceciuit, lib. V *Carminum*, vers. 361, 362:

..... *Hujus se visibus astans*
Luce palam Dominus, prius obtulit.....

Eamdem sententiam religiosissime complectuntur et prædicant Anselmus lib. *De excellentia Virginis*, cap. 6; Rupertus lib. VII *De divinis officiis*, cap. 25; Bonaventura denique *Meditationum vitæ Christi* cap. 87.

Ad Patrem meum. Pronomen « meum » non habet vet. cod., qui et postea legit, « dic eis; » non « dices eis, » ut excusi.

Figuras clavorum. Vet. cod., « fixuras, » Græcus Evangelii contextus, τύπον, id est figuram. Augustinus, enarrans Epistolam Joannis, vertit « cicatrices. » Aperte autem docet Christum cum figuris et characteribus vulnerum ascendisse ad Patrem; unde evidenter consequitur eum eisdem notis signatum et ornatum venturum esse ad postremum judicium, affirmantibus beatis angelis: « Sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum [78]. » Hoc ipsum comprobat totus veterum Patrum chorus, ut in appendice dudum et in dialogis nuper landavimus.

Qui dicunt inferos esse quidem. Hinc apertum est veteres Gnosticos etiam adversus ea, quæ Christianis ad credendum proponuntur de inferni loco ac tormentis ibidem æternis, plurimum aberrasse, dicentes « infernum esse hunc mundum, » ac proinde supplicia reprobis debita et decreta non esse sempiterna. Virus istud fortasse ex lacunis quorumdam ethnicorum philosophorum hauserant; qui, referente Lactantio, dixerunt animas in hunc mundum et humana corpora transmitti, ut superiorum delictorum eluant pœnas. Scribunt quidam Albanenses et quosdam alios hæreticos superioris ævi simpliciter et absolute infernum negasse; qui error a multis Anabaptistis hoc quoque tempore instauratur.

Istud, procul dubio in scholis Sacramentariorum, ex quibus prodierunt, eos didicisse non est dubitandum; quandoquidem isti purgatorio, limbo et vero Christi ad inferos descensui, magno contradicendi studio, vocem « inferi » toties per « sepulcrum » reddunt et depravant, quoties in sacris Bibliis occurrit; quasi nullus alius inferorum locus sit in rerum natura ab illo quo corpora defunctorum deponuntur et reconduntur in hoc mundo. Deinde Bucerus, qui cum Lutheranis diu collusit, ab iisdem serio accusatur quod nullum infernum esse crediderit et docuerit. Nam citatis ejus in Matthæum et Joannem aliquot locis, Conradus Schlusselburgius superintendens Raceburgensis subjicit: « Hic videmus, legimus et audimus Cinglianorum patronum Bucerum audacter negare esse infernum [79]. » Idem quoque non ita multum postea scribit: « Vocat etiam Catechismus Heidelbergensium in dubium, an ullus sit revera infernus et locus destinatus in quo impii et damnati post hanc vitam cum malis spiritibus æternis pœnis affici debent. » Præterea Cinglius lib. III, epist. 3, pag. 1226; Œcolampadius lib. I *Epist.*, pag. 4, super Epistolam priorem B. Petri, asserunt per descensum Christi ad inferna tantum mortem ejus intelligendam esse. Calvinus inferorum nomine, quasdam spiritales angustias, anxietates animi desperationesque intelligendas censet [80]. Beza denique in *Confessione fidei* suæ protestatur « se pro anilibus fabulis reputare, et ex animo detestari quidquid hucusque de inferorum locis et tormentis commenti sunt papistæ. » Quibus cunctis manifestum est miserrimos Anabaptistas, libertinos et atheos nihil contra Christianam et catholicam de inferorum locis et suppliciis doctrinam mussitare in lustris suis, quod non ab impiis Sacramentariis didicerint.

Verum enimvero maximo damno suo ac vel inviti tandem experientur discentque, licet sero, post hanc vitam et in altero sæculo verum esse locum inferorum, veram esse gehennam, verum esse ignem æternum, veras tenebras exteriores, ubi est fletus et stridor dentium; quibus omnium infidelium hæreticorum et reproborum scelera Deus justus judex ulciscitur et punit cum diabolo et angelis ejus; verasque esse flammas, quibus cruciantur divites epulones, piis interea in regno cœlorum cum Abraham, Isaac et Jacob in perpetua lætitia recumbentibus; verum esse puteum abyssi plenum ignis ardentis et sulphuris; in quem jam Core, Dathan et Abiron cum schismaticorum suorum cohorte viventes descenderunt; veram in centro terræ, horribilemque voraginem, adeo tenebrosam, et omnis mortis horroribusque opertam caligine, ut et ipsi diaboli

[76] In Catech. [77] Lib. III De virginibus. [78] Act. I, 11. [79] Lib. I Theol. Calv., art. 27. [80] Instit.

Digitized by Google

eamdem exhorrescentes a Christo petierint ne eos mitteret in eam abyssum ; verum esse infernum inferiorem, ex quo nunquam eruentur reprobornm animæ, quandoquidem ab eo nulla est redemptio, etc.

Sin vero virorum apostolicorum aliorum ab Irenæo de inferorum loco et suppliciis testimonia requirantur, præsto est Tertullianus *Apologetici* cap. 47 gehennam definiens « esse ignis arcani subterraneum ad pœnam thesaurum ; » et contra ethnicorum cachinnos id confirmans ex horum sapientibus, Minois, Æaci et Rhadamanti judicum in inferis tribunalia constituentibus, et Pyriphlegetontis, id est ignei fluminis ardores flammasque sceleratis repositas prædicantibus. Eamdem sententiam alibi quoque sic confirmat, et quid qualisque infernus a primis Christianis sit existimatus his verbis describit : « Nobis inferi non nuda cavositas, nec subdivalis aliqua mundi sentina creduntur (id est in superficie terræ eos consistere) ; sed in fossa terræ, et in alto vastitas, et in ipsis visceribus ejus abstrusa profunditas [81]. » Id autem post Irenæum nostrum continuo sic ex Scripturis vindicat : « Siquidem Christum in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id est in recessu intimo et interno, et in ipsa terra operto, et intra ipsam cavato, et inferioribus adhuc abyssis superstructo, ut illic patriarchas et prophetas compotes sui faceret. » Atque hic unus pro mille nunc sufficiat.

Animæ abibunt in invisibilem locum. Vetus codex, « habebunt invisibilem locum. » Ob hunc locum obscurum et cognitioni minus obvium, fateor, multi existimaverunt Irenæum cum iis sentire qui negant animas sanctorum facie ad faciem, ut dicitur, Deum videre ante diem resurrectionis et judicii ; id quod dissimulandum potius, quam nimium petulanter exagitandum erat ; præcipue quoniam hac de re nondum sententiam Ecclesia tulisset, uti postea fecit contra errorem Armenorum in universali concilio Florentino.

Mihi autem non facile in animum induxerim Irenæum hoc sensisse, nec satis etiam apparet unde id colligatur. Præterea sibi non constaret, sed pugnantia scriberet. Nam lib. II, cap. 63, ex narratione de Lazaro et divite concludit animas defunctorum dignam habitationem nancisci etiam ante judicium, quod et notatiuncula ibidem sparsimus, item lib. I, cap. 2, et lib. IV, cap. 43.

Deinde non decet nos ei esse iniquiores judices quam Augustino, quem nullus ad hoc tempus, quod sciam, hac macula fœdavit, qui tamen animas sanctorum nunc abditis receptaculis contineri, tempore quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est ; nunc nondum esse ubi erunt, quando eis dictum fuerit : « Venite, benedicti, » etc., mox secretis receptaculis sedibusque ad tempus requiescere ; mox non sic videre incommutabile bonum, ut sancti angeli vident ; alibi eas adhuc exspectare redemptionem corporis sui ; litteris sæpenumero commendavit [82] ; quoniam apud eumdem alia inveniuntur testimonia, quæ comprobant easdem sanctorum animas ante resurrectionem, mercedem bonorum æternorum et gaudium cœlestis patriæ percipere, stareque ante thronum Dei, et in conspectu **205** Agni, atque nulla ratione a contemplatione ejus gloriæ posse separari.

Vult igitur Irenæus, prout captus est meus et pie assequi possum, beatorum animas nondum potiri regni illius perfecta summaque felicitate, sed quasi imminuta et dimidiata, loco a nostris sensibus nostraque experientia remotissimo ; cum longe ampliora in posterum recipienda supersint præmia in adventu Domini : in quo corpora, quorum maximo A desiderio tenentur et afficiuntur, immortalia jam-jam reddita, subtilia, perlucida et nunquam patibilia, secum in conspectu Dei asportabunt ; sicque duplici stola et corona induti ac coronati cum Christo sempiterne regnabunt.

Sic et nos sustinere debemus. Cum per exemplum Christi resurgentis colligit sanctis exspectandum esse tempus resurrectionis, ut perfecte completeque sint in cœlis beati ; illud evidentius explicat quod paulo supra dixerat obscurius de animarum absoluta beatitate.

Interim vero hic monendi sunt pii lectores, ut diligenter sibi caveant a fermento Calvinianorum, quod est perniciosissima hypocrisis. Etenim cum Calvino suo sentiunt « solum Christum adhuc ingressum esse sanctuarium cœli, reliquos vero omnes residere in atrio ; animas sanctorum adhuc fide nobis conjunctas esse ; gloriam atque coronas eorum usque ad adventum Christi differri, et fruitionem promissæ gloriæ adhuc exspectare [83], » etc. Interea vero Beza in epistolis vociferatur magnam illis injuriam fieri cum de hoc errore coarguuntur ; et Calvinum recte pieque docere fidelium hinc emigrantes animas cœlos recta petere, ibidemque frui divino conspectu. Quod autem alicubi, inquit, obscurius dixit, per alia dilucidiora et apertiora interpretanda esse. Videlicet, ut sint apocalypses super apocalypsim ; et veterator ac planus ille improbissimus non in cunctis fere dogmatibus et secum et cum veritate pugnaret, ut more hæresiarcharum, etiam proprio judicio condemnaretur atque periret.

Ex. J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 31.

Pag. 530. *Et modos meditationis ad incorruptelam ignorant.* Obscura mihi hæc visa, ac suspicio corruptelæ in voce « meditationis » animo obortavit, donec ei se ingessere verba auctoris supra pag. 403, ubi carnem fidelium æternæ vitæ participem futuram dicit, ἤδη μεμελετηκυῖαν καὶ εἰθισμένην βαστάζειν τὴν ζωήν. « Quæ jam meditata (id est prius exercitata, sive præparata uti ibidem adnotavi) et assueta sit portare vitam. » Quod igitur ibi de corporibus, hic de animabus fidelium asserit, nempe dari τρόπου; μελέτης πρὸς ἀφθαρσίαν, « modos exercitationis » sive « præparationis ad incorruptelam, » id est diversos gradus per quos homo partim ante, partim post mortem deducitur, usque dum ad summum æternæ gloriæ statum atque incorruptelam, qua Deo proximus fit, perveniat. Quippe « oportet hominem primo glorificari (per resurrectionem), et glorificatum videre suum Dominum ; Deus enim est, qui habet videri, visio vero Dei efficax est incorruptelæ, incorruptela vero proximum facit esse Deo, » uti verba Irenæi sonant lib. IV, cap. 75. Atque eadem ratione capite sequenti, quo telam hic cœptam pertexit, resurrectionem atque regnum millenarium vocat, « principium incorruptelæ, per quod regnum, qui digni fuerint, paulatim assuescunt capere Deum, » etc.

Hæretici enim, etc. Hæc et sequentia, usque ad finem hujus capitis, quasi in parenthesi dicta accipe : quippe quæ præcedunt abrupta sunt, illo eorum continuato demum sequenti cap. 32, cujus initium hujus principio parallelum esse unicuique ea comparanti patet. Per hæreticos vero intellige Valentinianos et Marcionitas, qui ambo animas justorum defunctorum mox cœlos supergredi et sursum evolare statuebant ; illi quidem ad matrem Achamoth, hi vero ad bonum, qui ab eis fingebatur, Patrem. Atque hos ipsos feriunt ista Justini M. verba in *Dialogo cum Tryphone*, pag. 307 : Οἱ καὶ λέγουσι μὴ εἶναι νεκρῶν ἀνάστασιν, ἀλλὰ ἅμα τῷ ἀποθνήσκειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἀναλαμβάνεσθαι εἰς τὸν οὐρανόν. « Qui dicunt non esse mortuorum re-

[81] Lib. De anima, cap. 55. [82] In Enchir. cap. 108 ; in psalm. XXXV ; lib. XII De civit., cap. 9 ; lib. XII De Gen., cap. 35 ; lib. I Retract., c. 14 ; serm. 4 in sol. sanct. [83] Inst. lib. III, cap. 20, § 20 et 24., et cap. 25, § 6.

Digitized by Google

surrectionem, verum, simul atque moriantur, animas ipsorum in cœlum recipi. »

Pag. 331. *Qui dicunt inferos quidem esse hunc mundum.* Eamdem sententiam rejicit quoque Tertullianus lib. *De anima*, cap. 55, his verbis : « Nobis inferi non nuda cavositas, nec subdivalis aliqua mundi sentina creduntur; sed in fossa terræ et in alto vastitas, et in ipsis visceribus ejus abstrusa profunditas. »

F. Franc. Feuardentius ad lectorem. De postremis quinque Irenæi capitibus.

Posteriora quinque capita, nunquam antea typis excusa, ex veteri nostro codice venerandæ fidei subjicimus; quæ Irenæi germana et vera esse, tum ipsa scribendi dicendique ratio, tum Eusebius, Nicephorus et Anastasius Nicænus, eadem Irenæi nomine aliquot in locis citantes, prout locis suis indicabimus, citra ullam controversiam probant et demonstrant. Præterea, Hieron. in Vita Papiæ, *proœm. in lib.* XVIII, Com. in Isaiam, Comm. in XXXVI *Ezech. B. Irenæum una cum Papia, Tertulliano, Victorino, Lactantio, Severo, Apollinari, quibus addo Justinum martyrem, notat inseculum Judæorum* λεπτολογίας, *regnum Christi et electorum ejus, post resurrectionem, exstinctum Antichristum, et universorum judicium, in terris, terrenaque Jerusalem restituta, per mille annos futurum dixisse, juxta litteralem sensum exprimentem omnia quæ in prophetis et Apocalypsi his de rebus leguntur; adversus quem vir eloquentissimus Dionysius Alexandrinus elegantem librum scripsit, deridendo mille annorum fabulam, et auream atque gemmatam in terris Jerusalem, otium Sabbati, cunctarum gentium servitutem,* etc. *Hæc cum nemo ex libris Irenæi hactenus editis colligere possit, ex his tamen fragmentis, quæ modo in lucem edimus, perspicuum est ad Irenæum pertinere. Sublata porro candide suspicor, ne vel hujusmodi opinio ab Ecclesia improbata, hujus tanti episcopi et martyris auctoritatem elevaret, vel famam obscuraret apud posteros, vel denique ne argumentis illius illecti quidam sententiam jam explosam amplecterentur. Verum nec id tutum, nec probabile mihi videtur, his præsertim artibus, periculis acceptis mederi : alioquin bona pars scriptorum Patrum orthodoxorum evanesceret ac periret. Medendum porro erat præmonitione, et locorum detortorum fideli expositione, non litura; calamo, non scalpello. Nihilo secius enim lapsus tanti martyris auctoritatem ejus derogat, quam peccata Moysis, Davidis, Salomonis, Jonæ, Petri, Matthæi et Pauli, scriptorum suorum majestatem lædunt aut immimuunt. Itaque pio lectori satis erit talem opinionem, quam hic percurret, ab Irenæo induci, doctissimo ac beatissimo homini tamen excidisse; secumque repetere Christum Dominum in duobus filiis Zebedæi, deinde in duobus discipulis Emmaunta peregrinantibus, postremo in apostolis suis, ipso die ascensionis suæ in cœlum, illam coarguisse. Eam postea scriptis editis confutatam ac rejectam a Dionysio Areopagita lib.* De ecclesiast. hierarc., *part.* I, *cap.* 7; *Caio et Dionysio Alex. antiquis et magni nominis scriptoribus, Euseb. lib.* III Hist., *cap.* 22 *et* 33; *Augustino lib.* XX De civ., *cap.* 7, 8 *et* 9; *Theodoreto lib.* III Hæreticarum fabularum; *Epiphanio lib.* III Contra hæreses, *tomo* I. *Denique secum animadvertet sententiam diu ab Ecclesia dissimulatam et tolerata fuisse, nec prius tanquam hæresim damnatam et explosam, quam quidam Nepos Ægyptius episcopus, deinde Coracion, postremo Apollinaris Laodicenus eamdem scriptis et concionibus suis nimis pugnaciter et pertinaciter defenderint et invexerint; ut patet ex Eusebio, lib.* VII Hist., *cap.* 19 *et* 20, *et Hieronymo, lib.* VIII *in Isaiam, et alibi passim. Ab Irenæo itaque hac in re summa cum reverentia et animi modestia sic discedet, ut illius existimationem retineat; nec quidquam ex ea diminuat, vel eo maxime nomine, quod primus hanc nequaquam invexerit, neque pertinaci aut factioso spiritu defenderit; sed a Papia, et quibusdam aliis, qui Judæorum traditiones nondum penitus deposuerant, exceptam, falsus animi refricarit.*

Ejusdem adnotationes in cap. 32.

Pag. 331. *Oportet ergo.* Intelligit de mirabili illa rerum universarum renovatione, quæ adventum Christi et judicium subsequetur. Nam omnes orbis species unius hominis, cujus gratia conditæ fuere, per prosopopœiam dicuntur ingemiscere et defatigari, id est, in gravi negotio versari, et usque ad expletam et perfectam ejus beatitatem, quam certo A exspectant, molestiis defatigari [84]. Terra siquidem nascentes nos excipit, natos alit, semel editos sustinet semper; novissime complexa gremio jam a reliqua natura abdicatos, tum maxime ut mater operit : monumenta ac titulos gerit, nomenque prorogat nostrum, et memoriam extendit contra brevitatem ævi [85]. Ea nostri causa maledictioni subjicitur, fructus caducos subinde reparat, horrendasque concussiones et vastitates subire cogitur [86]. Aquæ subeunt in imbres, **206** rigescunt in grandines, tumescunt in fluctus, præcipitantur in torrentes. Aer densatur in nubibus, furit procellis, modo riget frigoribus, modo succenditur æstibus, modo tonitruorum fragoribus mugit. Animantium greges pascunt, ut nos pascent; exuuntur, ut nos induant; nobis laborant. Orbes cœlestes assidue concitantur, occidunt, oriuntur, patiuntur deliquia; et, ut summatim dicam, omnis creatura impiorum, juxta ac piorum usibus et abusibus servire compellitur : atque ob id a Paulo et Irenæo B dicitur eam vanitati obnoxiam ingemiscere ac dolere; nec id solum, verum etiam a servitute corruptionis liberandam sub adventum Domini, quando filii Dei in libertatem asserentur.

Ad Aquilonem et Africam. Sanctes et vulgata editio, « ad Aquilonem et Meridiem; » Septuaginta quoque, « πρὸς βορρᾶν καὶ λίβα. Forsasse, » « ad Aquilonem et Africum, » ut Josue XVIII, 14; Psalm. LXXVII, 26; Isaiæ XXI, 1; Ezechielis XX, 48, etc.

Sed emit monumentum quadringentus dans, etc. Expunximus « quadraginta, » et « quadringentas » reposuimus. Vulgata enim editio Latina habet, « quadringentos siclos argenti. » Et Septuaginta, quos sequitur auctor, τετρακόσια δίδραγμα ἀργυρίου, « quadringentas didrachmas argenti [87], » etc.

Ab Effron filio Seor Ethæo. Quia Græce in Bibliis legitur, Ἐφρὼν τῷ τοῦ Σαάρ, et in communi editione Latina, « Ephron filium Seor, » hic ita legendum censuimus. Vetus codex, « filio Yphæi. » C

Pag. 332. *A flumine Ægypti.* Hieronymus, epistola ad Dardanum, putat hoc flumen esse torrentem qui Rhinocotura vocatur, idemque confirmat *Comment.* in XXVII Isaiæ et XLVII Ezechielis.

Oportet eum accipere. August., lib. XVI *De civ.*, cap. 21, solam terram Chanaan hic a Domino significari et promitti docet, quam populus Israel, semen Abrahæ secundum carnem, accepit. qui, etsi expulsus aliquoties fuerit a Jerosolymis, mansit tamen in aliis civitatibus terræ. Eadem repetit et probat in *Quæstionibus super Genesim.* Mysticam et arcanis plenam expositionem persequitur Hier., epist. ad Dardanum.

Accipient autem eam. Si de bonis illis spiritalibus intelligeret Irenæus, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt [88], sententiæ suæ fautorem ascisceret Hieronymum, epist. ad Dardan., et cæteros orthodoxos interpretes. D

Quoniam ipsi possidebunt terram. Hujus terræ possessio, ait Hieronymus, non est mansuetorum atque mitium, qui sæpenumero etiam a parentibus derelicta perdunt propter mansuetudinem, sed virorum fortium et violentorum, qui sunt ad bella promptissimi. At terra viventium repromittitur a Deo, in qua sanctis viris atque mansuetis ejus bona præparantur.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 32.

Pag. 331. *Quoniam igitur.* Hæc posteriora quinque capita in iis, quibus Erasmus usus est, codicibus, ac proinde etiam in ejus ac Gallasii editt. omissa, ex veteri cod. primus eruit Feuardentius; qui insuper præmissa præfatione Irenæo ista recte vindicat, eaque ob defensionem regni millenarii a pluribus sublata fuisse candide suspicatur. Cæte-

[84] Rom. VIII. [85] Plin. lib. II, cap. 63. [86] Genes. III, 17. [87] Genes. XXIII, 16. [88] I Cor. II, 9.

Digitized by Google

rum ex nostris mss. solus Voss. codex dicta quinque capita habet.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 33.

Pag. 332. *Et bibisset ab eo.* Diserte et constanter docet Christum prius ex calice sanguinis sui bibisse, quam apostolis suis propinaret; quod et Hieronymus postea comprobavit, dicens Dominum Jesum esse nostrum convivam et convivium, comedentem et qui comeditur [89]. Chrysostomus quoque scripsit : « Ne turbarentur apostoli, primum ipse suum sanguinem bibit [90]. » Hoc ipsum suis argumentis et rationibus confirmant Patres scholastici, in librum quartum *Sententiarum*.

Quod autem Abrahæ Christus evangelizasse dicitur, adimpletum est, cum posteris ejus in Judæa prædicavit. Nam et Zachæus dicitur filius Abrahæ, et mulier prius annis 18 incurvata, sed a Christo sanata, vocatur filia Abrahæ. Tum quoque idem Christus proprie evangelizavit Abrahæ, cum descendens secundum animam ad inferos, Abrahæ et aliis patriarchis reipsa nuntiavit humanæ redemptionis mysterium peractum esse. Etenim « spiritibus qui in carcere erant, » inquit B. Petrus, « veniens prædicavit. Nam et mortuis evangelizatum est. » I Petr. III et IV.

Quando illum bibam. Hæc Christi verba nullomodo favent, neque faciunt pro Chiliastis, quia loquitur, vel de regno, quod a resurrectione sua statim cœpit illucescere, in quo cum apostolis bibit, idque corporaliter, ut Petrus profitetur Actor. X, ad probandam certam, solidam perspicuamque corporis sui resurrectionem : ita exponunt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius; vel de regno Dei, quod vita futura, beata et cœlestis appellatur; in quo vini novi nomine, divinam illam lætitiam, hilaritatem, jucunditatem et consolationem sempiternam significatam curavit; quemadmodum explicant August. et Hieron.

Quæ enim sunt in hoc sæculo centupla. Hier. *Comment.* in XIX Matth. præsentem explicationem, nomine Irenæi tacito, ex hoc loco ita insectatur : « Ex occasione hujus sententiæ, quidam introducunt mille annos post resurrectionem, dicentes tunc nobis centuplum omnium rerum, quas dimisimus, et vitam æternam reddendam; non intelligentes quod, si in cæteris digna sit repromissio, in uxoribus appareat turpitudo, ut qui unam pro Domino dimiserit, centum recipiat in futuro. Sensus ergo iste est : Qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet, quæ comparatione et merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur. Unde dicit Apostolus, qui unam tantum domum, et unius provinciæ parvos agros dimiserat : « Quasi nihil habentes, et omnia possi« dentes [91]. » Hieronymo concordes sunt in hoc August. lib. XX *De civit. Dei*, et *De verbis Domini;* Chrysostom., Theophyl., Euthymius, etc.

Et cœnæ quæ redduntur. Verba Christi Domini, Luc. XIV, 14 : « Retribuetur tibi in resurrectione justorum, » quibus innititur Irenæus, docent nos nihil debere commoveri, si in hoc sæculo, ob beneficia in pauperes, nullam remunerationem receperimus : quia largior obtinget in resurrectione justorum, id est eo die quo omnes homines a mortuis resuscitati ad Dei tribunal convocati sistent, quando ad justos conversus judex pronuntiabit : « Venite in regnum Patris mei [92], » etc., qua in sententia est Cyprianus lib. III *Ad Quirinum*, cap. 4.

Hæc ergo si quis non accipiat. Benedictiones istiusmodi, sacræ preces et publicæ erant, quas et Deus ratas habebat. Exoptat autem hic Isaac secundum litteram filio suo Jacob opulentiam ex cœlo, terra, frumento et musto, ad quæ omne divitiarum genus reducitur. Deinde dominali singularis et observantiæ ab aliis exhibendæ prærogativam, eaque omnia a Deo omnium bonorum auctore et largitore. Hæc autem Jacob ipse consecutus est partim dum viveret; sed multo cumulatiora et optabiliora in Juda, Joseph, Davide, Salomone et aliis præclaris filiis suis. Spiritualis autem ac secretiorum Dei refertæ benedictionis bona adipiscimur in Christo, et justis per eum divina laudatione in unum quotidie congregandis, ut scite narrat Hieronymus tomo III, quæst. 3 ad Damasum; August. XVI *De civit.*, cap. 37; Prosper Aquitanus lib. *De promissionibus*, cap. 21; Gregorius homil. 6 in Ezechielem; Rupertus, et Glossa in XXVII Genes. Nihil igitur hic locus facit pro Chiliastis.

In omni aporia. Id est defectione, hæsitantia, consilii magna inopia, ut sint carituri quo se vertant.

Pag. 333. *Quomodo hæreditavit hic.* Hoc Moyses detegit disputans quomodo in tanta peregrinatione eidem Jacob nihil unquam defuerit, cuique visione scalæ etiam iter patuerit ad cœlum et cœlestia bona; Deum patrem suum, angelos perinde ac fratres, amicos et comites sibi præsto esse, ac responso cœlitus acceperit, terram Chananæorum reservari suæ posteritati, quæ more arenarum deinceps amplificaretur, et Messias tempore suo ex ea mundo tandem nasceretur. Libenter et benigne excipitur a Laban, qui et filias suas maxima cum dote illi in matrimonium dedit; atque qui cum baculo et pera pauperculus Jordanem trajecit, cum ingenti ovium grege, camelorum, servorum, filiorum ac omnium bonorum copia diffluens, et ditissimus factus, inde reversus est.

Quemadmodum presbyteri. Hinc apparet opinionem de regno temporali per mille annos, Irenæum nec primo excogitasse, nec ut sibi propriam obstinate tutatum, sed maculam quamdam, et quasi nævum, a quibusdam Patribus contraxisse. Conjecturam fecerim Papiam, aut alios quosdam inglorios, Irenæo familiares subaudiri.

Quinetiam hunc errorem dimanasse a quadam vetusta, prava tamen Judæorum præcedente traditione, quis haudquaquam vane (forsan) suspicaretur; qua repromissam regi Messiæ felicitatem et gloriam omnem, terrenam temporalemque futuram sibi pollicebantur; et non a Papia primum exortum, sub ultimis temporibus Trajani imp., ut est Baronii sententia. Constat enim ex Evangelio [93], matrem filiorum Zebedæi cum filiis, longe prius hoc eodem errore detentam fuisse, cum a Christo petivit ut unus illorum **207** sederet ad dexteram, alius ad sinistram ejus, cum venisset in regnum suum. Insuper apostolos de hujusmodi regno cogitasse, quando petierunt ab eo si in ipso tempore resurrectionis suæ restitueret regnum Israeli [94]. Nec verum esset dicere de fidelium ac Christianorum temporibus istud intelligendum, quandoquidem omnino constet duos superiores discipulos una cum matre fideles jam fuisse, et apostolos in die ascensionis Dominicæ Christianissimos et fidelissimos.

Hæc autem et Papias. Nicephorus Calixtus lib. III *Hist.*, cap. 20, et longe eum antecedens Eusebius, lib. III, cap. 33, hujus Irenæi et Papiæ loci commeminerunt : unde in aliquo numero et pretio est veteris nostri codicis fides. Verba sunt Eusebii, ex interprete : « Papiæ libros numero quinque esse aiunt, qui *Expositio sermonum* inscribuntur; quorum tanquam ab eo solum scriptorum Irenæus sic mentionem facit. » Græca, nova tralatione facta, inseri curavimus. Et quia illa quæ ibidem subjicit Eusebius, ad hunc totum Irenæi locum maxime faciunt, ea apponi utile fuerit. Multis enim interpositis, de Papia sic scribit : « Regnum Christi post

[89] Ad quæst. 2 Hedibiæ. [90] Hom. 83 in Matth. [91] II Cor. VI, 10. [92] Matth. XXV, 34. [93] Matth. XX. [94] Act. I, 6.

Digitized by Google

universæ carnis a mortuis resurrectionem, asserit mille annos humano et corporeo more in terra hac continuatum et stabilitum fore. Quæ quidem dogmata credo eum propterea excepisse, quod apostolicas interpretationes, quæ ab illis essent arcanis figuris et parabolis subobscuris expositæ, male intellexisset. Nam homo erat, sicut ex ejus scriptis facile licet conjecturam capere, ingenii pertennis.» Postea de Irenæo subjungit idem Eusebius: « Cæterum plerisque ecclesiasticis viris, qui hominis antiquitatem pro suarum partium defensione citabant, persimilis erroris auctor exstitit; ut Irenæo, et si quisquam alius eadem cum illo sentire videatur. » Hæc Eusebius, quæ nobis sane longiores adnotationes hic præcidunt.

Et compascetur lupus. Hieronymus, *Commentar.* in XI Isaiæ, reprehendit Judæos et Christianos judaizantes (ita enim frequenter vocat Millenarios), quod juxta litteram ista futura contendant, ut omnes bestiæ rediganter in mansuetudinem, et pristina feritate deposita, lupus et agnus pascantur simul; additque eos gravissimo somno stertere, atque parum distare a fabulis poetarum, qui aureum quoddam Saturni sæculum sunt commentati. Subjicit autem quomodo secundum vivificantem spiritum, mystico et spirituli sensu intelligenda sint. Locum consulat qui velit.

Hæc inter nos. Conjectura ducti ita legendum præbemus; vetus noster codex habet, « hæc inferos. »

Ejusdem adnotationes in cap. 34.

Pag. 334. *Resurgent mortui.* Verba sunt Isaiæ, quæ secundum editionem LXX supra quoque integra laudavit lib. v, cap. 15. Hic ex memoria recitare videtur.

Et erit super omnem montem. Hic quoque Hieronymus in *Commentariis* redarguit Judaicam, carnalem et litteralem interpretationem, simulque eos qui recipiunt mille annorum fabulam et terrenum Salvatoris imperium, errore Judaico commentum et fictum; non intelligentes Apocalypsim Joannis in superficie litteræ medullata Ecclesiæ sacramenta subtegere.

Et cibabit te. Hieronymus in *Comment.* rursus improbat eos, qui hinc mille annorum fabulam sibi finxerunt, in qua rursum nuptiæ, et cibi, et terrenæ vitæ congressus est; quandoquidem, Christo auctore, filii resurrectionis non nubent neque nubentur, sed angelorum similes erunt.

In resurrectione prima. Verba ista Apocalypseos sua obscuritate Irenæo et aliis multis magnisque viris magnam errandi fenestram patefecerunt. Rati enim sunt duas fore carnis resurrectiones, primam bonorum, secundam malorum post mille annos; Christum autem a prima ad secundam usque mansurum in terris, ibique cum sanctis et electis regnaturum, incredibili omnium bonorum terrestrium felicitate. Verum observandum resurrectionem, quæ hic prima vocatur a Joanne, non proprie ad corpora, sed ad animas pertinere; quæ tum resuscitari dicuntur, cum transeunt a peccati morte ad vitam gratiæ, et a vita gratiæ ad vitam illius gloriæ, qua corporibus nondum assumptis, interim in cœlo ad diem judicii usque potiuntur, et cum Christo regnant. Hoc autem tempus mille annorum numero, qui frequenter in sacris Litteris pro indefinita numeri multitudine usurpatur, significatum et præscriptum est. Resurrectio secunda generalis illa bonorum et malorum e tumulis excitatio dicitur, in qua piorum animæ cum corporibus geminato suæ beatitatis gaudio in æternum perfruentur; atque ita declaratur locus ab Augustino seu Ticonio, homil. 17 in Apocalypsim, Ambrosio, Primasio, Andrea et Areta Cappadocibus, Ansberto, Ruperto, Lyrano, commentariis in vicesimum caput Apocalypseos. Ergo pro Millenariorum sententia nihil facit.

Audite verbum Domini. Hieronymus, in XXXI Jeremiæ, illos omnino delirare indicat, qui ob hæc aureum et gemmatam suspirant Jerusalem, suam avaritiam in mysterio verbis Domini consecrantes; siquidem hic promissa bona, non in frugibus et cibis mundanæ carnis, sed in varietate virtutum percipiantur et sentiantur.

Ostendimus autem in superiori libro. Lib. IV, cap. 20, scribit apostolos et omnes discipulos Domini, qui Deo et altari serviunt, sacerdotes esse; et cap. XXXII, XXXIII, XXXIV, munus eorum tradit esse eucharistiam, id est corpus et sanguinem Christi, Deo Patri offerre; indeque, præter alia multa, colligitur hæc fragmenta ab Irenæo abscissa et detruncata quondam fuisse.

Epulationem significant. Ita aliorum judicio reservato legendum proponimus; codex vetus habet, « epulatione significant. »

Pag. 335. *Beatus qui habet in Sion semen.* Septuaginta interpretum verba sequitur, nam veritas Hebraica, et vulgata Latina editio secus legunt, quod et Hieronymus illic notat: vultque hunc sermonem divinum, Judæos fugientes in Ægyptum revocare in Jerusalem, ibique filios procreare, quibus tanta securitas et felicitas promittitur, ut Domini defendantur et regantur auxilio.

Ecce, ego tibi præparabo carbunculum. Hieronym. *Commentar.* in hunc locum ostendit, Septuaginta lectionem nonnihil ab Hebraica variantem, quam tamen Irenæus passim sequitur, atque de natura et proprietatibus horum lapidum anxie inquirentes ablegat ad Epiphanii volumen, inscriptum *Περὶ λίθων*, et ad XXXVII *Naturalis historiæ* Plinii. Acriter etiam invehitur in Judæos, et semi-Judæos (ita vocat Chiliastas), qui occidentis litteræ amatores, pro mille annis, lautos et exquisitos cibos gulæ providet, et post secundum Salvatoris adventum sperant nuptias, et parvulos centum annorum, et circumcisionis injuriam, et victimarum sanguinem, etc., cum urbem Spiritus sancti donis constructam, et virtutum, meritorum, præmiorumque splendoribus lucentem, in cœlis quærere debuissent.

Ecce, ego facio Jerusalem. Rursus Judæos et regni terreni mille annorum approbatores vellicat Hieronymus, vultque de cœlesti Jerusalem, quæ sursum est, et variis mansionibus pro variorum laborum compensatione, apud Patrem divinum reposita hæc intelligi.

Erit ibi juvenis annorum centum. Hier., procemio *Comm.* in XVIII cap. Isaiæ, hunc Irenæi locum subindicans, eum refert Dionysium Alexandrinæ Ecclesiæ pontificem, virum eloquentissimum, eleganti libro impugnasse, insuper mille annorum fabulam irrisisse, et auream atque gemmatam in terris Jerusalem, instaurationem templi, hostiarum sanguinem, otium Sabbati, circumcisionis injuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias, cunctarum gentium servitutem, rursusque bella, exercitus ac triumphos, et superatorum neces, mortemque centenarii peccatoris. Subjicit idem Hieron. Apollinarium duobus voluminibus Dionysio respondisse pro Irenæo ejusque opinione, atque cum utroque in hac parte plurimam catholicorum multitudinem sensisse. Augustinus lib. XX *De civit. Dei*, cap. 7, eamdem opinionem dicit utcunque tolerabilem esse, si deliciæ aliquæ spirituales in illo sabbato mille annorum per Domini præsentiam afuturæ credantur; seque hoc aliquando opinatum.

Ex. J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 34.

Pag. 334. *Omnibus gentibus.* Nota universalitatis forte explicationis gratia ab Irenæo addita est neque enim in LXX habetur vox πάντων.

In conspectu filiorum gentium. Irenæus legit, ἐνώπιον τῶν υἱῶν τῶν ἐθνῶν, pro ἐνώπιον τῶν λαῶν τῶν ἐθνῶν, uti modo LXX habent.

Digitized by Google

Plagæ suæ. LXX modo habent, πληγῆς σου, « plagæ tuæ. »

Supra omnem terram. LXX, ἐπὶ τὰ ἀγαθὰ τῆς γῆς.

Et si venerit in vespertina vigilia... ministrabit eis. Hoc de vespertina vigilia colon cum Irenæo agnoscit vulgatus interpres in quibusdam mss. codd. et ex eo Beda, aliique Latini, horumque antiquior Græcus Pater Methodius, in *Convivio decem virginum*, orat. 5, pag. 92 *Auctarii* novissimi Bibliothecæ Patrum Combefisii, ubi verba Lucæ quidem sine dicto colo recitantur, ast ex immediate sequentibus verbis **208** colligitur, non ab ipso Methodio, sed a scriba recentiori istud omissum esse. Hæc enim ibi subjungit: Ἐπισκέψασθε γὰρ, ὅτι τρεῖς ὑποθέμενος φυλακὰς νυκτὸς, ἑσπερινὴν, καὶ δευτέραν, καὶ τρίτην, etc.

Ad non inhabitandum.... ut non sint homines. Irenæus in utroque commate πρὸς legisse videtur, cum nostra exemplaria τῶν Ο' utrobique παρά habeant.

Longe nos. Vox ἡμᾶς ab editt. LXX merito abest.

Verbum. Irenæus itaque non λόγους, uti nunc LXX habent, sed λόγον singulariter juxta Hebræum legit; nisi scriba ex Latina Vulgata « verbum » posuerit

Congregabit. Particulam καὶ igitur, quæ in editt. τῶν Ο' exstat, Irenæus non agnoscit, uti nec codex Alexandrinus.

Et... fortioris. Ex hoc loco et superiori pag. 183, patet Irenæum in singulari στερωτέρου, non στερεωτέρων, uti nunc LXX sonant, legisse, et καὶ in principio hujus commatis additum habuisse.

Ad bona, et in terram. Sive Irenæus in LXX, sive interpres in Irenæo pro ἀγαθὰ Κυρίου, ἐπὶ γῆν, perperam legit ἀγαθὰ, καὶ ἐπὶ γῆν.

Et vinum bibent. Et non ipsi. Priores tres voces nullus Biblicorum cod. agnoscit, ideoque eas explicationis gratia forte ab ipso Irenæo additas suspicari licet, Cæterum trea posteriores voculæ cod. Alexandrino τῶν Ο' exacte consonant, cum in editt. τῶν Ο' desit conjunctio καὶ.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 35.

Pag. 335. *Dies Domini insanabilis.* Septuaginta translationem sequitur. Porro me fugit qui faciat locus iste pro Millenariis. Siquidem juxta litteræ sensum, quem tantopere hic examinat Irenæus, devastationem Babylonis ejus, quam Semiramis condiderat, alii deinceps Chaldæorum et Assyriorum potentissimi imperatores munierant; hujus, inquam, excidium per exercitus Persarum et Medorum, imp. Cyro et Dario, miserabile, justum tamen, una cum aliis prophetis Isaias hoc oraculo tanquam tuba præcinebat.

Et ædificabunt domus. Hier. hunc locum explanat de iis domibus, quas sermo propheticus pollicetur, dicens: « Deus salvam faciet Sion, et ædificabuntur civitates Judæ; » non carnaliter cum Judæis sibi persuadentibus Jerusalem urbesque Judææ in pristinum statum restituendas esse: quod si eis dederimus (subjungit), audiant non solum hoc Jerusalem, sed et Sodomæ repromitti, dicente Ezechiele: « Restituetur Sodoma in antiquum [99]. »

Et illos quos Dominus in carne inveniet. Pace et reverentia tanti martyris dixerim, non remanebunt in terra justi, quos Domini adventus viventes deprehendet, sed rapientur in nubibus, obviam Christo in aera procedentes, sicut scripsit Apostol., et sic cum Domino semper erunt.

Jeremias propheta. Quæ hic laudantur nomine Jeremiæ, exstant Baruch quarto et quinto capite, ex quibus manifestum est priscos illos Patres Baruch prophetæ librum, sub appellatione aliquando Jeremiæ, cujus auditor et scriba fuerat, inter canonicas A Scripturas annumerasse. Quia vero posteriores Gnosticos hostes hac in re, ut compluribus aliis, infensissimos, et veritatis oppugnatores acerrimos nostra ætas tulit, et nos nacti sumus; idcirco Patrum orthodoxorum Græcæ et Latinæ Ecclesiæ copias instructissimas eis confidenter opponamus; atque in primis Augustinum, quem unice se suspicere et sequi videri volunt. Is libro XVIII *De civitate*, cap. 33, de adventu Christi et gentium vocatione disserens, Baruch testimonii loco utitur, licet illud Jeremiæ ab aliis attributum recognoscat. Idem rursus libro *Quæstionum Veteris et Novi Testamenti*, quæst. 102; Cassiodorus in psal. LXXXI; Ruffinus, *Expositione in Symbolum;* Ambrosius lib. I *De pœnitentia*, cap. 82; lib. III *Hexaemeron*, cap. 14, et lib. I *De fide*, cap. 2; Cyprianus lib. I *Contra Judæos*, cap. 6; et ut Latinis Græcos jungamus, Hesychius Jerosolymitanus homilia 1 de sancta Maria Deipara; Cyrillus Alexandrinus lib. III *Comm. in* B *Genesim*, libro *De recta fide* ad Theodosium, et proœmio in Evangel. Joannis; sexta synodus sessione octava; Chrysostomus homilia de Trinitate, et lib. adversus Gentes, *Quod Christus sit Deus;* Basilius lib. IV *Contra Eunomium;* Clemens Alexandrinus lib. *Pædagogi*, cap. 10, multa sub Jeremiæ prophetæ nomine ex libro Baruch transferunt et suis inserunt. Athanasius oratione 2 et 3 contra Arianos, libro *Quod Nicæna synodus*, etc., epistola ad Serapionem contra eos qui dicunt Spiritum sanctum creaturam esse, semel atque iterum, item quæst. 36 ad Antiochum, testimoniis ex illo etiam proprio nomine decerptis, tanquam ab auctore canonico, fideuter decertat, et nostra, id est catholica asseverat. Idem rursum libro *De salutari adventu Christi* adversus Apollinarium; Epiphanius contra hæresim 30; Chrysostomus in psal. XLVI, et homilia 26 ad Romanos, verba illius nomine prophetæ commode citant. Theodoretus, *Commentariis* librum ejus integrum exponens, C inter sacros prophetas ipsum agnoscit. His alios connectas legendo licet, simul valere jubeas venefícos istos imperitæ et temerariæ plebeculæ præstigiatores.

Cæterum huic Millenariorum interpretationi Theodoreti et orthodoxorum juxta litteram explicatio est opponenda, qui Judæorum captivorum reditum hic vaticinatum volunt. Illos enim Deus dedit in misericordias in conspectu omnium qui ceperant eos, ut est in Psalmis, quando contrivit portas æreas, vectes ferreos confregit, vincula eorum disrupit, eduxit eos de tenebris et umbra mortis, de regionibus congregavit a solis ortu et occasu, ab Aquilone et mari. Redeuntibus autem illis qui erant in Babylone, tanquam pace genti præstita, ait Theodoretus, reversi etiam sunt illi qui aufugerant tempore belli et perrexerant ad partes australes et occidentales, ideo meminit etiam redeuntium ab occidente.

Vocabitur namque nomen tuum. Theodoretus: Vocabitur enim a Deo nomen tuum in sæculum; Pax justitiæ et Gloria pietatis. Hæc autem omnia nunc habet Ecclesia, propterea concurrunt ad eam cuncti. Salvatoris enim passio reddidit illam splendidam et illustrem.

Decrevit enim Deus. Theodoretus: Dissolvit Dominus Babylonios qui videbantur esse similes montibus excelsis; eos autem qui sub jugo illorum tenebantur et humilibus vallibus similes erant, sursum oculos erigere fecit. Silvas deinde figurate vocat gentes interjacentes, quæ non ferebant Deo fructum pietatis, Israelem tamen redeuntem cum omni obsequio honorifice prosecuti sunt. Cum hæc igitur in terrena Jerusalem, etiam secundum sensum litteræ, adimpleta fuerint, non est quod a resurrectione et judicio adimplenda fingamus.

Hoc autem est quod vocatur gehenna. De hujus

[99] Ezech. XVI, 53.

Digitized by Google

vocis etymo et significatione satis loquitur Hieronymus *Commentariis* in VII Jeremiæ, et *Quæst. Hebr. in Paralipomen.*

Vidi cœlum novum. Primasius docet figuram hujus mundi tunc perituram ignium mundanorum conflagratione, sicut factum est aquarum inundatione diluvium, ut cœlo et terra in melius commutatis, ut incorruptione et immortalitate sanctorum corpora congrua utriusque mutatione qualitatis conveniat.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in cap. 35.

Pag. 335. *Insanabilis venit.* Ita et in Alexandrino τῶν Ο' codice, ἀνίατος ἔρχεται. Sed in editt. ordine inverso exstat : ἔρχεται ἀνίατος.

Tollatur ut non videat. In LXX legitur : Ἀρθήτω ὁ ἀσεβὴς, ἵνα μὴ ἴδῃ, etc.

Elongabit. Id est, « crescere faciet, » uti quidem Irenæus exponit, post aliqua subjungens : « crescentes ex visione Domini, » etc.

A Deo tuo. Pronomen « tuo » tam hic, quam paulo post iterum iterumque additum, modernus Baruchi textus non habet.

Pax justitiæ et gloriæ colenti Deo. Sed in Barucho legitur : εἰρήνη δικαιοσύνης, καὶ δόξα θεοσεβείας, « pax justitiæ et honor pietatis, » uti Vulgata reddidit.

De throno. Ita cum Irenæo vulgatus interpres et codex Alexandrinus, aliique. Sed edita Novi Test. exemplaria habent, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ.

Delebit. Vocem « Deus » in nostris Novi Test. codicibus additam Irenæus non agnovisse videtur, uti nec Syriacus aliique orientales interpretes ; quippe non solum in veteri Irenæi versione, sed et Anastasio loco sequenti pag. 337 citato deest.

Adnotationes Fr. Feuardentii in cap. 36.

Pag. 336. *Non enim substantia.* Hieronymus in cap. LXV Isaiæ docet transitum novitatemque cœli et terræ istis oraculis prædictum, nequaquam abolitionem in nihilum, sed commutationem sonare in quid melius ; cujus in sententia sunt Ambrosius, Primasius, Rupertus *Comment. in Apocalypsim;* Didymus et Œcumenius in III cap. primæ beati Petri; Chrysostomus hom. 10 ad pop. Ant. ; August. XX *De civit. Dei*, cap. 24.

209 Pag. 337. *Isaias ait sic.* Totum hunc locum ex Irenæo, paucis admodum immutatis, transcripsit Anastasius Nicænus patriarcha, lib. *Quæst. et responsionum in sacram Scripturam*, quæst. 88, qui locus magnam fidem facit veteri nostro exemplari. Et quoniam in lucem nunquam venit, idcirco typis commisimus, beneficio cujusdam fragmenti nobis a D. Joanne Curterio crediti, cujus viri et docti et pii, quondamque amici, anima sit in sorte justorum.

Et quemadmodum presbyteri dicunt. Papiam, ut mea est opinio, intelligit; aut fortassis Aristionem, et Joannem quemdam seniorem, quorum auditor fuerat. Horum autem opinationes a catholica Ecclesia jampridem explosas et ejectas supra adnotavimus, quas nihilominus noster Alphonsus a Castro in medium iterum prolatas, multiplici sacrarum Litterarum testimonio revincit et supprimit, lib. III *Adversus hæreses.*

Qui centum fructificaverunt. Alii aliter hunc Evangelii locum exponunt ; nam Cyprianus fructum centesimum martyribus, sexagesimum virginibus, tricesimum conjugatis assignat [96] ; quem sequitur August. lib. I *Quæst. evang.*, quæst. 9, et lib. *De sancta virgin.*, cap. 45. Hieronymus centesimum virginibus, sexagesimum viduis et continentibus, tricesimum casto matrimonio deputat, lib. I *Cont. Jovin.*, et *Comment.* in XIII cap. Matthæi. Sunt qui malint magnam differentiam eorum qui suscepto verbi divini semine fructus ferunt, simpliciter significari ; veluti semen pro soli ratione aliud alio citius et felicius provenit. Sed quorsum hæc ad Chiliastas?

Tunc ipse Filius subjectus erit ei. Hilarius lib. VIII *De Trin.* scribit Arianos hanc Apostoli sententiam detorsisse, ut per conditionem subjectionis Deum natura esse Christum Dominum inficiarentur. Quibus respondet Hieronymus [97], seu Sedulius, subjectionem non semper ad diminutionem honoris pertinere, sed etiam ad charitatis officium, maxime cum spiritus prophetarum prophetis dicatur esse subjectus, et ipse Dominus Joseph ac Mariæ describatur fuisse subjectus. Tandem concludit hoc de natura, quam ex Virgine induit, dictum esse, in qua semper minor est Patre, ac perpetuo divinitati subjicitur : in qua sententia stant quoque Aug. lib. *Octoginta trium quæst.*, q. 69, et lib. *Cont. sermonem Arianorum*, cap. 37 ; Ambrosius lib. V *De fide*, cap. 6 et 7 ; Gregorius Nyssenus oratione in illud : « Quando sibi subjecerit omnia ; » Cyrillus Alex. lib. X *Thesauri*, cap. 8 ; Basilius lib. IV *Adv. Eunomium*, etc. Plane itaque et arianizat et judaizat Calvinus, qui testimonium illud ad Filii divinitatem refert.

Liberam futuram creaturam. Id est, quemadmodum propter nos facta est omnis creatura variis mutationibus et passionibus obnoxia, ita magna et puritate et pace gaudebit, cum ad supremam felicitatem ex his miseriis educti fuerimus, quorum gratia creata fuit. Sed hæc causæ Millenariorum nullo modo suffragantur.

Et ascendat ad eum supergrediens angelos. De Christi redemptoris nostri humana natura hic primo loquitur, quam super omnem principatum et potestatem secum exulit in cœlum, in quod subactis omnibus suis hostibus extremo judicio revertetur. Deinceps præclaros cœtus electorum intelligit, quibus dicet : « Venite, benedicti, in regnum Patris [98], » etc. Horum enim quosdam, ut beatissimam Virginem, et Baptistam (fortassis) ac Jeremiam, qui ab utero matrum in lucem venerunt sancti jam effecti, super choros angelorum exaltabit. De cæteris credendum est parem angelis futuram esse societatem et gloriam, qui nos concives suos nuncupant, conservos se profitentur, super pœnitentibus lætantur, imo et spiritus administros se præbent iis qui hæreditatem salutis secum excepturi sunt, id est supremam sempiternamque felicitatem illam, in qua nullum erit malum et nullum deerit bonum ; quoniam ipse ibi præmium virtutis erit, qui virtutem dedit, et qui seipsum, quo nihil melius et majus potest esse, promisit. Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Ipso pleni erimus qui omnia erit in omnibus. Ibi vacabimus et videbimus; videbimus et amabimus, amabimus et laudabimus [99]. Nec anxie disputo an in actione intellectus præcipue consistat illa beatitudo, an voluntatis potius ; quandoquidem erunt omnia gaudii plena, non solum voluntas et intellectus, sed et oculi, aures, manus, totum corpus, tota mens et animus denique. Ad quæ Deum opt. max. oro et obsecro, ut peractis omnibus, quæ salutem æternam unicuique pro certo pariunt, omne genus hominum, vitæ spatio naturaliter excurso, tandem perducatur, et mente divina sempiterne perfruatur. Fiat, fiat.

[96] Lib. De discipl. et hab. virg. [97] Comment. in XV cap. I Cor. [98] Matth. XXV, 34. [99] August. lib. XXII De civit., c. 30.

Digitized by Google

VARIORUM NOTÆ

IN FRAGMENTA SANCTI IRENÆI.

Fr. Feuardentii brevis præfatio.

Quoniam ex priscorum monumentis ac certissimis ecclesiasticæ historiæ testimoniis compertum est, hunc eximium Ecclesiæ Lugdunensis antistitem et doctorem, non solum quinque superiores adversus Valentini et similium Gnosticorum hæreses, sub episcopatu B. Eleutherii, libros edidisse; verum et alios plurimos, qui vel injuria temporum, vel hæreticorum fraudibus perierunt, vel denique adhuc alicubi cum blattis et tineis certantes latent: quædam illorum fragmenta, quanta potui fide et diligentia hinc inde collecta, Græce et Latine piis lectoribus hoc saltem postremo loco proponenda et exhibenda curavimus, ut, quantum fieri potuit, integrum beatissimi viri lucubrationum corpus simul exiret in lucem. Illa porro in primis sunt duarum epistolarum ejus ad Blastum et Florinum Ecclesiæ Rom. non ita pridem presbyteros, sed tunc a sanctissimo Eleutherio papa, propter Valentinianas impietates, et alias quasdam illis additas fanaticas opiniones, quibus et alios inficere, et schismate suo Ecclesiæ membra divellere conabantur, gradu moti pulsique fuerant.

Enimvero verisimile est illas secundo et tertio, post præfatos libros quinque, loco ab Irenæo scriptas fuisse, ut victo atque contrito venenatæ illius sectæ præcipuo imperatore et duce, palantes dissectosque postea milites et satellites a conceptis animi furoribus pro virili ad Ecclesiæ matris gremium revocaret. His adde, quod et priore post illos libros ordine, et sub Eleutherii pontificatu Eusebius illarum meminit: quem tamen ordinem Hieronymus neglexit, quod catalogum tantum scriptorum, non autem historiam, contexeret. Blastus itaque, ut est apud Tertullianum [1], Judaismum latenter volens introducere, dicensque Pascha non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysis 14 mensis: *Quis autem nesciat* (inquit) *quoniam evangelica gratia evacuatur, si ad legem Christum redigit?* Initium schismati Quartodecimanorum hunc præstitisse non est difficile colligere ex Philastrio, Epiphanio, Augustino, Theodoreto et Damasceno [2]. Propterea ergo epistolam ad eum scriptam et destinatam Irenæus appellavit *De schismate;* eo quod in ea disserat, quantum conjicio, quid sit schisma, quam grave ac perniciosum crimen, quamque graviter olim in Chore vindicatum; ut is ab illo ad Ecclesiæ unitatem rediret, et abstractos secum reduceret. Ad Florinum vero datam epistolam nuncupavit, *De monarchia*, sive, *Quod unicus sit Deus, et ille nequaquam sit auctor malorum*, id est peccatorum. Nam Florinus, ait Eusebius [3], contrariam sententiam videbatur acriter propugnare.

Hujus etiam causa, quandoquidem in errore Valentinianorum lapsus erat, Irenæus librum *De Ogdoade* conscripsit; in quo satis aperte declarat se apostolorum temporibus proxime successisse.

Cumque etiam in primo *Adversus hæreses* libro, cap. 29, receperat se opus singulare adversus Marcionem, præstante Deo, editurum; et ex ejus scriptis, sermonibusque Domini et apostolorum ejus ab eodem admissis, hæreseon illius eversurum monumenta, quod Eusebius quoque observavit [4]: facile mihi persuaserim scriptum illud non diutius distulisse. At vero nihil hujus a Patribus citatum reperi.

Et ut eos omnes, quos hæreticorum impetus ac fraudes in vera fide et religione vel nutare fecerat, vel dejecerat, sacris exhortationibus confirmaret vel erigeret, librum scripsit ad Marcianum fratrem, quem vocavit *De apostolica prædicatione;* 210 rursumque alium, *Variorum tractatuum;* quibus tam Scripturis quam maxime veris germanisque apostolorum traditionibus, quas ab eorum auditoribus diligenter perceperat, multorum animos in sincera sanctaque pietate confortavit et recreavit. Horum quidem meminerunt Eusebius, Hieronymus et Nicephorus; sed nulla suppeditaverunt fragmenta.

Gentilium quoque furores partim sedans, partim calumnias erroresque refellens, ut eos suavissimo Christi jugo tandem aliquando subjiceret, edidit librum *De scientia* inscriptum, compendiosum quidem illum, ait Eusebius, sed summopere necessarium. Justinum martyrem, Quadratum, Aristidem et Athenagoram forsan imitatus est, qui et ipsi luculentis simulque acutis scriptionibus ethnicorum animos a Deastrorum vanitate, ad unius et veri viventisque Dei agnitionem et cultum traducere studuerant, philosophiamque Christianam solam veram et humano generi salutarem esse plurimis et firmissimis argumentis demonstraverant. Hujus quoque libri nihil superesse comperio.

Recrudescente tum maxime dissidio de die celebrandi Paschatis, ac etiamnum opera Blasti, deinde Montani hæresiarchæ, in apertam hæresim et schisma cum multiplici turba, dissensione et animarum pernicie, palam erumpente, Irenæus nominis sui correspondens etymo, quod est, *pacis studiosus*, Victore Romanæ Ecclesiæ jam quinto anno præsidente (decem etenim Ecclesiæ præfuit) ad hunc, ex persona fratrum, quibus in Gallis præerat, litteras direxit, quibus hortatur, rogat, obsecrat, ne propter externum ritum, totius Asiæ plurimas certe et antiquissimas a communi unitate fidelium Ecclesias amputet. Atque ista aliaque eis congruentia, inquit Eusebius, non ad Victorem solum, sed etiam ad alios plerosque et diversos Ecclesiarum præsides, de ista controversia conscripsit. Epistolæ ad Victorem non aspernandum fragmentum subjicimus; de aliis altum silentium.

Edidit denique librum *De Pascha*, cujus ante Hieronymum ac Eusebium meminit, simulque particulam quamdam assignat auctor *Quæstionum et responsionum ad orthodoxos*, apud Justinum martyrem. Illam quoque adjiciemus, gravi ferentes animo quod plura proferre in communem studiosorum utilitatem ex tam sancto, vetusto eruditoque Patre non possimus. Cum itaque nihil ex epistola seu commentario ad Blastum schismaticum simul et hæreticum, præter titulum, relictum sit, fragmentum quod ex libro *De Ogdoade* extremo Eusebius vere elegantissimum esse censet, et *Historiæ* suæ lib. v, cap. 19, inserit, subjiciamus. Ait ergo

[1] Lib. Præscr., c. 53. [2] Lib. De hær. [3] Lib. v Hist. cap. 19. [4] Lib. v Hist., c. 8.

Digitized by Google

ad illius libri lectorem et exscriptorem Irenæus, A etc.

Ejusdem adnotationes in clausulam libri De Ogdoade.

Pag. 339. Ex tam gravi sanctoque martyris exorcismo seu obtestatione, Eusebius observat veteres illos et vere pios viros, accuratissimæ in describendis libris diligentiæ nobis ad imitandum exemplar proposuisse [5]. Istud vero quorsum, nisi quod ab hæreticis incredibili fraude et malitia variis detractionibus, additionibus, inversionibus, glossematibus tam apostolorum quam sanctorum Patrum scripta frequenter corrumpebantur; ut sub horum titulis errores suos callidius spargerent atque serrent? Constat enim non solum Marcionem, sed et alios passim hæreseon architectos, sacris Evangeliis omnibusque Pauli scriptis sacrilegas manus injecisse, ut ex libro Irenæi primo, Tertulliano ac Epiphanio pervium est. Sed omnium illustrissimum B est B. Petri de hujusmodi hæresiarcharum in Pauli et aliorum sanctorum scripta sacrilegio testimonium : « Quæ indocti, ait, et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem [6]. » Ac ut prætermittam quomodo Clementis Romani epistolæ, ac *Recognitionum* libri, deinde universa Origenis opera ab hæreticis depravata fuere, unius tantum Dionysii Alexandrini de librorum suorum corruptoribus querelam subnecto : « Epistolas quorumdam fratrum rogatu conscripsi. Atque eas ministri diaboli zizaniis referserunt. Nam quædam pro suo arbitratu exemerunt, alia adjecerunt; quibus plane Væ in extremum judicium repositum est. Nec mirum certe, si quidam Dominicas Scripturas dedita opera depravare aggressi sunt, cum has meas, quæ non sunt ejus generis, adulterare studuerint [7], » etc.

Etsi cunctis hæreticis hoc commune sit, Calvinianis et aliis Sacramentariis tamen præ omnibus C vulgare esse, plurimis argumentis palam ostendimus nostris *Com.* in Epist. B. Pauli ad Philemonem; et rursum ex his quæ Schlusselburgius Lutheranorum superintendens libri secundi *De Calvinistica theologia*, articulo sexto, ex scriptis eorum collegit, contractioribus verbis, aliquanto copiosius hic demonstrandum putavimus. Joannes Calvinus plurima sacræ Scripturæ testimonia pessime depravavit, ait ille. Primam promissionem, « Inimicitias ponam [8], » etc., simpliciter interpretatur de hostili dissidio hominum cum serpentibus, quale hodie etiamnum cernitur. Marloratus in Genesim simpliciter id approbat. Apostoli vero una cum prophetis hoc dictum simpliciter de Christo et antiquo serpente diabolo intellexerunt : Isaiæ VII et IX, I Joan. III, Heb. II, Rom. VI et XVI, Galat. III, Apocalypsis X. Paulus vero nobis pluris est quam mille Sacramentariorum glossemata.

Non recedet sceptrum de Juda [9], etc. Calvinus et D Marloratus dicunt illos subsannandi ansam præbere Judæis, qui hæc verba de Christo exponunt. Verum Ecclesia Dei catholica credit et demonstrat Jacob patriarcham hæc dicendo ad personam Christi se convertisse.

Locum Numer. XXIV : « Orietur stella ex Jacob; » item Deut. XVIII : « Prophetam suscitabo eis, » etc., negat Calvinus proprie de Christo exponi debere. Petrus vero Actor. III et Stephanus Actor. VII de Christo simpliciter exponunt.

Isaiæ XLIII : « Me servire fecisti in peccatis tuis, » etc., hunc locum negat Calvinus de Christo intelligi debere. Sed Apostoli II Cor. V, Apoc. XXI, hoc caput XLIII de Christo intelligunt.

Isaiæ LXI : « Spiritus Domini super me, » etc. Calvinus asserit nunc locum proprie de vocatione et officio Isaiæ loqui, nec de Christo solo intelligendum esse : licet Christus verba Isaiæ, Lucæ IV, de semetipso exponat.

Jeremiæ XI : « Ego quasi agnus mansuetus, » etc., ait Calvinus secundum puerilem abusum, a veteribus ad Christi corpus translata esse. Et Jeremiæ XXXI : « Femina circumdabit virum, » etc., Calvinus asserit Christianos a Judæis merito rideri, eo quod has prophetias de Christo et Maria Virgine intelligant. Certum est autem ex II cap. Matthæi, II Cor. VI, Heb. VIII et X, de Jesu Christo et ejus regno necessario intelligi debere.

Daniel. II : « Lapis revulsus est absque manibus, » etc. Daniel. VII : « Ecce veniebat in nubibus cœli quasi Filius hominis, » etc. Calvinus scribit hæc prorsus absurde de Filii Dei nativitate ex Maria Virgine, aut de æterna potestate ei juxta humanam naturam data, intelligi. Doctores vero Ecclesiæ Dei unanimiter concludunt mysterium incarnationis Christi ibidem notari, et Joannes evang. Apoc. V, de summa potestate Filio Dei juxta humanitatem ejus data, intelligit. Paulus etiam hunc locum sic exponit, Philip. II, I Cor. XV; imo etiam Christus ad se applicat, Matth. XXVIII.

Oseæ XIII : « De manu mortis liberabo eos, » etc. Calvinus, pag. 165, impudenter et blaspheme asserit apost. Paulum obiter et non recte hanc prophetiam de Christo intelligere.

Michææ V : « Ex te egredietur qui sit dominator in Israel, » etc. Calvinus, pag. 418, non vult hunc locum præcise et proprie de divinitate Christi exponendum esse. Sed Ecclesia Dei, juxta Matthæi explicationem, de Christi duplici natura in una persona intelligit. Ejus expositio cum primo cap. Joan., « In principio erat Verbum, » etc., congruit. Item dictis Pauli, Rom. IX, Galat. IV.

Zachariæ IX : « Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, » etc. Calvinus, pag. 675, blaspheme scribit hæc verba nugatorie, seu mendaci modo de Christo et ejus ingressu in Jerosolymam exponi ab interpretibus, et plane corrumpi. Quibus interpretationem ipsius Spiritus sancti in Matth. cap. XXI, et in Joan. cap. XII, blaspheme irridet et exagitat.

Zachariæ XII : « Respicient ad me, quem confixerunt, » etc. Calvinus et Marloratus super Joan., pag. 597, aiunt nimis violenter hunc locum juxta litteram torqueri. Quod glossema diserte cum apostoli ac evangelistæ Joannis sententia pugnat, qui simpliciter de latere Christi lancea perforato intelligit.

Psalm. VIII : « Domine Deus noster, quam admirabile est nomen tuum, » etc. Calvin. ait pag. 27 apostolos a recta et nativa hujus psalmi sententia declinantes, de Christo exposuisse. Ergo Paulus I Cor. XV, Eph. I, Hebr. II, peccavit : imo et Christus perperam egit, eumdem de se intelligens Matth. XXI.

Ps. XXI : « Diviserunt sibi vestimenta mea, etc. Calvinus in cap. XIX Joan. dicit hunc locum intempestive ab evangelistis ad Christi personam translatum esse, eosdemque a vera sententia Davidis in hujus dicti explicatione recessisse; quæ in Spiritum, qui per hos locutus est, plane sunt blasphema.

Beza in *Colloquio Mompel.*, pag. 544, asserit dictum Christi, Joan. III. : « Sic Deus dilexit mundum, » etc., non de omnibus 211 hominibus, sed tantum de electis intelligi : et in promissis universalibus Evangelii, particulam « omnes » non secundum litteram de omnibus hominibus, sed de quibusdam tantum accipi debere. Sed hæc Bezæ blasphemia pugnat cum dicto Domini, quo duplici juramento asserit se nolle mortem peccatoris, Ezech. XXXIII; item Joan. I epist., II, hanc Bezæ expositionem condemnat.

[5] Lib. V Hist., c. 19. [6] II Pet. III, 16. [7] Apud. Euseb. lib. IV Hist., c. 22. [8] Gen. III, 15. [9] Gen. XLIX, 10.

Digitized by Google

Dictum Christi Joan. VI : « Caro non prodest quidquam, » ita Calvinistæ in præfatione *Orthodoxi consensus* exponunt, ut peracto in cruce redemptionis mysterio, et dicto « Consummatum est, » carnis Christi in terris præsentia minime necessaria fuerit; et Bullinger. lib. *De origine erroris*, pag. 103, dixerit corporis illius nullum posthac fuisse usum. Nullum est dubium ipsum etiam diabolum ab hac blasphemia abhorrere. Cur enim aliquandiu in cruce suspensus mansisset? Cur sepultus? Cur per 40 dies conversatus cum apostolis? Cur Thomæ dictum : « Infer digitum huc? » Cur carnis et sanguinis institutus ab eo sacramenti usus donec veniat? Cur in eadem carne rediturus est, si nullus est ejus usus? Ita Sacramentarii ex una blasphemia in alias prolabuntur.

Joannis VIII : « Abraham vidit diem meum, et gavisus est. » Ex his Beza conatur probare omnes patriarchas Christum præsentem habuisse, non minus quam nos, *Colloquio Mompelg.*, pag. 67, corpus Christi etiam tempore Abrahæ exstitisse, pag. 77. Cur igitur Christus ait multos reges et prophetas voluisse videre et audire, et non sunt hæc assecuti [10]? Cur angelus ait : « Natus est vobis hodie [11]? » Cur Paulus, veniente plenitudine temporis, Christum ex muliere natum esse [12]?

Gualterus in lib. *De incarn. Filii Dei*, fol. 61, dicta Christi : « Relinquo mundum; non sum in mundo; ubi duo aut tres congr., etc.; ecce ego sum vobiscum, etc. [13], » negat secundum litteram accipienda esse, etc. Ad hæc autem responsum est deinceps Christum non amplius visibiliter et sensibiliter nobiscum versari in terris.

Cinglius lib. *De vera et falsa relig.*, pag. 262, textum Evangelii ita corrumpit : « Sic habet Lucas : Christus, accepto pane, gratias egit, fregit, et dedit, dicens : Hoc significat corpus meum, quod pro vobis datur. » Hæc depravatio verborum Filii Dei, vel sola, omnes pios a Calvinistarum consortio et impietate deterrere debebat. Non potest hoc celus Cingii ullo colore excusari. Prodite, increduli et δόκοι Calvinistæ, et defendite hunc vestrum falsarium.

Calvinistæ in *Cacodoxo consensu*, pag. 18, 123, 196, scribunt, in his verbis evangelistæ : « Verbum caro factum est [14], » necessario ad tropum recurrendum esse, etc. Ergo et ista tantum tropica sunt : « Hic est Filius meus dilectus [15]; hic est Jesus a Nazareth, propheta [16]; ego sum, nolite timere [17]. » Sicque nihil firmum, nihil unquam proprie dictum, quod hæresibus adversetur, etc.

Atque hæc sufficiant ad manifestandam Calvinianorum in pervertendis, depravandis, adulterandisque sacris Scripturis, sanaque corrumpenda intelligentia, diabolicam plane audaciam et impudentiam, ut vel ipsi tandem ab ea resipiscant; vel saltem qui nondum ab his sunt fascinati, diligenter ab imposturis illorum sibi caveant. Quod si tam nefaria in expressum Dei verbum admittunt, quomodo abstinebunt a sanctorum Patrum scriptis, quos tam diserte constanterque suis erroribus repugnare haudquaquam ignorare possunt? Sed de his alibi. Nunc ad sancti Irenæi fragmenta redeamus.

Ex Joan. Ernesti Grabii adnotationibus in clausulam libri De Ogdoade.

Pag. 339. *Ὁρυίζω σε.* Eusebius loco citato, facta libri *De Ogdoade* mentione, recitatam ejus clausulam transcripturus, ita præfatur : Ἐν ᾧ καὶ ἐπισημαίνεται τὴν πρώτην τῶν ἀποστόλων κατειληφέναι ἑαυτὸν διαδοχήν. Ἔνθα πρὸς τῷ τοῦ συγγράμματος τέλει, χαριεστάτην αὐτοῦ σημείωσιν εὑρόντες, ἀναγκαίως καὶ ταύτην τῇδε καταλέξομεν τῇ γραφῇ, τοῦτον ἔχουσαν τὸν τρόπον, id est, Valesio interprete : « In quo etiam libro primam se apostolorum successionem contigisse significat. Sed et in fine ejusdem libri adnotationem (Hieronymus in *Catal. script. eccles.* in Irenæo, Ruffinus et Christophorsonus verterant « subscriptionem ») utilissimam reperimus, quæ huic historiæ nostræ inserenda mihi videtur; sic autem habet. » etc.

Adnotationes Fr. Feuardentii in fragmentum Epistolæ ad Florinum.

Pag. 339. *Ista dogmata.* Ex his observat Eusebius Irenæum cum beato et apostolico viro Polycarpo magna familiaritate conjunctum fuisse; quod illi non solum honori fuit, sed et virtutis, et pietatis, et veræ religionis atque purioris doctrinæ accessionem plurimam attulit.

Sunt Ecclesiæ repugnantia. Si tam absurdum et impium censet aliquid sentire aut docere, adversus ea quæ jam per ducentos annos tenuerat Ecclesia, quid dicturus esset, si post mille et quingentos audisset Lutherum vociferantem? « Non curo si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesiæ contra me starent? »

Ista dogmata ne hæretici quidem. Certe Carpocrates et Marcion maluerunt plures deos comminisci, quam uni et vero Deo ascribere causam efficientiamque peccatorum; a qua tamen impietate nunc non abhorrent Calviniani, quemadmodum in dialogis ostendimus et confutavimus. Quod ne pro consueta impudentia negare audeant, ecce rursum alia Petri Vermilii eorum symmistæ contra summam Dei bonitatem et sanctitatem pronuntiata. In lib. *Judicum* pag. 52 : « Deus quoquomodo est causa peccati. » Item : « Deus quoquomodo vult peccatum. » Idem in librum I Samuelis, pag. 21 : « Deus non tantum permittit, sed etiam certo quodam modo vult peccatum. » Et *Commentariis* in Epist. ad Rom. pag. 403 : « Deus incitat diabolum ad mentiendum. » Pagina 406 : « Deus est aliquo modo causa peccati. » Pag. 38 : « Deus vult inclinare et impellere voluntates impiorum ad gravia peccata. » Pag. 40 : « Dei voluntas aliquo modo ad peccatum producendum concurrit. » Pag. 74 : « Deus vult impiorum peccata. » Beza quoque cum eo adversus summam Dei nostri justitiam et puritatem dilatans os suum vociferat : « Quæ mala sunt, ac proinde detestanda, non fieri a quoquam seu homine, seu diabolo, sine decreto Dei [18]. « Et rursum : « Lapsum primorum parentum sine voluntate et ordinatione Dei evenire non potuisse. « Et in libro *Contra Heshusium* : « Judam decreto Dei, et idcirco necessario, Dominum prodidisse. » Item : « Herodem et Pilatum necessario Christum condemnasse. » O si hujusmodi portenta Polycarpus audisset, quoties suspirans ingeminasset illud suum : « O bone Deus, in quæ me reservasti tempora! » Noverat enim hos errores esse in Deum horribiliter contumeliosos et generi humano perniciosissimos. Nam secundum hoc quintum evangelium, non diabolus, sed Deus erit verus pater mendacii, seductor, auctorque totius mundi scelerum. Et hæc prophetarum oracula falsa erunt : « Non Deus volens iniquitatem tu es [19]; nolo mortem peccatoris [20]; Dei perfecta sunt opera [21]; cuncta quæ facit sunt valde bona [22]; invidia diaboli mors intravit in orbem [23], » etc.

Vidi enim te. Hinc facile colligitur quam vicinus apostolorum temporibus fuerit Irenæus. Nam Joannes apostolus ac evangelista anno a nativitate Christi 101 ex Asia minore migravit in cœlum; Polycarpus nonagenarius discipulus ejus anno 168 illustrissimo martyrio hinc ad Christum excessit.

[10] Luc. x, 24. [11] Luc. II, 11. [12] Gal. IV, 4. [13] Joan. XVI, 28; XVIII, 11; Matth. XVII, 20; XXVIII, 20. [14] Joan. I, 14. [15] Matth. III, 17; XVII, 5; Luc. IX, 35. [16] Matth. XXI, 11. [17] Luc. XXIV, 36; Joan. VI, 20. [18] Summa Christianismi, pag. 171 et 178. [19] Psal. V, 5. [20] Ezech. XXXIII, 11. [21] Deut. XXXII, 4. [22] Gen. I, 31. [23] Sap. II, 24.

Digitized by Google

Irenæus porro hujus auditor et convictor exstitit.

Pag. 340. *Atque ex eo loco.* Didicerat quippe verbis et exemplis sanctissimi apostoli præceptoris sui Joannis, hæreticos velut manifestos Dei hostes nec esse in ædibus admittendos, nec salvatione Christiana conveniendos. Viderint nunc plurimi Ecclesiarum præsules, qui in Galliis illos in pretio, in familitio, in consilio, in mensa, in intima familiaritate retinent, quomodo beatissimorum episcoporum Polycarpi, Ignatii, Irenæi relicta sibi exempla flocci pendant.

Ex Joan. Ern. Grabii adnotationibus in fragmentum epistolæ ad Florinum.

Pag. 339. *Ταῦτα τὰ δόγματα.* Eusebius loco citato hæc ita proponit: Ἐν ᾗ γε μὴν προειρήκαμεν πρὸς τὸν Φλωρῖνον ὁ Εἰρηναῖος ἐπιστολῇ αὐθις τῆς ἅμα Πολυκάρπῳ συνουσίας αὐτοῦ μνημονεύει λέγων· « Porro in ea ad Florinum epistola, de qua jam prius dixi, idem Irenæus se cum Polycarpo familiariter esse versatum memorat, dicens: » etc.

Οὐδὲ οἱ ἔξω τῶν ἐκκλησίας αἱρετικοὶ ἐτόλμησαν ἀποφήνασθαι ποτε. Sic Valentinus cum immanis cædis et adulterii mentionem fecisset, ac animi penderet quænam horum malorum esset origo atque causa, a Deo tamen eam omnino removet, dicens: Τὸν μὲν Θεὸν ποιητὴν τούτων λέγειν, τολμᾷν (ecce ipsum Irenæi verbum) οὐχ οἷός τε ἦν, ταῦτα περὶ Θεοῦ ἐννοεῖν· ὁ μὲν γὰρ ἀγαθὸς, καὶ τῶν κρειττόνων ποιητής· τῶν δὲ φαύλων αὐτῷ πρόσεστιν οὐδέν. ... Καὶ πῶς οὐκ ἄτοπον, τὸν Θεὸν τούτων λέγειν δημιουργὸν, τὸν ταῦτα παραιτούμενον; » Deum quidem dicere horum auctorem, non audere poteram. ... Qui enim de Deo ista cogitari possent? Etenim bonus ille, rerumque optimarum creator est; pravi vero nihil ipsi inest. ... Equomodo absurdum non sit Deum conditorem istorum dicere, qui eadem respuit? » Quæ et plura alia hanc in rem Valentini verba ex Origenis dialogo contra Marcionitas descripta, ac e mss. codicibus Bodleianis 212 emendata dedi tom. I *Spicilegii hæreticorum* sæculi II, pag. 56 seq. Ubi tandem in conclusione hujus disquisitionis, materiæ, quæ Deo coexstitit et e qua mundum condidit, originem atque causam malorum tribuendam putavit. Contra, Ptolemæus, hæreticus Valentinianus, Marcion, aliique, duo vel tria principia ac numina commenti sunt, ne summum eumque bonum Deum malorum auctorem facerent. Quibus deterior hac in parte Florinus, Deum malorum conditorem, id est causam peccati, facere haud est veritus, ut in prolegomenis declaravi, exponens titulum ac summam hujus ad Florinum epistolæ: Περὶ μοναρχίας, ἢ περὶ τῶν μὴ εἶναι τὸν Θεὸν ποιητὴν κακῶν, « De monarchia, seu quod Deus non sit conditor malorum. »

Adnotationes Fr. Feuardentii in primum fragmentum epistolæ ad Victorem.

Pag. 340. *Non enim.* Festum Paschatis ab omnibus Christianis celebrandum, ac multa cum pietate observandum esse, nullus, quod sciam, adhuc negavit; sed quo mense ac die, varie et graviter, etiam ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio disputatum fuit[94]. Asiani namque ex traditione Joannis evangelistæ, qui inter eos consenuerat, luna quartadecima post æquinoctium vernum, quocunque die incideret, celebrandum illud omnino volebant: isque acerrime propugnantibus Polycarpo, Thrasea, Sagari, Melitone, et aliis ejusdem B. Joannis auditoribus, quos epistola sua ad Victorem papam beatus Polycrates Ephesiorum episcopus commemorat. Et sane verisimillimum est, illud ipsum Joannem Christianis ex Judaismo recens conversis, Asiam incolentibus indulsisse, pari ratione qua Jacobus Jerosolymitanis suis adhuc in plurimis judaizare permittebat[95]; cum tamen ipse Dominicum diem, velut sacræ synaxi et beatissimæ ressurrectionis Christi memoriæ dicatum commendet. Quorsum enim alias Dominicus appellaretur[96]? Deinde Ignatius Antiochenæ Ecclesiæ ab apostolis præfectus, qui nihil aliud servavit et docuit, nisi quod ab illis didicerat, constanter docebat Christianos non quolibet quartodecimo lunæ die, sed Dominico solummodo, Pascha celebrandum; ne, moris Judæorum participes, communicarent cum eis, qui Dominum et apostolos ejus occiderant[97]. Ad hæc, qui Romam, et alias partes Occidentis incolebant, ait Socrates lib. v *Hist.*, cap. 21, Petrum et Paulum apostolos consuetudinem, quam illi tenent, Pascha die Dominico post 14 lunam celebrantes, ipsis reliquisse constanter affirmabant et retinebant. Quinetiam beatum Marcum eumdem ritum, ab apostolis acceptum, suis Alexandrinis ac Ægyptiis tradidisse scribit S. Protherius episc. Alexand. epist. ad S. Leonem Rom. pontificem, quemadmodum testificatur Beda lib. *De rationa temporum*, cap. 42. Itaque ne propter diversos hos ritus scinderetur Ecclesia, Pius Romanus pontifex, quem antecessoribus sibique a divo Petro traditum relictumque esse Paschatis die Dominico celebrandi ritum probe noverat, eumdem ubique servandum decreto sancivit; cui omnes Occidentis ac Meridiei Ecclesiæ paruerunt, ac etiam totius Orientis; Asiaticis paucis exceptis, quæ usque ad concilii Nicæni generalem de hac re constitutionem in suis ritibus contentiose perseveraverunt.

Quidam namque. Hanc tam diversam jejuniorum observantiam, paulo post diserte tribuit quorumdam simplicitati, quique nulla aliquid publice de his constituendi præditi essent potestate vel auctoritate. Nihil ergo Hugnosticorum contra jejuniorum quadragesimæ, quartæ et sextæ feriarum, aut etiam sabbatorum rationem, errores et contradictiones hic locus juvare potest: præsertim cum ex Evangeliis, Actis et Epistolis apostolorum et discipulorum ac successorum eorumdem sacris dogmatibus ac decretis omnino constet, illa divina censura præscripta esse. De his copiosissime disseruimus superiore anno *Comm.* in librum Esther, deinde in librum Jonæ prophetæ.

Presbyteri ante Soterem. Cum presbyteros appellat Romanos pontifices, non negat illos vere episcopos, adeoque omnium aliorum episcoporum et Christianorum episcopos et antistites fuisse, ut ex libri tertii cap. 3 manifeste apparet, et nos illic observavimus; sed tantum indicat omnes quidem episcopos esse presbyteros, sed non econtrario. Constat namque ex divinis Litteris et conciliorum sanctionibus, episcopos simplicibus presbyteris superiores esse, tum ordinis potestate, tum etiam jurisdictione; contrarium autem sentire, hæresim esse Aerianorum et Waldensium, quam hoc sæculo Lutherani et Calviniani ab Orco revocare nituntur.

Pag. 341. *Eucharistiam miserunt.* Ex hoc illustri sane ac memorabili loco, primum observa, priscum adeoque apostolicum Ecclesiæ Romanæ morem, quo pontifex ad coepiscopos, qui ab ejus communione non defecissent, eucharistiam transmitteret: aliis non item, utpote a mystico ejusdem Christi corpore alienis. Deinde jam ab ipsis apostolorum temporibus eucharistiam loco aliquo honesto certe et mundo servari solitam, tum ad cultum intrantibus in templa, tum infirmorum communionem, tum denique ad coepiscopos adventantes mittendi gratia. Id enim non modo evincit iste locus, verum et apostolica, quæ a S. Clemente refertur, ista constitutio: « Postquam omnes communicaverint, inferant diaconi reliquias, quæ supersunt, in pastophorion[98]. » Id vero locus erat sacer et hone-

[94] Euseb. lib. v Hist., cap. 22, 23, 24. [95] Act. xxi. [96] Apoc. i, 10. [97] Epist. ad Magnesianos, et ad Philip. [98] Lib. viii Const. apost.

Digitized by Google

stus, in quo res ad sacra mysteria servientes asservabantur. Accedit et hic apertissimus Tertulliani locus : « Accepto corpore Domini et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et exsecutio officii [30]. » Qui et lib. II *Ad uxorem*, cap. 5, satis indicat etiam in domos fidelium delatam et servatam fuisse, ut ex ea ante omnem cibum gustarent; quod et Cyprianus martyr in serm. de lapsis, et historia Spiridionis apud Eusebium tam manifestum et certum efficiunt, ut insanorum sit de hac re dubitare [31]. Sed et Ambrosius, fratrem suum Satyrum laudans, testatur eum etiam dum navigaturus esset eucharistiam secum in orario servasse; et Hieronymus Exuperio episcopo laudi ponit quod, cæteris in usum pauperum et captivorum absumptis, illam in vase vimineo retineret.

Inde rursum aperte consequitur, apostolicis temporibus etiam sub altera tantum specie frequentissime communicatum fuisse; denique, sanctissimum corpus et sanguinem Christi, in esse permanenti (ut in scholis loquimur) sub speciebus eucharistiæ revera contineri et adesse; et non solum in usu, quemadmodum Lutherus a Bucero tandem deceptus, sine ullo expresso verbo Dei, quod tantopere ab aliis postulat, imo contra ipsum, fascinatis a se miseris turbis nimis facile persuasit.

Romam adventaret. Sed quid necesse fuit Polycarpum, Joannis evangelistæ sedulum auditorem et optimum discipulum, ex Asia, relicta ibidem ad tempus curæ suæ commissa Christi Ecclesia, Romam properare et urbis illius præsulem de rebus sacris consulere? Haud dubie, quod Paulum post annos quatuordecim a vocatione sua impulit Jerosolymam secundum revelationem ascendere, et conferre cum Petro, Joanne et Jacobo, columnis Ecclesiæ, Evangelium quod prædicabat in gentibus, ne forte in vacuum curreret [32]. Palam etenim in Asia docuerat idem Polycarpus, quod et discipulus ejus Irenæus scripto mandat [33], oportere ad Ecclesiam Romanam omnem Ecclesiam convenire, propter potentiorem principatum, etc. Noverat fidem ejus, Paulo testante, jamdudum annuntiari in universo mundo [34]; ac eidem mandatum esse a Domino, ut in eadem fide fratres suos, id est, per universum orbem constitutos confirmaret Christianos [35]. Enimvero huic Ecclesiæ totam doctrinam apostoli cum sanguine profuderunt. Hæc est radix et matrix Ecclesiæ catholicæ, ad quam accessum habere non potest ulla perfidia; hæc mater et caput omnium Ecclesiarum, quæ incorruptæ Patrum doctrinæ semper tenax fuit; ubi semper apostolicæ cathedræ viguit principatus. Hæc hæretici fœtoris permanet expers, et apostolicam gratiam inviolatam custodit. Hæc cujus fides non potest sentire defectum, et a cujus fidei doctrina quisquis discordat, vere dicitur, ut et reipsa est, hæreticus [36], etc. Vide not. in cap. 3 lib. III.

Ex J. Ern. Grabii adnotationibus in primum fragmentum epistolæ ad Victorem.

Pag. 340. *Οὐ γὰρ μόνον*, Eusebius loco citato historiam controversiæ de die Paschatis in Ecclesia agitatæ narrans, et immoderatum Victoris episcopi Romani zelum, quo Ecclesias Asiæ a communione sua hanc ob causam abscindere tentavit, notans, addit quosdam episcopos id factum minime probantes Victorem ad moderatiora consilia scriptis litteris hortatos esse: « Ex quorum, inquit, numero Irenæus in epistola, quam scripsit nomine fratrum quibus præerat in Gallia, illud quidem defendit, solo die Dominico resurrectionis Domini mysterium esse celebrandum; Victorem tamen decenter admonet, ne integras Dei Ecclesias, morem sibi a majoribus traditum custodientes, a communione abscindat. Et post multa alia in eam sententiam dicta, his etiam utitur verbis: Neque enim de die solum, » etc., ut supra. Confer Socratem, lib. XXII *Hist. eccles.*, cap. 22, pag. 284.

Τῆς ἡμέρας. Frustra Fenard. hic de die Paschatis commentatur, cum diem jejunii intellexerit Irenæus, uti paulo post probabo.

213 *Οἱ μὲν γὰρ οἴονται*, etc. Similiter sæc. III, Dionysius Alexandrinus de jejunii ante-paschalis differentia scripsit in epistola ad Basilidem: Μηδὲ τὰς ἐξ ὧν νηστεῖων ἡμέρας ἴσως, μηδὲ ὁμοίως πάντες διαμένουσιν· ἀλλ' οἱ μὲν καὶ πάσας ὑπερτιθέασιν, ἅσιτοι διατελοῦντες, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ τρεῖς, οἱ δὲ τέσσαρας, οἱ δὲ οὐδεμίαν. Et Epiphanius in *Expositione fidei catholicæ*, libris *Contra hæreses* subnexa, postquam de jejunio quartæ et sextæ feriæ, et quadragesimali dixerat, ad jejunium antepaschale, quod in *Canonibus* Timothei Alexandrini vocatur ἡ νηστεία τοῦ Πάσχα, progreditur, aitque fideles per hebdomadam Pascha præcedentem solo pane et aqua vesci ad vesperam, et addit: Ἀλλὰ καὶ οἱ σπουδαῖοι, ἓξ ἡμέρας, καὶ τριῶν ἡμερῶν, καὶ τεσσάρων ὑπερτιθέασι, καὶ ὅλην τὴν ἑβδομάδα τινὲς ἄχρις ἀλεκτρυόνων κλαγγῆς. In quibus ὑπέρθεσις et νηστεία distinguuntur; et jejunare quidem dicuntur, qui post abstinentiam totius diei vespere tenui fruuntur cibo; ὑπερτιθέναι vero, qui nec vespera ullam sumunt refectionem, sed omnino abstinent, sive una, sive pluribus diebus, usque ad terminum jejunii, paschale scilicet mane, quod a galli cantu incipit. Atqui de antepaschali jejunio, sive potius extrema ὑπερθέσει, quæ paschali mane solvebatur, Irenæus certissime loquitur, non de jejunio Quadragesimæ; ad quod occasione vocis τεσσαράκοντα hic locus perperam relatus, indeque varie, nec sine violenta detorsione, a quibusdam, præsertim Bellarmino, explicatus est.

Μίαν ἡμέραν. Sine dubio sextam feriam majoris hebdomadæ Irenæum intellexisse, ad hunc locum adnotavit Valesius; utpote de qua Tertullianus lib. *De orat.*, cap. 14, scribit: « Quo (die) communis et quasi publica jejunii religio est. » Alia quoque Tertulliani, et Methodii, necnon Cyrilli Jeros. verba hanc in rem adducit, quibus moti et alii viri docti idem senserunt. Atqui ea sane probant quidem illo die a plurimis jejunatum esse, istis scilicet qui duos dies jejunabant aut superponebant. At vero qui unico tantum die hanc religionem observabant, feria septima id fecisse, et proinde magnum Sabbatum per μίαν ἡμέραν hic intelligendum esse colligo ex lib. V *Constit. apostol.*, cap. 18: « In Parasceve et Sabbato ex parte omni jejunate, quibus sat virium suppetit, nihil penitus gustantes usque ad nocturnum galli cantum; si quis vero duos dies continere non valet, saltem Sabbatum servet. » Neque probabile est quempiam e jejunantibus ὑπέρθεσιν, ante paschale mane cibum sumpsisse.

Οἱ δὲ δύο. De feria sexta et Sabbato magno recte explicat Valesius.

Οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας, etc. Signo coli post τεσσαράκοντα posito, de quadraginta dierum jejunio hæc verba explicarunt viri eximiæ doctrinæ et pietatis; qua ducti, defensionem jejunii quadragesimalis contra novos Aerianos susceperunt, et ex hoc Irenæi loco ejus antiquitatem probare annisi sunt. Sed neque connexio vocum, nec mss. codd. auctoritas, neque res ipsa hanc distinctionem, quam Rufinus male excogitavit, eique superstructam expositionem admittit, uti Dallæus, ejusque hyperaspistes Laroquanus, et alii probarunt, necnon ipse Valesius in notis ad hunc locum. Dices vero, nulla post τεσσαράκοντα distinctione facta, absurdum verba fundere sensum; neque enim uspiam

[30] Lib. De orat. ad finem. [31] Euseb. lib. VI Hist., cap. 36. [32] Gal. II, 1. [33] Lib. III, c. 3. [34] Rom. I, 8. [35] Luc. XXII, 32. [36] Tertull.; Cypr.; Athan.; Hier.; August.; Theodor.; Bernard.; Lanfranc.

Digitized by Google

ullum fuit genus hominum, qui diem quadraginta horarum spatio metirentur. Nodum hunc scidit, non solvit Valesius, νηστείαν pro voce ἡμέραν reponendam autumans. Ego ἡμέραν retineo, sed « tempus » interpretor; cujus significationis usum pluribus exemplis probatum lege, si placet, in Psochenii diatriba *De stylo Novi Testamenti*, num. 51, et Vorstii dissert. 3, illi opposita. Imo vero ipse Irenæus in primo hujus fragmenti versu, οὐ γὰρ μόνον περὶ τῆς ἡμέρας, etc., per ἡμέραν, « tempus, » et quidem jejunii, intellexit, non diem paschalem, uti omnes hactenus acceperunt. Hanc enim indigitaturus, non simpliciter ἡμέραν, sed cum addito τοῦ Πάσχα dixisset: aut si in paulo præcedentibus ejus facta fuisset mentio, ταύτης τῆς ἡμέρας scripsisset. Neque sequentibus hic sensus bene congruit, utpote in quibus ea, quæ circa dies jejunii erat, differentia exponitur: quæ sane non ad diversa εἴδη τῆς νηστείας, sed ad ἀμφισβήτησιν περὶ τῆς ἡμέρας omnino referenda est. Vocem igitur νηστείας in priori quoque istius periodi commate subintelligens, περὶ τῆς ἡμέρας, « de die, » id est, « tempore jejunii » accipio; ita ut sensus istorum Irenæi verborum sit: « non de tempore solum, sed et diversis modis jejunandi ante Pascha, perinde ac circa ipsam paschalem festivitatem, controversiam sive dubitationem in Ecclesia ortam fuisse. » Quibus gemina prorsus sunt ista Socratis lib. v *Hist. eccles.*, cap. 22, pag. 386: Ἔστι δὲ εὑρεῖν οὐ μόνον περὶ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἡμερῶν διαφωνοῦντας, ἀλλὰ καὶ τὴν ἀποχὴν τῶν ἐδεσμάτων οὐχ ὁμοίαν ποιουμένους. « Neque vero in dierum duntaxat, verum etiam in ciborum abstinentia inter se discrepare reperiuntur. » Quidam enim, ut in sequentibus narrat, ab omnibus animatis abstinebant; quidam piscibus, quidam etiam ovis, vespere scilicet post jejunium, vescebantur, etc. Qualem differentiam et Irenæus in media hujus fragmenti parte, quæ intercidit, exposuisse videtur. In generali itaque « temporis » notione si et hic τὴν ἡμέραν accipias, plani simus est sensus: quod nempe quidem ὑπέρθεσιν, sive totalem abstinentiam per quadraginta præcise horas continuatam servaverint; uti quosdam in Ecclesia olim fecisse notius est, quam ut probari debeat. Qui vero quadraginta horarum « nocturnarum » una cum « diurnis » mentionem hic incommode factam objiciunt; idem quoque contra Matth. IV, 2, objiciant necesse est, ubi servator quadraginta non modo « dies, » sed et « noctes » jejunasse dicitur.

Κρατούντων. Ruffini potius interpretationem secutus sum, quam Musculi et Valesii, qui per κρατοῦντας intellexerunt « Ecclesiarum præsides; » ducti auctoritate Socratis, hunc Irenæi locum, quem, uti conjicere licet, præ oculis habuit, ita loco citato imitantis: Αἴτιοι γάρ, ὡς ἡγοῦμαι, τῆς τοιαύτης διαφωνίας οἱ κατὰ καιρὸν τῶν Ἐκκλησιῶν προεστῶτες, etc. Haud memini enim, me uspiam in primævis scriptoribus voce κρατούντων ita simpliciter posita « episcopos » designatos legisse; altera vero significatio in ipso sacro codice Marc. VII, 3, 4, et in Patrum monumentis frequentissime occurrit, et hoc loco antecedenti verbo ἐπιτηρούντων bene respondet. Quocunque autem sensu accipiatur, culpæ τῶν περὶ τὸ ἀκριβὲς κρατούντων, non ipsa jejunii antepaschalis religio, sed diversa observandi ratio ab Irenæo ascripta censeri debet.

Οἱ πρὸ Σωτῆρος πρεσβύτεροι. Sic et præced. pag. οἱ πρὸ ἡμῶν πρεσβύτεροι. Intelligit vero eos quos nunc dicimus, et quos ipse Irenæus alibi appellat « episcopos; » id quod ex hoc ipso, in quo versamur, aliisque locis clare patet. Neque enim simpliciter ait, οἱ πρὸ Σωτῆρος πρεσβύτεροι, sed addit: οἱ προστάντες τῆς Ἐκκλησίας, ἧς νῦν ἀφηγῇ.

[a] Psal. CXXXI, 9.

A Atqui προστασία Ecclesiæ penes episcopos est, non penes secundi ordinis sacerdotes. Ne vero ullus dubitandi locus esset relictus, porro subjungit: Ἀνίκητον λέγουμεν καὶ Πίον, Γνίνόν τε καὶ Τελεσφόρον, καὶ Σωτόν. Atqui hos episcopos Romanæ Ecclesiæ ipse Irenæus supra pag. 203, lin. 3 seqq. (lib. III, c. 3, n. 3) enumerat: ac ibidem etiam lin. 19 seq. (n. 4) de S. Polycarpo ait: « Ab apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis Ecclesia constitutus episcopus; » qui tamen ante dicta pag 464, lin. 24 seq. (in epist. ad Florinum) eidem appellatur, ὁ μακάριος καὶ ἀποστολικὸς πρεσβύτερος. Porro pag. 200, col. 1, lin. 18 (lib. III, n. 2) memorat « traditionem, quæ est ab apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur; » et mox pag. 201, col. 1, lin. 13, ait: « eam quam habet ab apostolis traditionem ... per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos. » Ubi quos prius « presbyteros » vocaverat, mox B « episcopos » appellat, ut tales ipsa « successionis » voce indicat; siquidem sacerdotum secundi ordinis successio nunquam fuit numerata. Neque hanc vocis « presbyteri » pro « episcopo » acceptionem ad episcopos Irenæo antiquiores restringo, atque ratione ævi, quo præcesserunt, eos ab Irenæo ita dictos puto; uti quidem clarissimis quibusdam episcopalis ordinis defensoribus, præcipue Pearsono part. II *Vindic. epist. S. Ignatii*, cap. 13, visum est. Quippe supra p. 343, col. 2, lin. 13 (lib. IV, c. 26, n. 2), de episcopis sui temporis scribit Irenæus: « Quapropter eis qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, sicut ostendimus; qui cum episcopatus successionem charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt. » Et pag. 344, col. 1, lin. 4 (ibid., n. 3): « Qui vero crediti sunt a multis esse presbyteri, serviunt autem suis voluptatibus, ... et principalis consessionis tumore elati sunt, » etc. Et col. 2, lin. 5 (n. 5), C de bonis episcopis: « Cum presbyterii ordine sermonem sanum et conversationem sine offensa præstant. » De quibus et paulo post, pag. 345, lin. 1 (n. 5) addit: « Tales presbyteros nutrit Ecclesia, de quibus et Propheta ait: « Et dabo principes tuos « in pace, et episcopos tuos in justitia [a]. » Cæterum haud meliori jure licet novatoribus exinde colligere, quod Irenæi ævo nulla episcoporum et presbyterorum fuerit distinctio, quam ex eo quod summus V. T. pontifex in sacris Litteris et Philone Judæo aliisque « sacerdos » appellatus sit, collegerint, 214 unum pontificatus et sacerdotii ordinem sive gradum fuisse.

Feuardentii admonitio.

Quoniam vero ex libro Irenæi nostri adversus Marcionem, libro quoque ad Marcianum fratrem, alioque variorum tractatuum, libro denique adversus gentiles, *De scientia* nuncupato, nulla pro certo fragmenta reperio; subjecta quædam partim a Demetrio Diacopo Viennensi, mihi a D. N. Fabro, insignis pietatis et eruditionis viro, liberaliter concessa; partim a Damasceno in *Parallelis* suis inserta et collecta, quæ ad supra nominatos libros forsitan pertinent, subnectam.

Ejusdem adnotationes in utrumque fragmentum sermonis ad Demetrium.

Pag. 342. *Demetrii Diacopi.* Quis fuerit, et quando vixerit iste Diacopus necdum plane novi; fragmentum enim nudum mihi concessum fuit. Sed Græcum, ac munere ecclesiastico Viennæ Galliarum functum esse, vel solus titulus indicat. Conjicio, ex Asia, cum primis illis sanctissimis Ecclesiarum pastoribus et doctoribus, qui Lugdunensem

Digitized by Google

Galliam sua doctrina et pietate illustrarunt, missum fuisse aut eisdem successisse. Constat enim tam ex epistola Ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis ad Ecclesias Asiaticas, quam recitat Eusebius, quam ex Photino, Irenæo, Benigno, Andochio, Tyrso, Felice, aliisque plurimis a beato Polycarpo ex Asia in Gallias missis pietatis Christianæ doctoribus, eximiam inter Gallos et Asiaticos Christianos tum coaluisse amoris et consuetudinis conjunctionem.

Immensus cum sit Deus. Quæ hic prædicantur de divina immensitate, potestate, atque providentia, vel adversus Gnosticorum deliriationes, vel gentilium de mundi ortu et cæca fortuna, quam deam fingebant, cæcitatem diriguntur.

Quippe cum sit potestas libera. Ex plurimis libri tertii, quarti et quinti locis apparet Irenæum fuisse eximium liberi arbitrii nostri propugnatorem; idque percommode, ut Simonis Magi idem negantis, et Florini, peccatorum causam Deo, non libero hominum arbitrio tribuentis, impietates refelleret.

Ex Joan. Ernesti Grabii adnotationibus in eadem fragmenta.

Immensus. Hoc Feuardentius una cum priori fragmento a N. Fabro acceptum edidit, nec tamen qui id citaverit, auctorem indicavit. Quod si fecisset, Græca forte alicubi invenire, et meliorem versionem ac sensum genuinum dare potuissem. Sed, ut verum fatear, hæc mihi valde suspecta, nec ipsius Irenæi esse videntur.

Θέλησις. Citat ista Maximus dicto loco cum hac præfatione sive inscriptione : Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου ἐπισκόπου Λουγδούνων, μαθητοῦ τῶν ἁγίου Ἰωάννου, τοῦ ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ, ἐκ τῶν πρὸς Δημήτριον, διάκονον Βιαίνης, περὶ πίστεως λόγων, οὗ ἡ ἀρχή· Ζητῶν τὸν Θεὸν, ἄκουε τοῦ Δαυὶδ λέγοντος. Ubi Irenæum perperam Joannis apostoli discipulum dictum patet; haud certo autem constat, utrum sermo vel sermones *De fide* ei ascripti sint genuini, cum nec in Eusebio, nec in alio veterum scriptorum mentio eorum occurrat. Id vero inde liquet, Feuardentium, vel potius N. Fabrum, a quo hoc dictum accepit, male « Demetrium Diacopum a Vienna » pro « Diacono » scripsisse, et sermonem *De igne* vocasse, quod πυρός forte loco πίστεως legerit.

Adnotationes Fr. Feuard. in fragmentum citatum ab auctore Quæst. et Resp. ad orthodoxos.

Pag. 342. *Non flectere autem genu.* Hujus quoque ritus paulo post Irenæum et Justinum ita Tertullianus meminit : « Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus [37]. » Quæ iisdem fere verbis exprimit etiam Hieronymus dial. adv. Luciferianos; insuper Augustinus epist. 119, cap. 15 et 17, et Maximus Taurinensis homil. 1 de Pentecoste.

In quo mentionem etiam Pentecostes facit. Hujus diei observatio, etsi nullibi expressis litteris Novi Testamenti præcipiatur, vere tamen apostolica est, quoniam hujusmodi sacra die missus est in apostolos et primos Christianos cum miris ac ineffabilibus charismatibus suis Spiritus sanctus, qui nascentis Ecclesiæ matris nostræ sanctificaret exordium. Deinde, ut in Actis legitur, Paulus ex Europa trajecit in Asiam, ut festum Pentecostes Jerosolymis cum B. Jacobo et fratribus celebraret [38]. Ac jure certe de Pentecoste Christianorum hoc intelligendum docet Epiphanius cont. hæres. 75. Quid enim illi tunc cum umbris ac figuris Judæorum, quarum tantus erat expugnator? Hujus quoque festi ut apostolicæ traditionis ante Justinum ac Irenæum meminerunt Clemens Rom. lib. v *Constit.*, cap. 21, et Ignatius ad Philippenses; et postea, ut nunc dicebamus, Tertullianus lib. *De corona militis;* denique Augustinus epist. 118.

In qua genu non flectimus. Rationem assignans Hieronymus scribit Pentecosten esse tempus lætitiæ atque victoriæ, quo non genua flectuntur, nec curvamur; sed cum Domino ad cœlorum alta sustollimur [39]. Quibus subscribit Augustinus, epist. 119, cap. 15, item omnes qui postea divinorum officiorum et rituum designaverunt rationes. Aliis vero temporibus non solum in orationibus manus aliquando in cœlos expandebant Christiani, verum et eas aliquoties complicantes, et tundentes pectora, cum omni demissione animi, in genua, in faciemque coram Deo procumbentes Deo supplicabant. « Quando non geniculationibus nostris, » inquit Tertullianus, « etiam siccitates sunt depulsæ [40]? » Et libro *Adversus Judæos*, cap. 10 : « In rebus attonitis, genibus utique positis, et manibus cædentibus pectus, et facie humi volutata, orationem commendare debemus. » Rursumque piissimas inter orandum cæremonias recensens et explicans ait : « In cœlum suspicientes, manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique, sine monitore, quia de pectore oramus [41], » etc.

Adnotationes ejusdem.

Benedicentes. Ecquid ab hoc apostolico viro prodiret, quam quod apostolorum pectus pietatemque spiraret? Hæc enim quæ a Damasceno citantur verba referunt Pauli dicentis : « Benedicite persequentibus vos; benedicite, et nolite maledicere [42]. » Et semetipsum in exemplum proponens ait rursum : « Maledicimur, et benedicimus [43]. » Et princeps apostolorum Petrus similiter jubet non reddere maledictum pro maledicto, sed econtrario benedicere. Sic etenim Christus caput nostrum, « cum malediceretur, non maledicebat [44], » etc. Au vero aliquando piis viris liceat justis de causis alicui maledicere, id est probra et convicia in eum proferre, late satis discussimus, *Comm.* in Epist. B. Judæ apostoli, v. 9.

Etiamsi ad interitus periculum. Imo vero tum maxime Deus suis adest, cum abesse putatur; et ex summis periculis eripit, cum actum de illis videtur. Testes sunt Israelitæ in exitu de Ægypto, David, Jonas, Susanna, et alii absque numero. Hinc præclara Philonis Judæi ad suos contribules oratio : « Bono animo esse oportet, viri Judæi, quia tum adest divinum, cum humanum deest auxilium; » lib. *De legatione ad Caium*, et apud Euseb. lib. II *Hist.*

[37] Lib. De coron. milit., c. 4. [38] Act. xx; I Cor. x. [39] Prolegom. in Epist. ad Eph. [40] Lib. Ad Scap., cap. 4. [41] Apol. c. 30. [42] Rom. xii, 14. [43] I Cor. iv, 12. [44] I Pet. ii et iii.

VARIÆ LECTIONES

Minoris momenti, consulto prætermissæ.

Numeri paginas designant editionis D. Renati Massueti, quarum seriem typis grandioribus textui inseruimus.

P. 2. Eras. et Gall. *Verbum Domini.* *Et dicere.* In editt. deest, etc. *Mysteria. Eorum.* additum in P. 3. *Commixtum.* Ottob. *mixtum.* editt.

Digitized by Google

P. 3. *In Deum.* Græc. εἰς Χριστόν, *in Christum.*
Flosculum. Editt. *flosculus.*
Ostendemus. Eras. et Gall. *ostendimus.*
Evertendum. Clarom. *vertendum,* Voss. et Pass. *devastandum.*
4. *Coopertum.* Feuard. *opertum.*
Manifestabitur. Ottobon. *manifestetur.*
5. *Ennœam.* Clarom. *ennoiam.*
Et Unigenitum. Editt. omittunt *et.*
8. *Voluit enim.* Clarom. et Pass. *voluit autem.*
9. *Dulcedine.* Clarom. *dulcitudine.*
Confirmat. Clarom. et Dom. *confirmet.*
Et Horon. Editt. omittunt *et.*
14. *Per parabolas.* Cod. Pass. *per parabolam.*
Et Paulum. Pass. *Et Paulum autem.*
Iota et Eta. Clarom. et Ottobon. *iotam et etam,* et sic alibi passim ejusmodi vocabula declinant.
17. *Et non solum.* Editt. Eras. Gall. et Feuard. omittunt *et.*
Cum multæ. Cod. Clarom. cum Eras. et Gall. *cum quando multæ.*
18. *Ideo quia.* Clarom. *id eo quod.*
20. *Quod dereliquerat.* Clarom. *quod reliquerat.*
Rursus timebat. Clarom. *rursus et timebat.*
Dominus noster. In editt. Eras. et Gall. deest *noster.*
25. *Non scientem.* Clarom. *nescientem.*
27. *Amplificatum.* Voss. *inamplificatum.*
28. *Dextrum appellant.* Clarom. Pass. Ottobon. et edit. Eras. *dextram.*
Fabricatum esse. Esse deest in mss. Anglic. et Clarom.
Et Salvatorem. Clarom. Voss. et edit. Oxon. *Et Salvatorem autem.*
29. *Eo quod sint.* Editt. *eo quod sunt.*
Omnimodo. Editt. *omnino.*
30. *Uti in nihilo.* In Pass. deest *in.*
46. *Auferet.* Clarom et Pass. *aufert.*
47. *Agnoscet.* Clarom. et Voss. *cognoscet.*
Cognoscere. Clarom. *agnoscere.*
Fingitur. Clarom. *confingitur.*
48. *A discipulis.* In Cod. Voss. et edit. Oxon. deest *a.*
Et terrestrium. Eras. Gall. et Feuard. omittunt *et.*
51. *Apparuerit.* Clarom. *apparuit.*
Similibus eis. Eras. et Gall. omittunt *eis.*
53. *Evacuatam.* Editt. *vacuatam.*
Recucurrit. Editt. *recurrit.*
55. *Cucurbita autem.* In Voss. deest *autem.*
Cucumis. Clarom. et Merc. 2. *cucumeris.*
Quaternationem. Eras. Gall. Arund. *quaternionem.*
56. *De Aorato autem.* Editt. omittunt *autem.*
Eum dicentes. In Eras. Gall. et Feuard. deest *eum.*
Eum Bython. Eras. Gall. et Feuard. omittunt *eum.*
59. *Se dicere.* Eras. et Gall. omittunt *se.*
62. *Dationem.* Arund. *donationem.*
64. *Dicent.* Pass. *dicerent.*
67. *Nec cognoscere.* Feuard. *ne cognoscere.*
Sed ne quidem. Pass. *sed neque.*
68. *Et ipsum... et* λ Feuard. Gall. et Eras. omittunt *et.*
Illud quod est. Arund. Merc. 2. cum editt. Eras. et Gall. *illum quod est.*
71. *Et dispositionem.* In Eras. Gall. Feuard et mss. Pass. Ottob. Arund. et Merc. 2. deest *et.*
72. *Hinc etiam.* Voss. et Dom. *hinc enim.*
74. *Adimpleverunt.* Arund. *implevérunt.*
75. *Fecit numerum.* Clarom. *confecit num.*
77. *Recurrit.* Editt. *recucurrit.*
78. *Figurationem.* Ottobon. *figuram.*
Quis enim. Pass. et Voss. *qui enim.*
81. *Aberrasse.* Clarom. et Pass. *oberrasse.*
Novies undecim. Pass. *novies undeni.*
83. *Inciderunt.* Pass. *inciderint.*
86. *De propheticis autem.* In Clarom. *enim* pro *autem.* In Ottobon. *prophetis* pro *propheticis.*
Et similitudinem. Dom. *et in similitudinem.*
90. *Israel autem me.* Editt. *Israel me autem.*
91. *Et tunc.* Eras. Gall. et Feuard. omittunt *et.*
92. *Et discite.* In editt. deest *et.*
Nesciebant. Arund. et Voss. *non sciebant.*
94. *Descenderit.* Voss. *descendit.*
Quidam enim. Ottobon. *quidam etiam.*
96. *Quæ sit.* Pass. *quæ est.*
Et anima. Eras. Gall. et Feuard. omittunt *et.*
98. *Et Deus Isaac.* Editt. omittunt *et.*
Charactera. Editt. *characterem.*
99. *Per impositionem.* Voss. *impositione,* sine *per.*
Scrutans. Editt. *inscrutans.*
In reliquis. Eras. Gall. et Feuard. et *in reliquis.*
Initio. Arund. et edit. Oxon. *in initio.*
Generavit. Clarom. *generaverit.*
In quibus. Eras. Gall. et Feuard. *et in quibus.*
100. *Operas justas.* Arund. *opera justa.*
Repromisit. Clarom. et Pass. *promisit.*
Magias. Arund. *magicas.*
Magiæ. Arund. *magicæ.*
Recurrerit. Arund. *recucurrerit.*
P. 101. *Dixit.* Clarom. et Pass. *ait.*
Dæmoniorum. Editt. *dæmonum.*
Invenisse. Editt. *adinvenisse.*
Primo. Clarom. et Pass. *primum.*
Dispositionem hanc. In Pass. deest *hanc.*
Dissolveret. Pass. et Voss. *solveret.*
102. *Affingentes.* Arund. et Merc. 2. *affigentes.*
Imo magis. Editt. *imo et magis.*
103. *Ab eo.* Quidam mss. *a Deo.*
Ad eum Editt. *ad Deum.*
104. *Assentientibus.* Clarom. *consentientibus.*
105. *Qui sint.* Voss. *qui sunt.*
Hoc habes. In Pass. deest *hoc.*
Odisti. Merc. 2. *odis.*
Odi. Eras. Gall. Arund. et Merc. 2. *odio.*
108. *Raguel.* Clarom. *Ragahel.*
Eleleth. Eras. Gall. et Feuard. *Elelet.*
109. *Non potuisse eam.* In Eras. Gall. et Feuard. deest *eam.*
Sicut dicunt. Editt. *ut dicunt.*
Cognovisse. Pass. et Voss. *agnovisse.*
Et ipse. Et deest in Eras. Gall. Feuard. Pass. Arund. et Merc. 2.
Generarit filium. In Pass. deest *generavit.*
110. *Exsultantem.* Pass. et Voss. *exaltantem.*
Et angelos. Editt. omittunt *et.*
Participaret. Pass. *participarit.*
Et pinguius. In Editt. et Voss. Arund. et Merc. 2. deest *et.*
Semetipsos. Editt. cum Arund. et Merc. 2. *seipsos.*
Filiis suis... evertit. In Eras. et Gall. omisso *suis, vertit.*
112. *Nec enim. Enim* deest in Voss.
113. *Timore.* Editt. *tremore.*
Sumus nos. Nos deest in Eras. Gall. Arund. et altero Merc.
Adduxit. Clarom. et Pass. *perduxit.*
116. *Est aliquid.* In editt. Eras. Gall. et mss. Arund. et Merc. 2 omissum *est.*
Hoc non. In iisdem deest *hoc.*
Extra pleroma esse. In Clarom. deest *esse.*
Et pleromata. Eras. Gall. Feuard. Pass. et alter Merc. omittunt *et.*
117. *Qui non possunt... aliquid.* In Clarom. *possint.* In Voss. deest *aliquid.*
118. *Enarravit.* Eras. Gall. et Feuard. *narravit.*
119. *Hæc et facta sunt.* In editt. deest *et.*
Alteri. Eras. Gall. cum Clarom. Arund. et Merc. 2. *altero.*
120. *Abscindere.* Merc. 2 *abscidere.* Eras. et Gall. *abcidere.*
Et si. Eras. Gall. et Feuard. omittunt *et.*
Locum ostendere. Editt. *et locum est.*

Digitized by Google

P. 121. *Extra pleroma dicunt.* Editt. *dicent.*

Propter necessitatem. Eras. Gall. et Feu. *per necessitatem.*

122. *Continerentur.* Eras. Gall. et mss. Angl. *continentur.*

Nisi Editt. *nisi si.*

123. *Quæ sursum est, emissionis.* Clarom. et Voss. *emissio.*

Ignoravit autem et ea. In Arund. deest *autem.*

Qui sunt intra pleroma. Clarom. Arund. et Voss. *quæ* pro *qui.*

Libro. Clarom. et Voss. *Liber.*

Parte eorum. Editt. *parte ipsorum.*

124. *Natura malos.* Eras. Gall. et Feu. *et natura malos.*

Et reliquorum corrumpentia. Clarom. et Pass. *reliquorum, et corrumpentia.*

Et Æonas. Et omissum in Eras. Gall. Arund. et Merc. 2.

Imago sit. Clarom. et Voss. *imago est.*

Ad quorum. Feu. in marg. Clar. et Pass. *ad aliquorum.*

Nisi. Editt. *nisi si.*

Quæ... sunt. Clar. Arund. et Merc 2. *qui... sunt.*

In circumscriptione. In deest in editt. Eras. et Gall. ac mss. Clarom. et Pass.

125. *Hoc quod.* In Arund. et Merc. 2. deest *quod*; in Eras. vero et Gall. *hoc.*

Obumbretur. Voss. *umbretur.*

Separata sint. Editt. cum Pass. Arund. et Merc. 2. *separata sunt.*

Uti ne. In Arund. *ut*; in Voss. *ne.*

Itaque. Voss. *ita quod.*

126. *Simone.* Clarom. Voss. et Merc. 2. *et Simone.*

Ethnicis. Eras. Gall. et Merc. 2. *et ethnicis.*

Qui non sunt dii. Arund. et Merc. 2. *quæ non sunt dii.*

Adinventus. Voss. *inventus.*

Transfiguranles. Clarom. *intransfiguranles.*

127. *Deciderunt.* Editt. cum Voss. Arund. et Merc. 2. *ceciderunt.*

Irrisione. Eras. Gall. Arund. et Merc. 2. *risione.*

Is. Editt. *hic.*

Hanc universitatem. In Voss. deest *hanc.*

Veritatis. Editt. *et veritati.*

Arbitrati sumus. Arund. *arbitrantes,* absque *sumus.*

Tantum. Deest in Arund.

128. *Enumerari.* Eras. Gall. et Feuard. *annumerari.*

Triacontadem. Editt. cum Arund. et Merc. 2. *triacontada.*

Sine illo. Eras. Gall. et Clarom. *sine illo.*

129. *Sed aut Sigen.* In Clarom. deest *sed.*

Enumeratur. Eras. Gall. et Feu. *annumeratur.*

131. *In aliquid.* Editt. cum Voss. Ar. et Merc. 2. *in aliquod.*

Dicunt eum. Merc. 2. *dicunt eum.*

Radium dicant. Editt. cum Voss. Ar. et Merc. 2. *dicunt.*

P. 131. *Quidnam.* Clarom. et Voss. *quid.*

Illum dicant. Eras. Gall. et Clar. *illum dicent.*

Qui est. Est omittunt Eras. Gall. Feu. et Voss.

Ignorabunt, Cod. Arund. cum Feuard. edit. 1576, *ignorabant.*

Hæc dixerint. Clarom. et Voss. *hoc dixerint.*

Et circumdantem. In Voss. deest *et.* In Clarom. pro *et* legitur *eum.*

Est spiritalis. In codd. Clarom. et Voss. desideratur *est.*

132. *Accidunt.* Clarom. *accedunt.*

133. *Et hi ipsi.* In Merc. 2. deest *et*; in Voss. *hi.*

Imagines eorum. In Clarom. deest *eorum.*

134. *Et hoc.* Eras. Gall. et Feuard. omittunt *et.*

135. *Qui prædicti sunt.* Er. Gall. et Feu. omittunt. *qui* et *sunt.*

Numquid. Clarom. *an numquid.*

Non cognovisse. Clar. *non agnovisse.*

Monogenem. Eras. Gall. et Feu. *et Monogenem.*

Libro. Clarom. Voss. Eras. et Gall. *liber.*

136. *Horum imagines.* Eras. Gall. et Feuard. *eorum imagines.*

Talia. Clarom. et Voss. *alia.*

Quid quia ex Logo. Er. Gall. *quid qui a Logo.*

Sex. Voss. *septem.*

137. *Supra pleroma.* Eras. Gall. et Feu. *super pleroma.*

In eo Deo. In Voss. deest *eo.*

Super ea. Clarom. et Feu. in marg. *supra ea.*

Alius Deus. Deus non legitur in Eras. Gall. Arund. et Merc. 2.

Hoc idem. In Merc. 2. deest *idem.*

Super omnia. Editt. *supra omnia.*

Quæ sunt deorsum. In Clarom. *sint* pro *sunt.*

138. *Quæritur.* Clarom. et Voss. *quæretur.*

139. *Omnes erant.* Eras. Gall. et alter Merc. cod. *erunt.*

Sapientiam. Voss. et Merc 2. *Sapientia.*

Profundo. Eras. Gall. Arund. Ottob. et Merc. 2. *profundum.*

141. *Propter hoc.* In Feuard. marg. Voss. et Clarom. *propterea.*

142. *Et qui.* Eras. Gall. et Feu. *Et hi qui.*

Quæ erga pleroma. Clar. *qui,* etc.

144. *Quicumque accipiet.* In Er. Gall. et Feu. *et quicumque.* In Clar. et Voss. *accipit.*

Liberabit. Clar. Voss. Gallas. et Feu. *liberavit.*

Ea quæ. In Merc. 2. *hæc quæ.* In Voss. neque *hæc,* neque *ea* comparet.

Deminoratione. Clar. Arund. et Merc. 2. *deminutione.*

Ne a Patre. Arund. *nec a Patre.*

Nec Mater. Clarom. *neque Mater.* Alii, *aut mater.*

P. 131. *Converterunt.* Clarom. Arund. et Merc. 2. *convertunt.*

145. *Autem noster.* In Clar. et Voss. deest *noster.*

In incorruptionem. In deest in Eras. et Gall.

Neque duodecimus. Eras. Gall. et Feu. *nec duodecimus.*

146. *Et tricenarius.* In Arund. et Merc. 2. deest *et*

147. *Credunt ei. Ei* deest in Voss. et Merc. 2.

Fiunt. Clarom. *fiant.*

Ubi est. Clarom. omittit *est.*

147. *Subsequitur.* Voss. *sequitur.*

Quæ est. Desunt in Eras. et Gall.

Convenire in Hierusalem. In deest in Eras. Gall. et Feuard.

XXXVIII. Clarom. et Merc. 2, XXX *et* VIII.

Iterum inde. Eras. Gall. et Merc. 2. omittunt *iterum*; Clar. et Voss. *inde.*

Satiavit. Clarom. *satiat.*

Ascendens. Voss. *ascendit.*

Cum veniret. Merc. 2. *cum venerit.*

Sed et secundum. Eras. Gall. et Feu. omittunt *et.*

148. *Contra semetipsos.* Clar. Voss. et Merc. 2. *contra semetipsum.*

148. *Ipsi qui.* Editt. cum Arund. et Merc. 5. *ipsi autem qui.*

Autem annum. In Clar. et Voss. deest *annum.*

Attigit. Voss. *tetigit.*

Absistat. Arund. et Merc. 1 *absistit.* Alii, *abstitit.*

149. *Omnino.* Feuard. in marg Clarom. et Arund. *omnimodo.*

150. *Numerus eorum.* Clar. et Voss. *numerus autem eorum.*

Secundum enim. Eras. Gall. et Feu. *secundum autem.*

Corruit. Arund. Merc. 2. Er. Gall. et Feu. *ruit.*

Prout provenit. Frustra, temere ; Gr. ὡς ἔτυχε, 253 et alibi.

Providentiam habere alicujus rei. Curam gerere alicujus rei. *Morum providentiam habere.* Instituendis componendisque moribus operam dare, 223.

Providere. Prævidere, 228.

Provisa. Prævisa, præscita, 159.

Prudens Cognoscens, cognitione prædita, 145.

Prudentior. Doctior, intelligentior, 198.

Psychicus, ψυχικός. Animalis, 24 et alibi passim.

Q

Quæcunque evenerint omnia, τὰ τυχόντα πάντα. Quidquid temere occurrerit, 62.

Quam, ἤ. Sive, vel, 34 et alibi particulam Græcam ἤ perperam vertit interpres, *quam.*

Quanto magis. Pro *quanto minus*, 117 et alibi.

Quassum. Quassus, concussus, us, 269.

Quatenus, ἐπεί. Quandoquidem, quoniam, 3.

Quaternatio, τετραχτὺς, τετράς. Quaternitas, quaternarius numerus, 5 et alibi.

Quilibet, quælibet. Levis, modicus ; a Gr. τύχων, τύχουσα, 272 et alibi.

Quoniam. Pro *quod.* Passim occurrit.

R

Recapitulans, ἀναχεφαλαιούμενος. In summam redigens, summatim colligens, 44.

Recapitulare, ἀνακεφαλαιοῦν Instaurare, renovare, quidpiam alicui veluti capiti copulare, summatim colligere, in summam redigere. Frequenter occurrit.

Recirculatio. Reflexio quæ fit circuitu quodam, 220.

Recommemorare aliquem. In mentem alicui revocare, 312.

Recumbere. Discumbere in mensa, et mortuum jacere ; Gr. ἀνακεῖσθαι, 259, 269.

Recurre, ἀπότρεχε. Abi, 91.

Recurrere, ἀναδραμεῖν. Ad supera se recepisse, 18 et alibi.

Redditio. Explicatio, accommodatio ; Gr. ἀπόδοσις, 150.

Redemptio, ἀπολύτρωσις. Dimissio, exodium, 47 et not.

Redemptio, ἀπολύτρωσις. Profanus initiationis ritus, quo suos consecrabant Gnostici, 64, 93 et alibi.

Redemptor, Λυτρωτής. Hori Valentinianorum cognomen, 13.

Redhibitus. Instauratus, restitutus, 311.

Refrigerare, ἀναπαύεσθαι. Requiescere, 32, 35, 108, 168.

Refrigerium. Requies ; Gr. ἀνάπαυσις, 204 et alibi.

Refrigerium. Requies, relaxatio ; Gr. ἄνεσις, 265.

Refutare, παραπέμπειν. Spernere, negare, rejicere, repudiare, 3, 202, 295.

Regnari sub aliquo. Regi alicui subesse, sub ejus imperio esse, ab eo regi ; Gr. βασιλεύεσθαι, 275, 321.

Regredi, ἀναδραμεῖν. Recurrere, ascendere, 10 et alibi.

Regressio, ἐπιστροφή. *Accepisse regressionem*, λαβεῖν ἐπιστροφήν, i. e. meliorem mentem induisse, 10.

Regula. Principium, argumentum, hypothesis, 123 et alibi.

Relevatio, διυλισμός. Percolatio, expurgatio, 73

Religio Dei, θεοσέβεια. Dei cultus, 83.

Reliqua, τὰ ὅλα. Universa, 53.

Rememorare. Recognoscere, in pristinum ordinem restituere, digerere ; Gr. ἀνατάξασθαι, 216.

Rememorari. In memoriam revocare, meminisse, 111, 273.

Reminisci, ἐπιμιμνήσκεσθαι. Meminisse, mentionem facere, 17.

Remitti, ὑποβάλλεσθαι. Submitti, immitti, 95.

Remitto, ἀφίημι. Dimitto, sino, 38, 43.

Remitto, ἀπολύω. Dimitto, 40, 43.

Renuntiare, ἀποτάξασθαι. Valere jubere, nuntium remittere, dimittere, 38.

Resipisse. Pro *resipuisse*, 109.

Restauratio, ἀποκατάστασις. Restitutio in integrum, 95.

Restruere. Instaurare, restituere, 275.

Retardare. Cavillationibus implicare, negotium facessere ; Gr. ἀναβάλλειν, vel ἐπέχειν, 302.

Retractare. Ambigere, dubitare.

Digitized by Google

disputare; Gr. διαλογίζεσθαι, ἀναβάλλεσθαι, διστάζειν, παραιτεῖσθαι, 305.

Revolvere, ἀναπτύσσειν. Explicare, 51.

Rhodanenses regiones, κλίματα τῆς Ῥοδανουσίας. Lugdunensis tractus, 65. Vide not.

Rhythmizari. Apte disponere, ordinare, 136.

Rhythmizatio. Concinnus ordo, apta dispositio; a Gr. ῥυθμός, 136.

S

Salvator, Σωτήρ. Jesu Valentinianorum cognomen, 13 et alibi sæpe.

Sapiens in tumore, οἰησίσοφος. Falsa sapientiæ opinione sese venditans. Qui sibi ipsi sapiens esse videtur, 83.

Scarizare. Reptare, reptando saltare; ex Græco σκαρίζειν, 100, 110.

Secundum, περὶ, κατά. *Qui secundum nos sunt*, pro *nostri*, vel *qui nostra ætate vivunt*. *Qui secundum nos est mundus*, pro *mundus hic noster*. *Dispositio quæ est secundum Saram*, pro *dispositio pertinens ad Saram*, *dispositio Saræ*, *quod evenit Saræ*, etc. Hellenismi apud Irenæum et ejus interpretem frequentes.

Secundum demissionem, κατὰ κάθετον. Ad perpendiculum, 86.

Secundum subsequentiam. Consequenter, 150.

Secundum unumquemque, καθ' ἕν. Sigillatim, 55.

Sedet, pro *sedebit*, 323.

Seducibiles, ἐξαπατηθείς. Seductus, 62.

Seductus, χαννωθείς. Stulte de seipso sentiens, vanus, 61.

De semel. Simul et semel, una vice. Gr. εἰς ἅπαξ, καθάπαξ, ἐφ' ἅπαξ, 157.

Seminaliter, σπερματικῶς. Seminali ratione, 40.

Seminata, διεσπαρμένη. Disseminata, diffusa, 48.

Semotum. Insitatum, 329.

Sensatio. Intelligentia, intellectus, cognitio; Gr. νόησις, 130, 317.

Sensatio. Forma, 134 et not.

Sensibilia. Sensu prædita, 134.

Sensibilitas, αἴσθησις. Sensus; Ἵνα εἰς τὴν αἴσθησιν τοῦ ἀνθρώπου κατάθῃ. Ut ad hominis sensum laberetur, ut hominis sensum afficeret, 37, 76.

Sensibilitas. Notitia, intelligentia, cognitio; Gr. νόησις, 112, 122.

Sensuabilitas. Cogitatio, cognitio; Gr. νόησις, 130.

Sensuabiliter. Intelligibiliter, intellectualiter, quod intelligentia sola percipi possit; Græc. νοητῶς, vel νοερῶς, 316.

Sensus. Mens; Gr. νοῦς, 129, 130 et alibi.

Sensus. Intellectus, sapientia; Gr. νοῦς, 223.

In sensu. Sensibiliter, manifeste, 314.

Sententia, σύνεσις. Sapientia, 51.

Separata, ἀνακεχωρηκότα. Abstrusa, ab hominum notitia semota, 90.

Separatus, συσταλείς. Qui se contraxit, 53.

Sermo. Ratio; Gr. λόγος, 143.

Sige, Σιγή. Proprie, silentium. Ex Gnosticorum usu, secundi Æonis, Bythi conjugis, nomen. Passim apud Irenæum occurrit.

Similimembrius. Uniformis, idem, sibi in omnibus æqualis; Gr. ὁμοιόκωλος, vel ὁμοιομερής, 130.

Simplex. Purus, sincerus; Gr. εἰλικρινής, 216.

Sistere. Emergere, consistere; Gr. συνίστασθαι, 121.

Smyrna. Myrrha; Gr. σμύρνη, 151.

Sophia, Σοφία. Sapientia. Tricesimi Valentinianorum Æonis, Theleti conjugis, nomen, 7 et alibi sæpe.

Soter, Σωτήρ. Salvator. Jesu Valentinianorum cognomen, 13 et alibi sæpe.

In speculatu. In conspectu, coram oculis, 164.

Spiritus sanctus, Πνεῦμα ἅγιον. Virtus, ex Valentinianis, una cum Christo a Monogene seu Nu prolata, muniendi fulciendique Pleromatis causa, 11 et alibi.

Non stantia, ἀλλόκοτα. Monstrosa, absurda, 3.

Statuere sensum. Mentem figere, Gr. ἐρείδειν τὸν νοῦν, 137.

Status, σύστασις. Coagmentatio, 96.

Stauros, σταυρός. Vallum; Hori Valentinianorum cognomen, 10 et not.

Stigmata, κατεστιγμένη. Notis compuncta, 78.

Stillicidio temporis. Momento temporis, 165. Vide not.

Stultiloquium. Stultus, absurdus sermo, 157 et alibi.

Suadela, πιθανότης, πιθανολογία. Orationis illecebra, lepores, elegantia verba, persuadendi vim habentia. Item, oratio persuadendi vim habens, verisimilis, fallax, 4.

Suaderiter, πιθανῶς. Verisimiliter, ad persuadendum apposite, 2.

Suadibile, πιθανόν. *Verisimile*, *probabile*. Non suadibile, ἀπίθανον. Improbabile, non verosimile, 21.

Sua potestatis esse αὐτεξούσιον εἶναι. Arbitrii libertate præditum esse, 28.

Suasorium. Probabile, verisimile; Gr. πιθανόν, 149.

Suasorius, πιθανός. Verisimilis, ad persuadendum seu decipiendum appositus, fallax, 2.

Subinvolans. Dolosus, fallax; Gr. ἐπίκλοπος, 146.

Subjacere Deo. Penes Deum esse, Deo soli notum esse, 157.

Subministratio, ἐφόδιον. Auxilium, subsidium, argumentum, 1.

Subsistentia, σύστασις. Concretio, constitutio, 25.

Subsistentia, ὑποκείμενα. In ortum producta, exsistentia, 23.

Substantia, φύραμα. Massa, 39.

Substantia, ὑπόστασις. Coagmentatio, 68.

Substantia. Materia, 127.

Substantia. Forma, 134 et not.

Substitutio. Materia, 134 et not.

Subtililoquium. Subtilis sermo, argutiæ, 202.

Subtrahere, συστέλλειν. Contrahere, subducere, 18.

Succedere. Cedere, abire, 159, 160.

Sufficiens aliqua re. Contentus, 117.

Sufficientes esse, *sive idoneos esse*, ἱκανοὺς εἶναι. Satis ipsis esse, ipsis sufficere, 11.

Super. Præ. Frequenter occurrit.

Super hæc, ἐπὶ τούτοις. Post hæc, postea, 10.

Super tonum sagittantes, ὑπέρτονα τοξεύοντες. Arcu immodice contento jaculati, 84. Vide not.

Superfari, ἐπιλέγειν. Insuper effari, addere, 95, 96.

Superficium. Vestis quædam exterior, quæ exteris superponitur, 133.

Ex superfluo. Ex abundanti; Gr. ἐκ περίσσου, vel ἐκ περιουσίας, 149.

Supergredi, ὑπερβαίνειν. Transilire, despicere, nihil curare, 56.

Supergredi aliquem. Extollere se, efferre se super aliquem, præcellere alicui, 252, 330.

Supergredi leges. Transgredi, violare leges, 324.

Supergredi ordinem. Non servare ordinem, violare ordinem, 330.

Suppedito. Adsum, provenio, 127.

Susceptorium, ἐκδοχεῖον. Receptaculum, conceptaculum, 65.

Suspicari, ὑπολαμβάνειν. Existimare, 21.

Suspicio, προσδοκία. Exspectatio, spes, 62.

Suspicio. Opinio, sententia, cogitatio; Gr. ὑπόληψις, 179, 190, 252.

Sustinere. Ferre, sinere, 99.

Syncrasis, Σύγκρασις. Contemperatio. Decimi sexti Valentinianorum Æonis, Acineti conjugis nomen, 6.

Synesis, Σύνεσις. Intellectus. Vicesimi sexti Valentinianorum Æonis, Ἀλήνου conjugis, nomen, 7.

Synesis. Intelligentia. Barbeliotarum Æon. Gr. σύνεσις, 168.

Syzygia, συζυγία. Conjugatio, 31 et alibi.

T

Tædium, λύπη. Mœror, tristitia, 10.

Digitized by Google

Temporalis, ὑπόγυιος. Recens, 45.

Teneo, κατέχω. Retineo, detineo, 89.

Tenere. Imperare, regnare ; Gr. κρατεῖν, 330.

Terrenus, ἐπίσαθρος. Infirmus, impotens, 65.

Testamentum. Societas, sodalitium, fœdus ; Gr. διαθήκη, 154.

Testamentum. Fœdus, pactum ; Gr. συνθήκη, 250, 261.

Tetras, τετράς. Quaternitas, quaternarius numerus, 15 et alibi.

Textus, εἰρμός. Series, 56.

Thelema, θέλημα. Voluntas, 57.

Thelema. Voluntas, Barbeliotarum Æon. Gr. θέλημα, 102, 107.

Thelesis, θέλημα, θέλησις. Voluntas, 56, 57.

Thelesis. Q. d. Volitio, Barbeliotarum Æon. ; Gr. θέλησις, 108.

Theletus, θελητός, Voluntate expetitus. Vicesimi noni Valentinianorum Æonis nomen, 7.

Traducere. Convincere, in medium proferre, detegere, confutare ; Gr. ἐλέγχειν, 291, 318, 319 et alibi.

Traductio. Detectio, patefactio, declaratio ; Gr. ἔλεγχος, 173.

Traductus. Detectus, reprehensus ; Gr. ἐλεγχόμενος, 179.

Tragœdia, τραγῳδία. Fabula, nugæ, insania, 20.

Transducere, παράγειν. Transducere sensum, παράγειν τὸν νοῦν, i. e. seducere mentem, 2.

Transfictio, παραποίησις. Falsitas, 43.

Transfigurare, μεθαρμόζειν. Convertere, detorquere, 92.

Transfigurare. Transmutare, transformare. 153 et alibi.

Transfigurari. Transformari, transferri, 55.

Transfingere, μεταπλάττειν. Transmutare, refingere, 36.

Transgredi. Transire. *Transgredi per omnes actiones*, transire per omnes actiones, omnes experiri, omnibus defungi, 103.

Transitorium. Per quod res transit, via, canalis, 296.

Transpositio, μετάθεσις. Translatio, 40.

Transvertio, παρατρέπω. Detorqueo, 44.

Triacontas, τριακοντάς. Tricenarius numerus, 81 et alibi.

Trias, τριάς. Ternarius numerus, 82.

Tripartite, τριχῆ. Trifariam, 7.

Turbula. Procella, tempestas, 334.

U

Umbra. Vide *Vacuitas*.

Ungula. Aromatis genus ; Gr. ὄνυξ, 151.

Unigenitus. Vide Monogenes.

Unitas, ἕνωσις. Unio, conjunctio, 89.

Ut, pro *utpote*, 11.

Ut obvenit, provenit, evenit. Fortuito, temere ; Gr. ὡς ἔτυχε, 270 et alibi.

V

Vacue, κενῶς. Vane, inaniter, 62.

Vacuitas, κένωμα. Vacuum. Spatium inane quod extra Pleroma fingebant Valentiani, quod etiam *umbram*, σκιάν dicebant ; quod lucis expers esset, 18 et alibi.

Vacuum. Vide *Vacuitas*.

Vacuus, κενός. Inanis. 62.

Vacuus, Inutilis, vanus, inanis ; Gr. κενός, 161, 222 et alibi.

Vaniloquium. Vanus sermo, nugæ, fabulæ, 144 et alibi.

Varie. Multifariam, alio et alio modo, ita ut verba diversis sensibus obnoxia esse possint ; Gr. διαφόρως, 174.

Varietas. Versutia, vafrities, 288. Hinc interdum *varie*, pro *vafre*, *subdole*.

Varius, ποικιλτός. Opere vario contextus, 89.

Velle, pro *malle*, 248.

Verbum. Ratio ; Gr. λόγος. 143.

Propter verecundiam, δι' αἰδώ. Præ pudore, 37.

Vesanior, ἀσημότερος. Ignobilior, 26.

Veterinaria. Ars curandi veterinaria seu sarcinaria jumenta ; Gr. κτηνιατρική, 165.

Viatica. Subsidia, auxilia, argumenta, 113, col.

Vigere. Adolescere, roborari, invalescere ; Gr. ἀκμάζειν. 336.

Violentium, pro *violentorum*, 249.

Vitreum, ὕαλος. Pro *vitrum*.

Vulsio. Surculus, ramus a trunco avulsus ; Gr. ἀπόσπασμα. 188.

Z

Zelos. Æmulatio. Gr. ζῆλος, 108.

Zoe, Ζωή. Vita ; ex Valentinianorum usu sexti Æonis, Logi conjugis, nomen est. Frequens apud Irenæum.

INDEX

RERUM ET SENTENTIARUM

QUÆ

In Irenæi Operibus, Appendice et Dissertationibus prævviis continentur.

Numerus Romanus paginarum notas significat inter uncos in prolegomenis positas ; Arabicus Lectorem ad numeros crassiores revocat.

A

Aaron, cur non lepra, sicut Maria, percussus? 348.

Abel. De Abele et Caino quid effutiebant Caiani? LXXVI. In Abel justorum persecutiones significatæ, prædicatæ a prophetis, in Christo perfectæ, 276. Ejus sacrificium cur Deo acceptum, 250. Abelem justum Deus Caino injusto subjecit, cur, 231.

Abraham a quibus philosophiam edoctus? per eum ad Palæstinos sive Chananæos, tum ad Ægyptios devenit : ipse rerum astronomicarum peritissimus fuit, XXII. Abraham absque legalium observatione per fidem justificatus, 246, 261. Ei, nec Christus, nec Christi Pater incognitus ; a quo didicerat, 235. Ad Abraham et Moysem Filius Dei in forma humana locutus est, quem Judæi nescierunt, 236. Abrahami verbi Dei præcepto fidelis, in quo, 232, 233. Verbo Dei libere obediens, amicus Dei factus est, 245. In Abraham homo verbum Dei sequi prædidicit, quomodo, 233. Propter fidem suam per Christum servatus, 235. Ex tribus qui Abrahæ apparuerunt, unus fuit Filius Dei, quem adoravit, 235. Abraham propheta Christi incarnationem ac passionem in spiritu vidit, et gavisus est, 235, 235. Ejus exultatio ad nos manans, et in ipsum regressa ; quomodo, *ibid.* Abrahæ cur a Deo circumcisio data, 246. Ejus circumcisio et ante circumcisionem fides, utriusque Testamenti figura, 261. Abrahæ semen per circumcisionem servatum, 198. Abraham credentium omnium pater, tam ex circumcisione, quam ex præputio, 253, 238, 239, 261. In ejus fidem Christus lapis angularis collegit utriusque Testamenti fideles, 261. In Abraham præsignata fides nostra, 257, 258. Abraham et posteri ejus a salute exclusi, ex Marcione, 106. Refellitur, 236. Abrahæ factas promissiones Christus implevit, quomodo, 235, 236. Earum effectum, justorum animæ sortituræ in hac terra, quando et quomodo, ex Irenæo, 331, 332. Non Abrahæ tantum sed

Digitized by Google

et seminis ejus, fidelium scilicet, Christus Salvator et vindex, 216. Abraham, Moyses, prophetæ Christusque ipse ex una substantia, quo sensu? 229. Gnostici contradicentes refelluntur, *ibid.*

Abraxas Basilidianorum, quid? 102.

Academicorum spreto nomine, quinam Platonicorum nomen sibi vindicarunt, XXIII. Academicorum nomen sectatoribus Arseciæ relictum, XXIII.

Achaiæ Ecclesiæ Romanæ consentiebant in disciplina Paschatis, LXXXV. Achaiæ synodo contra Asiaticos quisnam præfuit? LXXXIV.

Achamoth, Enthymeseos superioris Sophiæ nomen, 18. Varia ejus nomina, 25. Ogdoas appellata, 21, 186. Valentinianorum mater, 21. Ejus sedes, 25. Achamoth a Pleromate submotæ, formæ, figuræ et lucis expertis calamitas, 18. Huic essentiæ, non scientiæ formam primum indidit superior Christus; cur, *ibid.* Lumen, quod eam deseruerat, investigantem coercet Horos, 19. Hinc multiplex ejus perturbatio, *ibid.* Quibus Scripturæ locis significata, ex Valentinianis? 37, 39, 40. Ex iis perturbationibus, materiæ ex qua hic mundus conflatus est, essentiam ortam dicebant, *ibid.* Id suo quisque modo, nec gratis exponebant, 20. Commenta eorum deridet Irenæus, 20, 21. Achamotha ex perturbationibus emergens, ad Christum rogandum convertitur, 21. Salvator angelis satellitibus stipatus ad eam mittitur, *ibid.* Scientiæ formam ab eo accipit, ac perturbationibus liberatur, 22. Hæ in rerum omnium materiam transmutantur, *ibid.* Duplex ex iis perturbationibus orta substantia, bona et mala, *ibid.* Ex metu et conversione, res anima præditæ, 25, 160. Achamotha angelos Salvatoris comites intuita, partum spiritalem ad eorum imaginem edit, 22, 23, 160. Spiritale informare non potest; cur, 23. Partus ejus spiritalis in Demiurgum clam depositus, et per eum in hominem; quam ob rem, 27, 28? Achamoth ad animalis substantiæ formationem se confert, 23. Ex ea Demiurgum format, *ibid.* Doctrinas a Salvatore profectas in lucem edit, *ibid.* Ad Æonum honorem et imaginem omnia facit, *ibid.*, 161. Demiurgo ignota, *ibid.* Per hanc operatur Salvator, *ibid.*, 161. Invisibilis Patris imago est, *ibid.* Demiurgi erroris causa, 23. E medietatis loco in Pleroma ingressura, sponsum suum Salvatorem acceptura, quan o? 32, 159. Ejus imago non sunt res creatæ, 121. Achamothæ fabula a Marco mago explicata, 68. Achamothæ integra fabula Valentino propria, XXI. Achamoth cum ogdoade sua, dii minores gentilium, 133. Achamothæ tota fabula, quomodo in Platonicorum de mundi anima placitis adumbrata, XL, et seqq. Ex Achamothæ tristitia qui condi potuerit angelus spiritalis, nodus hypothesis Valentinianæ solutu difficilis; saltem quo secetur, nihil ministrat philosophia Platonica, XLIII. Undenam ergo solvi potest? *ibid.* et XLIV.

Achilleus diaconus et martyr, Irenæi discipulus, Valentiam ab eo mittitur, LXXXIV.

Acinetos, Valentinianorum Æon, Logi et Zoes proles, 6. Ejus conjux, *ibid.* Unus ex decem Æonibus a Logo genitis, XVII. Aniceti et Syncraseos ei copulatæ nomina e Scripturis a Valentino quomodo corrasa, XXIX.

Actiones omnes et cibos ex se indifferentes esse, Cynicorum et Valentinianorum doctrina, 134. Actiones humanas non ex natura, sed ex sola hominum opinione bonas aut malas esse, Gnosticorum omnium principium, 29. Carpocratianorum in primis, 104. Refellitur, 165. Omnes, etiam scelestissimæ, cuilibet in hac vita experiendæ, ex iisdem, cur? *ibid.* Flagitiosum dogma, Christi doctrinæ et rationi repugnans, 165. Actionum mentis ordo et series, ex Irenæo, 130. Actiones mentis, a mente aut a se invicem non re aut substantia differunt, sed modo et nomine, *ibid.*

Adam in paradiso versatum, quidpiam ab eo sumpsisse dicebant Valentiniani, 23. De Adami et Evæ lapsu et instauratione, Ophitarum et Sethianorum deliria, 110, et seqq. Adamus primiformis homo a quo cæteri homines appellati, 220. Adam a Deo creatus, ut haberet quem suis ditaret beneficiis, 213. Christi typus a Paulo dictus, quo sensu? 219. Sub Adam testamentum a Deo datum, 191. Adam imbecillior, fortior vero Eva in transgressione præcepti, quomodo hæc digna venia fuit, ille minus? cur? 344. Adam æternam salutem consecutum esse negant Tatianus et Continentes, 107. Quo Scripturæ loco abutebantur, 222. Refelluntur, *ibid.* Adamum a Christo præ cæteris salutem consequi debuisse, quomodo probatur, 220, 221, 222. Nisi salutem consecutus est, adhuc in perditione est omnis homo, *ibid.* Mors non juste absorpta dicitur, *ibid.* Ejus salus est evacuatio mortis, *ibid.*

Adam statim post lapsum pœnitens, quomodo? 221. Ob id venia dignus, 222. Adam cur a Deo statim post lapsum interrogatus? 221. Serpens vero minime, cur? 222. In Adam proprie lata non est maledictio; sed in terram, 221. Et serpentem, *ibid.* Cur e paradiso expulsus, mortique factus obnoxius, 222. Adam per peccatum vita privatus, per incarnationem, victo rursus diabolo, eamdem recuperavit? 222. Initium morientium factus, 220. Qua die Christus mortuus est, eadem et ipse per prævaricationem, 320 In Adam percussus est omnis homo, 334. In Adam amissum quid, id in Christo recuperatum, 209. In Adam mortuos nos Christus vivificaturus venit, 306, 307, 312. Adamus Christo opponitur, quomodo? 220. Adami procreationi Christi generatio similis esse debuit, quare? 218. In secundo Adam usque ad mortem obedientes facti, eidem Deo Patri reconciliati sumus, quem in primo Adam offendimus, non obedientes ei, 313, 318, seqq.

Adamas, hominis perfecti Barbeliotarum nomen, 108.

Adonai quid significat, ex Irenæo, 170 et not.

Adoptionis spiritum quinam accipiunt? 228. Adoptionis filiorum munus, incarnationis fructus, 212.

Adriano imperante late sparsa famosaque Valentini secta, XVI. Sub Adriani imperio hæresim suam confirmavit Epiphanes, juxta Theodoretum, quid inde? XLVIII. Ab Adriano facta Antinoi apotheosis, quo an o? XV. Ab Adriano bellum Judæis, Barcocheba duce, rebellibus illatum, idemne cum bello a Justino memorato in Dialogo? XV.

Adulterium qui vult committere, adulter est, etiamsi non consequatur effectus, fatente Basilide, 349.

Adventus Christi Domini duplex, 48. A prophetis prænuntiatus, 273, 274. In adventu secundo justi omnes e somno excitandi et in regnum a Christo constituendi, 269.

Ægyptii. Ad Ægyptios per quem devenit philosophia, XXII. Ægyptiorum et Chaldæorum discipulos sese agnoverunt, qui primi e philosophis Græcis de rebus cœlestibus disseruere, XXII. Ægyptiorum quænam doctrina de rerum principiis? hæc antiquissima, juxta Jamblichum XXV. Cum Valentinianorum hypothesi optime et per omnia congruens, XXVI, et seqq. Ægyptiis Platonici cur præ cæteris commendati? XXIII. Ægyptiorum sapientia ante Ptolemæum Hierophantis et Ægyptiaco idiomati concredita, jussu ejus et cura, cum sacris Judæorum libris in Græcum conversa est, cur? XXIII. Ab Ægyptiaca, Chaldaica, Pythagorica, seu his omnibus permista Platonica theologia rudiora saltem suppeditata Valentiniani Pleromatis lineamenta, XXV, et seqq. Ægyptii de Horo quid fingebant et quomodo ab his depictus, XXX. Ab Ægyptiis metempsycosis primum excogitata, ad Græco posteatransiit, XXII LXI. In Ægypto Valentini hæresis orta diu antequam Romæ nota esset, XIV, XV, XVI. Ægyptiorum spoliatio, cujus typus fuit? 267, et seqq. Ab Ægyptiis juste abalienatum quod Hebræis pro laboris pretio debitum erat quomodo probatur, 267. Quas Ægyptii in Hebræorum egressu olim acceperunt plagas, easdem gentes accipiunt in Apocalypsi, 268. Sicut per Ægyptiorum Israelitæ, ita et nos per Judæorum cæcitatem, salutem accepimus, 269. Egressus Hebræorum ex Ægypto, Ecclesiæ egressus ex gentibus quomodo typus? 268.

Ænos, Valentinianorum Æon, hominis et Ecclesiæ proles, 7, XVII. Nomen ejus et proprietates unde hauserò Valentiniani? XXIX, XXX.

Æones. Æonum Valentinianorum ortus, conjugationes et nomina recensentur, 5 et seqq., 3.5, et seqq., XVII. Triginta sunt, 7. Numeri hujus mysteria et figuræ, secundum Valentinianos, 7. Æonas suos quoluplici nomine nuncupant Gnostici, 228. Eorum primigena tetras postremæ tetradis, nec non cæterorum radix, quomodo? XVII. Æones Valentinianorum, masculo-feminæ, 6. In gloriam Patris emittuntur, 6. Octo priores, paternæ gloriæ illustrandæ causa, alios edunt, 6. Eorum mysteria et figuræ, 14 seqq. Taciti et ignoti, 7 et not. Omnes, præter Nun, magnitudinem Propatoris ignorant, 7, 8. Ne cognoscant prohibet Sige, *ibid.* Undenam cognoscendi Patris æstus, XVII. Æonum superiorum forma inferioribus ignota, 67. Æonas quid docuit Christus, juxta Valentinianos? 228. Omnes a Spiritu sancto exæquati, 12. Ad producendum Jesum simul conspirant, 12. Ad eorum honorem et imaginem omnia facit Achamoth, 24. Angeli et archangeli a Demiurgo conditi, eorum imagines, 24. Ab Æonibus 30 derivasse Virtutem illam, quæ præ temeritate defecit, negabat Secundus, in eo a Ptolemæicis et Valentino discrepans, cur? XLVII. Æonis perturbati nepotes, Valentiniani, 141, 142. Æonum basilidis ortus et nomina, 111. Æones sub allegorica litterarum et syllabarum farragine a Marco mago traditi, 66 seqq. Æonum prima et secunda quaternitas, decas et duodecas, quibus Moysis locis adumbratæ, ex Marcositis, 87, 88, 89. Tricenarius numerus in homine adumbratus, ex Marcositis, quomodo, 87. Quibus Moysis locis significatus, ex iisdem, 89,

Digitized by Google

90. Æonum emissiones, a Valentinianis gratis excogitatæ, 135 Æonum emissionis et numeri ratio nulla redditi potest, 136, seqq., 138, seqq. Triginta esse non possunt; cur, 128, seq. Per Christum ætatis anno 30, baptizatum non significantur, 146. Æonum dodecadis typum non esse duodecim apostolos, 145 et seqq. Æones conjugati disjungi ab invicem non possunt, 128. Æones feminæ masculorum affectiones et virtutes sunt, non substantiæ aut personæ ab iis diversæ, 128, XXX. Inter Æones annumerari non possunt, 124, seq. Æon unusquisque cur a Valentinianis masculo-femina dictus, XXXIV. Æones quatuor, totidem syzygiarum capita, quo sensu ab Irenæo masculo-feminæ dicti, XXVIII. Æones non plus quam quindecim stricte loquendo, vel ad summum decem et novem esse possunt, XXXIV. Ad Æonum imaginem conditæ non fuerunt res creatæ, cur? 128 et seqq. Æon passioni obnoxius esse non potuit, 141, seq. Et Patris inquisitio passionis causa esse non potuit, 141. Æones omnes a labe ignorantiæ immunes, aut universum Pleroma eidem obnoxium, 138, seq. Æones Valentiniani, unde hausti? 133. Æones Simoniani, et octo priores Valentiniani e Platonicorum lacunis educti, LIV, LV. Æonibus 30 quatuor in Pleromate extra emissio. um seriem adjunctos undenam hauserunt Valentiniani, XXX. Æonum duodecim Valentinianorum, imagines dii duodecim ethnicorum, 136, 2. Nomina illorum minus congruentia quam duodecim deorum ethnicorum, 136. Sunt ipsi dii majores gentilium, 113. Æon qui erravit, fabricationis mundi causa juxta Gnosticos quosdam, 224. Æones decem a Verbo et Vita emissi, ex totidem vocibus Christi proprietates in Scripturis significantibus, a Valentino quomodo conflati? XXIX. Æones duodecim ab homine et Ecclesia emissi, ex totidem Spiritus sancti proprietatibus ac donis in Scriptura memoratis fabricati, XXIX. De Æonibus inferioribus dicta quæcunque fingunt Valentiniani, totidem segmina partim ex Scripturis et traditione misere dissecta, partim ex Platonicis dogmatibus collecta ac pessime, consuta, XXIX, seq. XL. Æonibus deorum nomen licet a Valentinianis tributum, ii tamen non totidem naturæ divinæ, aut unius et ejusdem naturæ personæ ab ipsis habiti, XXXII, XXXIII, XXXIV. Quid ergo intelligebant? *ibid.* et seqq. Colorbasi et Epiphanis sententia, XXXV. Æones ita unitos emittenti esse, ut soli radios, pauci tantum e Valentinianis existimaverunt, XXXVIII. Æones omnes, præter Nun, natura inferiores Patre et totidem ab ipso personæ distinctæ, XXXVII et seqq. Ipsissimos fuisse Platonicorum archangelos, imo et totum Pleroma spiritale, ab intelligibili Platonis mundo, ut exemplum ab archetypo, manasse, XXXVIII, XL.

Æram vulgarem quot annis antevertit natalis Christi? XV.

Ætas Christi, pene 30 annorum, cum docendi munus suscepit, juxta Irenæum, 147, 148. Ætas omnis a Christo sanctificata; quomodo? 147, seq. Ætates hominum, quinque, 147, 152. Ætas juvenilis a tricesimo anno incipit, ex Irenæo, 148. Ætas senilis a quadragesimo anno incipit, ex eodem, 148.

Æthelrius Lugdunensis ep. a Gregorio M. Gesta et Scripta S. Irenæi petit, CII.

Æthiopissa uxor a Moyse ducta, cujus rei typus? 257.

Affectio separari non potest ab eo cujus est, 141.

Affectiones et passiones hominum, dum cogitant, Deo perperam tribuunt Valentiniani, 130, 131, 132, 137, 138.

Agape, Valentinianorum Æon, Matrici conjux, hominis et Ecclesiæ proles, XVII.

Agape, mulier Marci Memphitani in Hispaniis discipula, LI.

Agathopodi cuidam una Valentini inscripta epistola, XVI, 353.

Ageratos, Valentinianorum Æon, Logi et Zoes proles, 6, XVII. Ejus conjux, *ibid.* Nomen ejus et proprietates unde mutuati sunt Valentiniani? XXIX.

Agnitio vera quæ, et quinam ejus characteres? 272, et not.

Agrippa Castor, primus omnium qui Basilidis errores confutavit, LX.

Alcibiade duce Cataphryges quomodo exorti, et quo anno? LXXIX.

Alcibiadi (S.) martyri persuasere Lugdunenses martyres mutare durum vivendi genus; cur? LXXIX.

Alcinous ex ore celebris Ammonii perpurgatam iterum ab eo Platonicam philosophiam hausit, XXIII.

Alethia Valentinianorum Æon, Nu conjux, 6. A Bytho et Sige emissa, 5, XVII.

Alexander papa, Evaristi successor, 176.

Alexander Libycus, unus e philosophis antiquis quorum libros circumferebant Gnostici, XXII.

Alexandria, uxor Carpocratis, Epiphanis mater, gente Cephalenia, XLVII, LXII

Alexandriæ scholam a se institutam Ptolemæus Philadelphus reddidit toto orbe percelebrem, XXIII. Alexandriam sub Ptolemæo Philadelpho confluunt variarum gentium philosophi, cur? XXIII. In eam inducit Potamon novum philosophandi genus, XXIII. Sectatorum ejus nomen, XXIII.

Alexandrina Ecclesia Romanæ consentiebat in disciplina Paschatis, LXXXV.

Allogenes, unus e philosophis antiquis quorum revelationes Gnostici palam ostendebant, XXII.

Alpes. Trans Alpes serius religio Dei suscepta, LXXXIII.

Altare. Ad altare Deus indesinenter vult offerri sacrificia, nobis, non sibi profutura, 251, 252. Altare in cœlis est ad preces et oblationes recipiendas, *ibid.*

Ambiguitates verborum studio exquisitæ, Joanni Baptistæ ab Heracleone affictæ, 364. Ambiguitas quæstionum quomodo solvenda? 126.

Ambitio Valentino ut et multis aliis hæreticis ruinæ occasio fuit, XVI.

Amelii et Platonis reges tres, tria forsan a Valentinianis assignata Pleromatis principia, XXVII.

Amida, caput Mesopotamiæ proprie dictæ, LXXXV.

Ammonius ex philosopho illustris factus Christianus, inordinato Platonicæ philosophiæ amore ductus, Christianæ religioni exitio fuit. XXIV. Sacræ Platonicæ successionis caput dictus, restauratæ Platonis Academiæ multum splendoris addidit, XXIII. Ex ejus schola quot celebres viri prodierunt? XXIII. Ammonius Neroni et Vespasiano synchronus, e schola Alexandrina sibi comparavit nomen, XXIII.

Amon, ab Ægyptiis vocatum Principium solo Monopatore Deo inferius, XXVI.

Amor Dei sincerus, libertatis evangelicæ character, 247. Amor Dei, justitia legis, 246.

Amplitudo Romanæ Ecclesiæ. Ab amplitudine Romanæ Ecclesiæ petita argumenta, quibus ratiunculis infirmare conatur Grabius, et quomodo ex Augustino refellitur? CXXV et seqq.

Anacletus, Lini successor, 176.

Anaxagoras, unus e philosophis ethnicis a quibus Valentiniani materiam systematis mutuati sunt, XXII. Dictus atheus et irreligiosus, 133. Ejus principia, 133. Ex subjecta materia omnia fuisse condita docuit, 133. Seminis spiritalis Valentinianorum auctor, 133.

Anaxilaus quis ab Irenæo memoratus? 60.

Anaximander, unus e philosophis ethnicis a quibus Valentiniani materiam systematis mutuati sunt, XXI. Ejus principia, 133.

Angeli superiores ac Deo proximiores, Dii vocati cur a Platonicis vocati? XL. Angeli immediate post archangelos positi, juxta Jamblichum, XL. Angeli mundani archangelis iidem mundanis subjiciebantur, juxta Platonicos, XLIII. De angelis et archangelis, Triade nescio qua mystica, aliisque sexcentis Platoni incognitis, quam subtiliter deinceps discipuli recentiores disputarunt! XXIV. In angelicum ordinem animæ quædam per deorum benignitatem evehebantur, juxta Jamblichum, quid inde? XLV. Angeli primis tantum et summis Æonibus a Simone et aliis Gnosticorum principibus immediate subjecti, quid inde? XXXVIII. Angelorum ordo multiplex, juxta Valentinianos et Gnosticos, XXXVIII; alii priores, intra Pleroma degentes, et Æones vocati; alii inferiores extra Pleroma, Salvatori satellites destinati; utrorumque etiam ordo multiplex, varia officia et veluti præfecturæ, XXXIX. De angelorum prævaricatorum casu et superbia a se auditis in Christianorum scholis, Valentiniani in nova sua cudenda hypothesi quomodo abusi sunt? XXXI, XXXII. Angeli et archangeli a Demiurgo Valentinianorum creati, iidem ac angeli seu dii mundani Platonicorum, XLIII.

Angeli, Jesu Valentinianorum satellites, 13. Ad eorum intuitum partum spiritalem edit Achamoth, 22, 23. Lumina dicuntur, 21, 143. Angeli inferiores, superiorum Pleromatis ministri, juxta Valentinianos, XXXIX. Angeli Salvatoris Valentinianorum, informes et imperfecti; cur? 142. Ad eorum imaginem concipi non potuit spiritale semen Valentinianorum, 142. Angelorum Pleromatis imago non sunt res creatæ, 124. Angelis mundi creandi ac regendi munus ut imponerent tum philosophi tum Gnostici, quodnam utrisque fuit commune principium? XLIII. Angelorum opificum mentibus a Patre supremo cur insculptæ rerum omnium ideæ ac formæ, juxta Platonem? XLIII. Angeli cur a veteribus Gnosticis omnibus ut mundi auctores, sic malorum omnium opifices statuti?

Digitized by Google

XXXI. Ab angelis factum esse mundum Simon magus primus dixit, 99, 126. Eadem Saturnini sententia, 100. Menandri, 100. Basilidis, 102. Carpocratis, 103. Angeli prophetiarum auctores, juxta eosdem, 99, 101, 102. Angelorum mundi fabricatorum princeps, Judæorum Deus veteris Legis auctor, ex Basilide, 101, 102. Angelis mundi creandi ac regendi munus revera imposuisse Valentinianos, unde eruitur? XLIII. Iis homines formidandi, ex Valentino; cur? 353. Angeli, septem cœli a Valentinianorum Demiurgo conditi dicuntur, 24. Angelus ipse Demiurgus, 24. Angeli et archangeli, imagines Æonum a Demiurgo facti, 24. Per angelos aut virtutes a Deo separatas conditus non fuit mundus, 98, 236, 316 et seqq. Inscio aut nolente Deo mundum creare non potuerunt, 117. Nec hominem, 253. Iis non indiguit Deus; cur? 98, 236. Angelorum et animarum humanarum substantiam natura sua immortalem esse, perspicue docuit Irenæus, LIII seq., 297. Angeli primum Deum ignorare non potuerunt; cur? 122. Quo nomine Filio et Spiritui sancto serviunt? CXXXII, 183, 256. Ipsis revelatur Pater a Filio Dei, 163. Angeli et homines, cur tales qui transgredi possent, a Deo creati? 282, 283. Ex angelis et hominibus cur quidam a Deo defecerint, quidam subjecti perseveraverint; quæstio Deo dimittenda, 158, seq. Angelos transgressores in terram delapsos in judicium, 246, veterum quorumdam sententia, 246 et not. Angelos ex subtiliori materia concretos esse sentire videtur Irenæus, CLII seq. Apostatas cum mulieribus stupri consuetudinem habuisse, Irenæi et aliorum quorumdam veterum Patrum sententia, CLIII, 246, not., 279. Idem opinatus est Heracleon, 374. Angelorum ruinæ quænam occasio fuerit? CLIII. Ad angelos stupratores et ad homines ab iis corruptos Henochum veluti prophetam et ministrum a Deo missum fuisse credidit Irenæus, 246, et not. Noe in divinæ legationis munere Henocho successisse credidit Tertullianus, 246, not. Angelos bonos ab Ecclesia nusquam ad virtutem miraculorum edendam invocatos fuisse, quam male ex Irenæo Grabius inferat! CLVI, seq. Angelorum multitudo laudem Deo, nascente Christo, canentium, Christi nati Salvatoris argumentum, 186. Hos ab Ogdoade venisse et Christi superioris descensionem manifestasse Valentiniani mentiuntur, 186. Refutantur, 186. Angeli, nascente Christo, unum Deum cœlestium et terrestrium factorem glorificaverunt, apud Lucam, 187. Christo Deo et homini testimonium reddunt, 235. Angeli a Synesio in Hymnis Æones vocati, quo sensu XXXIX.

Anguinei undenam dicti Gnostici quidam? An a Sethianis distincti? LXXIV. Eorum commenta, et unde petita? *ibid.* et seqq.

ANICETUS papa, Pii successor, 176. Anicetus, Pius, Hyginus, Telesphorus, et Sixtus cum Asiaticis, licet de Paschate a se dissidentibus, unitatem et pacem servarunt, 341. Aniceti cum Polycarpo circa Paschæ celebrationem controversia unitatem non scidit, 341. Morem suum apostolis uterque acceptum referebat, *ibid.* Anicetus Polycarpo in Ecclesia consecrandi munus honoris causa concessit, in unitatis et pacis signum, 341. Et quidem præsente se, *ibid.*, not. Sub Aniceto diem obiit Valentinus, XIV, XVI.

Anima. Animas humanas ex subtilissima materia concretas esse sensit Irenæus, CLXI, 143, 168, et not. Natura sua tamen immortales esse perspicue docet, CLIII, seq., CLXI, 168, seq., 209, 300, 301. Vide *Angeli*. An corporeum quemdam characterem et figuram post suam a corpore separationem servent? CLXI, 168 et not. Dei beneficio et voluntate immortales esse, quo sensu Irenæus et alii Patres interdum asseruerint? CLIV, seq. 169 et not. Eas animas quæ Spiritum S. in baptismo non acceperunt, tandem aliquando penitus interituras, impium Dodwelli commentum, CLIII seq. Irenæum dum sibi conciliare studet Dodwellus, vertendo aperte corrumpit, CLIV. Animam resurgere quo sensu dixit Irenæus? 251 not. Animæ immortalitas ab Heracleone negata, 373. Animæ non ipsa vi substantiæ suæ salvæ fiunt; cur? 159, 160. Animæ vim corpus remoratur, 167 seq. Animas justorum statim post suum a corpore discessum Dei conspectu frui, errans negat Irenæus; cur? CLXI seq., 330 et seqq. Tres earum stationes distinguit, CLXI, seq., 331. Non omnium eadem sors et sedes, CLXII, 337. Martyrum animas, singulari prærogativa, in cœlum statim recipi existimat, CLXII, 272. Anima sola consequitur salutem; corpus excluditur ex Basilide, 101, 102. De anima post dissolutionem corporis quid sentiebant Gnostici, carnis resurrectionem negantes? 330. Animabus corpora sua restituentur, omnesque prout in peccatis aut recte factis obierint, talia in resurrectione induent, 343. Soli animæ immortali vitam æternam largientem Patrem, non autem corporibus, quidam fingentes, quomodo refelluntur? 297, 316 seqq. Animas in alia atque alia transfundi corpora, ex quo Apostoli loco eruebat Basilides? 350. Animas e corporibus in corpora migrare, absurdum dogma rationi et fidei adversum, 167 seq. An Plato primus hujus auctor? 167, not. Eas oblivionis poculo potari, absurde finxit, *ibid.* Animæ motus et operationes ab ea non distinguuntur secundum substantiam, 160. Anima pars hominis esse potest, homo nequaquam, 299. Anima sola, et caro sola, et spiritus solus non hominem constituunt perfectum, sed tria hæc simul unita, 299 et not., 300. Quo sensu? not. CLX seq. Animæ si deest Spiritus sanctus, animalis vere homo est et imperfectus, Dei imaginem tantum, non vero similitudinem habens, *ibid.* Anima in homine media inter carnem et Spiritum sanctum, alterutri consentiens vel erigitur, vel in terrena proruit, 302. De anima duplici quænam Platonicorum dogmata? LXIII. Animæ mundanæ heroibus subjiciebantur, juxta Platonicos, XLIII. Animam humanam in duas partes factam, animalem unam, alteram spiritualem, non nisi post Platonicos finxerunt Valentiniani, XLIV. Animæ utriusque, superioris et animalis, sors diversa juxta Valentinianos, idque nec Platonicis ignotum, XLV. Anima multiplex juxta Isidorum hæreticum; quo sensu? 351. Animæ, quædam natura bonæ, quædam natura malæ, ex Valentinianis, 55. Animarum justarum, quæ post mortem sedes, ex Valentinianis? 52, 159, 160. Animæ appendices, quid ex Valentino? 353. Animæ a Pleromate exclusæ, ex Valentinianis; cur? 52, 159, 160. Animæ, ex principiis Valentinianorum, totæ in medietatem cedere debent, nulla pars in Pleroma, 160. Animæ spirituli-semine Achamothæ inspersæ, cæteris meliores, et Demiurgo chariores, ex Valentinianis, 55, 143. Refelluntur, 145 seq. In prophetas, sacerdotes et reges a Demiurgo constitutæ, 55, 54, 143. Absurdum dogma, 143 seq. Anima quævis Jesu anima melior et præstantior esse potest, ex Carpocratianis, quomodo? 103 seq. Castigatur hæc insania, 165 seq.

Animale cur ab Apostolo spirituli præponitur? 306. Animalis spiritalisque per quæ efficitur homo? 299, not., 306. Animalia munda et immunda, in lege quid significant? 301, 302. Animalem essentiam, seu animas omnes ex Achamothæ metu et conversione ortum accepisse dicebant Valentiniani. 19, 23, 25, 160. Ad hujus essentiæ formationem se confert, *ibid.* Ex ea Demiurgus formatur, *ibid.* Animalem esse Demiurgum, Valentinianos vero spiritales, abhorret a ratione, 142, 160 seqq., 162, 165. Animalia eo abeunt, ex Valentinianis, quocunque se inflexerint, 26. Animalia dicta a Valentinianis dextra, 23.

ANNA prophetissa, Achamothæ figura, ex Valentinianis, 40.

Anni, mensium et dierum divisio ad Pleromatis divisionem non quadrat, 152 seq. Annus, cur ex 365 diebus constet, ex Basilide? 101. Annus Domini acceptabilis, de quo Isaias, quid? 147.

Anthemusia, Mesopotamiæ latius acceptæ portio, LXXXV.

Anthropos, Propatoris nomen, ex Colorbasis, 59. Anthropos, Valentinianorum Æon, Nu proles, 6, XVII. Anthropos et Ecclesia duodecim Æones emittunt, 6. Eorum nomina, 6. Ab Anthropo et Ecclesia, Logo et Zoe virtutes emanatas generasse Jesum Marcosii asserebant, quo modo? XXXIX, 77. Anthropi veluti nepotem Salvatorem esse quidam e Valentinianis volebant; cur? XXXIX. Anthropi locum in incarnatione Altissimi virtutem adimplesse Marcosii asserebant, XXXIX, 77.

Anthropiani hæretici, 59, not

Antichristus quibus signis dignoscendus? 320. Antichristi diaboli organi iniquitas, superbia, ambitio, quæ? 322. Sedes ejus, Christo teste, 322. Potestas, bella, præstigiæ, juxta Danielem, 322, 323, et Apostolum, causam adventus ejus significantem, *ibid.* Impietas, *ibid.* Furor, et tyrannidis duratio, *ibid.* et not., 330. In Antichristum concurret omnis superiorum ætatum iniquitas et virtus apostatica, cur? 327. Ea diluvio, et deinceps in Ananiæ, Azariæ, et Misaelis persecutione, quomodo præfigurata? 327, 328. Sub Antichristo apostasia pristinæ infidelitatis et iniquitatis pœna erit, 326. Ejus adventus a Joanne quomodo significatus? 326 et seqq. Non virtute divina, sed magica operatione operabitur signa, *ibid.* Tribulatio hæc justis necessaria, 327. Per Antichristum Romani imperii dissolutio ac divisio, 323, 324. Antichristi nomen cur a Spiritu sancto non fuerit expressum? 330. Circa Antichristi nomen quidam erraverunt; cur? 328. Ahi aliis minus excusabiles, 329. Pluribus nominibus nume-

Digitized by Google

rus ejus convenit, 329, 330. Ea tamen non temere conficienda, 329, 330. Quis nominis ejus numerus? 327, 328 et not., 329. Anti hristum venit Christus conculcaturus, 223. Post Antichristi adventum implenda esse prophetarum testimonia de felicitate terrena sanctorum post resurrectionem, quomodo probat Irenæus? 335 et seqq. Antichristus est qui Christum dividit a Jesu, 206.

Antinoi apotheosis ab Adriano facta, quo anno? XV.

Antiocheni. Ad Antiochenos synodalis apostolorum epistola, præclarum eorumdem de Deo uno fidei monumentum, 199. Nullibi præterquam Antiochiæ sub Axionico, Tertulliani tempore, vigebat Valentinianismus purus, XLVII. Antiochiæ quænam de Paschate celebrando obtinuit disciplina usque ad concilium Nicænum? LXXXV.

Antipranes ab Irenæo memoratus, quis? 135 et not. Ejus doctrina, *ibid.*

Antoninus imp. Inter Antonini mortem et Eleutherii pontificatum quot anni intercessere? Tertullianus hac in re gravis anachronismi reus, XIV.

Apator, Demiurgi Valentinianorum nomen, 24.

Apocalypsis, a Joanne quo tempore scripta? 330. In Apocalypsi, a Joanne quomodo explicatur Danielis prophetia de mundi fine, 323. Apocalypsim ab Irenæo explicatam quo sensu Hieronymus tradit? CVI.

Apostoli ab eodem Deo missi ac prophetæ, 279. Apostoli omnes a Filio electi, a Patre edocti, 199 et not. Patrem et Filium ignorare non potuerunt; quare? 199. Apostolis omnibus nota fuit veritas, 199, 200 seq. Solam veritatem alios edocere potuerunt, 179. Sola apostolorum doctrina, vera est agnitio, 272 et not. Manifesta est, firma, una et eadem, ac sine dolo: non ita de Valentinianis, 199, 202, 203. Apostoli divino Spiritu prius afflati, quam prædicatores facti, 174. Iis non assentire quantum crimen! 174. Duodecastyjum firmamentum appellati, cur? 258, not. Duodecim rami propullulantes ex grano sinapeos Christo, gentibus quasi volucribus cœli tegmen præbuere, 347. Apostoli doctrinam ad audientium opiniones non accommodabant, 180, 195, 196, 198, 199. Apostoli Deum nullum alium agnoverunt, præter unum Deum et Patrem, mundi conditorem, et utriusque Testamenti auctorem, 195, 195, 196, 198, 199, 204, 228, 280, 322. Ab iis nonnisi Deus verus, Pater Domini nostri, appellatus Deus, 322. Eorum doctrina de Deo uno et omnium creatore non allegorice sumenda, 198.

Apostoli et fideles omnes eamdem cum Abraham fidem sortiti, secuti sunt et ipsi Verbum Dei, 235. Ab apostolis unus tantum Deus, unusque Christus Dei Filius nobis traditus, 174. Christum Filium Dei hominibus annuntiantes alterum Deum non inferebant, 194, 196. Eorum doctrina de Christo Jesu quæ, et quibus annuntiata? 193, 194. Filium Dei unigenitum, Verbum Patris incarnatum, Jesum Christum unum et eumdem confitentur, 195, 208, 218. Cur tam facile persuadebant Jesum crucifixum esse Christum Dei Filium a Scripturis prænuntiatum? 269. Facilius ad Christi fidem converterunt quos jam instituerant prophetæ, 280. Difficilius et majori cum labore gentiles; cur? 260. Qui per apostolos ad Filii sui nuptias Deus nos vocavit, idem olim ad eas vocabat per prophetas, 379 et seqq.

Apostoli fidem et symbolum Ecclesiæ tradiderunt, 48 et not. Ab apostolis et prophetis accepta Ecclesiæ catholicæ doctrina et fides, una, sibique semper et ubique constans, 222. Sola vera ac vivifica, 175. Per eos dispositio nostræ salutis cognita, *ibid.* Ab apostolis firmum habet initium Ecclesia; inde eadem semper doctrina perseverans, 196. Ab iis fundatæ et ordinatæ Ecclesiæ certissimus character, successio episcoporum, CXXIV. Grabius hic male consulit causæ suæ, *ibid.* Ab apostolis quatuor Judæorum millia una die baptizata fuisse, undenam sumpsit Irenæus? 260, not. Ab apostolis traditum effert Ecclesia Deo sacrificium in universo mundo, quodnam, et cur? 249.

Ab apostolis plura et quidem maximi momenti dogmata viva tantum voce tradita, 175, not. Apostoli tradebant episcopis, quos instituebant, quæcunque scitu necessaria erant; cur? 175. Apostolorum traditio ab eorum scriptis distincta, juxta Irenæum, CXIII. Hic obiter mala fides Gallasii castigatur, *ibid.* Piis apostolorum successoribus adhærendum, a malis vero pastoribus recedendum, 262, quinam hi? 265. Ab apostolis nullos unquam præfectos fuisse singulares episcopos iis Ecclesiis quas ipsi fundarunt, quomodo ex Irenæo refellitur? CXVIII. Apostolicæ successionis ordo legitimus in sola Romana Ecclesia occurrit, CXV. Veritatem ergo et apostolicam traditionem extra eamdem frustra quæsieris, *ibid.* et seq. Apostolorum pars, promissa a Christo iis qui, omnibus relictis, secuti fuerint eum, 242. Ab apostolis quibuscum familiariter vixerat Polycarpus, diem celebrandi Paschatis tenebat, 341. Ab apostolis præcepta quædam indulta ob infirmitatem, ad vitandum pejus, 215. Permissa legalia Judæis œconomiæ causa, 199 et not. Quomodo citata Scripturæ; an juxta fontem Hebraicum, an juxta versionem Septuaginta? 216, not.

Apostolis ipsis prudentiores se putabant hæretici, 198. Apostolorum ævo altas jam radices egerat Gnosticorum hæresis, XX. Ii forsan quos respicit Apostolus ad Timotheum scribens, *ibid.* Ad apostolorum ævum propius accessit Valentiniana hæresis, XVI. Apostolorum fides de Christo Jesu Domino nostro, Valentinianorum doctrinæ aperte contraria, 204. Apostolorum doctrina Valentinianis opposita, 227 et 228. Apostolos duodecim, typum non esse Æonum dodecadis, 145 et seq.

Apostolus. Vide *Paulus*.

Appendices animæ, quid ex Valentino? 335.

Apuleius ex ore celebris Ammonii, perpurgatam iterum ab eo Platonicam philosophiam hausit, XXIII.

Aqua, rerum omnium principium, ex Thalete Milesio, 133. Ad aquæ et vini commistionem in calice Irenæus quomodo alludit, 270, 293, 294.

Aquarii. Vide *Hydroparastatæ*.

Aquila male interpretatus est locum Isaiæ de Virginis partu, 215. Ejus versionis qua occasione meminit Irenæus? CXI.

Arbitrii libertate et ratione, hominem Deo similem esse, crediderunt Irenæus et ex antiquis non pauci, 251 et not.

Arcesilæ sectatoribus relictum Academicorum nomen, XXIII.

Archangeli secundum deorum gradum obtinebant, juxta Jamblichum, XL. Archangeli mundani diis iisdem mundanis subjiciebantur, juxta Platonicos, XLIII. Archangeli primis tantum et summis Æonibus a Simone et aliis Gnosticorum principibus immediate subjecti: quid inde? XXXVIII. Archangelus quartus, Paradisus secundum Valentinianos, 25.

Archelaus. Ab Archelao philosopho quemnam errorem hausit Simon Magus, LVI.

Archontes quinam juxta Jamblichum? Eorum ordo duplex, alii superiores, inferiores alii, juxta eumdem, XLIII.

Archytas senior, Pythagoricus philosophus a quo institutus Plato, XXII.

Arelatensis concilii decretum ut episcopo peregrino locus sacrificandi detur, 341, not.

Argumenta hæreticorum a numeris, litteris et syllabis Græcis petita, vana, 149 seqq., 155, 158. Hæc ad rationem exigenda, non e contrario, 153.

Arimanius, Deus malorum opifex juxta Zoroastrum magum, XXX. Is e tenebris et ignorantia genitus, diis malis orum dedit, juxta eumdem, XLII.

Aristææ historia, an vera? 215, not. Aristææ historiam quibusnam placuit novis ornare miraculis? CX.

Aristoteles Platonis sententiam de divinæ mentis ideis perperam explicans, quomodo a discipulis ejus vindicatus? XXXIII. Sententiam suam de dæmonibus omnes homines statim induto corpore comitantibus, undenam sumpsit? 332.

Aristotelici quæstionibus subtilioribus gaudent, 134.

Ascensio Christi a prophetis quomodo prænuntiata? 274.

Ascodrobi fidemne ac Ascodrutæ? LII.

Ascodrupitæ, Ascodrutæ, quænam hæreticorum secta, juxta Tertullianum? an iidem sint cum Ascodrobis, incertum, LII.

Asia. In Asia quinam orti motus Marci Aurelii tempore? LXXIX. Ea de re consulti Lugdunenses et Viennenses, *ibid.*

